
Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/ceuvrescompletes0002unse

ŒUVRES COMPLÈTES

DE M. TRONSON.

ŒUVRES COMPLETES*

DE

M. TRONSON,

SUPÉRIEUR GÉNÉRAL DE SAINT-SULPICE,

Réunies pour la première fois en collection,

SUIVIES

DE TROIS IMPORTANTS OUVRAGES INÉDITS ET REPRODUITS D'APRÈS LES MANUSCRITS CONSERVÉS DANS LES ARCHIVES DE L'HONORABLE SOCIÉTÉ,

CLASSÉES SELON L'ORDRE LOGIQUE,

ET PUBLIÉES

PAR M. L'ABBÉ MIGNE

ÉDITEUR DE LA BIBLIOTHÈQUE UNIVERSELLE DU CLERGÉ

OU

DES COURS COMPLETS SUR CHAQUE BRANCHE DE LA SCIENCE ECCLÉSIASTIQUE.

TOME SECOND.

ALMA COLLEGE 208.8 LIBRARY T753 Alma, California

2 VOL. PRIX : 14 FR.

S'IMPRIME ET SE VEND CHEZ J.-P. MIGNE, EDITEUR,
AUX ATELIERS CATHOLIQUES, RUE D'AMBOISE, AU PETIT-MONTROUGE,
BARRIÈRE D'ENFER DE PARIS.

1857

* Le mot *complètes* s'entend de toutes les œuvres éditées en quelque lieu, en quelque temps et en quelque format que ce soit, non de celles manuscrites qui peuvent exister dans les archives de Saint-Sulpice ou ailleurs.

39471

SOMMAIRE

DES MATIÈRES CONTENUES DANS LE TOME DEUXIÈME DES OEUVRES DE M. TRONSON.

Forma cleri. *col.* 9

Examens particuliers sur divers sujets propres aux ecclésiastiques et à toutes les personnes qui veulent s'avancer dans la perfection. 581

Lettres. 921

NOTA. — Les OEuvres inédites de M. Tronson, qui suivent, dans ce volume, les OEuvres connues, sont précédées d'un sommaire qui leur est propre.

Imprimerie MIGNE, au Petit-Montrouge.

ŒUVRES COMPLÈTES
DE M. TRONSON,

SUPÉRIEUR DU SÉMINAIRE DE SAINT-SULPICE.

FORMA CLERI.

PARS TERTIA

DE PRÆCIPUIS VITIIS CLERO CONTRARIIS.

CAPUT PRIMUM

Quod ab omni vitio purissimus debeat esse clericus.

ART. I. — *A peccato purus sit clericus.*

SECTIO PRIMA. — *Quantum a peccato purus esse debet* (1).

In sacerdotis habitu (cum auro et hyacinto) admiscetur regalis purpura, ut suggestiones vitiorum veluti ex potestate regia comprimat. (BEDA. in Exod., c. XXXI.)

Sacerdotale cor suggestiones vitiorum reprimat, eisque velut regia potestate contradicat. (S. GREG., *Pastor.*, part. II, 3.)

Mundus ipse esse a vitiis debet, qui curat aliena corrigere — Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es. Dei autem templum ædificat, qui corrigendis atque instituendis proximorum mentibus vacat... Vir sanguinum templum Dei ædificare prohibetur ; quia qui adhuc actibus carnalibus incumbit, necesse est ut instruere spiritualiter mentes proximorum erubescat. (S. GREG., lib. VII *Moral.*, c. 16.)

SECTIO SECUNDA. — *Cur a peccato maxime alienus esse debet.*

Oportet manum esse mundam quæ polluti vasis maculas debet purgare, ne polluta deterius possit coinquinare, cum sordida sordidum tractat. Propterea vobis dicitur : *Mundamini qui fertis vasa Domini...* (*Isa.* LII, 11.) Vasa non solum aurea et argentea, sed etiam illa, pro quibus redimendis Dominus mori dignatus est. (S. AUG., serm. 36, *Ad fratr. erem.*)

Nullum puto majus præjudicium, quam a malis sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus qui compescere peccata debuimus... Nulla animarum lucra quærimus; ad nostra quotidie studia vacamus; terrena concupiscimus : humanam gloriam intenta mente captamus; et quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. (S. GREG., hom. 17 *inEvang.*)

Nobilem necesse est Domini sacerdotem ut qui minister est Domini, erubescat se servum esse peccati. (S. PETR. DAM., opusc. 25, *De dignit. sacerd.*, c. 2.)

Quisquis ergo quolibet horum vitio subigitur, panes Domino offerre prohibetur : ne profecto diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc propria devastant — Cuncti liquido novimus, quia cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Qui ergo adhuc desideriis terrenis astringitur, caveat ne districti iram Judicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. — Ne is quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum. Hinc superna voce ad Moïsem dicitur : *Homo qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus.* (S. GREG., *Pastor.*, part. IV, cap. ult.)

In negotiis exterioribus quam plurimum cavetur, ne is qui ad interveniendum eligitur, offensus judici inveniatur; male enim pro aliis se constituit intercessorem, qui in se ipso judicem offendere non timuit. Temerarius est qui patronum in eo negotio se exhibet, in quo et ipse patrono indiget. (PETR. BLES., *Serm. in verba Ose.* XII, 11, in synod.)

Ad hoc sancte vivendum est sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet; si quod prædicat fieri debere, non faciat, aut si quod non facit, prædicare præsumpserit. Si autem aliter egerit, nihil apud eos, qui ejus vitam novere, proficit. (S. PROSP., lib. I *De vita contemplat. sacerdot.*, c. 20.)

Qui in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus. (S. ISIDOR, *De offic.*, lib. II, c. 5, *De sacerdot.*)

Sacerdos, cui omnis profitetur peccator, ante quem statuitur omnis langor, in nullo illorum sit

(1) *Vid.* infr., part. VII, cap. *De peccat. sacerdotum.*

judicandus, quod ipse in aliis judicare est promptus. Judicans enim alium, qui est ab aliis judicandus, condemnat seipsum. (S. Aug., *De vera et falsa pœnit.*, lib. unic, c. 20, apud S. Bonavent., *Pharetr.*, lib. I, c. 20.)

Nemo fidenter reprehendit, in quo se esse irreprehensibilem non confidit. Siquidem humanitatis est omnium, in quo sibi quisque indulget, aliis non vehementer irasci. (S. Bern., *Apolog. ad Guillelm. abbat.*, c. 10.)

Laicus qui vult bene vivere, cum attenderit clericum malum, male vivit. (S. August., *De verbis Dom.*, serm. 49, c. 7.)

Si in clerico, qui exemplum est vitæ sæcularibus, juste aliquid reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religionis nostræ æstimatio gravatur. (S. Greg. hom. 17 *in Evang.*)

Non sunt promovendi ad regimen Ecclesiæ qui vitiis subjacent. Hinc est quod præceptum est Davidi non ædificare visibilem templum, quia *sanguinum vir* (*II Reg.* xvi, 8), id est, belli frequentia illi esset. Qua figura illi spiritualiter admonentur, qui vitiorum adhuc corruptioni sunt dediti, ne templum ædificent, hoc est Ecclesiam docere præsumant. (S. Isidor. Hispal., lib. III *Sentent.*, c. 34.)

ART. II. — *A minimis etiam vitiis sit alienus clericus.*

Sectio prima. — *Quantum a minimis etiam vitiis debeat esse alienus.*

Præcipiuntur Levitæ tolli de medio filiorum Israel, purificari, aqua lustrationis aspergi, omnes pilos corporis radere. Signatur autem per hoc nostrorum levitarum et clericorum vitam debere a laicali vita secerni, ab omni vitiorum sorde purificari, et lavari, et a superflua cogitatione mundari. (Hugo a S. Victore in *Miscellan.* II, lib. I, tit. 58.)

Si ab omnibus abstinuerit, magnus est. Si autem vel levia peccaverit, nihil illi prodest sacerdotalis dignitas ejus. (S. Chrysost., hom. 10 *in Matth.*, c. v. *Oper. imp.*)

Nobis hæc una virtutis lex est, ne levissimis quidem vitiis, atque ab omnibus neglectis succumbere. (S. Greg. Naz., orat. 3, num. 124.)

Neque mediocris virtus sacerdotalis est, cui cavendum non solum, ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem. (S. Ambros., lib. x, epist. 82, *Ad Vercellens.*)

Qui sibi vel levis culpæ conscius est, male profecto facit, eam rem appetens, qua indignum se per sua opera fecit. (S. Chrysost., hom. 10, *in Epist. ad Tim.*, c. III.)

Sit abstinens non tantum a libidine, sed etiam ab omnibus animi perturbationibus. (S. Hier., *in Epist. ad Tit.*, c. I.)

Quis est filius, proposita ipsi parentis gratia, cum in rebus illi majoribus obsequatur, in iis quæ levioris momenti sunt, prudens velit ipsum offendere? (S. Basil., *Regul. fus.*, Prœm.)

Quod minimum est, minimum est; sed in minimo fidelem esse magnum est. (S. Aug., *De doctr. Christ.*, c. 18, lib. IV.)

Oportet episcopum angelum esse, nulli humanæ perturbationi vitioque subjectum. (S. Chrysost., hom. 10 *in Epist. ad Tim.*, c. III.)

Sectio secunda. — *Cur a minimis etiam vitiis debeat esse alienus*

§ I. — *Quia multa sunt.*

Noli contemnere modica peccata, quia minora sunt sed time, quia plura sunt... Bestiæ, minutæ plerumque, multæ necant... Quam minutissima sunt grana arenæ! si arena amplius in navi mittatur, mergit illam. Quam minutæ guttæ pluviæ! Nonne flumina implent, et domos dejiciunt? Timenda est ruina multitudinis, et si non magnitudinis. — Attendite, fratres mei, minuta sunt magna. Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat; sed bestiæ, plerumque, minutæ multæ, necant. Si projicitur quisquam in locum pulicibus plenum, numquid non moritur? etc. (S. Aug., *De decem chordis*, c. 11.)

Quoniam minuta plura peccat, si negligantur, occidunt. Minutæ sunt guttæ quæ flumina implent : minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens : paulatim per sentinam intrat : sed diu intrando, et non exhauriendo, mergit navim. (Id., tract. 12 *in Joan.*)

Multa levia unum grande efficiunt; sicut solent ex parvissimis guttis immensa flumina crescere. (S. Isidor., *Sentent. de summo bono*, lib. II, c. 23.)

Si dicis, minora sunt peccata, minuta sunt, sine quibus non potest esse ista vita. Congere minuta, et faciunt ingentem acervum : nam et grana minuta sunt, et flumina implent, et moles trahunt. (S. Aug., *in psal.* cxxix.)

Parva crebra, collecta oppriment, sicut unum grande peccatum. (Id., epist. 118.)

Ista levia, si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras. Levia multa faciunt unum grande. (Id., tract. 1, *in Epist. Joan.*)

Tu qui dicis, quia parvum peccatum est, velim scire quoties tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, et tot maculas et scissuras in vestibus tuis fieri velis? Cum ergo in corpore tuo plagas, nec in veste tua scissuras, vel maculas fieri acquiescis, qua conscientia hoc facere in anima tua non metuis? Ac si quicunque hoc fecerit, plus amat vestem, et carnem suam, quam animam. (Id., serm. 244, *De tempore.*)

Quamvis in minimis, tamen frequenter excedunt. — Nequaquam considerent qualia, sed quanta committunt. — Facta sua si despiciunt timere dum pensant, debent formidare cum numerant. — Altos gurgites fluminum, parvæ, sed innumeræ replent guttæ pluviarum. — Hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæviens. — Minuta sunt quæ erumpunt in membris per scabiem vulnera, sed cum multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis sicut unum grave in-

flictum pectori vulnus necat. (S. Greg., *Pastor.* part. III, c. 34.)

Quamvis singula, non lethali vulnere ferire sentiantur; tamen omnia simul congregata, quod plura sunt, necant. (S. Aug., lib. L, hom. 50.

§ II. — *Quia sæpe magna sunt : et si minima, turpius est ab eis vinci.*

Non est minimum, vitia in vita hominum negligere minima. — Interdum levia ac vilia facit peccata nostra ipsa peccandi consuetudo. (S. Eucher., hom. 8, *Ad relig.*)

Sunt quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora, etc. (S. Aug., *Enchirid.*, c. 79.)

Veluti quibusdam pustulis et quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius Sponsi cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. (Id., serm. 41, *De sanctis.*)

Tanto major inobedientia, quanto id quod præceptum est, nullius difficultatis fuit. (Id., lib. XIV, *De civit. Dei*, c. 15.)

Nec minimum est contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam eo turpius neglectui habita ingerunt, quo vitari cognita facilius valuerunt. (S. Bonav., *Specul discipl.*, in Prologo.)

Turpe est eos qui maxima sibi subjecerunt, a vilioribus vinci. (S. Ephrem., *Parab.*, c. 2.)

Quia maxima contempsimus, in minimis deformius vincimur. (S. Eucher., hom. 5, *Ad relig.*)

Nonnunquam in parva deterius, quam in majori culpa peccatur. Major enim, quo citius quia sit, culpa agnoscitur, eo etiam celerius emendatur. Minor, dum quasi nulla creditur, eo pejus quo et securius in usu retinetur. (S. Greg., *Pastor.* part. III, c. 34.)

Nemo contemnat aut parvi pendat. Impossibile est enim cum eis salvari : impossibile est ea dilui nisi per Christum Jesum, et a Christo. Nemo, inquam, perniciosa securitate dormitet, declinans *in verba malitiæ ad excusandas excusationes, in peccatis* (*Psal.* XIV, 4), quoniam, ut audivit Petrus ab ipso (*Joan.* XIII, 8) : *Nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo.* (S. Bern., serm. 1, *in Cœna Domini.*)

Nemo dicat in corde suo, levia sunt : non curo corrigere : non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Hæc est impœnitentia. Hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis. (Id., serm. 1 *in Convers. S. Pauli.*)

Quanto leviora sunt peccata; tanto majus supplicium his qui non obediunt. (S. Bonav., *Pharetr.* lib. II, c. 44, ex S. Chrysost. *in Joan.*)

Qui minima peccata flere et vitare negligit, a statu justitiæ non quidem repente, sed a partibus totus cadit. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* (*Eccli.* XIX, 1.—S. Greg., *Pastor.* part. III, cap. 34.)

Quantum superare magnæ virtutis est; tantum vinci ignominiosum plenumque dedecoris. A potente enim elidi, licet sit in dejectione dolor, et gemitus in amissione victoriæ; tamen quodammodo de adversarii robore victis nascitur consolatio. Sin vero et inimicus exilis, et genus colluctationis infirmum, ultra dejectionis dolorem, confusio turpior, et ignominia detrimento gravior infertur. (Cassian., lib. VII *Institut.*, c. 20.)

§ III. — *Quia in clero semper graviora.*

Ignobilium delicta, si in medium prodierint, neminem insigniter vulnerant : at qui in istius dignitatis fastigio positi sunt, primum nemini non noti, manifestique sunt, tum vero si vel tantillum peccaverint, parva eorum peccata aliis magna videntur : neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur. — Quamdiu sacerdotis vita pulchre partibus ex omnibus congruens, concinnataque fuerit, nullæ illi adversariorum insidiæ nocere possunt. Qui simul atque vel tantillum officii recti prætermiserit, jam illum nihil anteactæ vitæ honestas adjuvat, ad incusantium voculas effugiendas. Quinimo leve illud commissum reliquiæ illius vitæ luminibus officit. Ac certe sic sacerdoti omnes judices esse volunt, ut carne nequaquam composito, ut humanam naturam non sortito, verum ut angelo, ut humanæ infirmitatis minime participi. (S. Chrysos., lib. III *De sacerdot.*, c. 14.)

Sicut pretiosam vestem exigua quævis macula turpius decolorat, nobis ad immunditiam minima quælibet inobedientia sufficit : nec jam nævus est, sed gravis macula. (S. Bern., *Serm. de triplici custod.*)

Crimen nobis est non modo malum exstitisse, sed etiam a malo parum abfuisse. (S. Greg. Naz., orat. 3, num. 124.)

Inter sæculares, nugæ, nugæ sunt; in ore sacerdotis blasphemi... Consecrasti os tuum Evangelio : talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est. (S. Bern., lib. XXI *De consid.* c. 13.)

Levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant. (*Conc. Trid.*, sess. 22, c. 1, *De reformat.*)

Quod veniale est plebi, criminale est sacerdoti. Quod erroneum est ovi, peremptorium est pastori. (Petr. Bles., *Serm. in psal.* II, 20.)

Peccata quæ insipientibus levia sunt, perfectis viris gravia reputantur. — Tanto majus cognoscitur esse peccatum, quanto major qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum; et sæpe quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur. (S. Isidor. Hispal., *Sentent.* lib. II, c. 18.)

Quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari. (*Conc. Aquisgran.*, c. 61.)

Ipsi sunt oculi in corpore mystico totius Ecclesiæ : modica macula et læsio valde nociva est oculo. (Dionys. Carthus., *De vit. sacerd.*, art. 13, num. 7.)

Ipsi sunt speculum, in quod dirigunt laici oculos suos, speculum autem mundum, et lucidum esse oportet. (*Ibid.*, num. 8.)

Nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat; et superjectas sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet. (S. Greg., lib. VII *Moral.*, c. 16.)

§ IV. — *Quia ad majora deducunt.*

Qui modica spernit, paulatim decidit : si curare parva negligimus, sensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus. (S. Greg., lib. xi, c. 9.).

Quandiu lapides bene compacti sunt, nihil vacuum inter se habent, firmi, infracti sunt : si vero vel foramen acus utrinque penetret, aut scissura, quæ capilli locum habeat, omnia pereunt, etc. Ita et diabolus, etc. Nam ubique illi solis initiis est opus. (S. Chrysost., hom 14, *in Epist. ad Ephes.*, c. iv.)

Cum prius per levia delicta defluimus, usu cuncta levigante, nequaquam committere etiam graviora timemus. (S. Greg., lib. x *Moral.*, c. 9.)

Fit plerumque ut mens assueta malis levibus, nec graviora perhorrescat, atque ad quamdam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat : et tanto in majoribus contemnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare. (S. Greg., *Pastor.*, part. iii, c. 34.)

Dum facta quædam non gravia libere ac sine metu committimus, ad potiora scelera et horrenda, peccandi consuetudine labimur. (S. Isidor., lib. ii *De summo bono*, c. 29.)

Vestis quæ scindi poterit, neglecta tota discinditur : et tectum, paucarum tegularum casu contempto, totam domum diruit, etc. (S. Chrysost., hom. 8, *in I Epist. ad Cor.*)

Qui verba mala non reprimit, ad noxia cito transit : et qui minima non respuit, in maxima valde prorumpit. Minorum namque culpa, majorem generat. Particulatim crescunt vitia, et dum parva non cavemus, in magna prolabimur. Minora itaque devita, et ad majora non devenies. (S. Isidor., *Norma vivendi*, c. 6.)

Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse evitanda, quanto parva et vilia. Illa enim ut aversemur ipsa peccati natura efficit : hæc autem, hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt ; et dum contemnuntur, non potes ad expulsionem eorum animus generose insurgere. Unde cito ex parvis maxima fiunt negligentia nostra... Nemo enim repente ad extremam improbitatem insiliit. Habet quippe insitum quemdam animi pudorem atque innatum, quem subito calcare atque projicere non potest, sed sensim atque paulatim ex negligentia perit, etc. (S. Chrysost., hom. 87, *in Math.*)

ART. III. — *Ab omni etiam specie mali se abstineat.*

Interroga majores tuos, et dicent tibi (Deut. xxxii, 7*) ; Ab omni specie mala abstinete vos. (I Thess.* v, 22.) (S. Bern., lib. iii *De consid.*, c. 4.)

Clerici non solum debent abstinere ab his quæ sunt secundum se mala sed etiam ab his quæ habent speciem mali. (S. Thom., 2-2, quæst. 77, art. 4, ad 3.)

Non solum malum omne, sed quidquid etiam mali speciem habet, a clericis fugiendum. (*Synod. Cortonens.*, ann. 1664, tit. *De vita et honest. cleric.*, c. 24.)

Ut clerum habeamus, qui suæ vocationi respondeat... se a crimine et omni criminis suspicione vel specie reddens immunem : cæteris etiam pietatis et virtutis exemplo præluceat. (*Conc Remens.*, ann. 1583, a Greg. XIII approbat. et confirmat., tit. *De clericis.*)

Sacerdotum tam excellens est electio, ut hæc que in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. (S. Leo, epist. 84, *cap.* 3, *Ad Anastas.*)

Plerumque quod in laicis culpa non est, hoc crimen est in sacro ordine constitutis. (S. Greg., lib. viii, epist. 5, *Ad Sabinum subdiacon.*)

In clerico si quid juste reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religionis nostræ æstimatio gravatur. (Id., *Hom.* apud *Conc. Aquisgran.*, c. 102.)

Sane interest tuæ perfectionis, et malas res, et malas pariter species devitare. In altero conscientiæ, in altero famæ consulis. — (Puta tibi non licere (et si alias fortasse liceat) quidquid male fuerit coloratum. (S. Bern., *De consid.*, lib. iii, c. 4.)

Opus est qui ad munus adeo augustum provecti sunt, non ab iis modo vitiis quæ manifeste aperteque damnantur, sed etiam ab omni actione, cum qua vitii alicujus opinio, et existimatio parum honesta, et multarum suspicionum dedecus conjunctum est, abstinere. (S. Cyrill., *De adorat. in spirit. et verit.*, lib. xii, qui est *De sacerd.*)

Talis sit pontifex, ut qui religioni detrahunt, vitæ ejus detrahere non audeant. (S. Hier., epist. 83, *Ad Oceanum.*)

CAPUT II.

De ambitione.

ART. I. — *Figuræ.*

Subtile malum. — Secretum virus. — Pestis occulta. — Doli artifex. — Mater hypocrisis. — Vitiorum origo. — Criminum fomes. — Virtutum ærugo. — Tinea sanctitatis. — Excæcatrix cordium. — Ex remediis morbos creans. — Generans ex medicina languorem. (S. Bern., *in psal.* xc : « *Qui habitat,* » serm. 6.)

Animarum subversio. — Tinea cordium. (Petr. Bles., epist. 23, *Ad Octav. cardin.*)

Ambientium crux. (S. Bern., lib. iii *De consid.*, c. 1.)

Febris nostra. (S. Ambr., lib. iv, *in Luc.* iv.)

Ut sævus ventus arenam cum undis miscens, omnia subvertit. (S. Chrysost., hom. 43, *Ad popul.*)

Ignis non inflammans, sed infumans ; non illuminans, sed excæcans. (Petr. Bles., epist. 23.)

Ambitionis via, adoratio diaboli est. Omnia regna mundi promisit, si cadens adoraret eum. (*Matth.* iv, 9.) (S. Bern. *in psal.* xc : « *Qui habitat,* » serm. 6.)

Ambitio est quædam simia charitatis. *Charitas* enim *patiens est* pro æternis ; ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas *benigna est* pauperibus, ambitio divitibus. Charitas *omnia suffert* pro veritat, eambitio pro vanitate Utraque *omnia credit, omnia sperat*, sed longe dissimili modo : hæc ad gloriam hujus vitæ, illa ad gloriam sine fine. Nam in igne aliter se habet aurum

rutilans, et aliter palea fumans. Charitas *nunquam excidit* (*I Cor.* XII, 4-8), ambitio nunquam surgit. Ambitio enim est ipsa iniquitas super talentum plumbi. (PETR. Bles., epist. 14.)

ART. II. — *Quam generaliter regnavit in clero.*

Generalis pestis. (S. BERN., lib. I *De consid.*, c. 11.)

Ambitionis salsugo bibulam animam occupat, ut per fas et nefas ad loca superiora etiam de latebris eremi nonnulli se ingerant. (S. CYPR., in Prolog. lib. *De operibus Christi.*)

Non fere quisquam est qui careat amore dominandi, et humanam non appetat gloriam. (S. AUG., *in psal.* I.)

Quem mihi ostendas, vel de illorum numero qui videntur dati in lucem gentium, non magis de sublimi fumantem, quam flammantem. (S. BERN., in Prolog. *Vit. S. Malach.*)

O ambitio, ambitientium crux! Quomodo omnes torquens omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat, nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. — An non limina apostolorum plus jam ambitio quam devotio terit? — An non questibus ejus tota legum canonumque disciplina insudat? (ID., lib. III *De consid.*, c. 1.)

Vides omnem ecclesiasticum zelum fervere pro dignitate tuenda. Honori totum datur, sanctitati nihil, aut parum. (ID., *ibid.*, lib. IV, c. 2.)

Utinam tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad cathedram! (ID., *Serm. ad cler.*, in *Concil. Rhem.*)

Cæterum curritur in clero passim et ab omni ætate et ordine, a doctis pariter et indoctis, ad ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. — Nunc vero, quia sola attenditur gloria, et non pœna, purum esse clericum erubescitur in Ecclesia, seque viles æstimant et inglorios qui quocunque eminentiori in loco non fuerint sublimati. Scholares pueri et impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas dignitates, et de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris; lætiores interim quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum; nec tam illis blanditur adeptum, quam ademptum magisterium. — O infinita semper ambitio; cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, vel vitæ merito, vel pecuniæ, sive etiam carnis et sanguinis prærogativa, non ideo corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio, quo utique magis ac magis et dilatentur in plura, et ad celsiora sublimentur, etc. — Certe cum primum tractus es ad cathedram, flebas, refugiebas, vim querebaris, multum a te, omnino supra te esse dicens, miserum clamitans et indignum, qui non esses idoneus tanto ministerio, tantis non suffiereres curis. Quid igitur nunc verecunda depulsa formidine sponte ambis ad ampliora? (S. BERN., epist. 42, *Ad Henric. Senon.*, c. 7.)

Quidam (episcopi) regum munificentias, et eleemosynas antiquorum abusive baronias vocant, et in occasione turpissimæ servitutis seipsos barones appellant, etc. Scias te assumpsisse pastoris officium, non baronis. (PETR. Bles., *De instit. episc.*)

Humilitatis locum in elationem dominationis immutant. (S. GREG., hom. 17 *in Evang.*)

Tunc potissimum volunt dominari, cum professi fuerint servitutem. (S. BERN., lib. XLI *De consid.*, c. 2.)

ART. III. — *Cur vitanda ambitio maxime in clero.*

SECTIO PRIMA. — *Ob pericula altitudinis et honorum.*

Honores hujus sæculi, quid sunt, nisi typus et ruinæ periculum? (S. AUG., *De catechis. rudibus*, c. 16.)

Quam multis honor occasio exitii fuit! (ID., *De verb. Dom.*, serm. 12, c. 3.)

Tentatio gubernandi, tentatio periculorum in regenda Ecclesia nos potissimum tangit. (ID., *in psal.* CVI.)

Sublimitas honorum, magnitudo scelerum est. (S. THOM., lib. I *De eruditione princip.*, c. 1.)

In alto posito, non altum sapere difficile est, et omnino inusitatum: sed quanto inusitatius, tanto gloriosius. (S. BERN., epist. 42, *Ad Henric. Senon.*, c. 8.)

Honoris sequela, perditio est. — Sane honores et divitiæ sibi annexa habent vitæ securitatem, vinum, et pinguia, otium et saturitatem, contemptum Dei, et dispendium sui. (PETR. Bles., epist. 102.)

Altitudo ruinam habere solet. — Alta præsumptio, ruinosa præcipitatio. (S. BERN., lib. II *De consid.*, c. 10.)

SECTIO SECUNDA. — *Ob mala ambitionis.*

§ I. — *Animum insanabiliter vulnerat.*

Nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi. (ID., *ibid.*, lib. III, c. 1.)

Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque ea quæ dicunt, neque de quibus affirmant. (*I Tim.* I, 7.) Ambiunt dignitatis titulos, atque ideo oculos a veritate detorquent. (S. CHRYSOST., hom. 2 *in I ad Tim.*, c. 1, supra dicta verba.)

Mens potentiæ avida, nec abstinere novit a vetitis, nec gaudere concessis, dum inordinato pravoque processu impunitarum transgressionum augentur excessus, et crebrescunt culpæ, quæ toleratæ sunt amore concordiæ. (S. LEO Pap. I, epist. 53, *Ad Anatolium episc. Constantinop.*, qui contra Nicen. synod. ordin. Alexand. atque Antiochen. Eccles. sibi subdere voluerat.)

In honorum cupiditate quantæ spinæ. (S. AUG., *in psal.* CII.)

Hoc ipso perniciosior ambitio, quod blanda quædam est conciliatricula dignitatum, et sæpe, quos vitia nulla deflectunt, quos nulla potuit movere

luxuria, nulla avaritia subruere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, et ut dominetur aliis, prius servit: curvatur obsequio, ut honore donetur; et dum vult esse sublimior, fit remissior. (S. Amb., *in Luc.*, lib. iv.)

Dominari ne affectes, ut non dominetur tui omnis injustitia. (S. Bern., lib. i *De consid.*, c. 1.)

Si altiorem quam meliorem esse delectat, non præmium, sed præcipitium exspectamus. (Id., epist. 27, *Ad Ardution. episc. Gebenn.*)

Spiritus elevationis, spiritus cupiditatis et jactantiæ, spiritus vertiginis et erroris. (Petr. Bles., epist. 140, *Ad Petrum cleric. regis Angliæ.*)

Hæc est quæ non recipit disciplinam, curari renuit, medelam non sustinet : ulcus pessimum, quod nec summis saltem digitis patitur attrectari. (S. Bern., *Declam.*, c. 9.)

§ II. — *Ecclesiam persequitur et fœdat.*

Corpus Ecclesiæ ambientium improba contentione fœdatur. (S. Leo, epist. 1.)

In pace amaritudo mea amarissima... fuit ergo amaritudo Ecclesiæ : amara quidem in persecutione tyrannorum, sed amarior in versutia hæreticorum, sed amarissima hodie per pravitatem desideriorum... Pacem habet Ecclesia apud extraneos, sed filii nequam, filii scelerati sæviunt in eam, qui propriam matrem eviscerant, ut se pariant in honorem. (S. Bern., *Serm. ad pastor.*, in synodo.)

Plena est ambitiosis Ecclesia ; non est jam quod exhorreat in studiis et molitionibus ambitionis, non plusquam spelunca latronum spoliis viatorum. (Id., *De consid.*, lib. i, c. 10.)

Non miramur si vindemiat vineam Domini, qui institutam a Domino prætergreditur viam. (Id., *conv. ad cler.*, c. 28.)

Lætetur Ecclesia Christi, ut ambitiosis oppressa, sub vestra consolatione respiret. (S. Petr. Damian., epist. 23, *Ad Octav. cardin.*)

§ III. — *Populorum salutem minime procurat, sed propriam utilitatem.*

Elati pastores plebem tyrannice premunt, non regunt. Vulnerare potius quam emendare norunt. — Non studio correctionis, sed vitio elationis annuntiant. (S. Isidor. Hispal., lib. iii *Sent.*, c. 41.)

Ambitiosus semper est pavidus, semper est attentus, ne dicat quod displiceat. — Affabilitatem exhibet ; benignitatem ostendit ; subsequitur et obsequitur, cunctos honorat ; universis inclinat ; frequentat curias ; visitat optimates ; assurgit et amplexatur ; applaudit et adulatur. — Ambitiosus promptus et fervidus, ubi placere cognoverit ; remissus et tepidus, ubi putaverit displicere. — Improbat mala, detestatur iniqua ; sed alia cum aliis probat et improbat, ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur ab omnibus, ut a singulis approbetur. — Ambitiosus statim ut est ad honorem promotus, in superbiam extollitur. non curat prodesse, sed gloriatur præesse. Priores dedignatur amicos, etc. Vultum avertit, cervicem erigit, fastum ostendit, etc. Subditus, onerosus, omnibus infestus, præceps, molestus, gravis et importunus. (Innoc. III, *De contemptu mundi*, seu *De miseria hominis*, lib. ii, c. 26.)

Ecclesiastica deserunt, dum Ecclesias concupiscunt. (S. Petr. Dam., opusc. 22, *Contr. clèr. aulic.*, init.)

Sectio tertia. — *Ob pœnas ambitiosorum.*

Dedisti, Domine, cœlum ferreum et terram æneam, ut super hunc montem Gelboe, qui per elationem honoris intumuit, nec ros, nec pluvia cadat. (Petr. Bles., epist. 102.)

Isti constituunt arcam Domini in azoto, quod interpretatur ignis concupiscentiæ, quia per ambitiosam concupiscentiam gloriam nostræ professionis evacuant. Convertit Dominus flumina eorum in sanguinem, ne bibant ; terramque ferream, et cœlum æneum dat eis, ut pluviæ cœlestis expertes fructum vitæ non faciant. — Scienter et prudenter pereunt, quia immiscuit eis Dominus spiritum vertiginis, eisque rotam malorum Rex sapiens, impiorum vintilator, immittit. (Id., epist. 14.)

Ille qui ut laborem militiæ fugiat, ad ejusdem militiæ ducatum inhianter anhelat, dum dux belli esse humanis oculis cernitur, in conspectu occulti arbitri malefidus transfuga judicatur. (Id., opusc. 21, *De fuga dignit. eccl.*, c. 1.)

Quicunque desideravit primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo : nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit : nec unusquisque eorum festinet quomodo aliis major appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur : quoniam non qui fuerit major in honore, ille est justior, sed qui fuerit justior, ille major. (S. Chrysost., hom. 35, *Oper. imp., in Matth.* ; ref. dist. 40, c. *Multi sacerdotes.*)

ART. IV. — *Remedia ambitionis.*

Sacerdotis animum, honoris illius desiderio, undique vacare oportet. (S. Chrysost., *De sacerdot.*, lib. iii, c. 10.)

Conversatio melior est desideranda, non dignior gradus. (Id., ref. dist. 40, c. *Multi sacerdotes.*)

Honor te quærere debet, non ipsum tu. (S. Aug., lib. l, hom. 13.)

Ut omnem ambitionis radicem Christus discipulorum cordibus eximeret, parvulus in medio illorum statuit, deque primatu certare prohibuit (*Luc.* xxii, 27) : *Qui major est*, inquit, *in vobis, fiat sicut junior; et qui præcessor est, sicut ministrator : nam quis major est? qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit?* Quis vero ignorat clericum in medio Ecclesiæ esse tanquam eum qui ministrat ? Quare meminerimus potius officii nostri quam dignitatis. Neque enim ad dominationem vocati sumus, sed ad opus. (*Conc. Colon.* i, part. ii, cap. 23.)

Omnis penitus adeundi honoris ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se judicandos potius, quam judicaturos, hi qui præesse volunt populis, cogitarent. (Origen., lib. II *in Epist. ad Rom.*, cap. II, v. 3.)

Recurramus ad pavendum extremæ animadversionis judicium, et omnino desiderium fugabitur dominandi. In illo quippe die nequaquam erit securior, qui fuerit potentior, sive major erit qui fuerit honoratior : quin potius qui exstiterit corde humilior, rebus sponte pauperior, etc., ille prorsus erit in conventu justorum sublimior, judicanti Domino propinquior, gloriæ cœlestis candore splendidior, atque divinæ fruitionis contemplatione beatior. — Quoties immissiones præsidendi nobis fiunt per angelos malos, vel suasiones fiunt per homines bonos, aut ex concupiscentia carnis, et vitæ hujus immoderata affectione cogitationes in nobis formantur, ad propriæ recurramus infirmitatis examen. (B. Laurent. Justin., *De instit. et regim. prælat.*, c. 1.)

Non enim per gradus ascendes ad altare meum ne detegas turpitudinem tuam in ipso (*Exod.* XX, 25) : id est, Dei sacerdos, qui ad meum cultum exhibendum sanctificatus est, humilia sectetur, non in sublime conscendat. Caveat arrogantiam, ne turpis videatur ac deformis. Deformis namque sane et turpis est, morbusque periculosissimus, animi sensus supra modum elatus. *Quanto major es*, inquit, *tanto humilia teipsum.* Scribit etiam Salvatoris discipulus (*Jac.* I, 9, 10) : *Glorietur frater humilis in sublimitate sua ; dives autem in humilitate sua.* (S. Cyrill. Alex., *De adorat. in spirit. et verit.*, lib. XII, qui est *De sacerdot.*)

CAPUT III.

De gloria vana.

ART. I. — *Quid sit gloria vana*

Dulcis spiritualium opum spoliatrix. — Jucundus animarum nostrarum hostis. — Tinea virtutum. — Blandissima bonorum nostrorum deprædatrix. — Mellis illitu fraudis sui veneni coloratrix. — Mortiferi hominum mentibus veneni porrectrix. (S. Basil., *Const. monastic.*, c. 11.)

Mater gehennæ. (S. Chrysost., hom. 17 *in Epist. ad Rom.*)

Gloria stultorum. (S. Aug., in *psal.* CXLIX.)

Ventosæ gloriæ fœditas. (Id., lib. V *De civit. Dei*, c. 20.)

Ventus urens, cœlestis gratiæ fluenta desiccans. (Petr. Bles., *De instit. episc.*)

Multiformis, varius ac subtilis spiritus cenodoxiæ; ita ut quibuslibet perspicacissimis oculis, non dicam caveri, sed pervideri deprehendique vix possit. (Cassian., lib. XI, c. 1.)

Cepæ, bulborumque instar, quæ uno decorticato tegmine, alio rursum inveniuntur induta, totiesque reperiuntur obtecta, quoties fuerint exspoliata. (*Ibid.*, c. 5.)

Gloriam imitatur, non tamen est gloria... Sicut personæ in scena, etc. Sicut larva ad diem vilitatem occultans.— Omnium servus : ipsis servilior mancipiis. Non enim talia præcipimus servis, qualia captivis suis illa, turpia et dedecore plena negotia ; et quo obsequentiorem viderit, hoc imperium plus adauget. (S. Chrysost., hom. 43 *Ad popul.*)

Quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut occultis educto gladio, gradientium vita trucidetur. (S. Greg., lib. IX *Moral.*, c. 13.)

ART. II. — *Quod in clero maxime fugienda.*

Qui bene expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ vel maxime cavendum esse perfectis. (S. Aug., *in psal.* VII.)

Virtutes habenti, magna virtus est contemnere gloriam. — Non est vera virtus, quando gloriæ servit humanæ. (S. Aug., lib. V *De civit.*, c. 19.)

Hominum laudes si audire cupiatis, tunc vere infatuandi estis atque calcandi. (S. Chrysost., hom. 15 *in Matth.*)

ART. III. — *Cur vana gloria maxime fugienda?*

Sectio prima. — *Quia vana.*

Perditæ vitæ homines se laboribus torquent, cruciant curis, expensis eviscerant. Nonne figuram araneæ gerunt, quæ de suis visceribus telam texit, ut capiat muscam vilissimam ? Quid est inanis gloria, quam venantur, nisi musca vilissima, murmurosa, sordida, pungitiva? (Petr. Bles., epist. 14, *Ad Sacell. regis Angl.*)

Totum in capturam inanis gloriæ et magnificentiam pompæ sæcularis eviscerat. — Spiritu elationis et vento gloriæ volatilis intumescunt. (Id., epist. 102.)

Absit ut tibi dicatur a Domino : Recepisti mercedem tuam. (*Matth.* VI, 2, 5, 16.) Sed potius cum Domino dicas : *Si ego quæro gloriam meam, gloria mea nihil est.* (*Joan.* VIII, 54.) Qui tumet inani gloria, omnino vacuus est, tam plenus nihilo, quam superbiæ vento. (Id., *De instit. episcop.*)

Sectio secunda. — *Quia noxia.*

Gloriæ caveat appetentiam, quæ frequenter nocuit immoderatius appetita, semper autem usurpata. (S. Ambros., *Offic.*, c. 39.)

In hujusmodi homines mittit Dominus spiritum vertiginis, et errare facit eos *in invio, et non in via.* (*Psal.* CVI, 40.) — Isti sunt lunatici qui offeruntur Domino ad curandum, modo cadentes in aquam sollicitudinum, modo in ignem cupiditatis, aut odii, aut iracundiæ, aut alterius extraordinariæ voluptatis. (Petr. Bles., epist. 16, *Ad quemdam episc.*)

In sacerdotis habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus, qui aereo colore resplendet, adjungitur : ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad fa-

vores infimos, sed ad amorem cœlestium surgat : ne dum incautus suis laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. (S. Greg., *Pastor.* part. II, c. 3.)

Ideo et sacerdotes qui positi sunt ad ornamentum populi, et ad ædificationem sanctitatis, ex ipso ministerio eorum accipit colorem diabolus et corrumpit bonum ministerium eorum : ut hoc ipsum bonum, dum propter homines fit, fiat malum. (S. Chrysost., hom. 43 *in Matth., Oper. imperf.*)

Ut sævi venti tranquillum mare totum ab imo subruunt, ut et arena cum undis misceatur : sic excæcat mentis impetum gloriæ furor. (Id., hom. 43, *Ad popul.*)

Nullum est malum quod non habeat contrarium bonum per quod superetur, excepta vana gloria. Ideo quantavis bona feceris, volens compescere vanam gloriam, tanto magis excitas eam... Nam omne malum ex malo nascitur : sola autem vana gloria de bono procedit, et ideo non exstinguitur per bonum, sed magis nutritur. (Id., hom. 15 *Oper. imp. in Matth.*)

Tolle hoc vitium de clero, ne velint hominibus placere, et sine labore omnia vitia resecantur. Ex hoc vitio nascitur... ut clerici peccantes difficile pœnitentiam agant : erubescit enim aliquando reus videri, qui semper fuerat judex. (Id., hom. 43 *Oper. imp., in Matth.*)

Qui observat dicta hominum, nunquam aliquid benefaciet, juxta illud : *Qui observat ventos, non seminat, et qui observat nubes, nunquam metet.* (*Eccle.* XI, 4.) (S. Thom., *in illud Matth.* XI, 19 . « *Ecce homo potator vini.* »)

Omnia vitia superata marcescunt, et devicta per singulos dies infirmiora redduntur... Hoc vero dejectum acrius convalescit. — Cætera genera vitiorum eos tantum impugnare solent, quos in certamine superarunt : hoc vero suos victores acrius insectatur, quantoque fuerit validius elisum, tanto vehementius victoriæ ipsius elevatione congreditur. (Cassian., lib. XI *Instit.*, c. 7.)

Deus, inquit Propheta, *dissipabit ossa eorum qui hominibus placent* (*Psal.* LII, 6.) (S. Bern., epist. 42, *Ad Henric. Senon.*, c. 2.)

Is tantum puritatis interioris gloria non fraudatur, qui dicere potest cum Domino : *Si ego quæro gloriam meam, gloria mea nihil est.* (*Joan.*, VIII, 54.) (*Ibid.*, c. 3.)

Displicet mortalibus angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus nuntiatur ; et dum gloriam usurpant, turbant pacem. Solus gloriam meretur, quia facit mirabilia solus, sicut dicit Apostolus : *Soli Deo honor et gloria...* (*I Tim.* 1, 17.) Quonam ergo modo stabit pax hominum coram Deo, vel cum Deo, si Deo non potest apud homines esse tuta sua gloria ? O stulti filii Adam, qui contemnentes pacem, et gloriam appetentes, et pacem perdunt et gloriam. (S. Bern., epist. 126, *Ad episcop. Aquitan.*)

Sectio tertia. — *Quia servituti Dei contraria.*

Cave ne hominum ramusculos aucuperis, ne offensam Dei populorum laude commutes. *Si adhuc*, inquit Apostolus, *hominibus placerem, Christi servus non essem.* (*Galat.* I, 10.) Desiit placere hominibus, et servus factus est Christi. Per bonam famam et malam, a dextris et a sinistris Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur ; non divitiis tumet, non contrahitur paupertate, et læta contemnit et tristia : *Per diem sol non urit* eum, *neque luna per noctem.* (*Psal.* CXX, 6.) (S. Hier., epist. 2, *Ad Nepotian.*)

Hostis Redemptoris est, qui per recta opera quæ facit, ejus vice ab Ecclesia amari concupiscit ; quia adulterinæ cogitationis est reus, si placere puer sponsæ oculis appetit, per quem sponsus dona transmisit. (S. Greg., *Pastor.*, part. II, cap. 8.)

Si gloriam, quæ ab homine est, quæris, gloriam illius qui dat gratiam et gloriam, perdis. (Petr. Bles., epist. 131.)

Verum tu sacerdos Dei altissimi cui ex his placere gestis, mundo, an Deo ? Si mundo, cur sacerdos ? Si Deo, cur qualis populus, talis sacerdos ? Nam si placere vis mundo, quid tibi prodest sacerdotium ? Nec enim potes duobus dominis servire. *Qui autem vult amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituitur.* (*Jac.* IV, 4.) *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* (*Galat.* I, 10.) Volens itaque placere hominibus, Deo non places. Si non places, non placas. Cur ergo, ut dixi, sacerdos ? (S. Bern. epist., 42, *Ad Henric. Senon.*, c. 2.)

Quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. (Id., serm. 13 *in Cant.*)

Qui propriam gloriam quærunt, sibi, non Domino ministrant. — Discamus nostra non quærere, si omnipotenti Deo volumus ministrare. (S. Greg., *in Ezech.* lib. II, hom. 22.)

ART. IV. — *Remedia contra vanam gloriam.*

Remedium nullum potest esse contra vanam gloriam, nisi oratio sola, et hæc ipsa vanitatem generat, nisi caute perspexeris si bene oraveris. (S. Chrysost., hom. 15 *in Matth., Oper. imp.*)

Si opes virtutum palam quasi venales semper portemus in mente, inimicum irritamus ad furtum. (Id., hom. 3 *in Matth.*)

Inventus thesaurus absconditur, ut servetur, etc. Deprædari ergo desiderat qui thesaurum publice portat in via... Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut et de bono opere proximis præbeamus exemplum ; et tamen per intentionem, qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum. (S. Greg., hom. 11 *in Evang.*)

Qui necessarium non habet ut Deum ostendat per suam sanctitatem, et hoc facit : procul dubio se festinat ostendere, non Deum. (S. Chrysost., hom. 43 *Oper. imp., in Matth.*)

Pensent humana judicia, quanta velocitate volant : divina autem quanta immobilitate perdurant. (S. Greg., *Pastor.*, lib. III, c. 36.)

Cupiditas gloriæ, dilectione justitiæ superetur. (S. Aug., *De civit.*, lib. V, c. 14.)

Non inflentur officiosis occurrentium salutationibus, sed graventur; nec honorari se, sed onerari faventium sibi laudibus credant. (S. Prosper., *De vit. contempl. sacerd.*, lib. I, cap. ult.)

Nec laus vel potius fraus adulatoria te seducat... Dicas cum cœperit adulator applaudere : *Nolite me vocare Noemi, sed Mara , quoniam amaritudine plena sum.* (*Ruth* I, 20.) — Sicut ventus dissipat nubes, sic tui vultus austeritas ventum adulationis, et venenum detractionis exterminet. (Petr. Bles., *De instit. episc.*, cap. 3.)

Verus humilis scuto veritatis curat a se jaculum favoris repellere, dans gloriam Deo. (S. Bern., epist. 42, *Ad Henric. Senon.*, c. 5.)

Ad unum spectemus, quomodo Deus nos laudet. — Cogita quod Deus videt, et omnem illam exstingues concupiscentiam. (S. Chrysost., hom. 43, *Ad popul.*)

In equorum ludis, non attenditur plausus populi assidentis, sed regis. (Id., hom. 5 *in Gen.*)

Hanc declinat, qui sibi certo persuaserit ubique Deum esse... siquidem est nemo, qui cum in oculis Domini sit, cum illius dedecore conservo suo malit gratiosus esse, quam Domino. (S. Basil., *Reg. brev.* reg. 34.

CAPUT IV.

De hypocris.

ART. I. — *Quid sit hypocrisis.*

Subtile malum. — Secretum virus. — Venenum latens. — Virtutum fucus. — Tinea sanctitatis. (S. Petr. Chrysol., serm. 7, *in hæc verba Matth.* : « *Cum jejunatis.* »)

Fermentum Pharisæorum. (*Luc.* XII, 1.)

Vitium clausum, simulatione virtutis palliatum. (S. Bonav., *Centiloq.* part. I, sect. 30.)

Foris lucet, intus lutum est. (S. Aug., *in psal.* XCV.)

Meretrici similis, quæ nativa pulchritudine destituta ad fucos confugere solet. (S. Greg. Naz., *Orat. fun. patris.*

Sicut sepulcrum quandiu clausum est, pulchrum foris videtur, apertum vero horribile est. (S. Chrysost., hom. 45 *Oper. imp., in Matth.*)

Hypocrita est qui in theatro personam sustinet alienam, sæpe domini, cum sit servus ; aut regis, cum sit privatus. (S. Basil., hom. 1, *De jejun.*)

Quod corporibus est hydrops, hypocrisis est animabus. Hoc est, hydrops bibendo sitit, hypocrisis inebriata sitit. (S. Petr. Chrysolog., serm. 7.)

Hypocritæ oves sunt habitu, astu vulpes, actu et crudelitate lupi. (S. Bern., serm. 66 *in Cant.*)

ART. II. — *Quod vitanda maxime in clero.*

Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. (*Sap.* I, 5.)

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. (*Matth.* VII, 15.)

Estote simplices sicut columbæ. (*Matth.* X, 16.)

Bonis artibus et sincero proposito nitendum ad honorem, arbitror, maxime ecclesiasticum... Ad omnia abundat animi directa simplicitas, satisque se ipsa commendat. (S. Ambros., lib. II *Offic.*, c. 24.)

ART. III. — *Cur vitanda hypocrisis, maxime in clero?*

Sectio prima. — *Ob gravitatem illius peccati.*

Omnis hypocrita est et nequam. (*Isa.* IX, 17.)

Quis magis impius, an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem? Nonne is qui etiam mendacium addens, geminat impietatem? (S. Bern., *Apol. ad Guillelm. abbat.*)

Nescio quomodo turpiora sunt vitia quæ virtutum specie celantur. (S. Hieron., epist. 14, *Ad Celantiam.*)

Simulata innocentia, non est innocentia, simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia et iniquitas est et simulatio. (S. Aug., *in psal.* LXI.)

Sicut summa prope divina virtus est neminem decipere, sic ultimum vitium est quemlibet decipere. (Id., lib. LXXXIII *Quæstion.*, q. 53.)

Qui hypocrita est, mortuus est. (Id., serm. 50, *De divers.*)

Sectio secunda. — *Ob deterrimos illius effectus.*

§ I. — *Vitia sub virtutum specie nutriens periculosius decipit.*

Nulla res sic exterminat bonum, sicut bonum simulatum. Nam manifestum malum, quasi malum cavetur : malum autem sub specie boni celatum, quasi bonum suscipitur. (S. Chrysost., hom. 19 *Oper. imp., in Matth.*)

Non est apud eos virtutes colere, sed vitia colorare, quodam quasi virtutum minio. (S. Bern., serm. 66 *in Cant.*)

Est quædam humilitas ficta, quæ veræ omnino adversatur : hac quicunque utuntur, aliud in ore ostentant, et aliud gestant in corde. Hi etenim sunt viri subdoli, malitia pleni, dolo astuti, ministri diaboli, iniquitatis magistri, semper prava mendacia componentes, hypocrisim sub tegmine sanctitatis tegentes, quorum perditio festinat et confusio prope est. Quæstum pietatem putant, hominibus placere anhelant. Honores, dignitates, et ecclesiastica omni cum studio quæritant beneficia : et quoniam fures sunt et latrones, non per januam, sed per maceriam in ovile ingrediuntur, non ut prosint, sed ut præsint, et cunctis præferantur, et in clero dominentur, etc. (S. Laurent. Justinian., *De casto connubio Verbi et animæ*, c. 20.)

Viri callidi et dolosi proprium esse solet, tunc prætendere humilitatem, cum aliquid obtinere voluerit : de qualibus dicit Scriptura : *Est qui se humiliat nequiter, et interiora ejus plena sunt dolo* (*Eccli.* XIX, 23)... Quantos, quos supplices admisisti, postmodum sustinuisti graves, insolentes, contumaces, rebelles? (S. Bern., lib. IV *De consid.*, c. 4.)

Minus semper malitia palam nocuit, nec unquam

bonus, nisi boni simulatione deceptus est. (S. Bern., serm. 66 *in Cant.*)

§ II. — *Virtutes corrumpit et in crimen vertit.*

Religio sit superstitio, et succedit ei ambitio subordinata. Exstincto spiritu, quatriduano cadaveri solæ supersunt exuviæ, virtutis species exanimis et simulacrum sanctitatis. (S. Cypr., *De jejunio et tentatione Christi.*)

Crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum. Jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit. — Sibi facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede stipendium, de remissione peccatum. — Fugiendum virus, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. (S. Petr. Chrysol., serm. 7 *in hæc verba Matth.* (vi, 16) : « *Cum jejunatis.* »)

§ III. — *Omnia sancta pervertit.*

Intende hypocritam. Oculum attendit hypocrita, non Deum : faciem, non fidem : pecuniam, non gratiam. Non fruitur Deo, sed utitur tanquam nummo, et nummo fruitur tanquam Deo. Deo emit mundum, fide nummum, religione sæculum... Mirabile dictu! Latet iste ut appareat : tacet, ut audiatur : non sequitur ut consequatur. Recedit ut præcedat, fugit ut apprehendat, plorat ut rideat, jejunat ut satietur. Sic cancer serpit, sic obliquando anfractus suos vulpes fraudulenta incedit. Excubat iste ad templum sanctæ vanæ gloriæ, et solemnes vigilias celebrat sanctissimæ avaritiæ. Sic enim orat : Deus, da mihi honorem illum, pecuniam illam, gloriam illam. (Petr. Cellens., *De panibus*, c. 16, *De pane mercenariorum.*)

Sectio tertia. — *Ob maledictionem Dei in hypocritas.*

Virum dolosum abominabitur Dominus. (*Psal.* v, 7.)

Dolosi non dimidiabunt dies suos. (*Psal.* liv, 24.)

Congregatio hypocritæ sterilis. (*Job* xv, 34.)

Gaudium hypocritæ ad instar puncti. (*Job* xx, 5.)

Non veniet in conspectum Domini omnis hypocrita. (*Job* xiii, 16.)

Simulatores et callidi provocant iram Dei. (*Job* xxxvi, 6.)

Ingrediens duas vias non habebit successus. (*Eccli.* iii, 28.)

Quæ est spes hypocritæ? Nunquid Deus audiet clamorem ejus, cum venerint super eum angustiæ? (*Job* xxvii, 8, 9.)

Spes hypocritæ peribit. Sicut tela aranearum fiducia ejus. (*Job* viii, 13, 14.)

Partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, et stridor dentium. (*Matth.* xxiv, 51.)

Duplici contritione conteruntur hypocritæ, quando et hic pro temporali gloria temporaliter se affligunt, et in futuro pro interna superbia ad æterna supplicia pertrahuntur. (S. Bern., *Apol. ad Guillel.*, c. 1; Octo væ in hypocritas fulminat Christus. (*Matth.* xxiii.)

CAPUT V.

De avaritia.

ART. I. — *Quid sit avaritia.*

Grande malum. (S. Ambros., serm. 59.)

Idolorum servitus. (*Ephes.* v, 5.)

Feralis. (S. Ambros., lib. ii *Offic.*, c. 24.)

Omnis injustitiæ fomes. (S. Chrysost., hom. 25 *in Act. apost.*, cap. xi.)

Pestis. (*Conc. Paris.* sub Ludovic., lib. i, c. 13.)

Via quæ ducit ad diabolum. (S. Chrysost., hom. 41, *in Matth.* xxii.)

Passio omnium pessima. (Id., hom. 81, *in Matth.* xxvi.)

Incurabilis morbus. (Id., hom. 64, *in Matth.* xi.)

Radix et mater omnium malorum. (Id., hom. 39, *in Joan.* v.)

Malorum omnium origo et radix. (*I Tim.* vi, 10.)

Veluti bonorum quædam aridiţas officiorum. (S. Ambros., lib. ii *Offic.*, c. 21.)

Sævus hostis. — Crudelitatis dominus. — Ardentius humano fervet in pectore, quam caminus totus ignescit incendiis : et acrius homines dissolvit in terra, quam solvitur in calore flammarum. (S. Petr. Chrysol., serm. 29.)

Impietas numen omne divinum exterminans. (S. Cyrill. Alex., *in Amos* vi, 48.)

Receptaculum vitiorum. — Inextricabilis nequitiæ fomes. (Cassian., lib. vii *Instit.*, c. 6.)

Simoniæ genitrix. (S. Aug., serm. 48, *Ad fratr. erem.*)

Materia cunctorum criminum. (S. Isidor., lib. ii *Offic.*, c. 2.)

Avaro nihil scelestius. (*Eccli.* x, 9.)

Avarus crudelis est. — Communis omnium hominum hostis. — Ubique inutilis. — Nec ad imperandum ut præsit populo commodus. (S. Chrysost., hom. 81, *in Matth.* xxvi.)

Evangeliorum irrisor, transgressorque voluntarius. (S. Joan. Climac., grad. 16.)

Avaritia, ecclesiasticorum fermentum est, cujus admistione tota massa corrumpitur. (Petr. Bles., serm. 57, *Ad sacerd.*)

Ne umbram quidem virtutis retinet. (Cassian., lib. vii *Instit.*, c. 8.)

Fortitudo pecuniam negligit, avaritiam fugit tanquam labem quamdam quæ virtutem effeminet. Nihil enim tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. (S. Ambros., lib. i *Offic.*, c. 39.)

ART. II. — *Quam generaliter regnavit in clero.*

A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student, et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. (*Jerem.* vi, 13.)

Ipsi pastores declinaverunt unusquisque ad avaritiam suam. (*Isa.* lvi, 11.)

Unus est, et secundum non habet, non filium, non

fratrem, et tamen laborare non cessat; nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens : Cur laboro et fraudo animam meam bonis? (*Eccle.* IV, 8.)

Quis est in vobis qui claudat ostia et incendat altare meum gratuito? (*Malach.* I, 10.)

Primum aliquid recipit archidiaconus; et deinde officialis aliquid; sed et decanus, et cæteri causam sibi faciunt lucrativam, ut possimus dicere; quia residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo. (Petr. Bles., serm. 57, *Ad sacerdot.*)

Quem dabis mihi de numero episcoporum, qui non plus invigilet subditorum evacuandis marsupiis, quam vitiis exstirpandis? (S. Bernard., *Serm. ad cler., in conc. Rem.*)

Lex est præfixa ab apostolis, et apostolorum successoribus : *Victum et vestitum habentes*, inquiunt, *his contenti simus.* (*I Tim.* VI, 8.) Ubi forma hæc? In libris cernimus eam, sed non in viris. Habes vero de justo, quia lex Dei est in corde ipsius, et non in codice. (S. Bern., *Præfat. Vitæ S. Malach.*)

Quis, obsecro, laicorum avidius clericis quærit temporalia, et ineptius utitur acquisitis? (Id., *Serm. ad pastor.*, in syn.)

Mordent dentibus et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore ipsorum quidpiam, suscitant super eum prælium. (Petr. Bles., serm. 57, *Ad sacerdot.*)

ART. III. — *Quantum vitanda maxime in clero.*

Cesset altaribus imminere profanus ador avaritiæ, et a sacris adytis repellatur piaculare flagitium. (C. *De episc. et clericis*, l. *Si quemquam.*)

Ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet. (*Conc. Trid.*, sess. 21, cap. 1, *De reform.*)

Homo qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus... si impetiginem habens in corpore. (*Levit.* XXI, 20.) Impetiginem habet in corpore quisquis avaritia vastatur in mente, quæ si in parvis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, et absque occupati tædio excrescens, membrorum decorem fœdat, quia et avaritia captivam animam, dum quasi delectat, exulcerat, dum adipiscenda quæque cogitationi objicit, etc. Sed decor membrorum perditur, quia aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo depravatur, et quasi totum corpus exasperat, quia per universa vitia animum supplantat, Paulo attestante qui ait (*I Tim.* VI, 10) : *Radix omnium malorum est cupiditas.* (S. Greg., *Past.*, part. I, cap. ult.)

Animarum salutem inquirere sacerdos, non lucra terrena debet. (*Conc. Cabilon.* II, sub Carolo Magno, ann. 813, c. 6.)

Admonemus fraternitatem tuam, ut animarum magis lucris, quam commodis vitæ præsentis intendat. (S. Greg., lib. II, epist. 25, *Ad Joan. episcopum Squilatin.*)

Non sæculi vos mercatores, non mammonæ ministri estis, sed Christi mercatores. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed bonorum operum abundantia cum charitate conjuncta, facite thesauros in cœlis. Studete vos lucrari animas Deo, et cœleste horreum augere. (*Conc. Mediol.* V, part. III, tit. *Monitiones.*)

Super omnia avaritiam fugite. (S. Clem., epist. 1, ante medium loquens presbyteris.)

Vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere pecuniæ. (*Conc. Aquisgran.*, an. 816, cap. 28, ex S. Prosp.)

Ad exemplum Judæ proditor est ecclesiasticus, qui, spreta parte sua ditissima, egenam avaritiam consectatur. (Gerson., Serm. *in Cœna Dom., Ad ecclesiastic. cautelam*, part. II Operum ejus.)

Tolle pecuniarum studium, et omnia mala sublata sunt. (S. Chrysost., hom. 17 *in I Epist. ad Tim.*, c. VI.)

Cor sacerdotis Dei templum, Christi debet esse sacrariam, non spelunca latronum, vel sordentis pecuniæ receptaculum. (Petr. Dam., opusc. 31, *Contra munerum cupidit.*, c. 6.)

Cavete, inquit Christus, *ab omni avaritia.* Præcipit nobis Veritas quæ non fallitur. Audiamus, timeamus, caveamus... Non enim leviter habendum, quando Dominus noster, Redemptor noster, etc. Advocatus, et Judex noster, non est leve quando dicit : *Cavete.* Novit ille quantum mali sit : nos non novimus. Illi credamus : *Cavete*, inquit. (S. Aug., serm. 196, *De tempore.*)

ART. IV. — *Cur vitanda maxime in clero.*

Sectio prima. — *Quia Deo et ejus cultui injuriosa.*

Clericus sicut juxta sui etymologiam vocabuli ipse sors Dei est; ita et nihilominus et Deus omnipotens ejus esse portio perhibetur : unde et Jeremias ait (*Thren.* III, 24) : *Pars mea Dominus.* Et alibi Deus (*Isa.* XIX, 25) : *Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israel.* Si igitur clericus Dei est portio, et Deus portio ejus, non levem Creatori suo contumeliam videtur inferre, qui super hoc singulare talentum terrenam æstuat pecuniam cumulare. (S. Petr. Dam., opusc. 27, *De communi vita canonic.*, Præfat.)

Observa propter avaritiam sacerdotum, altaria Dei, nummulariorum mensas appellari. (S. Hieron., *in illa verba Matth.* XXI.)

Latro est, et templum Dei in latronum convertit specum, qui lucra de religione sectatur, cultusque ejus non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. (S. Hieron., *in Matth.* XXI, 13.)

Avaritia cæca est, errorem religionis inducit.... Non videt quæ Divinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis. (S. Ambros., serm. 59, *De avaritia.*)

Væ, væ, in domo Dei horrendum videmus. Quid? Idololatras ministrantes. Mentior, si non idolorum servitus, avaritia est. Quod enim quisque præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse perhibetur. (S. Bern., *Declam.*, c. 5.)

Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Non incongrue subderetur : *Ibi est etiam Deus tuus.* (*Matth.* VI, 21 ; Petr. DAM., opusc. 27, *De communi vita canon.*, c. ult.)

Dives effectus sum : inveni mihi idolum. (*Ose.* XII, 8.)

Si erogaveris, pecunia est ; si servaveris, simulacra. (ZENO Veron., serm. 2, *De avarit.*)

Avaritia idolorum seu simulacrorum servitus pronuntiatur, eo quod figura Dei et imagine prætermissa (quam devote serviens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire) hominum figuras impressas auro diligere pro Deo maluit et tueri. (CASSIAN., lib. VII *Instit.*, c. 7.)

Quam quidam appetentes erraverunt a fide (*I Tim.* VI, 10), etc. Vides ergo quia qui pecuniam appetit, fidem perdit ; qui aurum redigit, gratiam prodigit. (S. AMBROS., serm. 59, *De avarit.*)

Avari frui volunt nummo, uti autem Deo. (S. AUG., lib. XI *De civit.*, c. 25.)

Avaritia est idolorum servitus secundum Apostolum. (*Col.* III, 5.) Quia sicut idololatra servit simulacro, sic avarus servit thesauro : nam ille cultum idololatriæ diligenter ampliat, et iste cumulum pecuniæ libenter augmentat. Ille cum omni diligentia colit simulacrum, et iste cum omni cura custodit thesaurum. Ille spem ponit in idololatria, et iste spem constituit in pecunia. Ille timet mutilare simulacrum, et iste timet minuere thesaurum. (INNOCENT. III, *De vilitate condit. humanæ.*)

SECTIO SECUNDA. — *Quia Christo contumeliosa.*

Usque ad mortem Domini amor lucri se ingerit, nec vitæ Salvatoris quæstus desiderium parcit. (S. CYPR., Serm. *De jejunio et tentatione.*)

Tanquam Judas tradit impiis manibus Salvatorem propter vilis pecuniæ quantitatem, Christum venali commercio distrahit, et pro amore pecuniæ tradit auctorem vitæ. (S. Petr. DAM., opusc. 26, *Contra inscitiam sacerdotum.*, c. 4.)

Ut impleat saccum suum, tradit sanguinem justum. (S. BERN., *Serm. ad clerum* in *Conc. Remens.*)

Sicut proditor Salvatoris, qui ut exiguæ summæ perciperet quantitatem, sub venalitate distraxit rerum omnium Conditorem, et pro vilis amore pecuniæ auctorem tradit vitæ. (S. Petr. DAM., lib. II *Ad episc. cardinal.*, vel opusc. 31, c. 4.)

Quod sine miserabili gemitu dicendum non est ; Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem et mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant et profligant in acquisitionem turpis quæstus, et pretium universitatis suis marsupiis includere festinant : hoc solo sane a Juda Iscariotis differentes, quod ille horum omne emolumentum denariorum numero compensavit, isti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. (S. BERN., *Serm. ad clerum*, in *Conc. Remens.* et serm. 10 *in Cant.*)

(2) *Vid.* infra art. 5.

Cum passus sit Dominus in cruce pro salute mundi, nunc mactatur in altari pro unius commodi et facultate presbyteri. Tunc crucifixus est pro totius mundi multitudine, nunc quasi pro unius hominuncionis utilitate salutaris hostia videtur offerri. Isti plane sanctorum Patrum qui in sacerdotali ordine floruerunt, non legitimi filii, sed potius manzeres, atque ideo nec hæredes, etc. (S. Petr. DAM., lib. IV, epist. 14, et opusc. 26, *Contr. inscitiam cleric.*, c. 2.)

Sed nec sacrilegia eorum recensemus, qui diligunt munera, sequuntur retributiones, vendunt sacramenta, justitiam produnt, quorum necdum guttur traxit ad laqueum, necdum præfocavit fauces verbum blasphemiæ, vox sacrilega, sermo nequam (*Matth.* XXVI, 15) : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?* etc. (S. BERN., *Declamat.* c. 4.)

Magnum illud sacramentum pietatis illud inæstimabile et ineffabile pretium mundi sine pretio, pretium impretiabile hodie sub vilis oboli taxatione venditur et offertur. (PETR. Bles., serm. 60, *Ad sacerdotes*, in synod., *in Ose.* V, 1.)

Facto pacto sacramentum vendidisti, et Salvatorem tuum prodidisti cum Juda. (S. AUG., serm. 37 *Ad fratr. erem.*)

Qui stipem Ecclesiæ in suos convertit usus, Scriba est et Pharisæus, similisque Judæ perdito. (*Conc. Paris.* VI, ann. 829, lib. I, c. 15.)

SECTIO TERTIA. — *Quia Ecclesiæ perniciosa.*

Ingenti periculo sacerdotes, qui Ecclesiæ sunt oculi, curis pecuniæ, et incrementis occupantur (2). Ecclesiæ enim lumen sunt : id est corporis oculi : etsi lumen ipsum avaritiæ nocte tenebrescat corpori, id est Ecclesiæ, cui per naturam suam tenebræ sunt, quantæ insuper tenebræ de exemplo tenebrosi luminis invehentur ? (S. HILAR. *in psal.* CXXXVIII.)

Habet (mercenarius) intra provinciam tyrannorum positos parentes suos, et blanditur proinde multoties raptoribus, ut parentibus consulat, qui ut pacem habeant, et inter tyrannos floreant, affligi sancta permittitur Ecclesia, et justitia conculcatur. (S. BERN., *Serm. ad pastor.*, in synod.)

Væ generationi huic a fermento Pharisæorum, etc. Sic serpit hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ, quo latius eo desperatius, eoque periculosius quo intestinius. Nam si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras, et aresceret : si violentus inimicus, absconderet se quis forsitan ab eo. Nunc quomodo ejiciet, aut quomodo abscondet se ? omnes amici et inimici : omnes domestici, et nulli pacifici, et quæ sua sunt quærunt omnes. Ministri Christi sunt, et serviunt Antichristo. (ID., *Serm. ad cler.*, in *Conc. Remens.*, et serm. 33 *in Cant.*)

Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt. (*Psal.* XXXVII, 12.) (ID., *Serm. ad cler.*, in *Conc. Remens.*

Olim prædictum est, et nunc tempus impletionis

advenit; ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum : amarior post in conflictu hæreticorum ; amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugari, non exterminari possunt, ita invaluerunt, ita multiplicati sunt super numerum. Intestina et insanabilis est plaga Ecclesiæ : et ideo in pace est amaritudo mea amarissima. Sed in qua pace ? Pax est, et non est pax. Pax a paganis, pax ab hæreticis, sed non profecto a filiis. Vox plangentis in tempore Israel : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* (*Isa.* I, 2.) Spreverunt et invaluerunt a turpi vita, a turpi quæstu, a turpi commercio, a negotio perambulante in tenebris. (S. Bern., *Serm. ad cler.*, in *Conc. Remens.*)

Sectio quarta. — *Quia populis multum noxia.*

Nihil tam asperum, tam perniciosum est, quam si ecclesiasticus, maxime qui in sublimi loco est, divitiis hujus sæculi studeat, quia non solum sibi ipsi, sed et cæteris obest : contrariam enim dat formam hominibus. Necesse est enim multos imitatores ejus exsistere ad perditionem. Quanto honoratior ordine est, tanto magis suadet imitandum se, maxime in hac re, ad quam ista vita proclivis est. (S. Ambr., *in Epist. ad Tim.*, c. I.)

Sine ea (animi scilicet magnitudine qua pecuniæ imperet) vastator potius, quam antistes, et pro pastore lupus fuerit. (S. Chrysost., lib. III *De sacerd.*, c. 13.)

Mercenarius curam sollicitudinis non habet. Animæ pereunt, et ipse de terrenis commodis lætatur. *Lupus rapit, dispergit oves...* (*Joan.* X, 12.) Gregem dissipat... sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur, quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. (S. Greg., hom. 14 *in Evang.*)

Animarum nec casus reputatur, nec salus. Non sunt profecto matres, qui cum sint de Crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Joseph. (S. Bern. *Serm. ad cler.*, in *Conc. Remens.*)

Plus invigilat subditorum evacuandis marsupiis, quam vitiis exstirpandis. (Id., *Serm. ad cler.*, in *Conc. Remens.*)

De lana ovium, et non de salute solliciti. (Petr. Bles., serm. 57.)

Vide ne alios imiteris qui lac et lanam quærunt in ovibus, non salutem. Periculosum est tibi, si in tonsoris officium convertas ministerium pastorale. Tondet Absalon oves suas, et fratrem suum interficit. Sic animam proximi sui prælatus mortificat, dum eo enormiter delinquente, aut tacet, aut consentit, ut inde emolumentum temporale percipiat. (Petr. Bles., epist. 10.)

Nec patientibus compatitur, nec miseris subvenit, vel miseretur. (Innoc. III, *De vilitate conditionis humanæ*, lib. II, tit. *De avaro cupido.*)

Peccata populi comedent. Cur autem peccata populi comedere dicuntur ? nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant. (S. Greg., hom. 17 *in Evang.*)

Clericorum avaritiæ adscribitur, quod quotidie fere capitula, sive concilia sua tenent, quærentes non morum correctionem, sed nummorum extorsionem. (Petr. Bles., serm. 57, in synod.)

Aliquando si persona in hoc mundo potens sit, ejus forsitan errata laudantur, ne si adversemur, per iracundiam munus subtrahat quod impendebat. (S. Greg., hom. 17 *in Evang.*)

Clericus, qui captus est amore pecuniæ, nequaquam idoneus est ad ministranda verba doctrinæ. (S. Petr. Dam., opusc. 24, c. 6.)

Cum nullus Christianus thesauros in terra, sed potius secundum Domini sententiam in cœlo recondere debeat, cavendum summopere sacerdotibus est, ut ab avaritiæ peste, quæ est idolorum servitus, et cupiditate, quæ radix omnium malorum est, suosque sectatores a regno Dei excludunt, se compescant. Quoniam digne non possunt subditis prædicare ut ab his se abstineant, cum ipsi his, quod valde dedecus, imo periculosum est, se mancipaverint. (*Conc. Paris.* VI, sub Ludovico Pio, ann. 829, lib. I, cap. 13.)

Qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? (S. Greg., hom. 14 *in Evang.*)

Nec pure valet Dei vel proximi quærere lucra, qui propria non contempserit. (S. Bern., epist. 43, *Ad Henric. Senon.*, c. 3.)

(Avaritia) fermentum, cujus admistione tota massa corrumpitur, quæ subditos perversa imitatione corrumpit. Quid enim faciet laicus simplex, nisi quod patrem suum spiritualem viderit facientem? (Petr. Bles., serm. 57.)

Non satis inutiliter in populo avaritia redarguitur, si ab his qui in clero constituti videntur, modis omnibus non cavetur? (*Conc. Lateran.*, sub Alex. III, part. II, cap. 10; Id. Alex. III, in *Conc. Turon.* VI, can. 6.)

His ita præmissis, oportet sacerdotes Domini, ut ab appetitu avaritiæ et cupiditatis se cohibentes, sibi subjectis in omnibus virtutum profectibus imitabiles exhibeant, quibus pro omnibus divitiis solus Christus abundat. (*Conc. Paris.* VI, lib. I, cap. 13.)

Sectio quinta. — *Quia clero valde probrosa.*

Prima causa ob quam male audit clerus, est omnium malorum radix cupiditas; ex qua sacrilegia, Simoniæ, et omnis fere malorum cohors prodiit (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. *Tres causæ ob quas male audit clerus.*)

(Avari) ad metalla damnati. (S. Isidor. Pelus., lib. II, c. 233.)

Valde dedecus est, cum avaritiæ et cupiditati se mancipaverint (sacerdotes.) (*Conc. Paris.* VI, sub Ludovico Pio, ann. 829, lib. I, c. 13.)

Ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis. (S. Hier., *Ad Nevotian*, epist. 2.)

Ne quia tenuem reditum habetis, lucrum quærite : ne quæstum vos appetendo, injuriam vestro ordini facite, avaritiæ sordibus volutati. (*Conc. Mediol.* IV, part. 3, tit. *Monitiones.*)

SECTIO SEXTA. — *Quia clericis omnibus supra modum pestifera.*

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum. (*I Tim.* VI, 9.)

Gravius atrociusque hæ pestiferæ lues (avaritia et cupiditas) in illis damnantur, quam in iis qui eorum dictis et exemplis ab iis coerceri debuerunt. (*Conc. Paris.* VI, lib. I, c. 13.)

Qui amat pecuniam, Deum amare non potest, igitur et apostolis (dicit Christus) si velint amare Deum, pecunias esse contemnendas. (*Matth.* VI, 14.) (S. HIER., epist. 151, *ad Algas.*, q. 6.)

Ne pecuniæ lucrive avidi sitis : *Nemo potest servire Deo, et mammonæ : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget ; aut unum sustinebit, et alterum contemnet*, inquit Christus Dominus. (*Luc.* XVI, 13.) (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. (S. BERN., *Serm. ad clerum.*, in *Conc. Remens.*)

Qui celebrat, vel prædicat, vel baptizat, ut inde lucrum acquirat, bonis cœlestibus de facto se privat. (S. AUG., *Ad presbyt.*, serm. 36, *Ad fratr. in erem.*)

In sinistra ejus divitiæ et gloria. (*Prov.* V, 16.) In judicio ad sinistram ejus erunt hædi, quibus dat in hoc sæculo gloriam et divitias, etc. Nolite sitire munera in sinistra ejus, quia qui desiderant ejus sinistram in hoc sæculo, collocabuntur ad sinistram ejus in judicio. (S. BERN., *Serm. ad pastores* in *synodo congregatos*, in fin.)

Funes ceciderunt tibi in præclaris, et tu opibus inhias terrenis ? Si vis habere simul hæc et illa, breviter tibi respondebitur : *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua.* (*Luc.* XVI, 25.) Recepisti, dixit, non rapuisti : ne etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quod tuis contentus, aliena non rapias. (S. BERN., epist. 2, *Ad Fulconem.*)

Quosdam presbyteros invasit avaritia, suisque retinaculis adeo vinxit, captivosque effecit, ut instar cæcorum, nesciant quo eant, nesciantque quid esse vel quid agere debeant. (*Conc. Paris.* VI, lib. I, c. 49.)

In vivis corporibus adhuc portant funera sua, id est, vivi simul et mortui. (S. PROSP., lib. II *De vita activa sacerd.*, c. 15, loquens de cupiditatis captivis.)

Ubi aurum placet, ibi et vitium. (S. GREG. MAGN., lib. VII, epist. 114.)

Periculosa est cura, velle ditescere, et grave onus innocentia subit, incrementis opum occupata. Rem enim sæculi famulus Dei non sine sæculi vitiis assequetur. (S. HILAR., *in Matth.* XIX.)

Una avaritia, omnibus armata criminibus, vel si sola nos capiat, et zabulo ad malitiam, et homini ad mortem sufficit. (S. PAULIN., epist. 2.)

Amorem pecuniæ quasi materiam cunctorum criminum fugiunt. (S. ISIDOR., lib. II *Offic.*, c. 2.)

Clericum ex inope divitem quasi quamdam pestem fuge. (S. HIER., epist. 2.)

Offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum : nam Deo retinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit opportuna. Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis. (INNOCENT. III, *De vilitat. condit. humanæ*, lib. I, tit. *De avaro et cupido.*)

(Giesi lepra percussus), sic et percutiuntur omnes qui pro sacramentis pecuniam petunt. (S. AUG., *Ad presbyt. suos*, serm. 37, *Ad frat. eremi.*)

SECTIO SEPTIMA. — *Quia vix curari potest.*

Philargyria, quantum facilis ad cavendum et opportuna ad declinandum (quia nulla habet in nobis de naturali instinctu principia, sed extrinsecus contrahitur), tantum occupatam mentem atque possessam miseram facit, vixque ad sanitatis concedit remedia pervenire : sive quod non merentur curari celeri medicina, qui ab his sauciati sunt, quæ vel ignorare, vel vitare, vel facillime vincere potuerunt ; vel certe quod male fundati, virtutum structuram et perfectionis suscipere culmen sunt indigni. (CASSIAN., lib. VII *Institut.*, c. 5.)

Quamobrem nulli vilis, despectusque videatur hic morbus ; qui sicut potest perfacile declinari, ita si quemquam possederit, ad sanitatis remedia vix pervenire concedit. (*Ibid.*, c. 6.)

Hæc est (avaritia) quæ non recipit disciplinam, curari renuit, medelam non sustinet : ulcus pessimum quod et summis saltem digitis patitur attreetari. (S. BERN., *Declam.*, c. 9.)

Qui se illi cupiditati volentes dederint oppugnanti, voluntatem resistendi ulterius non habebunt tyrannice dominanti. Et hoc fit justo Dei judicio ut qui cupiditati resistere noluimus ingressuræ, jam resistere nequeamus ingressæ. — O plangendum miserabiliter mentis expugnatæ servitium ! o intolerandum dæmoniacæ cupiditatis imperium !... Bonorum temporalium pollicitatione deceptos impellit jam miseros, et miserandos in turpia. — Vastat in nobis quidquid verecundiæ aut pudoris invenerit, et quos suis triumphis jam addixit, adhuc tanquam recipiscendi suspectos omnibus viribus honestatis exarmat, ne quando contra eam, qui bellare noluimus, rebellemus. (S. PROSP., lib. II *De vit. act. sacerdot.*, c. 15.)

SECTIO OCTAVA. — *Ob naturam divitiarum.*

Divitiæ veræ non sunt, paupertate plenæ sunt, et semper obnoxiæ casibus. (S. AUG., *De verb. Dom.*, serm. 35, c. 4.)

Aquæ de puteo Samariæ, quæ plus potæ plus accendunt concupiscentiæ sitim. — Hæc sunt muscæ, quæ exterminant suavitatem unguenti. (*Eccl.* X, 1.) — Aves quas abigebat Abraham. (*Gen.* XV.) — Mures, qui de terra, id est, affectione terrena ebulliunt : qui extales, id est, interiora eorum corrodunt, qui

arcam Domini ponunt juxta Dagon. (*I Reg.* v, 12.) (Petr. Bles., epist. 102, *Ad H. Radingens. abbat.*)

Fallaces. (*Matth.* xiii, 22; S. Greg., hom. 15 *in Evang.*)

Ventosæ. (S. Aug., *De verb. Domini*, serm. 9, cap. 2.)

Laqueus diaboli. (*I Tim.* vi.) (S. Bern., *in psal.* xc : « *Qui habitat*, » serm. 3.)

Muscipula. (S. Cypr., l. *De orat. Dom.*, num. 54.)

Satellites voluptatum. (S. Aug., *De vera relig.*, lib. unic., c. 16.)

Bestiæ incurabiles. — Crudeles. — Implacabiles. — Præcipitium undequaque præruptum. — Scopulis assiduis plenæ, et fluctibus. — Mare innumeris ventis agitatum. (S. Chrysost., *Hom. cum Sarton. et Aurelius acti essent in exsilium.*)

In præsenti vita paupertas ac divitiæ nihil aliud sunt quam personæ in theatro. (Id., cons. 2, *De Lazaro.*)

Nomen est divitiarum, res autem minime. (Id., *in psal.* iv.)

Crudele pondus, tyrannico furore dominans. (Petr. Chrysol., serm. 126.)

Spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. (S. Greg., hom. 15 *in Evang.*)

Harum acquisitio laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur. (S. Bern., *De convers. ad cleric.*, c. 12.)

Nonne cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur? (S. Bern., *Serm. de quinque negotiantibus et quinque regionibus.*)

Plus excruciant adepta timore amissionis, quam concupita adeptionis ardore. (S. Aug., epist. 121, c. 2.)

Eis qui militant Deo fugiendæ sunt ex toto corde divitiæ, quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. (S. Prosp., lib. ii *De vita contemplat.*, c. 13.)

ART. V. — *Avaritiæ deterrimi effectus in clero.*

Simoniæ mater. (S. Bern., epist. 42, *Ad Henric. archiep. Senon.*, c. 1.)

Mater usuræ. (S. Aug., serm. 48, *Ad fratr. erem.*)

Exsecrabilis quorumdam sacerdotum avaritia, usque ad sacramentorum ipsorum contemptum, et injuriam nonnunquam irrumpit, dum sine numerato pretio conferre sacramenta detrectant, etc. (*Conc. Moguntin.*, ann. 1549, c. 92.)

Qui sua quærunt (in Ecclesia) venale habent totum. (Id., tract. 10 *in Joan.*)

Ecce discutiamus mentem, perquiramus veritatem. Numquid Missam cantare, numquid baptizare, numquid mortuum sepelire sine pretio vel promissione dignamini? Nunquid non citius mortem divitum, quam corporis salutem desideratis videre? Ecce quomodo lupi estis? (Id., *Ad presbyt. suos*; serm. 36, *Ad fratr. erem.*)

Pro terrena gleba innumeras excitatis lites. (S. Chrysost., hom. 10, *in II Epist. ad Tim.*)

In multis notabilis est avaritia sacerdotum, præsertim cum pro quæstu temporali faciunt se ordinari, dum in spe vilissimæ oblationis sacramenta conficiunt, de cadaveribus litigant, sepulturam et baptismum vendunt, nihil gratis impendentes, sed in universis suam sequentes avaritiam. (Petr. Bles., serm. 57, *Ad sacerdot.*)

Reditus ecclesiarum sibi commissarum opportune et importune requirunt, oblationes toto cordis hiatu concupiscunt, ore nonnunquam impudenter exigunt, advenientes utraque manu recipiunt. (Hugo a S. Victore, *Allegoriar. in Matth.* lib. ii, c. 2.)

Auditu horribile audivimus et relatu, quod quidam scilicet miseri sacerdotes, dum forsan in beneficium vicariæ, vel ad firmam seu quacunque alia quæstus causa, proventus ex altari aut ex pœnitentia venientes recipiunt, non aliter admittunt ad pœnitentiam confitentes, nisi prius ab ipsis, in sinu avaritiæ suæ quidquam reponatur; sicque faciunt de aliis sacramentis. (*Conc. Londinens.*, ann. 1237, c. 4.)

Ipsa quoque ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, et tenebrarum negotium transierunt; nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant ecclesias, Missas celebrant, psalmos decantant. (S. Bern., serm. 6 *in psal.* xc.)

Nunc dati sunt sacri gradus in occasionem turpis lucri; et quæstum æstimant pietatem. (Id., serm. 1, *in Convers. S. Pauli.*)

Avaritia est proditionis mater, quæ Judam Dei discipulum primum ad mandatorum Dei oblivionem, de oblivione ad proditionem, de proditione traxit ad laqueum. (Guerric. abb., *Serm. in Purif.*, inter Opera S. Bern.)

ART. VI. — *Avaritiæ remedia.*

Qui vult avaritiam vincere, divitias proroget, non reponat. (S. Petr. Chrysol., serm. 7.)

Tu vero manus tuas excute ab omni munere, et quod gratis accepisti, da gratis. — Non sis de numero illorum qui sequuntur retributionem : nec vendas conscientiæ tuæ libertatem. Nemo possit tibi dicere : ditavimus Abraham; sed cum Samuele fiducialiter dicas : *Loquimini coram Domino et Christo ejus*, etc. (*I Reg.* xii, 3.) Si de manu cujusquam munus acceperim, etc. — Si mentem tuam munerum cupiditas titillaverit, ibi moriatur, ubi oritur nequissimum germen, et in suæ matris utero præfocetur. (Petr. Bles., *De institut. episc.*, c. 4.)

Transibunt munera in dolorem, quia testimonio Job (xv, 34) : *Ignis devorabit tabernaculum eorum qui munera libenter accipiunt.* (Id., epist. 10.)

Oportet ut si quando sacerdotes, fruges vel quosdam reditus terræ, congregant et protelant, non ideo hoc faciant ut charius vendant, et thesauros congre-

gent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant. (*Conc. Cabilon.*, ann. 818, sub Carol., c. 8.)

Ne quid de sacramentorum administratione a quoquam, velut debitum, aut exigant, aut recipiant; quod consuetudo rationabilis laudabiliter introducta, et hactenus observata non permittit. (*Conc. Moguntin.*, ann. 1549, c. 92.

Adventarium non manus attendant, sed necessitates. (S. Bern., lib. iv *De consid.*, c. 4.)

Proponite vobis sanctorum veterum Patrum vitam, qui lucrum non spectabant, temporalia non quærebant, et nihil iis tamen deerat, imo in paupertate illis aliquando abundabat, quod aliis erogarent. (*Conc. Mediolan.* iv, part. iii, tit. *Monitiones.*)

Illæ nobis sunt ambiendæ divitiæ, quæ nos ornare possint pariter et munire; quas nec acquirere possumus inviti, nec perdere; quæ nos contra hostiles impetus armant, a mundo disterminant, Deo commendant, ditant animas nostras atque nobilitant, nobiscum sunt, intra nos sunt. Divitiæ nostræ credendæ sunt pudicitia, quæ nos pudicos; pietas, quæ pios; humilitas, quæ humiles; mansuetudo quæ mansuetos,... et charitas quæ nos facit Deo et hominibus charos, virtutum potentes, sæculi contemptores, bonorum omnium sectatores. (S. Prosp., lib. ii *De vit. contempl. sacerdot.*, c. 13.)

Quem possidendi delectat ambitio, Deum qui possidet omnia quæ creavit, expedita mente possideat, et in eo habebit quæcunque habere sancte desiderat. (*Ibid.*, c. 16.)

Animarum salutem inquirere sacerdos, non lucra terrena debet. (*Conc. Cabilon.* ii, sub Carolo Magno, c. 7, ann. 813.)

Quid episcopo turpius, quam incumbere supellectili et substantiolæ suæ; scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moveri ad quæque perdita vel neglecta. Ad verecundiam dico quorumdam ejusmodi scrutantium quotidie substantiam suam, numerantium singula; de minutis et quadrantibus exigentium rationem. Non ita ille Ægyptius, qui Josepho omnibus traditis, ignorabat quod haberet in domo sua. Erubescat Christianus Christiano sua non credens. Homo sine fide, fidem tamen habuit servo, etc. (S. Bern., lib. iv *De consid.*, c. 6.)

Mira res! satis superque episcopi ad manum habent quibus animas credant, et cui suas committant facultatulas non inveniunt! Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant. (*Ibid.*)

Liquido datur intelligi, quod patientius ferimus Christi jacturam, quam nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, et continua Dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum et numero panum cum ministris quotidiana discussio est, raro admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum... Nonne ad singulas supputationes irascimur, urimur, anxiamur? Quam tolerabilius rerum, quam mentium sustinemus jacturam? (*Ibid.*)

Summa remediorum, si vis avaritiam ad plenum vincere, relinque omnia quæ habes, et alterius curæ te committe, cum aliis vivens in communi. (S. Bonavent., *De pugna spirituali*, c. 3.)

CAPUT VI.

De luxu.

ART. I. — *Quod luxus præcipue in clero fugiendus.*

In omni vita a fastu, luxu, ambitu, ambitioneve, et a vanitate longe refugite (3). (*Conc. Mediol.* iv, part. iii, tit. *Monitiones.*)

Ab omni splendido apparatu, pompaque sæculari abstinete. (*Conc. Mediol.* iv, part. iii, tit. *Monit.*)

Dicunt multi, nisi habuerimus fulgorem status, contemnemur ab omnibus. Si hæc ratio urget, cur Dominus venit in humilitate status, cum sciret se per hoc a reprobis contemnendum? In torculari es, conculcationem evadere non potes. Si insanus reputari non vis, sanctus esse non vis. — B. Martino in corde humilitas, et in vestitu vilitas. Cum hoc tamen ita plenus auctoritatis et gratiæ, ut egregie impleret episcopi dignitatem. — Episcopus vilem suppellectilem habeat, et mensam ac victum pauperem, et dignitatis suæ auctoritatem fide ac vitæ meritis quærat. Hæc sunt arma Christi, et apostolorum, quibus mundi regnum cum suo Goliath expugnandum est. Non eget Christus armis Saulis ad sua bella gerenda; non eget pompis et splendore sæculi, etc. — Pastores pomparum sæculi sectatores destruunt illud encomium Ecclesiæ (*Cant.* i, 4): *Nigra sum sed formosa. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol*, id est Christus. Quod ad litteram significat, Ecclesiam esse exterius tamen formosam, propter donorum cœlestium pulchritudinem. — Unde pastor, qui renuntiat splendori status ob Christi amorem, potest dicere illud: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol;* id est: si non habeo externum fulgorem, amor et imitatio Christi sponsi fecit hoc. (*Stimul. pastor. archiep. Brachar.*, part. ii, c. 6, *De humilit. et modest. prælat.*)

Absit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, majestati non convenit: quam geras personam attendito. De placito Dei ultima mentio est... scilicet sic factitabat Petrus; sic Paulus ludebat. Vides omnem ecclesiasticum zelum fervere pro sola dignitate tuenda honori totum datur, sanctitati parum, aut nihil. (S. Bern., lib. iv *De consid.*, c. 2.)

Illos assumito qui se reverendos exhibeant; sed actu, non fastu. (*Ibid.*, c. 4.)

—

(3) *Vid.* tract. *De temperantia prælat.*, Joan. Gerson., ii part Operum ejus, ubi multa.

ART. II. — *Cur luxus in clero maxime fugiendus.*

SECTIO PRIMA. — *Quia non curam, sed contemptum Ecclesiæ denotat.*

Fulgor et regius apparatus prælatorum intestina et insanabilis est plaga Ecclesiæ. (*Stimul. pastor. arch. Brachar.*, part. II, c. 6.)

Unde hanc illis exuberare æstimes rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, etc., nisi de bonis sponsæ? Inter hæc est, quod illa pauper, et inops, et nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, et exsanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare ; non est custodire, sed perdere ; non est defendere, sed exponere ; non est instituere, sed prostituere. (S. BERN., *Serm. ad cler.* in *Conc. Rem.*)

O miserandam stupiditatem ! Ardet vitiis Ecclesia, flammis vitiorum uritur sponsa tua : vix reperitur unus aut alter, qui in toto corde suo Dominum quærat, et episcopus vacabit splendori status ac deliciis : cum oporteret sacco et cinere indutum gemere, vociferare, jejunare, et nudis pedibus cum Isaia incedere. — Crescunt morbi, desunt medici, videlicet clerici probi et docti : et facultates Ecclesiæ, quibus medici emendi erant, consumunt in splendore status. (*Stimul. pastor. arch. Brachar.*, part. II, c. 6.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia cleri, non gloria, sed opprobrium est.*

Præcipuæ causæ omnis mali sunt fastus, luxus, et avaritia, a quibus clerici potissimum male audiunt. (*Conc. Colon.* II, part. II, c. 22.)

Sunt quidam ignorantes mensuram suam, et tantæ stoliditatis ac vecordiæ, ut et in motu, et in incessu, et in habitu, et in sermone communi risum spectantibus præbeant ; et quasi intelligentes quid sit ornatus, comunt se vestibus et munditiis corporis, et lautioris mensæ epulas parant, cum omnis istiusmodi ornatus et cultus sordibus fœdior sit. (S. HIER., epist. 83, *Ad Ocean.*)

Secunda causa ob quam male audit clerus, est luxus. Nam etsi liceat sacerdoti de altari vivere, luxuriari tamen licet nunquam, nisi filiorum Heli miseris sectatoribus. — Tertia causa maledicentiam in clerum generans, fastus est. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. *Tres causæ ob quas male audit clerus.*)

Ministri sunt, et ego, etc. *In laboribus plurimis*, etc. (*II Cor.* XI.) In his tibi gloriandi forma præfigitur, non in veste pretiosa ; non in supellectili multa ; non in congregatione pecuniæ ; non in ædificiis aut culturis ; non in dilatandis possessionibus ; non in equorum multitudine ; non in ornatu pompatili ; non in frequentia clientelæ : nam hæc omnia gentes inquirunt. (PETR. BLES., *De inst. episc.*)

Clamatur in ecclesia : non in veste pretiosa. Clamatur autem specialiter ad feminas ; ut erubescat in se deprehendi episcopus, quod in fragiliori quoque sexu audierit reprehendi. — Non Christi stigmata sunt hæc... Muliebria potius esse noscuntur. — Ministerium vestrum honorificabitis, non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis. Quam multi aliter? (S. BERN., epist. 42 c. 2.)

Quæ utilitas, quæso, vestrarum pomparum ? A fructu earum cognoscetis eas. Fructus earum sunt, ambitio, cupiditas, libidinesque vestrorum ; clericorumque fervor devotionis exstinctus. (*Stimul. pastor. archiep. Brachar.*, part. II, c. 6.)

SECTIO TERTIA. — *Quia populorum non ædificatio et utilitas, sed scandalum.*

Cum tantum fastum videant laici in supellectili clericorum, nonne per eos potius invitantur ad mundum diligendum, quam negligendum. — Quomodo sæculares non expenderent substantiam suam vivendo luxuriose, etiam in præsentia sacerdotum ? Quomodo non intenderent vanitatibus et lenociniis hujus sæculi ? Quomodo non essent insolentes et elati, cum tantum fastum, tantam insolentiam videant clericorum ? (S. BERN., *Ad pastores*, in syn.)

Dicunt aliquando pastores : Non possumus subditos nostros in obedientia et officio continere, nisi splendore vitæ et pompa auctoritatem apud eos consequamur. O cæcitatem insignem ! Ministri Christi prudentiores Christo esse volunt. Christus namque, mediantibus hominibus plenis Spiritu suo id est spiritu humilitatis et paupertatis, mundum subegit ; ac spiritum carnis et mundi expugnavit : modo vero dicitur, spiritum mundi, id est, nisi pastores armentur pompa, ac fulgore sæcularis potestatis. Quid magis præposterum potuit excogitari ? *Non potest*, inquit Dominus (*Marc.* III, 23), *Satanas Satanam ejicere*, id est homo habens spiritum mundi, non potest ab aliis expellere eumdem spiritum mundi. — Ejusmodi pompa plus scandalizat subditos (etiam principes) quam ædificat. (*I Petr.* V.) Ex hoc enim concitantur ad murmurationem, invidiam, cupiditatem, indignationem, etc. — Tenentur esse forma humilitatis et sobrietatis : viventes autem fastuose, sunt forma ambitionis, cupiditatis, vanitatis, dum hoc ipso subditos suos ad similia compellunt. (*Galat.* I.) Exemplum enim prælati quodammodo cogit ad similia. — Exquirentes honorem, hac ratione docent errare oves suas, scilicet ut putent splendorem vitæ veram esse causam honoris. — Principes ac nobiles potius irrident quam revereantur fastum hunc : pauperes autem minus audent ad tales accedere, ut ab eis pastum vitæ suscipiant. (*Stimul. past. arch. Brachar.*, part. II, c. 6, *De humilit.* et *modest. prælat.*)

SECTIO QUARTA. — *Quia grave peccatum et terribilis causa judicii.*

Dicite, pontifices, in freno quid facit aurum ? Hoc, me etiam tacente, penuria pauperum clamat, sileat licet fama, sed non fames... Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur et dicunt : Dicite, pontifices,

in treno quid facit aurum? Nostrum est quod effunditis : nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis, etc. — Hæc pauperes, modo quidem coram Deo tantum, cui corda loquuntur; cæterum in futuro stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, stante quippe pro eis Patre orphanorum, et Judice viduarum. (S. Bern., epist. 42, *Ad Henric. Senon.*, c. 2.)

Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant, et in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur. Duplici profecto iniquitate peccantes, quod et aliena diripiunt, et sacris in suis vanitatibus et turpitudinibus abutuntur. (Id., serm. 23 *in Cant.*)

Triplex funiculus qui difficile rumpitur, hominem miserum in perniciem trahit; qui impure intrat, indigne ministrat, sed et ipso fructu abutitur temporali (*in usu voluptatis, curiositatis et vanitatis*). — Si in hoc mundo floret et prosperatur in via sua, arescet velociter, cito decidet. (Id., *Declam.*)

ART. III. — *Quomodo luxus in clero vitandus.*

Sectio prima. — *In veste et ornatu corporis.*

Omnis luxus et ornatus corporum est a sacerdotali statu alienus (165). Episcopos ergo vel clericos qui se splendidis et insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet : sin autem permaneant, supplicio tradi. Similiter eos qui sunt unguentis delibuti... A superioribus enim usque temporibus omnis vir sacerdotalis cum modesto et honesto indumento versabatur. Quidquid enim non propter usum, sed ostentatorium ornamentum assumitur, in nequitiæ reprehensionem incurrit, ut ait Magnus Basilius. (*Conc. Nicen.* II, sub Adriano III, l. III, can. 16.)

Vitentur in vestibus superfluitas, et sumptuosus ac pretiosus omnis ornatus. Quæ enim, teste Basilio Magno, propter venustatem et fastum, non ad necessitatem, commoditatem, aut honestatem deferuntur a clericis vestimenta, elationis et jactantiæ habent calumniam. (*Synod. Senon.*, ann. 1524, tit. *De vit. et morib. cleric.*)

Non aliud, sacerdotes quam amictum quærimus clariorem, v. g. castorinas quærimus et sericas vestes : et ille se inter alios credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem. (S. Ambros., *De dignit. sacerd.*, c. 4.)

Plerosque mollioris cura vestis effeminat, qui quasi lanæ onus ferre non possint, sericas vestes tectis per terram verrunt vestigiis, usuque faciunt, ut amictus oneri sit. (Id., lib. V *in Luc.*, c. VII.)

Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, et exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. (S. Bern., *Apolog. ad Guillem. abbat.*, c. 9.)

Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus. (Id., epist. 42, *Ad Henric. Senon.*)

Orabat quidam sanctus : « Si dederit mihi Dominus vestimentum quo operiar. » Nota : quo operiar. Sic et nos contenti simus vestimentis quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis vel similari, vel placere studeamus. (Id., epist. 2, *Ad Fulconem.*)

Intuere quomodo incedunt nitidi et ornati, circumamicti varietate, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quam sponsæ custodem. (Id., *Serm.* in *Conc. Rem.*, et serm. 77 *in Cant.*)

Totus clericalis ornatus, vestitusque, ostentationem, luxum, et quidquid novum, inane, exquisitum, sumptuosum est, nesciat. Quibus enim indumentum Christus est, quam omnia parvi facienda, et rejicienda sunt, quæ elumbem, effeminatum, et vanitatis captantem arguunt. (*Synod. Nucerina.*, ann. 1606, *De vestitu et ornatu cleric.*, c. 3.)

Non profano ornatu aut apparatu, sed fidei et vitæ splendore sibi auctoritatem quærere debent. (*Statuta Eccles. Lascariensis*, ann. 1637, p. 2, c. 14.)

Sectio secunda. — *In domestica supellectili.*

Episcopus vilem supellectilem habeat. (*Conc. Carth.* IV, c. 15.)

Supellectili modesta ac tenui contenti sitis. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

In ejus (episcopi) supellectili, nihil aureum aut argenteum sit, præter levissima ac tenuissima quædam instrumenta, ad cibum ori admovendum comparata. — Nihil auro argentove ornatum. — Nihil sericum, aut serico distinctum. — Non colorum varietas. — Non aulæa aut tapetia. — Nihil acu pictum. — Nihil varie textum. — Nihil studiosius elaboratum. — Denique non pluris sit artificium, et manu pretium quam rei necessitas postulet. — Signa et tabulas profanarum rerum rejiciat. — Equos ne alat, nisi necessarios. — Domesticam omnem luxuriam, in ædificiis exstruendis magnificentiam, picturas et inania ornamenta ac delicias excludat. — Caveat denique ne quid in ejus domo appareat, quod non simplex ac purum sit, quod non Dei zelum, et omnium inanium rerum contemptionem testetur. (*Conc. Mediol.* I, part. II, tit. *De episc. supellectili.*)

Ne mulæ, aut equo episcopali stragulum, et ornamentum ex veluto, aut serico; sed ex corio factum aut lana adhibebit. (*Ibid.*, tit. *De episcopi vestitu.*)

Quæcunque de episcoporum mensa, supellectili, etc., decreta sunt, quæ non sint episcoporum tantum

(4) *Vid.* infr. *Immodestia in vestitu*, et part. IV *De habitu cleric.*

propria, eadem a clericis quibuscunque, cujusvis conditionis, ordinis, et dignitatis sint, accurate servari jubemus. (*Ibid.*, tit. *De cleric. vestitu, et reliquæ vitæ moderatione.*)

Ita sit ordinata (domus sacerdotis) ut quicunque conversationem, et domos conversationis ipsius viderit, habitacula ea religionis valeat computare. (*Conc. Meldens.*, ann. 845, c. 25.)

SECTIO TERTIA. — *In pompatili comitatu.*

Ministri Christi sunt, et serviunt Antichristo; honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt: unde hinc est eis quem quotidie videmus meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in sellis et in calcaribus. Plus nitent calcaria quam altaria. (S. BERN., *Serm. ad cler.*, in *Conc. Rem.*)

Quale est hoc quod de spoliis ecclesiarum emuntur qui dicunt tibi : Euge, euge. Inter hæc tu, pastor, procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oves quid capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis quam ovium pascua hæc. (ID., lib. IV *De consid.*, c. 2.)

Quid confert illa superflua numerositas evectionum quas circumduco, et multiplicitas clientelæ? (PETR. Bles., epist. 102.)

Quomodo sal terræ infatuatum est?... Quod enim specimen humilitatis est cum tanta pompa, et equitatu incedere?... Dicas si videris eos transeuntes, non rectores animarum, sed principes provinciarum. (S. BERN., *Apolog. ad Guillel. abbat.*)

Scio, Domine, quod non ex ore potentium ac pompatice incedentium, sed ex ore infantium et lactentium, id est simplicium et contemptorum, voluisti sapientiam tuam ac gloriam manifestari. (*Stimul. pastor. arch. Brachar.*, part. II, lib. VI, *De humilit. ac modest. prælat.*)

Alii multitudine gravi hominum, aut equorum otiose panem comedunt alienum, tu vero ambules cum paucis et in omnium ædificationem. (PETR. Bles., *De instit. episcop.*)

Sequere Deum nudus a pompa. (CLEM. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 3.)

SECTIO QUARTA. — *De luxu in mensa.*

Episcopus vilem supellectilem et mensam, ac pauperem victum habeat (5). (*Conc. Carthag.* IV, c. 15.)

Episcopum non oportet nimium profusis incumbere conviviis, sed parco contentus sit cibo. (*Conc. Turon.*, ann. 813, sub Carolo, cap. 5.)

Condimentorum elaboratæ blanditiæ, ut voluptatis illecebræ repudiandæ. (S. BASIL., *De vera virginit.*)

Quidquid in cibo extra consuetudinem, usumque communem præsumitur, ut vanitatis et gloriæ, atque ostentationis morbo pollutum antiquissima Patrum traditio notavit. (CASSIAN., lib. V *Instit.*, c. 23.)

Parca et frugali mensa contenti sitis. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

Sit mensa frugalis de cibis simplicibus non nimis delicatis, nec nimis grossis; sed medio temperatis, quia hoc expedit ad sanitatem corporis. (*Conc. Hildesemens. Forma vivendi canonic.*, c. 14.)

Alimentum simplex, quod ad vivendum, non ad lautitias deliciasque aptum sit. (CLEM. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 1.)

De condimentis sufficiat, ut comestibiles fiant cibi nostri, non etiam concupiscibiles, vel delectabiles. (S. BERN., *Ad fratr. de Monte Dei.*)

Homini ecclesiastico, quacunque dignitate fulgeat, plus laudis affert frugalitas in mensa, quam sumptus; plus dedecoris exquisitus apparatus, quam simplex ; plus molestiæ longus accubitus, quam brevis et naturæ sufficiens. Sit ergo cultus in mensa et conviviis potius in gravitate, et sobrietate, quam in pompa et deliciis. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, tit. *De vit. et honest. cleric.*, cap. 2.)

Iis qui ad luxum mensarum propensi sunt, et suos sibi morbos enutriunt, præest, dæmon, helluo maximus, quem non verebor appellare dæmonum omnium pessimum et perniciosissimum. (CLEM. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 1.)

CAPUT VII.

De intemperantia, et præcipue de ebrietate.

ART. I. — *Quid sit ebrietas.*

Omnium vitiorum mater. (ORIG., hom. 7 *in Levit.*)

Omnium vitiorum fomes ac nutrix. (*Conc. Agathens.*, c. 41, ann. 506.)

Libidinis parens. (*Conc. Remens.*, ann. 1583, tit. *De clericis in genere.*)

Fomentum libidinis. Incentivum insaniæ. (S. AMBROS., *De Elia et jejun.*, lib. XLIII.)

Morbus veniam non habens. Ruina excusatione carens. (S. CHRYSOST., hom. 1, *Ad popul.*)

Ministerium sacerdotum vilescere facit. (*Conc. Aquisgr.*, sub Greg. IV, ann. 836, part. I, c. 6.)

Parens litium. — Furoris mater. — Dæmon blandus. — Venenum dulce. (S. BONAV., *De sex alis cherub.*)

Perturbationem mentis gignit. — Furorem cordis. — Flammam libidinis. (S. ISIDOR., *De summo bono*, c. 43.)

Ebrius, mortuus animatus. — Dæmon voluntarius. (S. CHRYSOST., hom. 1, *Ad popul.*)

Inferni puteus. — Ebriosi quasi paludes. Nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ, ranæ, et diversa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quam aliquid quod ad victum proficiat, exhibere. (S. AUG., serm. 231, *De temp.*)

ART. II. — *Quod ebrietas et gula maxime in clero vitanda.*

Ante omnia a clericis vitetur ebrietas. (*Conc. Agathens.*, c. 41, ann. 506.)

(5) *Vid.* infr., tit. *Immodest. in mensa et immortificatio in gustu.*

Veteris legis ministris ne vino et sicera uterentur, cautum erat (*Levit.* x, 9) : ut sciamus inde quam alienos esse oporteat novæ legis sacerdotes ab ebrietate. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. *Tres causæ ob quas male audit clerus.*)

Quidquid de uva exprimitur, non bibent. Uvas recentes siccasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur. (*Num.* vi, 3.)

Oportet episcopum irreprehensibilem esse (*I Tim.* iii, 2)... *Non vinolentum.* (*Ibid.*, 3.) Non sit vinolentus sacerdos, sed sic bibat, ut ignoretur an biberit. (S. Anselm., in eadem verba.)

Vinolentos sacerdotes et Apostolus damnat, et vetus lex prohibet. (*Ibid.*, 3.) *Qui altario deserviunt, vinum et siceram non bibant.* (*Deut.* xxix, 6.) (S. Hier., epist. 2, *Ad Nepotian.*)

Sumptuosis dapibus gravidus, non potest in suis abstinentiam laudare, quam calcat. (*Conc. Aquisgr.*, ann. 816, c. 28.)

Ebrietas dedecus est cuique Christiano, quanto magis sacerdotibus? (*Conc. Aquisgr.*, sub Greg. IV, ann. 836, part. i, c. 6.)

Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium ; quia alter animam suam necat ; vino sacerdos spiritum sanctitatis exstinguit. (S. Petr. Chrysol., serm. 26, *De fideli dispensat.*)

Annon confusio et ignominia est, Jesum crucifixum magistrum pauperum atque esurientem, fartis prædicare corporibus, jejuniorumque doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre? (S. Hieron., lib. i *in Mich.* ii.)

Hanc nullus noverit Christianus, ne auditu quidem sacerdos attingat, ne qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat et inveniatur exemplum. (S. Petr. Chrysol., serm. 26.)

ART. III. — *Cur ebrietas et guia præcipue in clero vitanda.*

Temperantia facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. — Libidines frenat. — Affectus temperat. — Desideria sancta multiplicat. — Vitiosa castigat. — Mentem ab omni vitiorum tempestate defendit. — Cogitationes pravas removet, inserit sanctas. — Ignem libidinosæ voluptatis exstinguit. — Animi teporem accendit. (S. Prosp., lib. iii *De vita contempl. sacerd.*, c. 19.)

Vinum et ebrietas auferunt cor. (*Ose.* iv, c. 11.)

Damna gulæ sunt : 1° mentis brutalitas ; 2° corporis infirmitas ; 3° oris loquacitas ; 4° inopia rerum ; 5° carnis luxuria ; 6° cordis stultitia. (S. Bonav., *Diæt. salut.*, tit. i, *De peccatis*, c. 8.)

Nimia ciborum repletio pigrum reddit, quia vas plenum ponderosum efficitur. Hebetat etiam intellectum, et affectum devotionis obruit, et refrigerat. (Id., *De profect.*, lib. i, c. 37.)

Quanto minus superata fuerit, tanto validiora sunt cætera vitia contra nos, et nos debiliores sumus contra ea. (S. Bonav., lib. i *De profectu*, c. 37.)

Abundantia ciborum, sunt fomenta vitiorum. (S. Isidor., Hispal. *De contemptu mundi.*)

Vinolentia scurrarum est, et comessatorum : venterque mero æstuans cito despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Qui luxuriatur, vivens, mortuus est : Ergo qui inebriatur, et mortuus et sepultus est. (S. Hier., *Epist. ad Ocean.*, epist. 83 ; apud *Conc. Aquisgran.*, c. 2.)

Loth quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. (Id., *Epist. ad Ocean.*)

Ubi turpia verba et saturitas, ibi dæmones choreas agunt. (S. Chrysost., hom. 57, *Ad popul.*)

Ubicunque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. — Nunquam ego ebrium castum putabo. (S. Hier., *in Epist. ad Tit.* c. i.)

Episcopus, presbyter, diaconus ebrietati deditus, cesset, vel deponatur. (*Canon. apost.*, can. 41.)

Clericum quem ebrium fuisse constiterit, aut triginta dierum spatio a communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio. (*Conc. Agath.*, c. 41, an. 506.)

Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus præcipimus cavere : et qui hoc vitare noluerit, excommunicandum esse decernimus, usque ad emendationem congruam. (*Conc. Mogunt.* an. 813, c. 46.)

ART. IV. — *Remedia ebrietatis et gulæ.*

I. Observandum sumendi tempus, ne ante horam (6). (S. Bonav., lib. ii *Pharetr.*, c. 36, ex S. Bern.)

Non licet clerico extra horam bibere, vel aliquid manducare. (S. Aug., *Serm. ad presbyt. suos;* serm. 56, *Ad fratr. erem.*)

II. Observanda cibi qualitas.... qualibus utitur communitas, excepta causa manifestæ infirmitatis. — Fugienda sunt superflua et adulterina condimenta. (S. Bonav., lib. ii *Pharetr.*, c. 36; ex S. Bern.)

Abscindamus a nobis eos cibos, qui impugnare possunt, tum vero etiam calidos, ne oleum flammæ adjiciamus (S. Climac., grad. 14.)

III. (Quantitas.) Modesti homines, ut longe se faciant a turpitudine ebrietatis, castigant se aliquantulum, et a libertate satietatis. (S. Aug., *De utilit. jejunii*, c. 5.)

Sic oportet bibere ut quasi non bibisse videatur. (*Conc. Aquisgran.*, ann. 836, c. 6.)

IV. (Locus.) Si quis clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur, præterquam si in publico diversorio in via propter necessitatem diverterit. (*Can. Apost.*, can. 53.)

Tabernas, nisi peregre profecti non intrent. (*Conc. Rem.*, ann. 1583, tit. *De cleric.*)

Non licet clerico de domo in domum transire, et prandium vel cœnam ordinare. — Summe cavere debet clericus, ne extra domum suam, vel episcopi

(6) *Vid.* infr., cap. *Immodestia*, ubi de *De observandis in mensa.*

Serm. 36, *ad fratr. erem.*)

V. (Modus) *Sive manducatis, sive bibitis,* etc., *omnia in gloriam Dei facite.* (*I Cor.* x, 31.) Ille ad gloriam Dei manducat, qui Dei beneficiorum memor, non tanquam securus omnino manducat, sed ut qui inspectorem habet Deum. (S. Basil., *Reg. brev.*, reg. 196.)

Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. (S. Aug., lib. x *Confess.*, c. 31.)

Ciborum non solum superfluus appetitus calcandus, sed etiam ipsi naturæ necessarius, tanquam castitati contrarius, non sine cordis anxietate sumendus est. — Ipsius cibi refectionem, non tam jucunditati concessam, quam oneris vice sibi impositam recognoscat. (Cassian., lib. v *Instit.*, c. 14.)

Sive comeditis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite, veram frugalitatem tanquam scopum proponentes. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 1.)

VI. Nec ad bibendum quisquam incitetur, cum ebrietas et mentis inducat exsilium, et libidinis provocet incentivum. — Unde illum abusum decernimus penitus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores, et ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, et calices fecundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, a beneficio vel officio suspendatur. (*Conc. Lateran.* IV, sub Innoc. III, cap. 15.)

Ad æquales haustus, nec seipsos, nec alios astringant, vel provocent. (*Conc. Remens.*, ann. 1583, tit. *De cleric. in genere.*)

Alienos esse oportet a potationibus quas vocat vulgus æquales. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. *Tres causæ ob quas male audit clerus.*)

VII. Vinum sibi temperent, et se vino. (*I Tim.* III, 8, 23.) (*Conc. Lateran.* IV, sub Innocent. III, c. 15.)

Quod si absque vino ardeo adolescentia, et inflammor calore sanguinis, et succulento validoque sum corpore, libenter carebo poculo, in quo suspicio veneni est. (S. Hier., epist. 2, *Ad Nepotian.*)

VIII. Convivia vitent. (*Vid.* part. V.)

CAPUT VIII.

De incontinentia (7).

ART. I. — *Quid sit incontinentia seu luxuria.*

Voluptas, malorum omnium metropolis. (S. Damas., lib. III *Paral.*, c. 28, ex S. Chrysost.)

Omnis vitii esca. (*Ibid.*, ex S. Greg. Naz.)

Reliquorum vitiorum educatrix. (S. Ambros., *De obitu Satyri fratr.*)

Coinquinatio spiritus. (S. Aug., serm. 12, ex *Addit.* ex Sirmundo.)

Diaboli hamus ad exitium trahens. (S. Basil., *Exhort. ad baptism.*)

Tinea, quæ de carne nascitur, et illam consumit. — Vermis quo nullus nocentior: ingreditur enim blandiendo, mordet ridendo, transformat delectando, perimit consentiendo. (S. Bern. Senens., serm. 52, art. 3, c. 2.)

Vinum iræ Dei. (Id., serm. 8, art. 2, c. 1.)

Pestis, quæ corpus Christi dimembrat, et quæ de membris Christi facit membra diaboli. (Guerric. abb., serm. 4, *in die Purific.*, inter Opera S. Bern.)

Serpit ut cancer. (S. Petr. Dam., opusc. 17, *De cœlib. sacerd.*, c. 4.)

Omnium virtutum eradicat germina. (S. Bonav., *De sex alis Cherub., De tertia ala.*)

Inter omnes pestes vitiorum primipilaria est, quæ fortius nos impugnat. (Petr. Bles., serm. 57, in syn.; *Sup. Levit.*)

Quasi ardor est ignis. Ignis consumit vestem, libido consumit animam. (S. Aug., *in psal.* LI.)

Ignis non inflammans, sed infumans; non illuminans, sed excæcans; sicut scriptum est (*Psal.* LVII, 9) : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* (Petr. Bles., epist. 23 *Ad Octavian. cardin.*)

ART. II.—*Quantum vitanda, præsertim in clero.*

Continentiæ sint amantes (clerici) pestemque libidinis cane pejus et angue, quod dicitur, exosam habeant. (*Conc. Rem.*, ann. 1583, tit. *De cleric. in genere.*)

Qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus... si jugem scabiem (*Levit.* XXI) : jugem vero habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. In scabie enim fervor viscerum ad cutem trahitur, per quam recte luxuria designatur, etc. (S. Greg., *Pastor.*, part. I, cap. ult.)

Qui prædicator constitutus es castitatis, non te pudet servum esse libidinis? (S. Petr. Dam., opusc. 17, *De cœlibat. sacerdot.*, c. 3.)

Fermentum, cujus admistione tota massa corrumpitur, incontinentia est ecclesiasticorum, quæ subditos perversa imitatione corrumpit. Quid enim faciet laicus, nisi quod patrem suum spiritualem viderit facientem? (Petr. Bles., serm. 57, *in Levit.* II, 11.)

Omne sacrificium sacerdotum holocaustum fieri instituit... ut nihil carnale, nihil sapiant imperfectum : nihil sibi voluptuosum præsumant retinere, sed se totos igni divino studeant exhibere, (Philipp. abb., *De continentia sacerd.*, c. 57.)

Sicut in altari semper ignis divinus jubetur ardere (*Levit.* VI, 22) : sic ejusdem altaris minister igne sacro debet carnis lasciviam cohibere. (*Luc.* XII, 35.) (*Ibid.*, c. 58.)

Congruit statui nostro ut reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsis faciamus (*Galat.* V, 25)... In hac sobrietatis cruce per totam vitam semper pendere debet Christianus. (S. Laurent. Justin., *De ligno vitæ*, tract. 11, *De sobrietate*, c. 2.)

(7) *Vid.* part. II, c. *Castitas.*

ART. III. — *Cur vitanda in clero.*

SECTIO PRIMA. — *Quia Deo valde injuriosa.*

Reprobo viro per prophetam Dominus dicit : *Posuisti me post corpus tuum...* (*Ezech.* XXIII, 35.) Illi Deum post corpus suum ponunt, qui suarum obtemperant illecebris voluptatum. (S. PETR. DAM., opusc. 18, dissert. 2, *Contra cleric. intemper.*, c. 3.)

Nonne violat templum Dei, et in illius vice spiritum in se libidinis introducit? — Nonne Spiritum sanctum ad suum contristat interitum? etc. (*Ibid.*, c. 4.)

Nolite vasa Deo sacrata in vasa contumeliæ vertere. Nolite hæc exemplo Balthazar usui vestræ delectationis aptare, ne repente zelus Dei super vos in iracundiæ se furore succendat. (*Ibid.*, c. 7.)

Cur, o sacerdos, qui sacrum dare, hoc est, sacrificium debes offerre, temetipsum prius maligno spiritui non vereris victimam immolare. (S. PETR. DAM., *De cœlib. sacerd.*, c. 3.)

Sacerdotes polluerunt sanctuaria mea... coinquinabar in medio eorum. (*Ezech.* XXII, 26.)

Deum in ipsis habitantem corrumpunt, et quantum in se est, vitiorum suorum conjunctione polluunt. (S. CLEM. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 10.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia Ecclesiæ et clero valde contumeliosa.*

Putridum turpitudinis libidinosæ contagium, quo decor Ecclesiæ graviter maculatur. (*Conc. Londin.*, ann. 1237, c. 16.)

Totum cecidit in cleri opprobrium. (PETR. Bles., serm. 60, *in Ose.* V, 1.)

Ut Ecclesia Christi in sua vigere munditia valeat, et obsceno male ministrantium consortio non sordescat, sacerdotis vita ab immundi spiritus obsoleta luxuria immunis et incorrupta servetur. (S. PETR. DAM., opusc. 25, *De dignit. sacerd.*, c. 1.)

Cum omnes ecclesiasticos ordines in te uno habeas metuenda mole congestos, omnes procul dubio fœdas, dum te prostibuli commistione commaculas. Polluis itaque ostiarium, lectorem, exorcistam, omnesque deinceps sacros ordines, pro quibus omnibus in districto Dei judicio redditurus es rationem. (ID., *De cœlibat. sacerd.*, opusc. 17, c. 3.)

SECTIO TERTIA. — *Ob pœnas incontinentiæ.*

§ I. — *Divinas.*

Videmus hodie sacerdotes (intemperantes) abutentes vasis Domino Deo consecratis : sed certe prope est manus illa ultima et scriptura terribilis (*Dan.* V, 25) : *Mane, Thecel, Phares :* Numeratum, appensum, divisum. (PETR. Bles., serm. 56, *in Levit.* VI, 12.)

Vos appello, qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, etc. Audaces manus nec ob auxilium sustinet Dominus. (S. PACIAN., *Parænes. ad pœnitent.*)

Quidam dicunt quod Oza mortuus est, quia tetigit arcam, cum esset immundus, scilicet quia ipsa nocte cognoverat uxorem suam ; sed non licebat immundus tangere arcam. (ABULENS., *in lib. Reg.*, quæst. 10.)

Cum Dominus dicat : *Nolite sanctum dare canibus* (*Matth.* VII, 6) ; quod de te judicium erit, qui corpus tuum, quod utique sanctificatum est, per consecrationis accessum, non canibus sed lupanaribus tradis? (S. PETR. DAM., opusc. 17, *De cœlibat. sacerd.*)

Quisquis flamma libidinis æstuat, qua fronte, qua conscientia divinis altaribus appropinquat? Hinc est enim quod filii Aaron divino sunt igne consumpti, quia alienum ignem offerre Domino præsumpserunt. Altaria quippe Domini non alienum, sed ignem duntaxat divini amoris accipiunt. Quisquis igitur terrenæ vel carnalis concupiscentiæ flamma in thuribulo sui pectoris æstuat, et sacris assistere altaribus non formidat, illo procul dubio divinæ ultionis interim igne consumitur, de quo scriptum testatur : et nunc ignis adversarios consumit. (ID., opusc. 27, *De comm. vita canonic.*, c. 3.)

Veniet, veniet profecto dies, imo nox, quando libido ista tua vertetur in picem, qua se perpetuus ignis in tuis visceribus inexstinguibiliter nutriat, et medullas tuas simul et ossa indefectiva conflagratione depascat... Sicut nunc æstuantis luxuriæ flamma decoquitur, ita postmodum nunquam finiendis atrocis gehennæ incendiis necesse est comburatur. (ID., opusc. 17, *De cœlibat. sacerd.*)

§ II. — *Ecclesiasticas.*

Qui post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat. (Dist. 90, c. *Pervenit.*)

Si quis clericus adulterasse aut confessus, aut convictus fuerit, depositus ab officio, communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur. (*Conc. Aurelian.*, dist. 81, c. *Si quis clericus.*)

Presbyter si fornicationem fecerit, quanquam secundum canones apostolorum debeat deponi, tamen juxta auctoritatem B. Papæ Silvestri, si in vitio non perduraverit, sed sua sponte confessus adjecit ut resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat. Tribus quidem mensibus, privato loco a cæteris remotus, pane et aqua a vespera in vesperam utatur : tantum autem diebus Dominicis et præcipuis festis modico vino, in pisciculis, atque leguminibus recreetur, sine carne et sagimine, ovis et caseo : sacco indutus humi adhæreat; die ac nocte jugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret. Finitis tribus mensibus continuis exeat, tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiatur. Nec enim debet sacerdos publice pœnitere sicut laicus. Postea aliquantisper resumptis viribus, unum annum et dimidium in pane et aqua expleat ; exceptis Dominicis et præcipuis festis, in quibus vino et sagimine, ovis et caseo, juxta canonicam mensuram uti poterit. Finito primo anno et dimidio, corporis et sanguinis Domini, ne indurescat, particeps

fiat, et ad pacem veniat. Psalmos cum fratribus in choro ultimus canat, ad cornu altaris non accedat, juxta B. Clementis vocem minora officia gerat. Deinde vero usque ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore, exceptis Paschalibus diebus, tres legitimas ferias in unaquaque hebdomade in pane et aqua jejunet. Expleto septimo anni curriculo, si sui confratres, apud quos pœnituit, ejus condignam pœnitentiam collaudaverint, episcopus in pristinum honorem juxta B. Calixti Papæ auctoritatem, eum revocare poterit. Sane sciendum est quod secundam feriam unum Psalterium canendo, aut unum denarium pauperibus dando (si opus est), redimere poterit. Finitis autem septem annis, deinde usque ad finem decimi anni sextam feriam (nulla interveniente redemptione) observet in pane et aqua, etc. Neque hoc cuilibet videatur operosum, si sacerdos post lapsum, digne, ut supra dictum est, pœnitens, ad pristinos redeat honores. (Dist. 82, c. *Presbyter.*)

ART. IV. — *Remedia incontinentiæ.*

Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo, etc. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi : in illis dormio securus, et requiesco intrepidus, etc. — Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. — Tuta et firma requies infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris : securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera.. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis... Copiosa redemptio in vulneribus Jesu; magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectio virtutum. (S. Aug., *Manual.*, c. 22.)

Hæc fuit iniquitas Sodomæ, etc., *otium ipsius.* (*Ezech.* xvi, 49.)

Rex Salomon per otium semetipsum involvit in multis fornicationibus; et per cupiditatem fornicationis adoravit idola... Libido cedit rebus, luxuria cedit operibus, cedit industriæ et labori. (S. Bern., *De modo bene vivendi.*, c. 51.)

Facito et aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. (S. Hier., epist. 4, *Ad Rustic.*)

Cedet libido laboribus, cedet operi, cedet industriæ. (S. Isidor. Hispal., *De contemptu mundi.*)

Nisi ante omnia fundata fuerit humilitas vera, nullus penitus poterit unquam triumphus acquiri. (Cassian., lib. vi *Instit.* c. i.)

Castitatem seniores aiunt apprehendi non posse, nisi prius humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata. (*Ibid.*, 18.)

Si vel castitatem humilitas deserat, vel humilitatem castitas relinquat, apud auctorem humilitatis et munditiæ prodesse quid prævalet, vel superba castitas, vel humilitas inquinata? (S. Greg., lib. xxi *Moral.*, c. 3.)

Ad humiliandam superbiam monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhærebat, per singulas acclamationes civium dicens : Hominem te esse memento. (S. Hier., epist. 25, *Ad Paulam.*)

Qui sola continentia bellum hoc sedare vel superare nititur, ei similis est, qui una manu natans pelago liberari contendit. Sit ergo humilitas, continentiæ conjuncta. (S. Climac., grad. 15, *De castitate.*)

Fugite fornicationem. (*I Cor.* vi, 18.)

Nunquam luxuria facilius vincitur quam fugiendo, nusquam cautius vitatur : nunquam perfectius expugnatur. (Petr. Bles., *Serm. in psal.* xl, 1.)

Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. (S. Aug., serm. 250, *De temp.*)

Summum nobis adjutorium præstabit sepulcrorum habitatio. (S. Clim., grad. 15, *De castitate.*)

Nihil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum, penset. (S. Greg., lib. xvi *Moral.*, c. 29.)

Quando mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii metus, et æterni tormenta incendii, ante oculos proponantur, quia nimirum omnis pœna gravioris supplicii formidine superatur. Sicut enim clavus clavum expellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ. (S. Isidor., *De summo bono*, lib. ii, c. 39.)

Major formido judicii, et pœnarum timor, simul et voluptatem disperdit et animum nutantem erigit. *Hoc remedium B. Antonium suis præscripsisse refert S. Athanasius, in ejus Vita.* (*Vid.* cap. seq.)

CAPUT IX.

De immortificatione.

ART. I. — *Quod clericis immortificatio sit vitanda.*

Sicut pontifices cum offerebant, necessario eis erat providendum ne macula inesset hostiæ, nec vituperationis vitium, ut posset accepta Deo esse, et grata : ita et qui Evangelium sanctificat, et verbum Dei annuntiat, curare omnimode debet, ne qua in prædicando macula, ne quod in docendo vitium, ne qua in magistro culpa nascatur; sed, ut ita dixerim, si fieri potest, semetipsum primo immolet, se primum vitiis jugulet, ut sua prius peccato membra mortificet, ut non solum doctrina, sed et vitæ exemplo discipulorum salutem, oblationem suam acceptabilem faciat Deo. (Origen., lib. x *Comment. in Epist. ad Rom.*, c. xv.)

Sacerdotis vita naturam punicorum imitetur pomorum : exterius aspera et dura : intus autem in occulto suave quodpiam edulium debet continere. (*Psal.* xliii, 22.) (S. Greg. Nys., *De vita Mosis.*)

Nullus magno et Deo, et sacrificio, et pontifice dignus est, nisi qui prius semetipsum viventem hostiam et sanctam exhibuerit. (*Rom.* viii, 36.) (S. Greg. Naz., orat., num. 161.)

In tympano et psalterio psallant ei. (*Psal.* cxlix, 3.)

in tympano corium extenditur; in psalterio chordæ extenduntur : in utroque organo caro crucifigitur, etc. Nervi quanto plus fuerint extenti, tanto acutius sonant. (S. Aug., *in psal.* cxlix.)

Qui amat animam suam, perdet eam, sive ponendo ut martyr, sive affligendo ut pœnitens. (S. Bern., serm. 30 *in Cant.*)

Qui sacerdotio prædíti sunt, eos sanctos ac mundos esse oportet, ac mortuum quodammodo exstinctum animi sensum, et minime spirantem ad virtutem fortiter depellere. (S. Cyrill. Alex., *De ador. in spiritu et veritate*, lib. xii, qui est *De sacerdotio.*)

Ii sacerdotalis generis lineam servant, qui vitam suam Deo sacrificium offerunt. (S. Petr. Dam., *Contra cleric. intemp.*, dissert. 2, c. 5.)

Factus es discipulus non Epicuri, sed Christi, ut crucem Christi circumferas in corpore tuo, non ut curam carnis in desideriis agas. (Petr. Bles., *Ad Reginald. elect. Carnot.*, epist. 15.)

ART. II. — *Cur clericis immortificatio sit vitanda.*

Sectio prima. — *Ob multa mortificationis bona.*

§ I. — *Clericum conformem reddit Christo.*

Imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. (*Pontif. Rom.*, in *Exhort. ad presbyteros ordinandos.*)

Ipse Dominus hostia omnium sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima sacerdotii sui, et sacerdos suæ victimæ fuit; cuique nunc et uni omnium Domino omnis nova creatura sacrificium, ipsique sunt hostiæ sacerdotes. (S. Paulin., *Epist. ad Severum.*, epist. 5.)

Hoc est sacrificium primitivum, quando unusquisque se offert hostiam, et a se incipit ut postea munus suum possit offerre. (S. Ambros., lib. ii *De Abel*, c. 6.)

Eo habitu ac figura qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est in hac vita degere, ut scilicet affligentes de timore Domini carnes nostras universas voluntates nostras ac desideria, non nostræ concupiscentiæ servientia, sed mortificationi ejus habeamus affixa : sic enim Domini præceptum implebimus dicens (*Matth.* x, 38) : *Qui non accipit crucem suam, non est me dignus.* (Cassian., lib. iv *Instit.*, c. 34.)

Portet laminam auream sacerdos in capite, ut crucem Christi jugiter verset in mente. Sanctum quoque Domini freno equi sui consequenter adhibeat (*Zachar.* xiv, 20), ut carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigat. (S. Petr. Dam., opusc. 25, *De dignit. sacerd.*, c. 3.)

Sicut crucifixus quis jam, non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi, vel convertendi habet potestatem; ita et nos voluntates nostras ac desideria, non secundum id quod nobis suave est, ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrixerit, applicare debemus, etc. — In utroque poste sanguis Agni (Paschalis) ponebatur, ut sacerdos sacramentum Dominicæ Passionis, non solum ore ad redemptionem, sed corde ad imitationem suscipiat : quia tunc demum ei hostia proderit, si seipsum hostiam faciens, velit humiliter et efficaciter imitari quod agit. — Verbum Salomonis est : Sedisti ad mensam divitis, scito quia eadem te præparare oportet. Nam et in *Levitico*, sacerdos pellem hostiæ retinet : quia ordo sacerdotalis expostulat, ut, dum in mensa altaris hostiam immolat salutarem, quadam contritionis cruce hostiæ se conformet. (Cassian., lib. iv *Instit.*, c. 35.)

Christo occiso, omnes ministri prædicti (sacramenti scilicet Eucharistiæ) debent conformari. (S. Thom., *Supplem.*, quæst. 39, art. 4.)

Qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vera pro nobis hostia erit, cum nosmetipsos hostiam fecerimus. (Hugo a S. Victor., serm. 50, *De apostolis.*)

§ II. — *Crucem et vitam Christi exhibet populo.*

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. (*II Cor.* iv, 10.)

Mortificationem Jesu semper in corpore nostro circumferimus, quoniam ad ejus imitationem assidue carnem mortificamus, ut et aliis exemplum præbeamus. (S. Anselm., *in II ad Cor.* iv, 10.)

Sacerdotem hoc sentire oportet, quod et in Christo non solum ut se per humilitatem exinaniat, sed ut crucifixionem Domini repræsentans, stigmata ejus portet in corpore suo, et in ara cordis seipsum Domino crucifigat. (Petr. Bles., epist. 123, *Ad Richard. London. episc.*)

In lege præceptum est ut sanguine arietis immolati tingeretur extremum auriculæ dextræ summi sacerdotis similiter et manus dexteræ, et pedis... Enimvero quia sacerdos dux est et antesignanus exercitus Domini, his titulorum insignibus jubetur incedere; seseque sequentibus ecclesiasticæ militiæ cuneis, sanguinis et crucis Christi debet vexilla præferre. (Petr. Dam., opusc. 25, *De dignit. sacerdotis*, c. 2.)

§ III. — *Castitatem servat in clero.*

Sicut linum multis castigationibus et ablutionibus redditur candidum, ut aptum fiat indumentis pontificum, forma est sacerdotalis munditiæ, ut secundum Apostolum sacerdotes carnem suam castigent, et in servitutem redigant, et præeunte gratia habeant per industriam, quod non potuerunt habere per naturam. (Ivo Carnot., *Serm.*, *De significat. indument. sacerdotal.*, in synod.)

Hanc autem munditiam, ut sacerdos in se valeat præ cæteris possidere, stigmata sanguinis Christi studeat in se signanter exprimere, sicut dicit Apostolus (*Galat.* vi, 17) : *Ego stigmata Jesu semper in corpore meo porto.* (S. Petr. Dam., opusc. 25, *De dignit. sacerd.* c. 2.)

Habent sancti viri hoc proprium, ut quo semper ab illicitis longe sint, a se plerumque etiam licita

abscindant. (S. Greg., IV *Dialog.*, c. 11, agens de sancto quodam presbytero qui ad tuendam castitatem piis etiam et religiosis feminis ad se aditum negabat.)

§ IV. — *Alia quædam mortificationis bona.*

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. (*Joan.* XII, 24.)

Cum interficitur impius, Christus infunditur. (S. Ambros., lib. II *De Abel. et Cain.*, c. 4.)

Medium vitiorum virtus tenet : ac proinde sedula eget, non solum putatione, sed circumcisione. (S. Bern., serm. 58, *in Cantic.*)

Dum a licitis abstinemus, magis admonemus illicita vitare. (S. Aug., serm. 64, *in Tempore.*)

Est martyrii genus et effusio quædam sanguinis in quotidiana corporis afflictione. (S. Bern., serm. 1, *in octava Paschæ.*)

Vita quidem confessorem, causa martyrem facit : ubi autem persecutionis causa non imminet, pia in seipsum crudelitas et desiderium patiendi, vicem martyrii recompenset. (Petr. Bles., *De Instit. episc.*)

Tolle crucem tuam. Quid aliud est crux, quam perfecta et absoluta mortificatio? (S. Doroth., doct. 1, *De obedient.*)

Genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. (S. Bern., serm. 30, *in Cantic.*)

Deus et voluntatem inspicit, et luctam carne cum considerat, et hortatur ut pugnes, et adjuvat ut vincas, et certantem inspectat, et deficientem sublevat, et vincentem coronat. (S. Aug., *in psal.* XXXII, conc., longe post initium.)

Sapienter illicita superat, qui dicerit etiam non uti concessis. (S. Greg., lib. VII, indict. 2, epist. 39.)

Sectio secunda. — *Ob immortificationis mala.*

Sæpe dum quasi concivi carni parcimus, ad prælium contra nos hostem nutrimus. (S. Greg., apud S. Bonav., lib. II *Pharetr.*, c. 12.)

Nitens cutis sordidum ostendat animum. (S. Hier., *Epist.*; S. Bonav., *ibid.*)

Si secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. (*Rom.* VIII, 13.)

Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniar. (*I Cor.* IX, 27.) Ergo qui non castigant corpus suum, et volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur. (S. Ambros., lib. X, epist. 28, *Ad Vercel.*)

Sapientia ubi invenitur?... Nec invenitur in terra suaviter viventium. (*Job* XXVIII, 12, 13.)

Terribiliter comminatur Apostolus his, qui curam carnis in desideriis agunt... Caro est sterilis terra et proxima maledicto, quæ non generat nisi spinas et tribulos. (Petr. Bles., epist. 102, *Ad H. Radingens. abbat.*)

Cito adducuntur ut ea faciant quæ non licent, qui faciunt omnia quæ licent. (Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 1.)

Non secundum Deum, sed secundum se vivit, qui est cum quibus vult, pergit quo vult, etc.; postremo quidquid sensibus carnis suæ jucundum exercet ac sequitur. (S. Bern., *De ordine vitæ.*)

In ignem æternum cum corpore torquebuntur, qui corpori pepercerunt. (S. Aug., serm. 102, *De diversis*, c. 2.)

ART. III. — *Quænam immortificatio clericis sit vitanda.*

Sectio prima. — *Immortificatio corporis.*

§ I. — *De immortificatione corporis in genere.*

Si quis vult venire post me, tollat crucem suam. (*Matth.* XVI, 24; *Col.* III, 5.) In afflictione corporis, crux carnis. (S. Chrysost., hom. 32 *in Evang.*)

Vir ecclesiasticus crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet. (S. Isidor., lib. III *De summo bono*, c. 33.)

Tanto fit rationalis anima purgatior, quanto fuerit substantia carnis afflictior. S. Leo. (*Serm. de jejunio Pentecost.*)

Exuite corpus meum, et membrorum meorum mortificationem invenietis. (S. Chrysost., epist. 125.)

Dorothæo in Thebaide abbati cum quidam diceret : Cur ita corpus necas? Respondit : quia illud me enecat. (*II Cor.* IX, 27.) — Benjamin solitarius ægrotans, nil se de corpore laborare dicebat, quandoquidem cum recte valeret, nil me juvat : et cum jam affligatur, nil lædit. (Sozom., lib. VI, c. 29.)

Per myrrham, carnis nostræ mortificatio figuratur. Unde sancta Ecclesia de suis operariis usque ad mortem pro Deo certantibus, dicit : Manus meæ distillaverunt myrrham. (S. Greg., hom. 10 *in Evang.*)

Corporalis exercitatio in duobus consistit : in substractione delectabilium secundum carnem, et in assuefactione asperitatum et laborum. — Valet autem afflictio corporis ad peccatorum purgationem; ad vitiorum repressionem; ad augmentum virtutis; ad spiritualis consolationis expressionem, sicut in torculari vinum exprimitur; ad proximi ædificationem et meritum gloriæ. (S. Bonav., *De profectu*, lib. II, c. 1, n. 3.)

Affligendum est corpus aliquando, sed non conterendum. (S. Bern., *Ad fratr. de Monte-Dei.*)

§ II. — *De vitanda sensuum immortificatione.*

Punctum primum. — *De immortificatione sensuum in genere.*

Sensuum usus promptæ ad vitium viæ... Peccati januæ. (S. Greg. Naz., orat. 38, num. 7.)

Undique peccatorum retia nobis circumfusa sunt, per omnia sensuum instrumenta. (S. Greg. Nys., orat. 5, *De orat.*)

Maxime et principaliter abnega temetipsum... Pone

gravissimam sarcinam, pone asinariam molem, terrenam molem : pone illa quinque non hominum plane juga, sed boum, quæ tibi insipienter emisti. Alioquin sequi sponsum, et venire ad nuptias spirituales, quinaria hac pressus et oppressus corporis sensualitate, non poteris. Sed etsi novissime veneris, et pulsaveris, minime profecto aperietur tibi, sed respondebitur de intus quod non sit de bobus, et asinis, cæterisque jumentis insipientibus cura Deo. (S. Bern., *Declam.*, c. 1.)

Cum sine jugo esse non possint, quale hoc ipsum est, eligere potius quinque quam unum (jugum Christi.) Quis enim potest servire quinque dominis, nedum quinque tyrannis, quinque prædonibus, etc.? (S. Bern., *ibid.*, c. 2.)

Unde enim hæc tanta pusillanimitas et abjectio tam miserabilis, ut egregia creatura capax æternæ beatitudinis, et gloriæ magni Dei, utpote cujus sit inspiratione condita, similitudine insignata, cruore redempta, fide dotata, spiritu adoptata, miseram non erubescat sub putredine hac corporeorum sensuum gerere servitutem ? (Id.. *De convers. ad clerie.*, c. 8.)

Valet incorruptam castimoniam custodire, custodia sensuum. Fons etenim elationis, incentivum libidinis, violatio castitatis est sensuum curiositas. (S. Laurent. Justin., tract. *De ligno vitæ*, c. 3, *De continent.*)

Si virginitatem animæ integram servare desideras, quantum potes, observa blandimenta draconis, ne forte si incautus fueris, quinque sensus qui in te sunt, quasi quinque virgines permittas a serpente corrumpi. (S. Aug., lib. I, hom. 35.)

Qui se abstinet ab illicito visu, auditu, odoratu, gustatu, tactu, propter ipsam integritatem Virginis nomen accepit. (Id., *De verb. Dom.*, serm. 23, c. 2.)

Quæ ex lege fiebat æstimatio quinque didrachmorum pro unoquoque primogenito, significat oportere unumquemque nostrum omnes sensus Deo sanctificare, atque ea quæ per sensus fiunt, purum et ab omni inepta voluptate alienum, quasi quoddam redemptionis pretium sanctum et legitimum offerre Creatori. (S. Greg. Nys., *Orat. de occursu Dom.*)

Quanta ratione et reverentia sensus nostros et membra movere debemus, quibus divinitas ipsa præsidet... Omnia illius nutum attendant, ejus voluntati deserviant, et ad rectitudinis ejus regulam dirigantur. (S. Anselm., *De decem meditat.*, medit. 1, c. 3.)

Expurgatis omni malitiæ fermento sensibus nostris, inambulabit libenter Dominus noster Jesus Christus, et velut in illis quinque porticibus spatiabitur sapientia, virtus Dei quæ sanat omnes languores nostros. — Pax bonæ voluntatis, compositis religioso silentio sensibus, confirmatur. (S. Paul., epist. 12, *Ad Severum.*)

Sensus titillantem voluptatem amandamus, ne quam fugavimus intemperantiam, per sensus tan quam per portas, quibus desunt custodes, in animam aditum patefaciamus. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 8.)

Sensus vestros ita dirigite, ut, cum a Deo utiliter dati sint, tanquam rationis ministri, ne eos perperam adhibeatis sicut satellites cupiditatum. Sit igitur casta mens, casti omnes sensus. (Concil. Mediol. IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

Non quæ creationis, sed quæ recreationis sunt, celebremus. Id autem consequemur, si nec oculum pascamus, nec autem cantu mulceamus, nec olfactum muliebriter deliniamus, nec gustui lenocinemur, nec tactui gratificemur. (S. Greg. Naz., orat. 38, *in Christi Nativ.*, num. 7.)

Punctum II. — De immortificatione sensuum in specie.

I. — *Oculorum seu visus.*

Inverecundis oculis libidinosus animus deprehenditur. (S. Bern., *De ordine vitæ* (8).

Levita eligitur, quem non solum animum, sed etiam oculos continentes habere decet, ne vel ipse frontem sobrietatis fortuitus violet occursus. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. ult.)

Curiositati indisciplinatus oculus famulatur. (S. Bern., *De convers. ad cleric.*, c. 8.)

Oculi tui, oculi Christi sunt : non igitur licet tibi oculos Christi ad aliquas vanitates conspiciendas dirigere. (S. Anselm., *De decem medit.*, medit. 1, c. 5.)

Quanta sollicitudine, et quanto studio danda est opera, ut mundari possit oculus, quo videndus est Deus. (S. Bern., serm. 1, *in Festo omnium SS.*)

Ab omnibus oculorum illecebris sacerdotes se abstinere debent. (*Conc. Cabilon.* II, ann. 813, c. 9.)

Ne obtutus sacris tantum mysteriis deputati, turpium spectaculorum contagione polluantur. (*Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. *De parochis, presbyt. et aliis cleric.*)

Ne puritas sacerdotis rerum inanium, aut obscenarum aspectu polluatur. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, *De vita et hon. cleric.*)

Providendum nobis est quia intueri non decet quod non licet concupisci. (S. Greg. *in hæc verba Job* XXXV, 1 : «*Pepigi fœdus cum oculis meis,*» etc., lib. XXI *Moral.*, c. 2.)

Quam castos nos esse Salvator jussit, qui etiam licentiam visionis abscidit. Sciens enim fenestras quodammodo esse nostrarum mentium, lumen oculorum, et omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos introire, exstinguere eas penitus voluit, ne intus orirentur, et lethaliter crescentibus fibris convalescerent fortasse in animo, si germinassent in visu. (Salvian., lib. III *De gubernat. Dei.*)

(8) *Vid.* infr. tit. *De immodestia circa visum.*

II. — *Aurium seu auditus.*

Auribus nostris januas apponamus, quæ tempestive claudantur, et aperiantur. (S. Greg. Naz., orat. 6, num. 14.)

Ab omnibus aurium illecebris sacerdotes abstinere se debent. (*Conc. Cabilon.* II, sub Carolo Magno, ann. 813, c. 9.)

Aures diligenter sepiamus, ne vanas fabulas audiamus. (S. Chrysost., hom. 15 *in Gen.*)

Quid nobis cum fabulis ? (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 20.)

Rumusculos quasi hostes fuge. (*Conc. Aquisgran.*, ann. 816, c. 95 ex S. Hier.)

Rumores nescias, quia inquietant cor, mentem distrahunt, devotionem exhauriunt, et tempus sine utilitate consumunt. (S. Bonav., *De instit.*, part. I, c. 24.)

Auris molli modo, cithara et fistula delectatur... Cum autem nihil audit ex iis quæ hic dicuntur : sed ea quæ sunt in cœlis, non est ex his quæ sunt super terram, sed ex iis quæ sunt in cœlis. (S. Chrysost., hom. 8 *in Ep. ad Coloss.*, c. III.)

Servus Dei ita castus debet esse... ut non tantum horreat quæ indecenter sonant, sed etiam quæ nocent. — Horreat turpia, licet sint palliata aliqua honestate. (S. Bonav., *De instit.*, part. I, c. 17.)

Nec aurem debemus præbere indecore dictis ; quia quem delectat audire, alterum loqui provocat. (S. Bern., *De ordine vitæ.*)

Si aurium sensus castus et prudens. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

Ne auditus sacris tantum mysteriis deputati, verborum lenocinio polluantur. (*Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. *De parochis, presb. et aliis cleric.*)

Iis qui ad ministerium Dei accedunt, profanarum et anilium fabularum suadet declinationem (Apostolus) (*I Tim.* IV, 7), nihil permittens nisi quod te exerceat ad pietatem. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 36.)

III. — *Odoratus.*

Nonnunquam nasus olfactu et attractu vaporum, magnis vitiis hominem inficit interiorem. (S. Greg. Nys., orat. 3, *De resurrect.*)

Unguentorum usus ad libidines impellit. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 8.)

Luxuriosi hominis, vel potius non hominis, est olere unguentum. (S. Ambros., lib. VI, *in Luc.*, c. VII.)

Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. — Quis præclarum aliquid, aut bonæ frugis opinabitur de eo qui spirat unguenta ? — Miles es spiritalis. Talis autem miles non oblinitur unguentis. Nam ista cura est mentis deploratæ, etc. Te vero non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem. (S. Chrysost., conc. 1, *De Lazaro.*)

Episcopos ergo vel clericos, qui sunt unguentis delibuti, corrigere oportet : sin autem permaneant, supplicio tradi. (*Conc. Nicæn.* II, act. 8, c. 16, refertur 21, quæst. 4, c. *Omnis.*)

Oportet unguenta non olere, sed vitæ probitatem. (S. Clem. Alex., lib. II *Pædag.*, c. 8, ubi plura.)

Unguentis et omnibus odorum illecebris abstineant. (*Conc. Aquense*, ann. 1585, tit. *De vita honest. cler.*)

Odoribus ad delicias et vanitatem paratis abstineant. (*Synod. Nucerin.*, ann. 1606, tit. *De vestit. et ornatu cleric.*)

In reliquo corpore hic modus servetur, ut neque sordes, neque deliciæ adsint, et omnis odor unguentorum sit prohibitus. (*Synod. Vincentin.*, ann. 1583, *De vestitu cleric.*)

Sudariola, chirotecæ, vestes, aut alia odoribus delibuta, clericali modestiæ non conveniunt, non enim bene olet, qui bene semper olet. Has igitur vanitates vitando, odorem illum habere studeant, de quo D. Paulus scribit : *Christi bonus odor sumus in omni loco.* (*Synod. Auximana*, tit. *De vita et hon. cleric.*, ann. 1593.)

IV. — *Gustus.*

Gustus voluptas, mater singulorum malorum est. (S. Greg. Nys., orat. 5, *De orat.*)

Non sit corruptus et constupratus gustus, misera et infausta quadam condiendi arte, et inani in faciendis bellariis artificio. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 1.)

(Quatuor in gustus usum vitanda) : 1° Ante debitum tempus, vel sæpius quam decet comedere præter necessitatem, more pecudum. 2° Cum nimia aviditate et impetu quodam vorare, sicut lupi et canes famelici. 3° Nimis se implere potius quam reficere, et plus sumere quam sit necesse, ex inconsideratione, vel delectatione. 4° Nimis lauta vel exquisita quærere. (S. Bonav., *De profectu*, lib. I, c. 36.)

Ne desideres cibos divitum : ii enim vitæ non veræ et turpi conjuncti sunt... Nobis autem cœlestem cibum venantibus, necesse est iis quæ ventri amica et grata sunt, imperare. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II.)

Hæc est secundum traditionem seniorum prima pugna, quam devincere nos oportet. (Cassian., lib. V *Instit.*)

V. — *Tactus.*

Tactus et joci, morituræ virginitatis principia. (S. Hier., *Vita S. Hilarion.*)

Nec manus sine Dei nutu moveatur. (S. Basil., *in psal.* XXXII, 8.)

Ex solo tactu corpus inquinatur. Nihil quippe sensu isto gravius, nihil periculosius. Admoneat is qui matris manui pallium circumdedit. (S. Climac., grad. 15, *De castitate.*)

Contactus sit honestus. Nihil corpori liceat, ubi vitandum est vitium. (S. Cyprian., *De bono pudicitiæ.*)

Solent manus contrectatione validæ animæ robur effeminare. (S. Greg. Nys., orat. 3, *De resurrect.*)

Quid illud est, quæso, ut manus quæ jam ad sacrificium Dominicum admissa est, quæ ad laudem Domini in oraculo exsurgit, quæ signum crucis per quod tuemur, frontibus imprimit, ipsa quæ divina sacramenta consummat ; quid est, inquam, ut iterum la

queis diaboli implicetur? (S. Cypr., *De aleatorib.*)

Sectio secunda. — *Immortificatio passionum.*

§ I. — *Quod immortificatio passionum sit vitanda.*

Carnis curam ne feceritis in desideriis. (*I Petr.* II, 11.) (*Rom.* XIII, 14.)

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis vestris. (*Eccli.* XVIII, 30.) (*Rom.* VI, 12.)

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. (*Galat.* V, 24.)

Si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis. Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frenare, interimere. (S. August., *De verb. Apost.*, serm. 13, c. 9.)

Nihil majori curæ ac studio esse debet, quam ut ab animi passionibus morbisque primum liberemur. (S. Clem. Alex., *Pædagog.*, lib. I, c. 2.)

Nihil unicuique tam expetendum, quam ut animi pace fruatur, affectibus imperet. (S. Greg. Naz., orat. 14, quæ est 3 *De pace.*)

Faciamus hominem ad imaginem nostram. Et præsit piscibus, etc. Nobis a principio statim conditis delatum est in cætera jus imperii. Animal itaque es, o homo, imperio natum. Ecquid miseram hanc affectuum servis servitutem? Quid te deturbas ultroneus, e fastigio prærogativæ istius tuæ dignitatis? Ecquid te dedis in vile mancipium (9)? — Fac ut princeps evadas, et superior omni affectu vacuo rationis. — Ad hoc collatus nobis principatus (super animantia) ut nostri ipsorum discamus esse domini. Absurdum enim fuerit et res admodum insolens, si is administrandæ Reipublicæ civitatis præficiatur, qui in intimis ædibus captivus premitur, jugo vilissimi scortilli, nec rem familiarem rite dispensat. (S. Basil., hom. 10, *in Hex.*)

§ II. — *Cur immortificatio passionum sit vitanda?*

Ratio prima. — *Ob multiplicem fructum qui ex illarum mortificatione oritur.*

Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. (*Rom.* VIII, 13.)

Qui amat animam suam, perdet eam. (*Joan.* XII, 25). *Perdet eam* dixit, sive ponendo ut martyr, sive affligendo ut pœnitens. Quanquam genus martyrii est spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. (S. Bern., serm. 30 *in Cant.*)

Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi (*Job* V, 21.) Possunt per terræ bestias, motus carnis intelligi, qui dum mentem nostram irrationabilia suadendo lacessunt, contra nos bestialiter insurgunt. Sed cum cor sub divina lege deprimitur, etiam carnis incentiva detumescunt, ut, etsi tentando submurmurant, nequaquam tamen usque ad effectum operum, quasi ad aperti morsus rabiem exsurgant, etc. — Redactæ (hæ bestiæ) intra claustra continentiæ, et si adhuc tentando rugiunt, usque ad morsum actionis illicitæ non excedunt. (S. Greg., *in Job*, lib. VI *Moral.*, c. 16.)

Qui cupiditates tollit, et metus sustulit: nam ex cupiditatibus metus veniunt. — Qui cupiditates vincit, de peccato triumphat. — Qui cupiditates vicit, pacem sibi perpetuam dedit. — Qui cupiditates vicit, libertatem sibi reddidit. (S. Cypr., lib. *De bono pudicit.*)

Quid excelsius et magnificentius quam exercere mentem, afficere carnem, et in servitutem redigere? etc. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 36.)

Quid est imitari Christum, nisi carnalibus concupiscentiis ac desideriis crucifigi? (S. Prosp., lib. II *De vita act. sacerd.*, c. 20.)

Nutrimentum charitatis est imminutio cupiditatis; perfectio nulla cupiditas... Quisquis igitur eam nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. (S. Aug., lib. LXXXIII *Quæst.*, q. 3.)

Ratio secunda. — *Ob mala ex passionibus immortificatis provenientia.*

Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris. (*Jac.* IV, 1.)

Passiones in anima ex minima causa generantur, et non exterminatæ infinitam quamdam pariunt rerum divinarum propriæque salutis despicientiam. Cernis in ære nævum viridem, rubiginemque, quemadmodum in profundum deprimatur altiusque penetret? Intelligis quid efficiat in anima passio neglecta. Nisi eraseris rubiginem, non auferes maculam; et nisi carnis naturam attriveris, fugare passiones non poteris. (S. Ephrem., *Serm. ascetic. et exhortator. ad fratres.*)

Ascende, Domine, super asinum istum. Conculca hos bestiales motus; quia domari debent, ne dominari prævaleant. Nisi enim calcati fuerint, conculcabunt nos; nisi premantur, oppriment nos. (S. Bern., serm., 4, *De Ascens. Dom.*)

Probe aiebat abbas Nesthoron: Si quis trahi se a morbosis affectibus et passionibus vitiosis patietur, futurum ut brevi fiat servus earumdem passionum, et mancipium vitiorum. (S. Doroth., doctr. 11, num. 13.)

Ratio tertia. — *Ob inutilitatem mortificationis corporis, sine passionum et spiritus mortificatione.*

Gratis nobis de cruce et corporis afflictione blandimur, si exterior noster sanctis laboribus exercetur, et a passionibus non curatur interior. — Sic est quomodo si quis statuam faciat a foris auream, ab intus luteam: vel quomodo si domus magnifica a foris pulcherrimis coloribus depicta videatur, et ab intus serpentibus et scorpionibus plena sit. — Quid prodest quod affligis corpus tuum, quando nihil proficit cor tuum? — Sic est quomodo si quis extra aut circa vineam exstirpet et colat, ipsam autem de-

(9) *Vid.* infr. 9, 3, num. 1.

sertam atque incultam derelinquat. (S. Eucher., hom. 4, *Ad relig.*)

Quid prodest jejunare visceribus, et luxuriæ venatibus deservire : abstinere a cibis, et saturari peccatis : castigare corpus inedia, mentem exercere nequitia, vinum forte non bibere, et ebrium cogitatione malignitatis incedere. (S. Aug., serm. 13.)

§ III. — *Quomodo passionum immortificatio sit vitanda.*

Caveat motus animi sui. Sunt enim motus in quibus est appetitus ille, qui quasi quodam prorumpit impetu, etc. Vi quidam se repente proripit. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 47.)

Suggestionibus vitiorum regia potestate contradicat. (S. Greg., lib. I, epist. 24.)

Voluptatibus imperantes, arcemus cupiditates. (S. Clem. Alex., lib. XXI *Pædag.*, c. 1.)

Sane in hoc creatus es princeps, ut imperites istis affectibus, ut dominere bestiis reptilibus, ut præsis simul et volatilibus... Tuis fac imperes cogitationibus, imperator ut sis, quæ sunt, omnium. (S. Basil., hom. 10, *in Hexaem.*)

Hostem, dum parvus est, interime. Nequitia elidatur in primo semine.

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.
(Ovid. *Remed. amor.*, lib. I, v. 91-92, cit. a Petr. Bles., serm. *in psal.* XL, ỹ 1)

Nisi citius passiones quæ in te cernuntur, sustuleris, ulcus efficiunt ; nisique parvam putredinem curaveris, in infinitum excrescet, omnemque substantiam tuam corrumpet. (S. Ephrem., serm. *De perfectione monach.*)

Beatus qui tenebit, et allidet pervulos tuos ad petram. (*Psal.* CXLV, 1.) Qui sunt parvuli Babyloniæ ? Nascentes malæ cupiditates, etc. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat, etc. Cum parvula est, elide illam. Sed times ne elisa non moriatur ; ad petram elide. (*I Cor.* X, 4) : *Petra autem erat Christus.* (S. Aug., *in psal.* CXLV.)

Dum parvus est hostis interfice : nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam dicentem (*Psal.* CXLV, 1) : *Beatus qui allidit parvulos ad petram.* (S. Hier., epist. 22, *Ad Eustoch., De custodia virginit.*)

Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur exstincta, et sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpe putandum est : imo si fieri possit, semper ; quia semper quod putari oporteat, si non dissimules, invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebusæus : subjugari potest, sed non exterminari. (S. Bern., serm. 58 *in Cantic.*)

Surrexit libido damnabilis, surrexit suggestu, non audiatur Ardet, non se compescit... Ardeat sine causa, et consumat. (S. Aug., *De verb. Dom.*, serm. 43, cap. 11.)

Hunc nos ordinem præliorum exercere debemus : non poteris eas delere pariter. Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes (*Deut.* VII) ; et interficiet donec penitus deleantur. (Cassian., collat. 5, c. 14.

Ita nobis adversus vitia arripienda sunt prælia, ut unusquisque vitium quo maxime infestatur explorans, adversus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis, ac sollicitudinem erga illius impugnationem ; observationemque defigens, adversus illud quotidiana jejuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria, crebraque gemituum tela contorquens, adversus illud vigiliarum labores, ac meditationes sui cordis impendens, indesinenter quoque orationum ad Deum fletus fundens, et impugnationis suæ exstinctionem ab illo specialiter ac jugiter poscens. (Id., *ibid*)

Cum se ab ea senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret et exploret, quam sibi inter reliquas perspexerit diriorem, atque adversus eam specialius omnia spiritus arma commoveat, et ita semper validioribus superatis, celerem de residuis habebit facilemque victoriam, quia et mens triumphorum processu reddetur fortior, et infirmorum pugna succedens, promptiorem ei proventum faciet præliorum. (Id., *ibid.*)

Nec putandum quod principaliter quis contra unum dimicans vitium, et velut incautus aliorum tela prospiciens, inopinato ictu facilius valeat sauciari. Quod nequaquam fiet : impossibile namque est eum, qui pro cordis sui emundatione sollicitus, erga impugnationem vitii cujuslibet intentionem suæ mentis armaverit, adversus cætera quoque vitia generalem quemdam horrorem et custodiam similem non habere. (Id., *ibid.*)

Cum principalis nostri cordis intentio, velut specialem sibi pugnam adversus unam exceperit passionem, pro ipsa orabit attentius peculiari sollicitudine ac studio supplicans, ut eam diligentius observare, et per hæc celerem mereatur obtinere victoriam. (Id., *ibid.*)

Sectio tertia. — *Immortificatio spiritus.*

§ I. — *De vitanda immortificatione judicii proprii.*

Ne innitaris prudentiæ tuæ. (*Prov.* III, 5.)

Ne sis sapiens apud temetipsum. (*Rom.* XII, 16 ; *Prov.* III, 7.)

Judicium patris audite, filii, et sic facite, ut salvi sitis. (*Eccli.* III, 2.)

Credas salutare quidquid ille præceperit : nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire. (S. Hieron., epist. 4, *Ad Rustic.*)

Inter omnes tentationes videtur illa periculosior scilicet proprio sensui nimis inniti. (S. Bonav., *De sex alis Seraphim*, c. 7.)

Dicebat abbas Dorotheus, cum vitiosis affectibus ac passionibus variis dediti simus et obnoxii, nostro judicio non debemus omnino fidere ; quando enim norma vel regula curva est et inflexa, nunquam quod secundum eam dirigitur, rectum efficitur, sed distortum. (S. Doroth., *Sentent.*)

Miles Christi sibi dissuescat credere. (S. Laurent. Justin., *De casto connubio*, c. 2.)

Impossibile est quemquam qui proprio fidit judicio, diaboli illusione non decipi. (Cassian., collat. 16, c. 11.

Lepra proprii consilii, eo perniciosior est, quo magis occulta : et quanto plus abundat, tanto sibi quisque sanior esse videtur. (S. Bern., serm. 3, *De resurrect.*)

Nullatenus fraudibus et insidiis inimici decipi potest, qui non suo judicio, sed majorum vivit exemplo. (Cassian., collat. 2, c. 10 ex abbate Moise.)

In his qui sibi credunt, dæmon sæpe propheta fit. (S. Climac. grad. 2, *De somniis.*)

Est qui sibi soli credit, quod pessimum est. (*Prov.* xxviii.) (Petr. Bles., *De instit. episc.*

§ II. — *De immortificatione propriæ voluntatis.*

Punctum I. — Quod fugienda sit immortificatio propriæ voluntatis.

Uti propria voluntate alienum est a recta ratione, (S. Basil., *Reg. brev.*, quæst. 123.)

In corde duplex lepra. Propria voluntas et proprium consilium. Lepra utraque nimis pessima, eoque perniciosior, quo magis interior. (S. Bern., serm. 3, *De resurrect.*)

Quia Deus cor quærit, cor inspicit, intus testis est. .. sufficit ut ei offeras tuæ sacrificium voluntatis. (Laurent. Justin., *De ligno vit.*, tract. 6, *De obedient.*, c. 3.)

Dicit Apostolus (*Galat.* vi, 14) : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Quomodo crucifigitur homo mundo ? Tunc nimirum cum relictis omnibus rebus exterioribus, certamen init adversus propriam voluntatem, ac suas ipsius passiones. (S. Doroth., doctr. *De obedient.*)

Punctum II. — Cur propriæ voluntatis immortificatio sit vitanda?

Ratio prima. — *Ob mala propriæ voluntatis.*

Gravis sarcina propriæ voluntatis. (S. Bern., *De diligendo Deo*, c. 13.)

Grave et importabile jugum. (*Ibid.*, et epist. 11.)

Vipera pessima. (Id., serm. 11, *De diversis.*)

Crudelis bestia. — Fera pessima. — Rapacissima lupa, et leæna sævissima. (Id., serm. 3, *De resurrect.*)

Quis tyrannus crudelior ? — Principium iniquitatis. — Mortis infusio. — Destructio magna virtutum. — Sola digna odio. (Petr. Dam., serm. *De S. Benedicto.*)

Huic contraria est recta fronte charitas, quæ Deus est. Hæc enim adversus Deum inimicitias exercens est, et *guerram crudelissimam.* — Quid odit aut punit Deus præter propriam voluntatem ? Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis desæviet, nisi in propriam voluntatem ? (S. Bern., serm. 3, *De resurrect.*)

Ipsa bona in peccatum convertit. (S. Bern., *De ordive vitæ.*)

Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. (*Isa.* lviii, 3.)

Non tale jejunium eligit Sponsus ; nec sapit illi jejunium, quod vitium propriæ voluntatis sapit. — Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tua, tibi bona non sint. (S. Bern., serm. 71, *in Cant.*)

Unde scandala, unde turbatio, nisi quod propriam sequimur voluntatem ? (Id., serm. *Quomodo voluntas nostra divin. volunt. triplic. subjici debeat.*)

Primus homo, qui suam voluntatem facere voluit, a paradisi gaudio exivit. (Id., *De ordine vitæ.*)

Nihil sic exstinguit spiritum discretionis, quomodo voluntas propria, subvertens corda hominum, et rationis oculos claudens. (Id., serm. 2, *De resurrect. Domini.*)

Deum impugnat, paradisum exspoliat, infernum ditat, sanguinem Christi evacuat, et ditioni diaboli subjugat mundum. (Id., serm. in hæc verba : *Sapientia vincit malitiam.* Item. S. Laurent.)

Hæc est immundissima lepra animi, propter quam in Jordane mergi oporteat, et imitari eum, qui non venit facere voluntatem suam. (S. Bern., serm. 3, *De resurrect. Dom.*)

Libera voluntas nos facit nostros, mala diaboli, bona Dei. — Expedit magis omnino non fuisse, quam nostros permanere. (*De grat. et lib. arbitr.*, cap. 6.)

Diabolus propria voluntate factus diabolus invenitur. (S. Aug., *De patientia*, c. 24.)

Cum propriam amplexamur atque adeo fovemus voluntatem, propriisque nos ipsos instituimus et informamus justificationibus, tunc nobis ipsis insidias tendimus : nec nostram animadvertimus perniciem et interitum. — De justitia ait senex : Si justificatio nostræ cooperatur voluntati, non bene convertitur, nec bene conversatur homo. (S. Doroth., doctr. 5.)

Tunc dixerim quemque sibi fecisse suam legem, quando perverse volens suum imitari Creatorem, sicut ipse sibi lex, suique juris est, ita is quoque seipsum regeret, et legem sibi suam faceret voluntatem. (S. Bern., *De diligend. Deo*, c. 13.)

Importabile onus humili, voluntas propria. (S. Laur. Justin., *De compl. Christ. perf.*, prope fin.)

Certus sum quod neque mors, neque vita, etc. (*Rom.* viii, 38.) Attende quanta enumeravit Apostolus, minime tamen adjiciens, nec nos ipsi : nimirum nulla creatura, avellere nos, aut vim facere potest. Soli id deserere possumus propria voluntate. (S. Bern., serm. 11, *De divers.*)

Sanguisugæ duæ sunt filiæ propriæ voluntatis, vanitas et voluptas : clamantes Affer, affer. Nunquam satiantur, et dicunt : Sufficit. (S. Bern., serm. *De diversis in hæc verba* (*Sap.* x, 10) : « *Justum deduxit.* »

Fuge sanguisugam hanc propriam voluntatem, et omnia reliquisti. Hæc enim omnia trahit ad se : pone hanc, et jugum tam importabile, quam multiplex abjecisti. (S. Bern., *Declam.*, c. 2.)

Aufert homini Deum, beneficia Dei subtrahit, me-

ritum evacuat. (S. Laur. Justin., *De ligno vitæ*, tract. 6, *De obedient.*, c. 5)

Quo furore Dominum majestatis impugnet, audiant et timeant servi propriæ voluntatis : 1° Namque seipsam et subtrahit, et subducit ejus dominatui... Sed nunquid contenta erit hac injuria ? 2° Addit adhuc, et quod in se omnia quoque quæ Dei sunt, tollit et diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas ?... Dico fiducialiter. Nemini qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere. 3° Utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum (horribile dictu) desæviret rectorem. Nunc autem et ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis plane, et omnino exsecranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. (S. Bern., serm. 3, *De resurrect.*)

Ire post voluntates proprias tam perniciosum est, ut hoc Dominus jam postmodum iratus pro damnatione peccati irroget, dicens : Et dimisi illos secundum desideria cordis eorum. (S. Eucher., hom. 3, *Ad religios.*)

Caveamus a propria voluntate, tanquam a vipera pessima et nequissima, quæ sola deinceps damnare possit animas nostras. (S. Bern., serm. 11, *De diversis, De relinquenda propria voluntate.*)

Ex collegio discipulorum reprobatur loculos habens. Sunt loculi non modo pecuniæ, sed propriæ voluntatis. (Id., *Declam.*)

Ratio secunda. — *Ob bona ex mortificatione propriæ voluntatis provenientia.*

Si averteris a Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, etc., *et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui : os enim Domini locutum est.* (*Isa.* lviii, 13, 14.)

Quo pacto Dei voluntatem agnoscere vel prorsus inquirere valebimus, si nobis ipsis crediderimus, et propriam voluntatem firmiter tenuerimus ? Propterea abbas Pastor crebro dicere consueverat : *Murus ferreus est voluntas propria*, qui hominem a *Deo separat atque divellit.* Ac rursus idem dicebat : *Petra repercutiens est voluntas propria :* ac si diceret : petra opposita, et divinæ voluntati repugnans, est voluntas propria : Eam igitur si reliquerit homo, statim dicat : *In Deo meo transgrediar murum, Deus meus, immaculata via ejus.* (*Psal.* xvii, 30.) Præclare quidem. Tunc enim viam Domini nullam habentem maculam quis intuetur, cum propriam reliquerit et abjecerit voluntatem ? (S. Doroth., doctrin. 5.)

Propriæ voluntatis frangendæ seu abscindendæ laboriosum iter ; sed innumeris fructibus plenum. — Si propriam voluntatem quis absciderit, atque abnegaverit, perfacile passiones et affectiones suas domabit, et beatam illam tranquillitatem et impassibilitatem animi possidebit. (Id., doctrin. 1.)

Semper in ore beatus Dorotheus habere consueverat, quod a senioribus nimirum suis acceperat : quicunque voluntatem propriam abscindere festinaverit, ad statum quietis, et tranquillitatem mentis omnino perveniet. (In *Elogio* S. Dorothei conscripto a quodam ejus discipulo, ad ejus sodales, et reperitur initio Oper. ejus.)

Nihil adeo homines juvat, quam ut proprias amputent et abrumpant voluntates. (S. Doroth., doctr. 1, *De obedientia.*)

Mortificatione voluntatum exstirpantur, atque marcescunt vitia universa. (Cassian., lib. iv *Inst.*, c. 43.)

Vera subjectio propter Deum, propriæ voluntatis est mortificatio. (S. Bern., *De ordine vitæ.*)

Qui seipsum Deo tradidit voluntatem propriam immolando, a Deo omne quod poposcerit, consequetur. — In ara conscientiæ victimas voluntatis impone, et infundetur tibi pax. (S. Laurent. Justinian., *De ligno vitæ*, tract. 6 *De obedient.*, c. 3.)

Ratio tertia. — *Ob exemplum Christi.*

Non quæro voluntatem meam. (*Joan.* v, 30.)

Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam. (*Joan.* vi, 38.)

Cum Dominus dixerit : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam...* Quidquid quisque ex propriæ voluntatis arbitrio facit, id cum facientis proprium sit ; alienum est a cultu pietatis, metuendumque est ne de eo quod videtur facere, ipsi dicatur a Domino (*Gen.* iv, 7) : *Ad te conversio ejus, et tu dominaberis ei.* (S. Basil., quæst. 138, *Reg. brev.*)

Si Filius obaudivit, ut faceret Patris voluntatem, quanto magis servus ? (S. Cypr., serm. 6, *in orat. Dom., super hæc verba* (*Luc.* xxii, 42) : « *Non mea voluntas, sed tua fiat.* »)

O Domine, voluntas de qua dixisti ut non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat ? Si bona erat, quare derelicta est ? Et bona erat, et ejus erat : neque minus relinquenda, ob hoc videlicet, ut fieret melior, etc. (S. Bern., serm. 3, *De resurrect.*)

CAPUT X.

De immodestia, seu de exterioris hominis incompositione.

ART. I. — *Quod immodestia, et exterioris hominis incompositio clericis maxime sit vitanda* (10).

Sollicitudo prima ad hoc tendere debet, ut exteriorem hominem debite componat sacerdos, etc. (*Conc. Hildesem.* in *Forma vivendi canonic.*, c. 13.)

Clerici non solum in statu mentis, sed in habitu etiam corporis Deo, complacere studeant, et homi-

(10) *Vid.* part. ii, c. 17.

num aspectum non offendant. (*Synod. Viterbiens.*, ann. 1614, tit. *De vit. et honest. cleric.*, c. 19.)

Nunquam satis clericis inculcari potest, quod ecclesiasticus etiam ordo maxime postulat, ut cum vitæ morumque integritate, illorum externus habitus congruat. (*Synod. Tornac.*, ann. 1643, tit. 25.)

In incessu, statu, ita vos præbete, ut ab ordinibus quem suscepistis, nomine et ratione nullo sane modo discrepetis, proposito vobis beati patris Ambrosii judicio, qui clero ascribi hominem recusavit, propterea quod ejus gestus et incessus dedeceret. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

Nedum morum probitate, sed etiam universo exteriore cultu cæteris modestiæ exemplo sint. (*Conc. Remens.*, ann. 1583, tit. *De clericis in genere.*)

Ideo de ordinandis statuit concilium Mediolanense, ut eum qui in examen venerit, ejus vultus, et habitus corporis, et vestitus, et incessus, et gestus, et sermo inspiciatur diligenter. (*Constit.*, part. III, tit. *De examinandi ratione.*)

Mentis honestati honestus corporis cultus respondeat. Habitus nihil obscenum, nihil leve referens; sitque gravitate referta omnis illorum actio atque oratio. (*Conc. Rem.*, ann. 1583, tit. *De clericis in genere.*)

In modestia maxime tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honesti cura, decoris consideratio spectatur et quæritur. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 43.)

Monemus omnes clericos, ut se ad probatæ et religiosæ vitæ normam ita componant, ut in omnibus actionibus exemplum moderatum, ac religione plenum præ se ferant. (*Synod. Veneta*, ann. 1592, *De vit. et hon. cler.*, c. 27.)

Is qui in sacrum ordinem coaptatus est, nihil petulans ac juvenile agere debet, verum temperantem ubique, ac probe moderatam vitæ rationem præ se ferre. (S. Isidor. Pelus., lib. I, epist. 205.)

O quam compositum reddit omnem corporis statum, nec non mentis habitum disciplina! Cervicem submittit, deponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cohibet cachinnos, moderatur linguam... format incessum. Talibus decet pudicitiæ vestem distingui margaritis. (S. Bonav., *Pharetr.*, lib. IV, c. 9, ex sancto Bernardo.)

ART. II. — *Cur immodestia et exterioris hominis incompositio sit vitanda.*

Sectio prima. — *Quia clerici in bonum exemplum sunt positi.*

Positi sunt in exemplum, tanquam signum ad sagittam; et in gestu, habitu, et incessu maturitatem, et puritatem mentis propalare debent. (*Synod. Pictav.* ann. 1377.)

Cum ea sit sacerdotalis ordinis dignitas, ut aliis videatur dignitatibus prælucere, summa ope sacerdotes niti debent, ut effictam omnium animis tanti muneris dignitatem exempli raritate sustineant, illudque perpetuo reputent, se non sibi solos vivere, sed præclaræ vitæ documenta hominibus aliis debere. (*Conc. Tolosan.*, ann. 1590, part. I, c. 4.)

Elegit eum Dominus in sacerdotem sibi, ut esset in populo ejus ductor et doctor, vitæ speculum, pœnitentiæ forma, et sanctitatis exemplum. (Petr. Bles., epist. 27, *De S. Thoma Cantuar.*)

Quia nihil magis laicos ad divinum cultum et Christianam vitam inducit, quam vita clericorum, in quam tanquam in speculum reliqui convertunt, et fixos tenent oculos, et ab ipsis accipiendo quidquid imitandum habent et observandum. Ea propter ita conforment vitam suam et omnes mores suos, ut in habitu, gestu, incessu, sermone, et omni alia ipsorum actione, nihil nisi grave, moderatum et religione plenum videatur. (*Synod. Parisin.*, ann. 1575, tit. *Clerici*, circa habitum.)

Vita vestra quædam sit linea et velut adamantis signaculum, quod vivendi cæteris adhibeat formam. Adamantinum quippe sigillum suam cæteris imprimit, a nullis vero metallis imaginem sumit. (S. Petr. Dam., *Ad episcop. cardinal.*, lib. II, epist. 1.)

De vita et religione sua unusquisque, tam in conversatione sua, quam etiam in habitu et vultus ac sermonis gravitate, talem se domi forisque, et suis, et extraneis exhibere studeat, et maturitate morum, et repudiatione omnium levitatum ac vanitatum, omnibus sibi adhærentibus seque intuentibus, formam disciplinæ et verecundiæ ac modestiæ infundat. (*Conc. Valentin.*, ann. 855, c. 15.)

Clerici in statu mentis, in habitu corporis Deo et hominibus placere studeant, nec intuentium, quorum forma et exemplum esse debent, offendant aspectum. (*Conc. Lateran.*, ann. 1139, sub Innoc. II, can. 21, q. 4, c. ult.)

In vita vestra legatur quid agi, quid vitari conveniat. (S. Petr. Dam., *Ad episc. cardinal.*, lib. II, epist. 1.)

Sectio secunda. — *Quia mentem incompositam, et hominis interioris statum denotat.*

Per exteriorem hominem interioris hominis vita monstratur. (S. Bern., *De ordine vitæ.*)

Ne corporis et habitus incompositio immaturitatem mentis ostendat, etc. (*Synod. Massens.*, ann. 1586, tit. *De vita et hon. cleric.*, et *Taurin.*, ann. 1514.)

Interior est custodia, quæ ordinata servat exterius membra. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras inconstantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice stabilitatis subsistat. (S. Greg., *Pastor.*, part. III, admonit. 24.)

Ipsa corporis species, simulacrum mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci. (S. Ambros., lib. II *De virgin.*, c. 1.)

Per corporis incompositionem animi inæqualitas innotescit. (*Synod. Torcellana*, ann. 1628, tit. *De vita et hon. cler.*)

Animus in corporis gestu apparet, gestus corporis signum est mentis. (S. Bern., *De modo bene vivendi*, serm. 9.)

Habitus exterior compositus denotat bonum interiorem habitum. (*Synod. Lucensis*, ann. 1625, tit. *De vita et hon. cler.*)

Est etiam ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut contra gravior, et constantior, et maturior æstimatur, etc. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 18.)

Sectio tertia. — *Quia malorum gravissimorum est causa*

Hæc compositio inter simplices et mundanæ vitæ homines maxime est necessaria, quia facillime scandalizantur, quando vel parum clerici ad libertatem extrinsecam declinant. E contra vero quando vident eos mature incedere et timorate conversari, tunc maxime ædificantur, et venerantur eos. (*Conc. Hildes.*, in *Forma vivendi Canonic.*, c. 13.)

Quoniam clerici aliis omnibus tanquam exemplum propositi sunt ad imitandum, adeo ut illa Domini sententia, qua discipulos suos lucem mundi appellavit, de eis non incongrue intelligatur. Oportet maxime, ut non solum mentem interius componant, sed ut exteriori habitu honestatem et modestiam præferant, ne hominibus de externis solum judicantibus scandalo sint, eorumque status et ministerium in contemptum veniant. (*Conc. Mexican.*, ann. 1585, lib. III, tit. 5.)

Affectatæ sordes, et exquisitæ clericorum deliciæ in eorum vestibus, persæpe scandalum pariunt, et laicis obloquendi ansam præstant. (*Synod. Lucens.*, ann. 1571, rubric. 3, *De vit. et hon. cler.*, c. 16.)

Attendant semper presbyteri et clerici in omnibus suis actionibus, eam exhibere modestiam et honestatem, quæ viros religiosos et veros Dei ministros decet, pro certo habentes scandalum, quod clerici laicis præbent, gravissimum esse peccatum. (*Synod. Alatrina*, ann. 1584, constit. 131.)

In te oculi omnium diriguntur. Domus tua et conversatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ. Quidquid feceris id sibi omnes faciendum putant : cave ne committas quod, aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur, aut qui imitari, cogantur delinquere. (S. Hier., epist. 3, *Ad Heliodor.*)

Languescit sæcularium pietas, ubi clericorum vita non splendescit. (*Synod. Venet.*, ann. 1592, *De vita et honest. cleric.*)

Clerici et viri ecclesiastici ita vivant, ut alii, eorum exemplo invitati, eamdem vitæ sanctæ et religiosæ formam sequantur; et præterea ut illud exemplum ita exterius demonstrent, ut non præbeant scandalum, aut murmurandi occasionem. (Joan. Garsias cardinal. vicar. general. Urban. VIII, edict. ex mandato Papæ dato, ann. 1624.)

Inspecto clericorum elato ac superbo habitu seculares scandalizantur, et exinde assumunt exempli perniciem, et inhonestatis signum, unde deberent reperire normam totius condescentiæ, humilitatis et devotionis exemplum : ita quod pereunti populo viam perditionis ostendunt, qui debuerant esse doctores ad vitam. (*Synod. Atrebat.*, tit. *De vita et honest. cleric.*, ann. 1490.)

Animi nitorem et munditiem lucere faciant etiam in exteriori vita et habitu, ne vituperetur ac spernatur ministerium eorum, et in contumeliam Ecclesiæ recidat. (*Synod. Ebroic.*, ann. 1576, tit. *De vita et hon. curatorum et aliorum ecclesiastic.*)

Nonnulli dici æstimant clerum, quasi clarum, a claritate : eo quod sicut rutilat clarus præfulgidæ radio dignitatis, sic etiam clarere debet re et nomine sanctitatis, ne vel vita decolor tenebrescere faciat dignitatem, vel rumor sinister obscuret ingenuam sanctitatem. (Philipp. abbas, *De continent. cleric.*, c. 68.)

Quamvis enim fides et veritas, non ex moribus expendi debeant, sed contra ex fide mores : attamen eorum religio, et doctrina facile contemnuntur, quorum vita despicitur. (*Synod. Ebroic.*, ann. 1576.)

In actibus suis ita errata condemnent, ut amorem innocentiæ conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericorum. (S. Bern., lib. III, *De consid. ult.*)

ART. III. — *Quomodo immodestia et exterioris hominis incompositio sit vitanda.*

Sectio prima. — *Quid generatim fugiendum, et observandum in conversatione.*

Digne Evangelio Christi conversamini. (*Philip.* I, 27.)

Non habet amaritudinem conversatio illius : nec tædium convictus illius. (*Sap.* VIII, 16.)

Sobriam a turbis gravitatem, et seriam vitam, ac singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis. (S. Ambros., lib. I, epist. 6, *Ad Irenæum.*)

Clerici gestu, vultu, habitu et vestitu statum et ordinem suum profiteantur. (*Concil. Camerac.*, ann. 1565, tit. *De vit. et honest. cleric.*, c. 4.)

Eligitur levita, ut specie ipsa gravitatem præferat. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, cap. ult.)

Gravitate actuum et censura vivendi probent se seniores. (*Pontif. Rom.*, in *Ordin. presbyt.*)

Sit gravitate referta omnis illorum actio, et oratio. (*Concil. Remens.*, ann. 1583, cap. *De cleric. in gen.*)

Gravem sacerdotem, sed minime fastuosum et terrificum, sed humanum, et visenda majestate principem, sed omnibus tamen appellandis comem. (S. Chrysost., lib. III *De sacerd.*)

Nec austeritatem suadeo tibi, sed gravitatem. Illa infirmiores fugat : hæc reprimit leviores. Illa si adsit, odibilem; hæc si desit, contemptibilem reddit. In omnibus tamen modus melior, ego nec severius velim, nec dissolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut non de severitate sis oneri, nec de familiaritate contemptui? — Ille convenientior habitus, si tu actu quidem severus sis, vultu serenus, verbo serius. (S. Bern., lib. IV *De consid.*, c. 6.)

Nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, et substractionis a studio materiam subministrat. (S. Thom., opusc. 68.)

Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. (S. Bern., *Formul. honest. vit.*, c. 15.)

Ædifica fratres tuos verbo, actu, vultu, habitu et incessu. Sic te amabilem exhibeas et imitabilem, ut tota conversatio tua ædificet alios ad salutem. (Petr. Bles., epist. 134, *Ad Wilhelmum abbat. S. Mariæ electum.*)

Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare. (S. Cypr., *De Orat. dominic.*)

Sectio secunda. — *Quid vitandum et observandum in locutione.*

§ I. — *Quod et cur modus in locutione præsertim adhibendus.*

Omnis labor hominis in ore ejus. (*Eccle.* vi, 7; *Prov.* xvii, 27.)

Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. (*Prov.* x, 19; xiii, 3.)

Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. (*Prov.* xxi, 23.)

Sicut urbs patens et absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. (*Prov.* xxv, 28; *Eccli.* xxi, 29; *Psal.* iii, 5.)

Verba prudentium statera ponderabuntur. (*Eccli.* xxi, 28.)

Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. (*Matth.* xii, 37.)

Speculum mentis plerumque in verbis refulget. (S. Ambros., lib. i *Offic.*, c. 18.)

Mores omnium lingua ostendit, et qualis sermo ostenditur, talis et animus comprobatur. (S. Isidor. Hispal., *De contemptu mundi.*)

Forma esse debemus cæteris, non solum in opere, sed etiam in sermone. (S. Ambros., lib. ii *Offic.*, c. 19.)

Alliga sermonem tuum. Sit restrictior, et ripis coerceatur. Cito lutum colligit animus superfluitate verborum. Jugum sit in verbis tuis et statera atque mensura. Age ut sit gravitas in sensu, continentia in mente, in sermone pondus, atque in verbis modus. (S. Laurent. Justin., tract. *De ligno vitæ*, tract. 2, *De continentia*, c. 5.)

Magna quædam honestas est in sacerdote temperare linguam. (*Synod. Lingon.*, ann. 1404.)

Qui linguam domuerit, is sapientiæ arcem et principatum tenet. (S. Greg. Naz., *De silentio jejunii.*)

Lingua universitas iniquitatis. — Ignis est. (*Jac.* iii, 6.)

Nullum æque congruum hosti organum in ministerium interitus atque peccati. (S. Chrysost., *Hom. aa baptizand.*)

Nihil majorem hominibus perniciem affert. — Telum promptissimum ac paratissimum. (S. Greg. Naz., *De silentio jejunii sui.*)

Silentium, validum scutum. (*Isa.* xxx, 15.) — Fidissimum stabilitatis fundamentum. (S. Ambros. *in Psal.* xxxviii.)

Cultus justitiæ. (*Isa.* xxxii, 17.)

Omnium virtutum mater, nutrix et custos. (S. Bern., epist. 89.)

Lingua, quæ Christum confessa est, incolumis et pura cum suo honore servanda est. (S. Cypr., epist. 7, *Ad Rogatian. presbyt.*)

Agnoscamus ut in vestitu, victu, risu atque incessu, sic in sermone ac silentio modum quemdam ac decorum tenendum esse, præsertim cum inter tot Dei virtutes et nomina, verbum quoque colamus. (S. Greg. Naz., orat. 33.)

Os tuum os Christi est; non debes, non dico ad detractiones, non dico ad mendacia, sed nec ad otiosos sermones os aperire, quod ad solas laudes Dei, et ad ædificationem proximi debes patulum habere. (S. Anselm., lib. x, medit. 1, cap. 5.)

§ II. — *Quid vitandum et observandum in locutione.*

Punctum I. — Circa verba prolata.

Non mala.

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. (*Ephes.* iv, 29.)

Nec maledicta, nec verba atrocia illo digna ore, quod sacris instructionibus deditum sit. Nihil amarum, nihil durum ea lingua proferat, quæ divinis rebus assueta est. Nihil ex illo ore prodeat crudele, quod Dominico corpore sæpius saginatur. (S. Chrysost., hom. 6, *in II Epist. ad Tim.*, c. ii.)

Obscenitatem verborum, sicut operum exsecretur. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, tit. 21.)

Ne dicteriis, aut mordacibus utatur salibus: neve sacræ Scripturæ verbis ad profanos sermones abutatur. (*Synod. Aquens.*, ann. 1585, tit. *De vita et honest. cleric.*)

Si de omni vel otioso verbo, Deo sunt reddituri rationem; quanto districtius de verbo mendaci, mordaci, injurioso, adulatorio, etc. (S. Bern., *Serm. de triplici custodia manus, linguæ, cordis.*)

Quomodo ex ore sacerdotis oratio ad Deum munda dirigitur, quod videlicet pravi sermonis sordibus inquinatur? Aut quomodo inter Deum et homines lingua mediatrix efficitur, quæ iram judicis et proprio reatu et ipsa meretur? (S. Petr. Damian., *Ad episcop. cardin.*, lib. ii, epist. 1.)

Non scurrilia.

Scurrilitas non nominetur in vobis, quæ ad rem non pertinet, sicut decet sanctos. (*Ephes.* v, 3.)

Cum ab omnibus Christianis, juxta Apostoli documentum, stultiloquium, et scurrilitas sit cavenda, multo magis a sacerdotibus Domini, qui aliis exemplum, et condimentum esse debent. (*Conc. Paris.*, ann. 829, cap. 38.)

Clericum scurrilem, et verbis turpibus jaculatorem ab officio retrahendum. (*Conc. Agathens.* ann. 420.)

Nihil scurriliter, nihil jocose, nihil indecore, nihil

turpiter loquamini. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

Fœdam ac illeberabilem assentationem omnes detestentur. Non sint scurræ, non parasiti, non faceti, non dicaces. (*Conc. Burdig.*, ann. 1583.)

Verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore; procul et ab aure relegandum. (S. BERN., lib. II *De consid.*, c. 13.)

Vitandæ omnes omnino in sermone facetiæ, et scurrilis dicacitas. (S. BASIL., *Constitut.* cap. 13.)

Scurrilitatem ac risus petulantium odio insectare, ne alioqui multos petulantiam ac procacitatem doceas. (S. ISIDOR., lib. I, epist. 119.)

Fœde ad cachinnos moveris; fœdius moves. (S. BERN., lib. II *De consid.*, c. 13.)

Ne quæ ridicula sunt, unde cachinni risusque solutiores exsistunt, loquantur. (*Conc. Mediol.* IV, *De vit. et hon. cleric.*)

Nec profanis sæcularibus ineptiis risum ulla ratione capiant. (*Conc. Burdig.*, ann. 1583.)

Inter stultiloquium et scurrilitatem, apud Paulum hoc interest, quod stultiloquium nihil in se sapiens et corde hominis dignum habet (*Ephes.* V, 4) : scurrilitas vero de prudenti mente descendit; et consulto appetit quædam vel urbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, quam nos jocularitatem alio verbo possemus appellare, ut risum moveat audientibus. Verum et hæc a sanctis viris penitus propellenda, quibus magis convenit flere atque lugere. (S. HIER., *in Epist. ad Ephes.*, lib. III, cap. 5.)

Non nugatoria.

Inter sæculares, nugæ, nugæ sunt; in ore sacerdotis blasphemiæ : interdum tamen si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Magis interveniendum caute et prudenter nugacitati. Prorumpendum sane in serium quid, quod non solum utiliter, sed libenter audiant, et supersedeant otiosis. — Consecrasti os tuum Evangelio : talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt de ore ejus* (*Malach.* II, 7); non nugas profecto, vel fabulas. (S. BERN., lib. II *De considerat.*, c. 13.)

Non sæcularia, aut fabulosa.

Qui de terra est, de terra loquitur. (*Joan.* III, 31.)

Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit : nos ex Deo sumus. (*I Joan.* IV, 5.)

Loquela tua manifestum te facit. (*Matth.* XXVI, 73.)

Lingua ostendit conscientiam (11). Qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur. Ex abundantia enim cordis os loquitur. (S. BERN., *De modo bene vivendi*, serm. 30.)

Imago animi sermo est. Qualis vir talis oratio. (S. MARTIN., episc. Dumiens., *De mor.*)

Mentem enim a Deo mundana colloquia separant. (S. EPHREM., in *Encom. Psal.*)

Quid, quæso, nobis cum fabulis? Ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum accepimus. (S. AMBROS., *Offic.*, lib. I, c. 20.)

Cave a fabulis, et verba vana non loquaris. Sermo vanus index est vanæ conscientiæ. (S. ISIDOR. Hispal., *De contemptu mundi.*)

Vanus sermo facile polluit mentem. (S. LAUR. JUST., *De ligno vitæ*, tract. 2, *De continent.*, c. 5.)

Non otiosa.

Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. (*Matth.* XII, 36.)

Qui otiosum verbum non reprimit, cito ad noxam transit. (S. ISIDOR. Hispal., *De contemptu mundi.*)

Cum ad verba otiosa defluimus, mox et sapor minuitur, et fervor exstinguitur, et intelligentia obscuratur, et mentis ad Deum intentio dissipatur, et cor a bono quod prius habuerat, evacuatur. — Otiosum verbum est, quod aut ratione caret justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis. (S. BONAV., *De profectu*, lib. II, cap. 10.)

Admonendi sunt qui se sacris altaribus ministrare disponunt, ut non modo se ab æstuantium passionum igne custodiant, sed etiam linguam, quæ inter Deum et nos quodammodo mediatrix est, a supervacui sermonis levitate compescant. (PETR. Bles., opusc. 26, *Contra inscitiam et ignor. cler.*, c. 2.)

Sed utilia.

Cum quid locutus es, ea ex ore tuo semper verba prosiliant, quibus et proximum consoleris, et charitatem erga illum tuam magis confirmes. (S. BASIL., *Serm. de abdicat. sæculi.*)

Quid magis non oportet loqui, quam de conversatione optima, adhortatione observationis, disciplinæque custodia. (S. AMBROS. lib. I *Offic.*, c. 22.)

Curare sacerdoti necesse est, quæ singulis dicat, ut quisquis sacerdoti jungitur, quasi e salis tactu, æternæ vitæ sapore condiatur. (S. GREG., hom. 17, *in Evang.*)

Sed sancta, et divina.

Quem misit Deus, verba Dei loquitur. (*Joan.* III, 34.)

Sit sermo de Scripturis maxime. (S. AMBROS., lib. *Offic.*, c. 22.)

Sit conversatio ejus cœlestis, ut jam non loquatur verba hominum, aut sapiat nisi Christum. (PETR. Bles., epist. 15, *Ad Reginald. Carnot. elect.*)

Cujus canticum, Psalmi; sermo, Evangelium; deliciæ, continentia. (S. HIER., epist. 99.)

Interrumpe sermones malitiæ, et intersere aliquid de lege Dei, de canticis Sion, de judiciis cœlestis iræ, de meritis sanctorum, de torrente voluptatis æternæ. (PETR. Bles., *De institut. episc.*, c. 3.)

Cum loqueris, verba tua sint rara, vera, ponde-

(11) *Vid.* supr., t. I, col. 1190

rosa, et de Deo. Si sæcularis loquitur tecum, et vana proponit, quam citius potes, succide sermonem, et transferas te ad ea quæ Dei sunt. (S. Bern., in *Formul. hon. vit. notabili documento.*)

Nunquam in ore tuo nisi pax, nisi castitas, nisi pietas, nisi charitas : nunquam in corde, nisi horum omnium fons Christus habitaverit. — Cui in ore rarior mundus, frequentior Christus. (S. Hilar. Arelat., *De S. Honorato.*)

Punctum II. — Circa tempus loquendi.

Homo sapiens tacebit usque ad tempus. (*Eccli.* xx, 7.)

Lingua discrete frenanda est, non insolubiliter obliganda : scriptum namque est : *Sapiens tacebit usque ad tempus...* Et rursum : *Tempus tacendi et tempus loquendi.* (*Eccle.* iii, 7.) Quod bene Psalmista considerans dicit : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.* (*Psal.* xxxviii, 2.) Non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur, et clauditur, etc. — Discrete quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut, cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat ; aut, cum loqui utiliter potest, semetipsum pigre restringat. (S. Greg., part. iii *Pastor.*, admonit. 15.)

Adolescens, loquere, sed si opus sit : et vix cum bis interrogatus fueris. Sermonem autem tuum paucis in summam redige. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. iii, c. 7.)

Interrogatus autem dico de re necessaria et utili : nam inutilem quæstionem silentium debet solvere. (S. Vincent. Ferrar., *De vit. spirit.*, c. 2.)

Tunc etiam loquaris cum melior est sermo silentio. Taceas, si secus est. (S. Greg. Naz., *De moderat. in disputat. servand.*)

Tacendo enim disces, quod postmodum graviter proferes. (S. Petr. Dam., epist. 114 ; *al.* lib. vi, epist. 26.)

Sapiens, ut loquatur, multa prius considerat. Quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. (S. Ambros., lib. i *Offic.*, c. 10.)

Tempus tacendi et tempus loquendi. Discamus et nos prius non loqui, ut postea ad loquendum ora reseremus... ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. (S. Hier., *in Eccle.*, c. iii.)

Præ cæteris discere debemus tacere, ut possimus loqui. (S. Ambros., lib. i *Offic.*, c. 2.)

Cum me ad considerandum debitum pastoris verbum ac silentium confero, paventi cura perpendo quod valde necesse est, ut et discretus sit in silentio, et utilis in verbo ; ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam, sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium, hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. (S. Greg. Mag., lib. i, *Epist. Ad patriarchas.*)

Utilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. Ergo ubique frenanda lingua, maxime autem in convivio. (S. Bern., lib. iv *De consid.*, c. 6.)

Punctum III. — Circa modum loquendi.

Non præcipitanter, et imprudenter.

Neque elato, neque prolixo, neque præcipiti sermone utere. (*Jac.* i, 19. — S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. ii, c. 7.)

In locutione tria sunt servanda. 1° ut tardus sis ad loquendum ; 2° circumspectus ; 3° brevis. (S. Bonav., *De profect.*, lib. ii, c. 10.)

Sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. (S. Ambros., lib. i *Offic.*, c. 3.)

Sicut eligis quod vescaris : sic elige quod loquaris. (S. Aug., *in psal.* li.)

Graviora sunt verba præcipitationis quam otiosa. (*Eccli.* xxi, 29. — S. Ambros., lib. i *Offic.*, c. 2.)

Omnia verba ante veniant ad limam, quam ad linguam. (S. Aug., apud S. Bonav., *Reg. novit.*, c. 9.)

Perpende quod dicturus es ; examina ; consule interiorem veritatem, et sic profer ad exteriorem auditorem. (S. Aug. *in psal.* xxxviii, 2.)

Lingua imprudentis subversio est ipsius. (*Eccli.* v, 15.)

Non pertinaciter et contentiose.

Non in contentione, et æmulatione. (*Philipp.* ii, 3. — *Rom.* xiii, 13.)

Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? (*I Cor.* iii, 3.)

Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. (*I Cor.* ii, 16.)

Noli contendere verbis. (*Rom.* xiii, 13.) *Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* (*Philipp.* ii, 3 ; *II Tim.* ii, 14.)

Absit vehemens contentio, pro inani verborum victoria. (S. Clem. Alex., lib. ii *Pædag.*, c. 7.)

Absit pertinax in familiari sermone contentio. — Quæstiones enim magis excitare inanes, quam utilitatis aliquid afferre solet. (S. Ambros., lib. i *Offic.*, c. 22.)

Collatio inter Dei servos esse debet, non altercatio. (S. Ambros. *in II Epist ad Timoth.*, ii, 24.)

(Nam) sicut instruere solet collatio, ita contentio destruit. Contentione siquidem destruuntur audientes.

Satius est tacere, quam contradicere, peccatum peccato addendo. (S. Clem. Alex., lib. ii *Pædag.*, c. 7.)

Verbis contendere, est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. (S. Aug., lib. iv *De doctr. Christian.*, c. 28.)

Ubi regnant contentiones, non potest esse vera religio. (S. Bern., *De modo bene vivendi*, serm. 17.)

Manifesta sunt opera carnis quæ sunt...., contentiones. (*Galat.* v, 19, 20.)

Septimum locum inter carnis opera contentio possidet ; quodam quasi sacrato et eminenti inter vitia numero collocata. (S. Hier., *in Epist. ad Galat.*, c. v.)

Contentiosorum studium, non pro veritate, sed pro appetitu laudis certat. (S. Isidor., lib. III *Sentent.*, c. XIV.)

Is qui dum loquitur verbum suum (quamvis illud sit verum), firmare voluerit, sciat se diaboli morbo ægrotare. (S. Joan. Climac., grad. 4, *De obedient.*, c. 3.)

Nunquam pertinaciter aliquid affirmes, vel neges; sed sint tuæ affirmationes, et negationes dubitationis sale conditæ. (S. Bern., *Form. hon. vit. in notabili documento.*)

Colloquamur sine contentione pacati, non mani ac puerili animositate studentes alterutrum vincere, ut Christus potius vincat in cordibus nostris. (S. August., *Posciano, adv. Arianos*, epist. 174.)

Non clamose.

Ipsum vocis sonum libret modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 18.)

Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans, qualem multi gravitatis specie simulare consueverunt, sed formam quamdam et regulam ac succum virilem reservans. — Ut molliculum et infractum, aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo; ita neque agrestem ac rusticum. (Id., *ibid.*, c. 19.)

Temperantiæ est, quod non attollimus immoderatum in collocutionibus sonum. (S. Prosp., lib. III *De vit. contemplat.*, lib. II, c. 19.

Elatus clamor pronuntiationis est res insanissima. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, c. 7.

Est signum superbiæ. (S. Bern., *De interiori domo*, c. 41.)

Quantum clamosus iste sermo non disciplinatis cavendus sit, ipse auctor disciplinæ ostendit, de quo per Isaiam scriptum (XLII, 2) : *Non clamabit, neque accipiet personam, neque audietur foris vox ejus.* (Hugo de S. Victore, *De inst. novit.*, c. 17.)

Ne altiori voce colloquantur. (*Act. Eccl. Mediol., De instit. semin.*, part. III, c. 6.)

Sed affabiliter, et modeste.

Sapiens in verbis seipsum amabilem facit. (*Eccli.* XX, 13.)

Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos. (*Eccli.* VI, 5.)

Favus distillans labia tua sponsa : mel et lac sub lingua tua. (*Cant.* IV, 11.)

Affabilitas sermonis ad conciliandam gratiam valeat plurimum, sed hanc volumus esse sinceram ac sobriam, sine ulla adulatione, ne simplicitatem ac puritatem alloquii dedeceat sermonis adulatio. (S. Ambros., lib. II *Offic.*, c. 19.)

(In loquendo) servandum ne sit aliqua perturbatio, sed tanquam mitis et placidus sermo, et benevolentiæ plenus et gratiæ. (*Ibid.*, lib. I, c. 22.)

Si tempus inciderit ut necessario loquendum sit, aut præstet loqui quam tacere : tunc os tuum apericns cum timore, Dei atque tremore, et, capite demisso, modeste et submissa voce verba facito. (B. Isaias, orat. 27.)

Oratio sit pura, simplex, dilucida atque manifesta, plena gravitatis et ponderis, non affectata elegantia, sed non intermissa gratia. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 22.)

Hilariter, et festive.

Nullus a te tristitiam habeat : nemo a te confusus abscedat. (S. Bern., *De bono vivendi*, serm. 14.)

Cum quid locuturus es, etc., idque adhibita quadam festiva oris hilaritate, ut qui tecum loquatur, per te exhilarari se sentiat. (S. Basil., *Serm. de abdicat. sæculi.*)

Si ad tollendum mœrorem hilariori opus sit sermone, tunc spirituali lepore, et Evangelico simul sale condiri debet oratio, ut interioris sapientiæ gratum foras aspiret odorem, dupliciterque auditorem, et animi relaxatione, et intelligentiæ festivitate delectet. (S. Basil., *Constit.*, c. 13.)

Breviter, et parce.

Neque prolixo unquam sermone est utendum. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 7.)

Vas quod non habuerit operculum nec ligaturam desuper, immundum erit. (*Num.* XIX, 15.)

In multiloquio non deerit peccatum. (*Prov.* X, 19.)

In multis sermonibus invenietur stultitia. (*Eccle.* V, 2.)

Vir linguosus non dirigetur. (*Psal.* CXXXIX, 12.)

Loquacitas, mater est peccati. (Zeno Veron., *Serm. de fide.*)

Ignorantiæ certum argumentum. — Detractationis janua. — Scurrilitatis dux. — Mendacii opifex. — Compunctionis desolatio. — Acediæ auctor sive evocatrix. — Somni præcursor. — Intentæ fixæque cogitationis dissipatio. — Custodiæ exterminatio. — Taciturnitas mater est orationis. — Captivitatis revocatio. — Ignis divini amoris observatio. — Cogitationum diligens inspectio. — Specula hostium. — Carcer luctu. — Memoriæ mortis operatrix. — Judicii indagatrix. — Suppliciorum pictor. — Quietis conjux. — Ambitiosæ doctrinæ adversatrix. — Scientiæ abjectio. — Speculationis opifex. — Secretus in Deum profectus. — Occultus ascensus. (S. Climac., grad. 11.)

Loqui leniter, et sine risu; humiliter, et cum gravitate; vel pauca verba, et rationabilia, gradus est undecimus humilitatis. (S. Bern., *De gradibus humilitat.*)

Quadruplex bonum ex hoc ei proveniet. 1° Cavebit peccatum multiloquii vel vaniloquii; 2° Intellectus ejus interius magis profundabitur et sublimabitur, sicut aqua conclusa, quæ non habet exitum per quem effluat, crescit in altum; 3° Quod loquitur, apud homines magis habetur authenticum, cum sciant eum cum maturitate loqui, et non leviter effundere verba sua; 4° Singularem gloriam meretur in cœlo. — Thesaurus desiderabilis in ore sapientis.

— Sit cautus et parcus in verbis, sicut avarus in nummis. — Avarus pecuniæ et parcus, profunde in abscondito recondit eam, nec profert eam largiendo, nisi pro urgenti necessitate vel utilitate sua, et cavet ne vel obolum superflue effundat. (S. Bonav., lib. II *Prof.*, c. 10.)

Verbulosum adolescentem, et studentem eloquentiæ, cum sapientiæ sit inanis, non aliud quam justitiæ hostem reputes. (S. Bern., lib. XLI *De consid.*, c. 4.)

Locutum fuisse sæpe pœnituit, tacuisse nunquam. (S. Arsenius, in ejus Vita, apud Surium, 19 Jul., ex Metaphr.)

Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, et multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, et ripis suis coerceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. (S. Ambr., lib. I *Offic.*, c. 3.)

Terribilis in interitu suo vir linguosus. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 7.)

Sectio tertia. — *Quid circa vultum et faciem vitandum, et quid observandum.*

Sic sacerdotalem vultum gravitas matura componat, ne rigorem nimium intuentium infirmitas perhorrescat : sic alios hilaritatis nostræ dulcedo permulceat, serenitas nostra sese in petulantiam, vel lasciviam non resolvat. (S. Petr. Damian., lib. II, epist. 1.)

Non sis fastuosus in vultu. (Petr. Bles., epist. 132, *Ad E. abbat. S. Launomari.*)

Sicut ventus dissipat nubes, sic tui vultus austeritas ventum adulationis et venenum detractionis exterminet. (Petr. Bles., *De instit.*, epist. c. 3.)

Cum oscitas, cave os tuum quispiam videat. Comprimente autem a te spiritum tuum, illico pertransiet. (S. Doroth., doct. 19, num. 13.)

Tristitiam dissimulare te decet, quamdam in facie hilaritatem prætendens (*Judith.* XVI, 24) : privatim autem nunquam vultus in diversa mutetur. (S. Bern., *Formula honest. vit.*, c. 6.)

Incedens, stans, et sedens, faciem semper habeto deorsum, revolvens in animo tuo quod pulvis es, et in pulverem reverteris ; et cor sursum, ubi Christus est in dextera Dei Patris sedens. (*Ibid.*, c. 5.)

Sectio quarta. — *Quid circa visum vitandum et observandum* (12).

Sex sunt quæ odit Dominus.... (*Thren.* III, 51.) *Oculos sublimes.* (*Prov.* VI, 16, 17.)

Exaltatio oculorum est dilatatio cordis. (*Prov.* XXI, 4.)

Qui inclinaverit oculos suos, salvabitur. (*Job* XXII, 29.)

Visum fovendo contegat, ne vanitates hauriat. (*Psal.* CXVIII, 37. *Hymn. ad Primam.*)

Ad insanissimas vanitates consecratos semel Deo non debent oculos retorquere. (*Luc.* IX.) Nemo enim mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, etc. (S. Maxim. Taurin. epise., *Serm. in circumcis. Domini.*

Oculis ne vagentur, aut in via rei alicujus inspiciendæ causa consistant. (*Acta Eccles. Mediol., De instit. semin.*, part. III, c. 5.)

Oculis maxime parcendum est ; quoniam melius est labi pedibus quam oculis. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. III, c. 11.)

Nec oculus sine Dei nutu moveatur. (S. Basil., *in psal.* XXXII, 8.)

Non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam a jactu oculi et cogitationis errore, mens Christi corpus confectura sit libera. (S. Hier., *in Epist. ad Tit.*)

Oculis Christum spectaturis (*al.*, spectantibus), nihil aliud dignatus est aspicere. (Id., de S. Joan. Baptista loquens.)

Per oculos cupiditas init prima pugnæ præludia. Ante totum enim corpus corrumpuntur oculi. (S. Clem. Alex., lib. III *Pædag.*, c. 2.)

Ab inordinata evagatione et exaltatione oculos diligenter custodiam, etc. — Levat quidem Propheta oculos, ut petat auxilium ; Dominus ut impendat : tu quoque, si tua vel fratris necessitate, oculos levas, plurimum laudandus : hoc enim excusat miseria, illud commendat misericordia ; sin alias, non Prophetæ, non Domini, sed Dinæ aut Evæ, imo potius Satanæ imitatorem dixerim. (S. Bonav., *Specul. discipl.*, part. I, c. 24.)

Sit vester oculorum aspectus simplex et pudicus. (*Conc. Mediol.* IV, p. III, tit. *Monitiones.*)

Plurimum proficit ad tuitionem castitatis custodia oculorum. (S. Bern., *De ordine vitæ*, c. 2.)

Nec dicatis vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. (S. Aug. 32, quæst. 5, c. *Nec solo.*)

In via quilibet incedat pudicis oculis, cum modestia et gravitate. (*Concil. Basileens.*, ann. 1431, in *appendice*, inter reformationes de supposititis hujus sacr. conc., sub Eugen. IV.)

Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. (*Eccli.* IX, 7.)

Non multum circumspicias in plateis, ne forte videas unde tenteris postmodum, vel ab oratione impediaris, vel phantasias contrahas eorum quæ intente respexisti. (S. Bonav., *De institut.*, c. 35.)

Nihil consideretur curiose in alienis vultibus. (S. Cyprian., *De bono pudicit.*)

Ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt. Et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. (*Eccli.* IX, 8, 9.)

Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. (*Eccle.* IX, 5, 11.)

Semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu solvitur. (S. Greg., lib. XXI *Moral.*, c. 2.)

(12) *Prov.* XVII, 24.

Si etiam ut cum ipsis mulieribus converseris necessitas aliqua te obstringat, oculos humi dejectos habe. (S. Isidor. Pelus., lib. II, epist. 284, *Ad Palladium episc.*)

Ne forte interim, dum tu illius os defixis oculis intueris, suscepto ab hoste et malorum satore libidinis semine, corruptionis postea, ac perditionis manipulos metas. (S. Basil., *Serm. de abdicat. sæculi.*)

Aspectus tuus, aut officiosus, aut demissus, aut cohibitus intra se; oculus tuus sit in capite tuo. — Quaquaversum nulla curiositate, quin potius necessitate aspicias. (S. Bern., *Formula hon. vit.*, c. 15.)

Sectio quinta. — *Quid circa risum fugiendum et observandum.*

Risum reputavi errorem, et gaudio dixi: Quid frustra decipieris? (*Eccle.* II, 2.)

Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit. (*Eccli.* XXI, 23.)

Rides. Dic mihi: Ubi vidisti Christum hoc facientem? Nusquam; sed sæpe quidem tristem. (S Chrysost., hom. 15 *in Epist. ad Hebr.*)

Sacerdos angelus est. Angelus autem risum nescit; Deo cum metu et pavore ministrans. (S. Isidor. Pelus., lib. I, epist. 319.)

Illud quod a plerisque negligitur, non mediocriter caveri ab iis debet, qui colendæ pietati student, ne in risum videlicet præter modum effusi sint: quando quidem non abesse a se incontinentiam significat is, qui profuso nimis petulantique risu teneatur, sese et animi sui motus nequaquam sedatos, ejusque mollitiem ac veluti laxitatem nequaquam ratione severa habere compressam declarat. (S. Basil., *Regul. fus.*, disp. 17.)

Ridere et rideri sæcularibus derelinque: gravitas tuam personam decet. (S. Hier., epist. 8.)

Christus sæpius flevisse legitur, risisse nunquam. (S. Aug., serm. 35, *De sanctis.*)

Risus sanctorum non stulta cachinnatio labiorum, sed rationabile gaudium. (S. Chrysost., hom. 1 *Op. imp. in Matth.*)

Modice rictum deducere, eoque modo animi sui diffusionem leniter significare, non est contra decorum, quatenus illud tantum indicitur quod scriptum est: Cor gaudens exhilarat faciem. (S. Basil., *Reg. fus.*, disp. 17.

Risus petulantiam odio insectare. (S. Isidor., lib. I, epist. 319.)

Risus tuus sit sine cachinno. (S. Basil., *Admonit. ad filium spiritual.*)

Cachinnus præcipue gravitatem plurimum dehonestat. (S. Bonav., I part. *Speculi*, c. 24.)

Fœde ad cachinnos moveris. (S. Bern., lib. II *De consid.*, c. 13.)

Temperantiæ est, quod risum prorumpere non permittimus in cachinnum. (S. Prosp., lib. III *De vita contempl.*, c. 19.)

Si coactus fueris ridere, risus tuus dentibus careat. (S. Doroth., doctr. 19.)

Si quando coram aliis positus ridere alicujus rei gratia fueris compulsus, ut adsolet, non fit risus tuus excussus. (S. Bern., *Formula honestæ vitæ*, c. 6.)

Risus tuus aut indicans lenitatem animi, aut provocans. Rarus tamen. Et ipse sit quidem eductus interdum, effusus nunquam. Sit autem modestus, ut ne levitatis habearis suspectus. (S. Bern., *Formula hon. vit.*, c. 15.)

Animo nostro insitus est risus, ut aliquando relaxetur animus, non ut diffundatur. (S. Chrysost., hom. 15 *in Epist. ad Hebr.*)

Absit a nobis ut irrideamus quemquam, a quo primum incipit contumelia, ex quibus lites, pugnæ, inimicitiæ erumpunt? etc. Propter charitatem convenimus, ne ergo inimicitias irridendo provocemus. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 7.)

Si vero sint nonnulli qui libenter alios irrideant, nobis quidem tacendum est, et verba superflua, sunt tanquam plena pocula a nobis transmittenda: lubricus enim et periculosus est ejusmodi ludus. (S. Clem. Alex., *ibid.*)

Sectio sexta. — *Quid circa incessum fugiendum et observandum.*

In incessu quoque modestia et mentis maturitas appareat. Incondita enim et levis compositio corporis, animi incompositi et male sedati indicium est. (*Conc. Burdig.*, ann. 1583, c. *De vit. et morib. cleric.*)

In incessu, sive domi, sive foris, gravitatem et modestiam præ se ferant. Nec cursitent, vel contentius ambulent, brachia nec jactent. (*Acta Eccl. Mediol., De institut. semin.*, part. III, cap. 5.)

Cum iter faciunt, decorum sacerdotale ipso etiam apparatu conservent. (*Conc. Limens.*, ann. 1583, act. 3, c. 16.)

Et gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen ut studium desit atque affectatio; sed motus sit purus ac simplex. (S. Ambros., *Offic.*, lib. I, c. 18.)

Nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in incessu tuo appareat. (S. Bern., *De modo bene vivendi*, serm. 9.)

Sit præterea incessus tuus maturitate plenus, gravis et honestus: videlicet non fractis gressibus ambules, aut scapulas dextrorsum aut sinistrorsum vergendo, non erecta cervice, non prominente corpore, seu etiam inclinato capite super humerum: quæ omnia aut levitatem redolent, aut elationem ostentant, aut hypocrisim sapiunt. (Id., *Form. hon. vit.*, c. 5.)

Nec cursim ambulare honestum est, nisi cum causa exegerit alicujus periculi, vel justa necessitas. — Sunt etiam qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, et quasi quædam fercula pomparum, et statuarum motus nutantium, ut quotiescunque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 18.)

Incedat sine modulatione gressuum, sine ventila-

tione brachiorum, sine gesticulatione scapularum. (S. Bonav., part. I *Specul.*, c. 10.)

Ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis existimato quam clericos. (S. Hier., epist. 22, *Ad Eustoch.*)

Undante lapsabundi corporis motu, defluentibus in talos vestimentis incedunt, et vagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes, animorum dissolutionem vestigiis sinuosa mobilitate nutantibus, produnt. (S. Prosper., lib II, *De vit. contempl. et act. sacerd.*, c. 4.)

Sectio septima. — *Quid circa gestum, et totum corvoris motum ac statum observandum, et vitandum.*

Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. (*Eccli.* XIX, 26.)

Gestus corporis signum est mentis. (S. Isid. Hispal., *De norm. vivendi*, c. 4.)

Vox quædam est animi, corporis motus. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 18.)

Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior. (Id., lib. II *De virginib.*, loquens de B. Virg. Deip.)

Nihil fucatum placet : motum natura informet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet. — Meministis, filii, quemdam amicum, cum sedulis videretur commendari officiis, hoc solo tamen in clerum a me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret. — Lucet in illorum incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium. (Id., lib. I *Offic.*, c. 18.)

Neque enim mihi boni quidquam significare aut ominari videbantur, cervix non stata, humeri subsultantes, ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens et vagus, furioseque intuens, pedes instabiles et titubantes, nasus contumeliam et contemptum spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes et effrenes, nutus et renutus temerarii, sermo hærens, spiritusque concisus, interrogationes stultæ et præcipites, responsiones nihilohis meliores, aliæ in alias insultantes, nec graves et constantes, nec eruditionis ordine progredientes. (S. Greg. Naz., orat. 2, *cont. Julian.*)

Sedeat sine alterutra injectione pedum : humilem enim et honestum pedes cancelare non decet. (S. Bonav. part. I *Speculi*, c. 19.)

Inter sedendum, cave ne crus alteri superponas, etc. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 7.)

Sedens non pigre in latus reclines te, nec crura longa extendas maxime præsentibus aliis. (S. Bonav., *De instit.*, part. I, c. 20.)

A notabilibus corporis seu membrorum extensionibus, quæ cum oscitationibus vel aliis, non sine quadam inhonestate fieri solent, omnino abstineant. Honesto enim incongruum viro, pigra membra distensione resolvi. — Alium quempiam præter necessitatem ad singulum vel manum accipere, flores, fructus, vel baculum in manu otiose gestare, cingulum inter digitos volvendo rotare, honestati non consonat, imo lasciviæ signum quodammodo prætendit. (S. Bonav., *Specul. discipl.*, part. I, c. 24.)

Sit gravis aspectus, collique conversio, ac motus, et honestus, et decorus, et manuum quoque in loquendo gestus. — Ne manum mento sustentet : illiberale enim est et indecorum seipsam non ferre. — Sibili et digitis expressi soni, quibus accersuntur alii, cum sint defectus rationis indicia, ratione præditis hominibus vitandi sunt. — Aurium quoque fricationes, et sternutamentorum irritationes, sunt suilli, pruritus, et confricationes quæ intemperantiam meditantur. — Tædium et dormitationes, et pendiculationes, et oscitationes, sunt instabilia animæ fastidia. — Ne pedes sæpe permutet, aut sæpe moveatur. Hoc enim signum est levitatis. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 7.)

Sit in ingressu tuo simplicitas, in motu puritas, in gestu gravitas, in incessu honestas, nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in incessu appareat. Non præbeas de te aliis spectaculum. (S. Isidor. Hispal., *De contemptu mundi.*)

Superbia arrogantis viri habitum incessumque deformat ; quales describit Isaias Judææ filius, oculorum micantes nutibus, et alta se cervice jactantes : sunt enim hujusmodi erigentes supercilia, inflato corde, elato pectore, cervice resupina; qui solum quidem vestigiis pedum perstringant, toto autem se librent corpore, et inani se suspendant examine : in priora gressu procedant; ad posteriora verticem reclinantes. Cœlum spectent, terram autem fastidiant, tanquam cervicis dolore suffixi ut eam inclinare non possint. (S. Ambros., *De Noe et arca*, c. 16.)

Sectio octava. — *Quid vitandum et observandum in vestitu et ornatu corporis.*

§ I. — *Cur decens, non immodestus debeat esse clericorum ornatus.*

Clericus professionem suam et habitu et incessu probet. Et ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat. (*Conc. Carthag.* IV, ann. 398, cui interfuit S. August.; refertur, dist. 41, can. *Clericus.*)

Non facit ornatum clericum tenera vestis, sed munditia mentis. (S. Bern., cap. 9, *De modo bene vivendi*, ex S. Hier.)

Etsi habitus non faciat monachum, in clerico tamen magnum indicium est, ut ait Salomon, ejus quod in corde latet. (*Synod. Aleriens.*, ann. 1561, *De corona et habitu.*)

Habitus decentiam vitæ, animique clericalis integritatem ostendit. (*Synod. Concordiens.*, ann. 1587, part. I, tit. *De habitu et vestitu cleric.*)

Sicut accidentia multum conferunt ad cognoscendam rei ipsius quidditatem : ita habitus exterior plurimum confert ad declarandam internam morum

honestatem. (*Synod. Venusin.*, ann. 1589, tit. *De habitu cleric.*)

Clericalis sinceritas, et modestia ecclesiastica non minus ex honesto habitu, quam ex honestis moribus ostenditur ; et talis quis esse præsumitur, qualis ex habitu judicatur. (*Synod. Veron.*, ann. 1542, tit. *De vit. et honest. cleric.*)

Omnis mollities, et ornatus corporis aliena sunt ab ecclesiastico ordine. (*Conc. Nicæn.* II, act. 8, cap. 16.)

Præcipimus quod tam episcopi quam clerici, neque superfluitate, seu inhonestate, varietate colorum, aut scissura vestium, neque in tonsura, intuentium, quorum forma et exemplum esse debent, offendant aspectum : sed potius, ita in suis actibus ea condemnent, ut amorem innocentiæ conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericalis. (Eugen., in *Conc. Remens.*, ann. 1148, can. 21, cap. 21, q. 9, ult.)

Indumenta virtutum habeant interius, et per immoderatum cultum caveant dehonestare religionis dignitatem exterius. (*Conc. Aquisgran.*, c. 129.)

Inter mitratos discurrere calamistratos non decet. (S. Bern., *De consid.*, lib. IV, c. 6.)

Spreta in vestibus forma ecclesiasticæ honestatis, plurimi delectantur esse deformes, et cupiunt laicis conformari : quod mente gerunt, habitu profitentur. (*Conc. Constant.*, sess. 43, *De vit. et honest. cler.*)

Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxata pelle non folleat, etc. (S. Hieron., *De custod. virginit.*, epist. 22, *ad Eustoch.*)

In habitu ornari, non armari appetunt Christi milites; qui, dum se præparare ad prælium, et contra aereas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant, quod utique adversarii valde formidant, in mollitie vestimentorum pacis potius præferentes indicium, ultro se hostibus sine sanguine tradunt inermes. (S. Bern., serm. 4, sup. *Missus est.*)

Exterioris clericorum habitus modestia, signum est et indicium compositionis et ornatus interioris hominis. (*Synod. Aleriens.*, ann. 1571, *De cor. et hab. cleric.* — *Vid.* plura de hac ratione sup., art. 2, sect. 2.)

Quisque sacerdos pro suis facultatibus modeste sese induat, ne scilicet pannosi a plebe contemnantur, neve mollitiem animi et mores incompositos, nimio luxu et dissolutis suis vestibus prodere velle videantur. (*Synod. Valent. et Diens.*, tit. *De vit. et honest. cleric.*, ann. 1558.)

§ II. — *In quo consistat ille decens ornatus : et quid in eo generatim vitandum et observandum* (13).

Punctum I. — Non sit pretiosus aut splendidus.

Ne pomposis induantur exsuviis clerici. Pensandum est namque quantum viris flagitii ascribatur, a quibus curam pastor Ecclesiæ exigit et feminas prohibere, dicens : *Non in veste pretiosa* (*I Tim.* II, 9), quam Dominus ipse vituperans, nobisque cavendum insinuans ait (*Matth.* XI, 8) : *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* (*Conc. Melphitan.*, cui præfuit Urban. II, can. 13, ann. 1090.)

Episcopos vel clericos qui se splendidis et insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet, etc. A superioribus enim usque temporibus, omnis vir sacerdotalis cum moderato et honesto indumento versabatur. Quidquid enim non propter usum, sed ostentatorium ornatum assumitur, in nequitiæ reprehensionem incurrit, ut ait magnus Basilius. (*Conc. Nicæn.* II, act. 8, can. 16, ann. 787 ; ref. 21, q. 4, c. *Omnis.*)

Nemo existimet in cultu atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse, quia, si hoc culpa non esset, nullomodo Joannem Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. (*Conc. Aquisgran.*, sub Ludov. Pio, cap. 122, ex S. Greg.)

Nec vestis tenera clericum facit aut sacerdotem, sed casta mentis intentio. (*Conc. Aquisgran.*, cap. 98, ex S. Hier.)

Elationis habet calumniam quidquid propter venustatem, non propter necessitatem accipitur. (*Conc. Senon.*, ann. 1527, in *Decretis morum*, decret. 23.)

Mollibus vestimentis delectatur regis curia : asperis vero et humilibus delectatur Christi Ecclesia. — In hoc cognoscimus quod sæculum diligimus, quia pretiosa vestimenta amamus. Qui sæculum non diligit, pretiosa vestimenta non quærit. — Sic ait Augustinus de semetipso : « Fateor, de pretiosa veste erubesco. » Et iterum : « Non decet hanc professionem, non decet hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. » (S. Bern., *De modo bene vivendi*, c. 9.) Ut dicit B. Gregorius : « Nemo vestimenta pretiosa quærit, nisi ad inanem gloriam, videlicet ut inde laudetur, et ut honorabilior cæteris appareat : nemo vult pretiosis vestibus indui, nisi ubi ab altis possit videri. »

Orabat sapiens tantum victui suo tribui necessaria, non superflua. *Habentes*, ait Apostolus, *victum et vestitum* (*I Tim.* VI, 8), non victum et ornatum. Et quidam alius sanctus : « Si dederit, » inquit, « mihi Dominus panem ad manducandum, et vestimentum quo operiar, » Nota, quo operiar. Sic ergo et nos contenti simus vestimentis, quibus operiamur : non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus muliercules vel similari, vel placere studeamus. — Sed hoc faciunt, inquis, cum quibus habito : si non facio quod cæteri, de singularitate notabor. Propterea, inquam, exi de medio eorum, ne aut in urbe notabiliter vivas, aut exemplo pereas aliorum. (S. Bern., epist. 2, *Ad Fulc.*)

Plus gaudeas intus in anima de sanctis virtutibus, quam foris in corpore de pretiosis vestibus. — Stude placere Christo non pretiosis vestibus, sed bonis moribus. (Id., *De mond bene vivendi*, c. 9.)

(13) *Vid.* part. IV, *De habit. cleric.*

Punctum II. — Non nimis comptus, sed nec nimis vilis aut neglectus.

In omni vestitu et habitu clericali, nec affectata et immoderata cultus et elegantiæ diligentia ; nec sordes et nimis aojecta incuria appareant. (*Conc. Burdig.*, ann. 1583, sub Greg. XIII, ab eodem approb. et confirm., tit. 21, *De vit. et morib. cleric.*)

Personalis cultus clerici totius, modestam et simplicem redoleat gravitatem, ab omni fastu prorsus ac sordibus alienam. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, *De vit. et honest. cleric.*)

Ne in habitu clericali, aut studiosius exquisita cultus elegantia, aut nimis abjecta negligentia, et affectatæ sordes appareant. (*De concil. Mediol.* I, ann. 1565, sub Pio IV, part. II, *Clericorum vestitu.* Item, *Synod. Venusina*, ann. 1614; *Concordiens.*, ann. 1587; *Castellana*, ann. 1595.)

Caveant ne pannosi, sordidi aut laceri vestibus incedant : neque enim affectatæ sordes, aut exquisitæ deliciæ laudem pariunt, ait Hieronymus. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. *De sacram. ord.*, tit. *De vit. et honest. cleric. in genere.*)

Sordes affectare in vestibus immundi cordis indicium. (*Conc. Rothomag.*, ann. 1581, cap. *De curat.*)

Ne in nimio cultu vanitas, in abjecta incuria rusticitas accusetur. (*Conc. Narbon.* sub Paulo V, ann. 1609, tit. *De vit. et honest. cleric.*, cap. 41.)

Ornatus et sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delicias, alterum redolet gloriam. — Vestis nec satis munda, nec sordida, et nulla diversitate notabilis, ne ad te obviantium turba consistat, ac digito monstreris. (*Synod. Urgellens.*, ex S. Hieron., ann. 1580, tract. 3, *De officiis cleric. erga seipsos*, c. 4.)

Ne in eis deliciæ, vel sordes appareant, quorum alterum animi elationem aut levitatem, alterum avaritiam indicat. (*Synod. Faventin.*, ann. 1569, tit. *De vit. et honest. cleric.*)

Non sint pannosi, seu lacerati, aut alias viles, ne cadant sub illusione plebis. (*Synod. Matiscon.*, ann. 1498, tit. 11, *De vit. et honest. cleric.*)

In clericorum ornatu, vestituque nulla ostentatio, nullus luxus : et contra, nullæ sordes, nulla abjectior negligentia conspiciatur. (*Synod. Amerin.*, ann. 1595, c. 653, *De vestit. et ornat. cleric.*)

Inopiam, etiam clerici, qui ruri degunt, non cultum corporis negligendo ostentent. Non tam enim inde affectatæ parcimoniæ et humilitatis commendationem ferent, quam cupiditatis ac sordium suspicionem incurrent. (*Ibid.*, c. 657, *De clericorum vestitu ruri degentium.*)

Viles et indecentes, ac sordidas fere vestes non deferant, ne operarum locatores potius, quam sacerdotes videantur ! sed illæ honestæ sint, non tamen ad pompam vel delicias paratæ. (*Synod. Spolet*, ann. 1583, tit. *De clericis omnibus.*)

Alios monemus qui sordidius induuntur, quam deccat ordinem sacerdotalem, ut animi nitorem et munditiem relucere faciant, etiam in exteriori vita et habitu. (*Synod. Ebroic.*, ann. 1576, *De vit. et honest. curator. et alior. eccles.*)

Sint omnes clerici, quisque pro suo ordine et gradu, decenter compositi vestibus talaribus, in quibus neque pompa, aut luxus, sed neque etiam affectatæ sordes appareant. Non sint magnificæ, aut pretiosæ vestes, sed neque olidæ aut absoletæ; non niteant, sed neque horreant; non sint pictæ, sed neque incultæ; non sint regiæ, sed neque plebeiæ. Non libenter videmus clericos vestibus concinnatos et perpolitos, sed neque pannosos, sordidos, et quasi atra amictos ferrugine. Detestamur vestes laceras, detritas, tineosas, quæ etiam tetros a longe odores emittunt. Cupimus ut quidquid est in clerico, prius quidem quod intus est, sed et illud quod foris est, sit mundum, nitidum et irreprehensibile. (*Syn. Bisunt.*, circa ann. 1570, c. *De vit. et hon. cleric.*)

Non tam nimiæ elegantiæ, quam sordium et negligentiæ suspicionem vitent. (*Concil. Aquens.*, ann. 1585, tit. *De vit. et honest. cleric.*)

Punctum III. — Sed simplex, communis, non vanitatem redolens, aut novitatem.

Vestes deferant simplices, et nulla vanitate notandas. (*Conc. Cosentin.*, ann. 1579, tit. *De vit. et honest. cleric.*)

Clericorum habitus sit honestus ac decens; non nimium elegans, nimiumve sordidus, sed talis sit, qui ipsorum religioso statui ac piæ vocationi modeste respondens intrinsecam morum honestatem præ se ferat. (*Synod. Castellan. et Hortan.*, ann. 1626, tit. *De vit. et hon. cler.*)

In vestitu clericorum ea modestia ac simplicitas adhibeatur, quam ecclesiasticus ordo requirit. Quare ab ornatu exquisito et studiosa quadam cultus elegantia magnopere abhorreant ; nulla specie vanitatis aut vestimentorum novitate delectentur ? (*Synod. Saxens.*, ann. 1679, tit. *De vit. et honest. cleric.*)

Totus clericalis ornatus vestitusque ostentationem, luxum, et quid novum, inane, exquisitum, sumptuosum est, nesciat. Quibus enim indumentum Christus est, quam omnia parvi facienda et rejicienda sunt, quæ hominem elumbem, effeminatum, et vanitatis captantem arguunt. (*Synod. Nucerin.*, ann 1606, *De vestitu et ornatu cleric.*, c. 3.)

Viris ecclesiasticis præ cæteris habitus decentia et honestas multum convenit. Vestes sint ejusmodi sive colorem, sive materiam, sive artificium spectes, quæ honestæ personæ ecclesiasticæ conveniant. (*Synod. Lugdun.*, ann. 1566, tit. *De vit. et honest. cler.*)

Vestibus utantur non aliqua levitate vel singularitate notandis, sed quæ modestiam clericalem præ se ferant, et animum prodant omnis vanitatis et superbiæ contemptorem. (*Director. Eccles. Colon.*, ann. 1596, tit. *De canonic. vicar., sacerd. et cleric.*)

In clericorum ornatu vestituque nihil novum appetatur, nihil exquisitum, nihil sumptuosum. (*Synod. Amerin.*, ann. 1595, c. 653, *De vestitu atque ornatu cleric.*)

Talia debent esse vestimenta servorum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam et ad vanam gloriam. (S. Bern., *De modo bene vivendi*, c. 9.

Fugiant omnem novitatem habitus et ornamenti. (*Synod. Venusin.*, ann. 1614, tit. *De vit. et honest. cleric.* ; *Synod. Castellan.*, ann. 1595; *Constantiensis*, ann. 1567.)

Habitus clericorum sit decens et honestus, nec nimium elegans, nec sordidus (14). Sed hujusmodi qui ipsorum vocationi et statui respondeat. (*Conc. Avenion.*, ann. 1594 , tit. *De vit. et honest. cleric.*)

Sectio nona. — *Quid observandum in mensa.*

§ I. — *Benedictio.*

Opus est nos et mensam petentes et desistentes, Deo gratias agere. . . (15) Mensa namque ab oratione sumens initium , et in oratione desinens, nunquam deficiet. (S. Chrysost., hom. 79, *Ad pop. Antioch.*)

Non oportet clericos, nisi hymno dicto, comedere panem · et post cibos gratias auctori Deo referre. (Ex *Decret. Martini episcopi Bracharens.*, dist. 44, c. *Non liceat.*)

Initio prandii aut cœnæ, atque etiam in fine, benedictionem et gratiarum actionem ne intermittant. (*Synod. Rothom.*, ann. 1581.)

In benedictione ac gratiarum actione conveniens devotio ac reverentia observetur. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579.)

§ II. — *Lectio sacra.*

Quando presbyteri conveniunt ad aliquod convivium. . . . aliquis de illorum clericis aliquid de sacra Scriptura legat. (*Conc. Nannet.*, c. 11 et 12, dist. 44, c. *Quando.*)

Pro reverentia Dei et sacerdotum , id universa constituit synodus, ut, quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali convivio lectio divinarum Scripturarum immisceatur. Per hoc enim et animæ ædificantur ad bonum, et fabulæ non necessariæ prohibentur. (*Conc. Tolet.* iii, c. 7, dist. 144, c. *Pro reverentia.*)

Quandiu convivatur, potius sacra lectio ante mensam ejus recitetur, quam otiosa a susurronibus resonent verba. (*Conc. Turon.*, sub Carolo, c. 5.)

Recitetur ad mensam sacra lectio, etc., ut non tantum corporali cibo, imo verbi spiritualis alimento, convivantes se refectos gratulentur. (Eusebius Pad., decret. 4.)

Majore multo cum delectatione debemus audire, quæ ad mensam accumbentibus nobis leguntur , quam cum quanta, aut edimus aut bibimus. Idque ut appareat mentem nequaquam distrahi ad corporis voluptates, sed majorem in modum se in verbis Domini oblectare : quod ille faciebat qui dixit (*Psal.* xviii, 11) : *Dulciora super mel et favum.* (S. Basil., *Reg. brev.*, resp. 180.)

Nequaquam totus manduces : sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens suam non negligat. (S. Bern., *Ad fratr. de Monte Dei*, c. 11.)

Quo tempore cibum capiunt, excerpta, aut ex sacris Bibliorum libris, aut sanctorum Patrum homiliis, lectio mensæ nunquam deerit. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, part. iii, c. 5.

Quo pascatur animus cum corpore. (*Synod. Rothomag.*, ann. 1581.)

Et dum corpus edendo reficitur, suæ etiam animæ spiritualis refectio in Domino, ex lectione vel concione, quæ tunc temporis habebitur, præbeatur. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579.)

Tempore prandii et cœnæ, legat unus e suggestu caput aliquod ex sacris Bibliis ; cui addatur pii alicujus libri lectio, quam omnes attente audient, ut, dum corpus cibis alitur, mens nequaquam jejunet otiosa. (*Conc. Burdig.*, ann. 1583, a Greg. XIII approbat., tit. *De legibus semin.*, c. 5.)

Ad ea quæ leguntur, ita diligenter attendant, ut ex his aliquem fructum percipere studeant. (*Act. Eccl. Mediol.*, part. iii, *De instit. semin.*, c. 3.)

Negligit famem corporis, qui pabula lectionis intendit, nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit. Ipsa est enim refectio quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, etc. Ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit, et insidias a nobis diabolicæ tentationis excludit. (S. Ambros., serm. 35.)

§ III. — *Temperantia.*

Oportet moderatis epulis contentum esse sacerdotem, suosque convivas ad comedendum et bibendum non urgere : quin potius sobrietatis præbeat exemplum. (Euseb. Pap., decret. 4.)

Sumptuosis dapibus gravidus, non potest in suis abstinentiam laudare quam calcat. (*Conc. Aquisgr.*, ann. 816, c. 28, ex S. Prosp.

Non fuit in victu in quo potuisset Malachias discerni inter cæteros fratres. (S. Bern., in ejus Vit., c. 19.)

Sic apposita quæque libabat (Nepotianus presbyter), ut et superstitionem fugeret, et continentiam servaret. (S. Hier., *Ad Heliodor.*, epist. 3.)

Tollatur omnino turpis ea consuetudo, qua mutuo se quandoque provocant ad haustus æquales, certantque hac infamia reliquos vincere (16) ? Isaias enim iis exsecrationem denuntiat, qui potentes sunt

(14) Quænam circa vestem clericalem, et totius corporis ornatum servanda sint in particulari , fuse reperies infra, part. iv, tit. *De habitu clericali.*

(15) *Vid.* supr., col 45.

(16) *Vid.* supra cap. *De intemperantia*, ubi plura referuntur de temperantia in mensa servanda , col. 46. Item supr., tit. *De luxu in mensa.*

ad bibendum vinum. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, tit. *De vit. et honest. cleric.*, c. 1.)

§ IV. — *Modestia.*

Ubique frenanda lingua præceps, maxime autem in convivio. (S. Bern., lib. IV *De consid.*, c. 6.)

Frequenter spuere, et violentius excreare, et etiam emungere in convivio vitandum est : non enim sicut bobus et asinis simul est præsepe et sterquilinium. (Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 7.)

Est insipientis, ea quæ publicis epulis apponuntur, valde mirari, ac stupere. — Multo insipientius visum servire pulmentis... Propemodum faciem in ollas injicientes, e sedibus tanquam e nido prospicientes. — Quomodo non est alienum manus condimentis immiscere, vel perpetuo ad obsonium extendere, non gustantium ritu, sed rapientium... suibus vel canibus propter voracitatem similes, potius quam hominibus. — Nec simul edere et bibere convenit : est enim maximæ intemperantiæ. (*Ibid.*, c. 1.)

Modesti est et honesti, et in cibo et in potu, quod minus est eligere, idque tardius et non proclivius, tam in principio quam in intervallis. — Et si in medio multorum fueris, ne ante ipsos manum porrigas... Et quamvis cupientes, non nisi aliquando post porrigere oportet, longa mora intemperantiam fatentes. — Cessa autem primus, disciplinæ gratia. — Qui dentes scalpunt, et ulcera cruentant, et sibi molesti sunt, et invisi proximis. (*Ibid.*, c. 7.)

Removeantur a sacerdotis convivio cuncta turpitudinis argumenta : non ludicra spectacula, non acroamatum vaniloquia, non fatuorum stultiloquia, non scurrilium admittantur præstigiæ. (Euseb., Pap., decret. 4.)

Inter bibendum et edendum memineris te servum esse Dei, et ut illos decet, comede et bibe. (S. Doroth., doctr. 19, num. 11.)

CAPUT XI.

De scandalo (17).

ART. I. — *Quod scandalum maxime in clero vitandum*

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt ; expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. (*Matth.* XVIII, 6.)

Væ homini illi, per quem scandalum venit. (*Philipp.* II, 15. — *Matth.* XVIII, 7.)

Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. (*II Cor.* VI, 3.)

Quia scandalizastis plurimos in lege, propterea ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis. (*Malach.* II, 2.)

Sollicitus sis, tanquam angelus pacis, de regno Dei scandala tollere, et occasiones scandalorum penitus dimovere. (S. Bern., serm. 3, *De adventu.*)

Eleazarus maluit vitam suam tormentis objicere, quam cuiquam magister perditionis exsistere. Et nos, etc. (18). (S. Bonav., lib. III *Pharetr.*, c. 39.)

Deteriores sunt qui sive doctrinis, sive exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt, etc. (S. Isidor., Hispal., lib. III *Sentent.*, *De summo bono*, c. 38.)

ART. II. — *Cur scandalum præcipue in clero vitandum.*

Sectio prima. — *Ob curam boni nominis in clero requisitam.*

Duo sunt, conscientia et fama. Conscientia, oleum in vase ; fama, lumen in lampade. Propter conscientiam ingredimur ; propter famam egredimur. Intus reficimur salute propria : foris reficimus ædificatione aliena. Conscientia irriguum superius ; fama irriguum inferius. Ad conscientiam meditatio ; ad famam prædicatio ; ad conscientiam silentium ; ad famam verbum. Per silentium seminas agrum tuum ; per verbum seminas agrum proximi tui. (Hugo a S. Vict., lib. I *Miscellan.*, tit. 93.)

Vitam nostram et famam sic custodire debemus, ut non erubescant de detractoribus laudatores. (S. Aug., *De vit. et morib. cleric.*, apud *Conc. Aquisgran.*, c. 113.)

Licet clerici non peccent, tamen malæ suspicionis de se præbendo materiam, vitam suam maculis sinistræ opinionis infamant. (S. Prosp., *De vit. contempl.*, lib. II, c. 4.)

Cum prava æstimatio, in quantum sine peccato valet, ab intuentium mente non tegitur, cunctis mala credentibus per exemplum culpa propriatur. Unde et plerumque contingit, ut qui negligenter de se mala opinari permittunt, per semetipsos quidem nulla iniqua faciunt ; sed tamen per eos, qui se imitati fuerint, multiplicius delinquunt. (S. Greg., *Pastor.*, part. III, monit. 36.)

Cave omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devita. — Igitur clericatum non honorem intelligens, sed opus, primam curam habuit, ut humilitate superaret invidiam : deinde ut nullam obsceni in se rumoris fabulam daret, ut qui mordebantur ad ætatem ejus, stuperent ad continentiam. (S. Hier., epist. 3, *Ad Nepotian.*)

Quod si dixeris, et mihi sufficit conscientia mea, habeo Dominum judicem, qui meæ vitæ est testis : non curo quid loquantur homines. Audi Apostolum scribentem (*Rom.* XII, 17) : *Providentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* (Id., epist. 47.)

Propter nos conscientia nostra sufficit nobis ; propter vos fama non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi atque distinguite. Conscientia necessaria est tibi : fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, crudelis est. (S. Aug., *Concil. Aquisgran.*, q. I, c. 12, *Nolo.*)

(17) *Vid.* supr., part. II, cap. 17 ; et part. III, c. 1, art. 2.

(18) Vid. *II Machab.* VI.

SECTIO SECUNDA. — *Ob efficacitatem exempli.*

Quoniam magis oculis quam auribus credunt homines, necesse est ut sacerdos bonum præbeat exemplum, tam in suo vestitu quam in reliquis suis actionibus.—Idcirco S. Chrysostomus, hom. 15 *in Matthæum*, ait : « Quod bona exempla voces edant omni turba clariores. » Neque enim tam considerantur ea, quæ a nobis dicuntur, quam quæ a nobis aguntur. (*Synod. Urgellens.*, ann. 1580, tract. III, *De offic. cleric. erga seipsos*, c. 4.)

Sicut prælati quosque sibi subditos, dignitate et auctoritate præcelluntˌ ita moribus, vita, habitu, et conversationis honestate præcellere debent eosdem; cum eorum vita si sit bona, et amplius si sit mala trahatur a subditis in exemplum. (*I Petr.* II, 12.) (*Constit. conc. Gnesnensis ;* exstat lib. III *Constitut. provinciæ Gnesnens.*, tit. *De vit. et hon. cleric.*)

Neque vel indebilem tincturam pannus, vel fetidum aut suavem odorem res admotæ ita facile contrahunt, vel exsitialis quidam vapor tam facile in aerem diffunditur, ac per aerem animantia occupat, quod quidem pestis et est, et appellatur, quam subditi antistitis improbitate celerrime impleri solent. (S. GREG. Naz., orat. 1, *Apologet.*)

SECTIO TERTIA. — *Ob mala scandali.*

§ I. — *Deum offendit.*

Non solum corrigetis orbem recte sancteque vivendo, verum etiam glorificare Deum ex vestra conversatione facitis : quemadmodum si contraria gesseritis, et homines perdetis profecto, et Dei nomen blasphemiis offendetis. (S. CHRYSOST., *in hæc verba Matth.*, v, 13 : « *Vos estis sal terræ*, » hom. 15.)

Nullum, puto, ab aliis majus præjudicium tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. (ID., hom. 17 *in Evang.*)

Plurimi considerantes clerici sceleratam vitam ex hoc vacillantes, imo multoties deficientes in fide, non credunt quod illa quæ de nostra fide sunt scripta, sint vera; sed scripta fuerint non Dei spiramine, sed humana et deceptoria inventione, clavium virtutem non credunt, ecclesiastica sacramenta despiciunt, animam esse non putant, virtutes non reputant, non horrent inferos, cœlestia minime concupiscunt; sed transitoriis cordialiter adhærentes, hoc sæculum sibi statuunt paradisum. (S. BERN. Sen., *De* XII *pœnit. imped.*, serm. 19, *in fer. secunda, post Dom.* II *Quadr.*, art. 2, c. I, t. I.)

§ II. — *Christum persequitur.*

Videte ne conscientia vestra offendiculum fiat infirmis. Peccantes enim in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. (*I Cor.* VIII, 10 seq.)

Si Dominus proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem sustinere ab eo persecutionem, qui suggestione mala, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas quas redemit, quam ab illo qui sanguinem suum fudit? — Is qui exemplo suo ad remissius agendum cæteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua et murmuratione molestat, aut quocunque modo contristat Spiritum Dei qui est in eis, scandalizans unum de minimis istis credentibus in eum, nonne et hic manifeste persequitur Christum. — Agnoscite, dilectissimi, et expavescite consortia eorum qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt. (S. BERN., serm. 1, *in Convers. S. Pauli.*)

Herodiana malitia et Babylonica crudelitas est, nascentem velle exstinguere religionem, et allidere parvulos Israelis. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicunque resistit, quicunque repugnat, plane cum Egyptiis parvulos Israelitici germinis necare conatur, imo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem. (ID., serm. 3, *in Epiphan.*)

§ III. — *Proximum occidit.*

Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, etc. (*Levit.* IV, 3.)

Scire prælati debent, quia, si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. — Unde necesse est ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava faciunt, non soli moriuntur, sed aliarum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt. (S. GREG., *Pastor.*, part. III, admonit. 5.)

Qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum a quo attenditur, occidit. (S. AUG., *De pastor.*, c. 4; apud S. Bonavent., lib. III *Pharetr.*, c. 39.)

Subditos perversa imitatione corrumpit. Quid enim faciet laicus simplex, nisi quod patrem suum spiritualem viderit facientem? (PETR. Bles., serm. 57, *Ad sacerdot., in Levit.* II, 11.)

Capite languente, cætera corporis membra inficiuntur. Unde et scriptum est : *Omne caput languidum, a planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.* (*Isa.* I, 5, 6.) Caput enim languidum, est doctor agens peccatum, cujus malum ad corpus pervenit, dum eo vel peccante, vel prave docente, pestifer languor ad plebem subditam transit. (S. ISIDOR., lib. III *Sentent. de summo bono*, c. 3.)

§ IV. — *Omnia perdit.*

Vita, etsi recta valde fuerit, scandalum aliis præbens, omnes perdit. (S. CHRYSOST., *in Joan.*, apud S. Bonav., lib. III *Pharetr.*, c. 39

Libenter carebo quantolibet etiam spirituali quæstu, qui non possit acquiri nisi cum scandalo. Ubi enim scandalum, ibi procul dubio charitatis est detrimentum : ubi autem diminutio charitatis, miror quod vel quale possit spiritalis exercitii sperari lu-

crum. (S. Bern., epist. 82, *Ad abbat. S. Joan. Car not.*)

Si ei qui unum aliquem duntaxat offenderit, expedit ut mola asinaria suspendatur a collo ipsius, ac demergatur in profundum maris. (*Matth.* xviii, 6.) Qui non unum, non duos, non tres tantum, sed tam multos etiam populos perdiderint, illis quid tandem fiet? (S. Chrysost., lib. vi *De sacerdot.*)

Clerici vita omnium oculis sic exposita est, ut inde bene vel male vivendi exempla duci soleant : ex quo ut vitiosi principes, sic flagitiosi sacerdotes perniciose de republica merentur; quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, neque solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent. Præterquam quod efficiunt, ut ipsorum dignitas odio ac contemptui apud impium vel malitiosum genus habeatur. Ideo clerici ab omni vitiorum turpitudine longe abesse debent, etc. (*Conc. Burdig.*, ann. 1583, *De vit. et morib. cleric.*, c. 21.)

ART. III. — *Remedia scandali.*

Omnia agamus, ne scandalizetur proximus (S. Chrysost.; apud S. Bonav., lib. iii *Pharetr.*, c. 39.)

In quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. (S. Greg., *sup. Ezech.*, hom. 7; apud S. Bonav., *Pharetr.*, lib. iii, c. 39.)

Regula Hieronymi est talis : omne quod potest fieri, vel non fieri, salva triplici veritate, omittendum est propter scandalum. Non est autem omittenda veritas vitæ, doctrinæ, justitiæ, propter scandalum evitandum. Veritas vitæ pertinet ad omnes, comprehendens præcepta, prohibita, et consilia. Veritas doctrinæ pertinet ad prædicatores et magistros. Veritas justitiæ pertinet ad prælatos, comprehendens duas partes justitiæ, scilicet severitatem in puniendo malos et reos; et liberalitatem in sustinendo justos. (S. Bonavent. *Centiloq.*, part. i, c. 31.)

Constat ubi veritas, et veritas necessaria in causa non est, nec licite scandalum quodlibet posse a quolibet committi, nec juste præcipi, nec innoxie consentiri. (Bern., epist. 7, *ad Adam.*)

Cum carpuntur vitia, et inde scandalum oritur, ipsi sibi scandali causa est, qui fecit quod argui debeat, non ille qui arguit. (S. Bern., epist. 78, *Ad Guillelm.* abbat.; apud S. Bonav., lib. iii *Pharetr.*, c. 39.)

Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denuntiat, quoniam væ homini per quem scandalum venit (19). (S. Bern., serm. 9 *in Cant.*)

—

(19) Vid. plura de scandalo, part. vi, tit. *Peccata sacerdotum monstra.*

CAPUT XII.

De otiositate et otio.

ART. I. — *Quid sit otiositas et otium* (20).

Malitiæ pars. — imo non pars, sed causa et mala radix. — Omnem malitiam docuit. (S. Chrysost., hom. 16 *in Epist. ad Ephes.*)

Mater nugarum. — Noverca virtutum. (S. Bern., *De consid.*, lib. ii, c. 13.)

Deo et hominibus inutilem reddit. (S. Laur. Just., *De discip. et perfect.*, c. 14.)

Omnium tentationum et cogitationum malarum et inutilium sentina. — Summa mentis malitia. (S. Bern., *Ad fratr. de Monte Dei* tract. *De vit. solitar.*, c. 8.)

ART. II. — *Quod vitanda otiositas præsertim in clero*

Cum Apostolus victu (*II Thess.* iii, 10), aeoeque ipsa vita indignos judicet homines otiosos, qui panem non labore suo partum cum gravamine aliorum edunt, quanto graviori indignationi divinæ eos subjacere putandum est, qui census Ecclesiæ, sanctorum martyrum patrimonia, et donaria piæ plebis ad divini ministerii sustentationem collata otiose absumunt, pro iis debita ipsis Ecclesiis obsequia rependere non curantes. (*Concil. Mogunt.*, ann. 1549, *Capitul. ad mores pertinentia.*, tit. 72.)

Quomodo non omnes talem (otiosum) condemnabunt, et amici, et domestici, et cognati. Quis autem non juste dicet? Onus hic terræ; frustra advenit in mundum talis; imo non frustra, sed in malum sui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum. (S. Chrys., hom. 35 *in Act.*)

Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis. (S. Aug., epist. 81.)

Millia millium ministrant Deo. (*Dan.* vii, 10.) Decies centena millia eidem assistunt... O ingrate piger? an ignoras, quod agrorum cultores, artifices mechanici, terræ negotiatores, populorum judices, provinciarum duces, gentium reges, omneque genus hominum utriusque sexus et cujuscunque conditionis, ad tuum sunt quodammodo deputati obsequium... Cur illis laborantibus et tibi ministrantibus tu dies vitæ tuæ inutiliter transis. (S. Laurent. Justin., *De discip. et perfect.*, c. 14.)

ART. III. — *Cur vitanda otiositas maxime in clero?*

Sectio prima. — *Quia omnium tentationum et vitiorum est causa.*

Multam malitiam docuit otiositas. (*Eccli.* xxxiii, 29.)

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, etc., *otium ejus et filiarum ejus, et fecerunt abominationes coram me.* (*Ezech.* xvi, 49, 50.) Hæc Ezech. verba,

(20) *Vid.* plura, part. vii, c. 1, *Clerus est status laboris, non otii.*

pro clericis referuntur a *Concil. Colon.*, ann. 1536, part. I, c. 21

Per agrum hominis pigri transivi, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ. (*Prov.* XXIV, 30.) Quia in corde negligentium prurientia terrena desideria et punctiones pullulant vitiorum; quippe quia scriptum est: *In desideriis est omnis otiosus.* (*Prov.* XXI, 23.—S. GREG., lib. XX, *Moral.*, cap. 20.)

De hoc inertiæ morbo Salomon ita commemorat: viæ nihil operantium stratæ sunt spinis, id est, vitiis, quæ de otio pullulant. (CASSIAN., lib. X *Instit.*, c. 21.)

Nihil boni facere, hoc ipsum est malum facere. (S. CHRYSOST., hom. 16 *in Epist. ad Ephes.*)

Quin Dominus ipse pigritiam cum malitia conjunxit, cum dixit (*Matth.* XXV, 26) : *Serve male et piger.* (S. BASIL., *Reg. fus.*, c. 37.)

David, Salomon, Samson in occupationibus sancti, initio perierunt. (S. AUG., *Ad frat. eremi*, serm. 17.)

Hæc apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita est sententia : operantem monachum dæmone uno pulsari; otiosum vero innumeris spiritibus devastari. (CASSIAN., lib. X *Institut.*, c. 23.)

Luxuria cito decipit hominem otiosum, hominem vagantem. Gravius urit quem otiosum invenit. (S. BERN., *De modo bene vivendi*, serm. 51.)

Fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incommodis : remissas excubias callidus insidiator irrumpit : assueto autem bello virum hostiaria fraus instruit, et gloriosæ provehit palma victoriæ. (S. BERN. Sen., *De fidei nobilitate*, tom. I, serm. 4, art. 2, c. ex S. Ambros., *in psal.* CXVIII.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia gratiarum et virtutum corruptio.*

Fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incommodis... Pax fidei corruptelæ materia est. Tentant otia, quos bella non fregerant : periculosa et pacis otia. (S. AMBROS., *in psal.* CXVIII, serm. 11.)

De otiosi paupertate scribitur : et vestietur concisa veste omnis somniculosus. Sine dubio enim non merebitur illo incorruptionis vestimento ornari, de quo Apostolus præcipit : *Induite vos Dominum Jesum Christum.* (*Rom.* XIII, 14.) Et iterum : *Induti lorica justitiæ et charitatis.* (*Ephes.* VI, 14.) (CASSIAN., lib. X *Institut.*, c. 21.)

Apud ignavos nulla sunt insignia virtutis; apud sapientes prima habentur. Studia enim virtutis quædam instrumenta sunt. Itaque sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus. (S. AMBROS., lib. I *De Cain et Abel*, c. 4.)

Effeminari otio, et torpere pigritia, nihil aliud est, quam suffocare virtutem, nutrire superbiam, viamque construere ad gehennam. (PETR. BLES., epist. 9, *Ad quemdam ludi litterarii desertorem.*)

SECTIO TERTIA. — *Quia meritorum, et totius boni exinanitio.*

Qui scrutatur otium, replebitur paupertate (*Prov.* XXVIII juxt. LXX) : vel visibili scilicet, vel invisibili, qua necesse est otiosum quemque, et diversis vitiis involutum teneri, et alienum semper exsistere a contemplatione Dei, vel divitiis spiritualibus. (CASSIAN., lib. X *Instit.*, c. 21.)

Non otio, non somno merces paratur. Nullum opus dormientis est. Nullus fructus otii, imo magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionem. (S. AMBROS., epist. 81, *ad Vercell.*)

Amor Dei nunquam est otiosus... Regnum Dei non dabitur otiosis, sed in servitio Dei studiosis. Non dabitur vagantibus, sed pro Dei digne laborantibus. (S. BERN., *De modo bene vivendi*, c. 5.)

Otiositas inimica est animæ. Si non legis, si non studueris, dormitabit anima tua præ tædio, et hostes tui animæ tuæ sabbata deridebunt. (PETR. BLES., *De institut. episc.*)

SECTIO QUARTA. — *Quia suppliciorum et damnationis origo.*

Succidite illam : ut quid etiam terram occupat? (*Luc.* XIII, 7, De ficu infructuosa.)

Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores. (*Matth.* XXV, 30.)

Dicas enim velim : Si famulum haberes, qui etsi nec furaretur, nec conviciaretur, nec contradiceret, imo nec inebriaretur, nec reliquorum malorum quidquam designaret; sederet tamen perpetuo otiosus, nec aliquid eorum, quæ servus hero præstare debet, faceret, non flagellares eum ut perversum? (S. CHRYSOST., hom. 16 *In epist. ad Ephes.*)

In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur (*Psal.* LXXII, 5) : ideo tenuit eos superbia, ne humilientur ad pœnitentiam, sed damnentur propter superbiam, cum superbo diabolo et angelis ejus. Nam qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum profecto erunt, dicente judice (*Matth.* XXV, 41) : *Ite, maledicti*, etc. (S. BERN., serm. 23, *in Cant.*)

De his dicitur : *In labore hominum non sunt*, etc. Procul dubio qui non flagellantur temporaliter cum hominibus, in perpetuum flagellabuntur cum dæmonibus : et qui cum hominibus non laborant, cum dæmonibus laborabunt. (PETR. BLES., epist. 9. *Ad quemdam ludi litter. desertorem.*)

ART. IV. — *Remedia otiositatis.*

Nullum tempus feriatum habeas, sed semper aut orationi, aut lectioni, aut alii honestatis studio te impendas. (PETR. BLES., *De instit. episc.*)

Facito aliquid boni operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. (S. HIER., *Ad Rusticum*, epist. 4, *De consecrat.*, dist. 5 : *Nunquam.*)

Et si sapiens hortatur sapientiam scribi in otio, cavendum et in otio otium est. (S. BERN., lib. II *De consid.*, c. 13.)

Cur non illa tempora, quibus ab ecclesia vacas,

lectioni impendas? Cur non Christum revisas? Christum alloquaris? Christum audias? Illum alloquimur cum oramus : illum audimus cum divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Una est domus quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 20.)

Licet sæcularia opera conquiescant, non otiosus tamen boni operis actus est, in Dei laude requiescere. (Id., lib. V *in Luc.*)

Quidquid temporis a divinis officiis, ab orationis contemplationisque exercitatione, ab ecclesiasticis functionibus, et ab aliis necessariis actionibus vacuum habetis, non in otio neque in desidia, nec vero in rerum novarum curiositatibus illud conterite; sed cum in sorte Domini vocati estis, in ejus lege die ac nocte meditemini. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

Pro vitando otio otiosa sectari ridiculum est. Otiosum est, quod nullam habet utilitatem, vel utilitatis intentionem. (S. Bern., *De vita solitar.*)

Illud unusquisque clericus sæpe repetat, se non ad inertiam atque ignaviam, sed ad spiritalis et ecclesiasticæ militiæ labores, vocatum esse. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *De vit. et hon. cleric.*)

CAPUT XIII.

De negligentia.

Malorum omnium prima parens incuria. (S. Bern., lib. III *De consid.*, c. 5.)

Tria sunt vitia quibus frequenter diverse sacerdotes delinquunt : cupiditas, incontinentia, negligentia. Cupiditate peccant, qui pro obtinendis temporalibus commodis divina officia celebrant, in quorum intentione non est amor Dei, sed temporalis lucri... Secundum autem vitium incontinentiæ, quanto odio insequatur Apostolus, docendo (*I Cor.* III, 17) quod violatorem templi Dei disperdet Deus, notum est. Hæc vero duo vitia præter tertium, id est negligentiam, accidunt, cum ita sunt in subditis et in se negligentes, ut non suscitentur ad custodiam Sion, et ad depascendam terram Assur in gladio. (Hugo a S. Victor., cod. 2, *Miscellan.*, lib. IV, tit. 83.)

Nihil non faciunt ad gratiam, dormire cupiunt : velut ad quietem, accedunt ad negotium. (S. Chrysost., hom. 3 *in Act.*)

Dominus est præsentior diligentibus, negligentibus abest. (S. Amb., lib. IX *in Luc.* XX.)

Cum dormirent homines, venit inimicus homo, et superseminavit zizania. (*Matth.* XIII, 25.)

Cum negligentius agerent præpositi Ecclesiæ, venit diabolus, et superseminavit eos, quos malos filios .Dominus interpretatur. (S. August., *Quæst. evang. in Matth.*, cap. I, quæst. 11.)

Propter negligentiam sacerdotum, hodie hæreses pullulaverunt innumeræ et perniciosæ, etc. (Petr. Bles., serm. 60, *Ad sacerdot.*, in synod.)

In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. (*Eccle.* X, 8.) Omnis contignatio, quæ debet culmen portare in sublime, ad terram corruens, habitatorem suum opprimit. Cumque auxilium manuum virtutumque torpuerit, omnes desuper tempestates et nimborum ad nos turba prorumpit. Porro quod in homine uno interpretati sumus, melius potest super Ecclesia accipi; quod per negligentiam principum, omnis ejus corruat altitudo, et ibi vitiorum illecebræ sint, ubi tegmen putabatur esse virtutum. (S. Hier. *in hunc loc. Eccles.*)

Tunc Christianorum ministerium vituperatur, servitus nostra despicitur, quando ea quæ Christi sunt, despicimus, et opere adimplere negligimus. (S. Aug., *Ad fratr. erem.*, serm. 37.)

Si, quod absit, ecclesiasticam sollicitudinem vigoremque negligimus, perdidit desidia disciplinam, et animabus profecto fidelium nocetur, dum talia a suis pastoribus exempla suscipiunt. (S. Greg., lib. XII, epist. 11, *Julian. Scribon.*)

Ne dederis oculis tuis somnum, nec dormitent palpebræ tuæ. (*Prov.* VI, 4.) Palpebræ dormitant, cum cogitationes nostræ, ea quæ id subditis arguenda cognoscunt, pigredine deprimente, dissimulant. (S. Greg., *Pastor.*, part. III, admonit. 5.)

Sollicitudine non pigri. (*Rom.* XII, 11.) Hoc est quod dicit propheta Jeremias, quia *maledictus qui facit opera Domini negligenter.* (*Jerem.* XLVIII, 10.) Piger enim in conversatione divina sine spe est. (S. Ambros. *in Epist. ad Rom.*, c. XII.)

Negligentes Deus deserere consuevit. (Id., *in psal.* CXVIII, octon. 10.)

Si negligenter et indevote aliquid agitur, ad effectum non pervenit, quia in reprehensionem cadit. (Id., *in Epist. ad Philipp.*, c. II.)

Remissio, et incuria, atque desidia, otium et cessatio, enervant et emolliunt animam atque dissipant. (S. Doroth., doctr. 13.)

Inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores. (S. Bern., *De consid.*, lib. IV, c. 5.)

Longe graviori et periculosiori debito tenentur stricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix, quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Dominus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod et portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? etc. (S. Bern., serm. 3, *De adventu Dom.*)

PARS QUARTA.

DE PRÆCIPUIS AD ECCLESIASTICAM PERFECTIONEM ACQUIRENDAM MEDIIS.

CAPUT PRIMUM.

De continuo clericorum profectu.

ART. I. — *Quod omnibus et maxime clericis semper proficiendum.*

Ibunt de virtute in virtutem (21). (*Psal.* LXXXIII, 8.)

Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem. (*Prov.* IV, 18.)

Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. (*Ezech.* I, 9.)

Præfecti vel antistitis vitium esse existimet, novas subinde virtutum accessiones non facere. (S. GREG. Naz., orat. 1, n. 29.)

Nullum ascensus et deificationis modum agnoscunt. (ID., *in Julianum*, orat. 3, n. 66.)

Non in virtute proficere, nec ex veteribus subinde novos fieri, sed in eodem statu hærere in vitio ponimus. (*Ibid.*, n. 125, in fin.)

In dies melior et perfectior fiat, nec unquam se ad perfectionis metam pervenisse sibi persuadeat; ea enim vere perfectio est, ut qui augetur in melius, nunquam consistat, neque terminis illis perfectionem existimet esse inclusam. (S. GREG. Nyss., *Orat. de perfect. Christ. forma*, in fin.)

Beati qui non sibi de præterita justitia blandientes, secundum Apostolum, per dies singulos in virtute renovantur, justitia enim non proderit ei a quo die justus esse desierit, etc. (S. HIER., *Ad Celantiam.*)

Non nobis sufficit velle justitiam, nisi justitiæ patiamur famem, ut nunquam nos satis justos sed semper esurire justitiæ opera intelligamus. (ID., *in hæc Matth. verba* (v, 6): « *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* »

Quantumcunque hic vixerimus, quantumcunque hic profecerimus; nemo dicat : Sufficit mihi, justus sum; qui dixerit, remansit in via, non novit pervenire; ubi dixerit : Sufficit, ibi hæsit. (S. AUG., in psal. LXIX, sub fin.)

Sancti cum incedunt minime revertuntur... quasi per quamdam viam eis incedere, est mente ire semper ad meliora. (S. GREG., *in hæc verba Ezech.* I, 9, hom. 3; *in Ezech.* post med.)

Discipulus proficiens, gloria est magistri, et quisquis in schola Christi non proficit, ejus magisterio indignus est. (S. BERN., epist. 341, *Ad monachos Eccles. S. Bertini*, init.)

Frequens est aliquem invenire, qui primum suæ promotionis animum dedicet sanctitatis; cumque in sua novitate sit factus agnus, inveteratus aliquot dierum fit rapacissimus lupus; de tali scriptum est (*Isa.* XVIII, 5) : *Ante messem totus effloruit*, et immatura perfectio germinabit. Et de eodem (*Isa.* LXV, 21) : *Si fructum fecerit, alii comedent ex eo.* (PETR. Bles., *De instit. episcop.*, circ. med.)

Ad spiritale regimen, sicut decet, explendum, opus est habere spiritualis profectus æstuantem affectum. (S. LAURENT. JUSTINIAN., *De reg. prælat.*, c. 6, n. 4.)

ART. II. — *Cur semper proficiendum.*

SECTIO PRIMA. — *Ob exemplum Christi.*

Jesus proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines. (*Luc.*, II, 52.)

In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos (*Matth.* XIX, 28), etc. Consequimini, ait, quem sequimini, ut cum ipse sederit, et vos pariter sedeatis; quando, enim, ille resedit in mundo? Quando substitit? Quando reclinavit caput?— *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 6.) *Beneficiendo pertransiit* (*Act.* X, 38.) Quippe nec nidum nec foveam, nec locum habens in diversorio, donec opere tandem, quod susceperat, consummato, sedendi præceptum mereretur accipere, et diceret *Dominus Domino meo, Sede a dextris meis.* (*Psal.* CIX, 1.) Insipiens tu, qui præsidere eligis quam confidere, quærens in itinere diverticula. — Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ille salit in montibus, transilit colles. (S. BERN. *Declam.*, c. 13; seu GAUFRID., abbas Claravallensis.)

Ipse hominis sæculique auctor quandiu in terris visus est, et in terris conversatus est, nunquid stetit? Et quidem teste Scriptura : *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes.* (*Act.* X, 38.) Pertransiit ergo sicut non infructuose, ita non remisse, non pigre, non lento gradu, sed quemamodum, de eo scriptum est : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 6); porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit; et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat (*I Cor.* IX, 24) : *Sic currite, ut comprehendatis.* — Ibi tu, Christiane, fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. *Factus est*, inquit, *obediens usque ad mortem* (*Philip.* II, 8), quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis. Bravium Christus est. Quod

(21) *Vide* part. I, c. 2, *De sanctitate cleri*, et præcipue totum art. 2.

si illo currente tu gradum sistis ; non Christo appropias, sed te magis elongas, timendumque tibi est, quod ait David : *Ecce qui elongant se a te, peribunt.* (*Psal.* LXXII, 27.) (S. BERN., epist. 253, *Ad Guarin. abbat.*, post med.)

Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. (*I Joan.* II, 6.) *Jesus* enim, ut ait Evangelista, *crescebat et proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum et apud homines.* (*Luc.* II, 52.) Ille non restitit ergo, sed *exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 6); et nos quoque, si non desipimus, curremus post eum, trahemur in odorem unguentorum illius ; alioquin si elongari contigerit, erit pigritanti animæ et laboriosior et periculosior via, dum nec odore recreari, nec certa possit agnoscere vestigia longius abeuntis. (ID., epist. 341.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia in virtutis via non progredi, regredi est.*

Necesse est ut secundum Apostolum, aut renovatus quis spiritu mentis suæ per singulos dies proficiat, aut si neglexerit, consequens est, ut retro redeat, atque in deterius relabatur. — In uno eodemque statu mens manere non prævalet, id est, ut nec augmenta virtutum capiat, nec detrimenta sustineat; non acquisiisse enim ejus minuisse est, quia desinens proficiendi appetitus non aberit a periculo recedendi. (THEODOR., apud Cassian., collat. 6, c. 14.)

Impossibile est animam in eodem statu permanere, sed promovetur semper sive in bono, sive in malo. (S. DOROTH., doctrin. 12, post. med.)

Ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est, pugnat, hinc est enim quod per Salomonem dicitur (*Prov.* XVIII, 9) : *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* — In hoc mundo humana anima quasi more navis est contra ictum fluminis conscendentis, uno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. (S. GREG., *Pastor.*, part. III, c. 1, admonit. 35, post med.)

Si proficere, currere est, ubi proficere, ibi currere desinis, ubi vero non currere, ubi et deficere incipis; hinc plane colligit, quia nolle proficere, nonnisi deficere est. (S. BERN., epist. 254, *Ad abb. Guarinum*, § 4, in fin.)

Vidit scalam Jacob, et in scala angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi ; quatenus pulam daretur intelligi inter profectum et defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri. — Quomodo ipsum corpus nostrum continue aut crescere constat, aut decrescere ; sic necesse est et spiritum aut proficere semper, aut deficere. (ID., *ibid.*, § 5.)

Ubi sumus, nihil in eodem statu permanet, et non proficere, sine dubio deficere est. — Nemo proinde dicat : Satis est, sic volo manere ; sufficit mihi esse sicut heri et nudius tertius ; in via residet, qui hujusmodi est ; in scala subsistit, ubi neminem patriarcha vidit non ascendentem aut descendentem. (ID., epist. 341.)

Ubi sunt qui dicere solent : Sufficit nobis, nolumus esse meliores quam patres nostri. Non vis proficere ? Non vis ergo deficere ? Nequaquam ; quid ergo ? Sic mihi, inquis, vivere volo, et manere in quo perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo ? Et certe de homine specialiter dictum est (*Job* XIV, 2) : *Fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* (S. BERN., epist. 254, *Ad Guarinum abbat.*, § 4.)

Minime pro certo est bonus, qui menor esse non vult, et ubi incipis nolle fieri melior, ibi desinis esse bonus. Bonus erat jam Paulus, tamen posteriora obliviscens, et se semper melior effici studens. (ID., epist. 91, *Ad abbates Suessione congregatos.*)

Niti te ad summum velim, non putare summum, aut velle putari, antequam sis. Nam quomodo proficis, si jam sufficis tibi. (ID., lib. II *De considerat.*, c. 7.)

SECTIO TERTIA. — *Quia in hoc sita est hujus vitæ perfectio.*

Qui edunt me, adhuc esurient ; et qui bibunt me, adhuc sitient. (*Eccle.* II, 24, 29.)

Quæ retro sunt obliviscens, ad anteriora me extendens, etc. (*Philip.* III, 13.)

Quilibet sese continenter in melius promovens, et de gloria in gloriam transferens, quotidianis incrementis ita versatur, ut in dies melior et perfectior fiat, nec unquam se ad perfectionis metam pervenisse sibi persuadeat. — Ea vera est perfectio, ut qui augetur in melius nunquam consistat, neque terminis illis perfectionem existimet esse inclusam. (S. GREG. NYSS., *Orat. de perfect. Christ. forma*, in fin.)

Bene proficientes dicuntur perfecti viatores. (S. AUG., *De natura et grat.*, c. 12.)

Hæc est perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes ibi incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. (S. LEO, serm. 2, *De Quadragesima.*)

Nullum omnino præsentiæ ejus verius testimonium est, quam desiderium gratiæ amplioris. (S. BERN., serm. 2, *De S. Andrea*, § 4, in fin.)

Indefessum proficiendi studium et jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. (ID., epist. 254, *Ad Guarinum abbatem*, § 3, in fin.)

Indicium consummationis tuæ est, quo nunc cœpisti, et in quo arbitrabaris te non comprehendisse, jam comprehenderas ; nemo quippe perfectus, qui perfectior esse non appetit, et in eo quisque perfectionem se probat, quod ad majorem tendit perfectionem. (ID., epist. 34, *Ad Drogonem.*)

In quo manifeste Apostolo docente declaratur, quia perfecta eorum quæ retro sunt oblivio, et perfecta in anteriora extensio, ipsa est hominis justi in hac vita perfectio. (GUILLELMUS abbas S. Theodorici,

De vita solitaria, c. 4, in fin., inter Opera S. Bern.)

SECTIO QUARTA. — *Quia nullus in hac vita perfectionis terminus.*

Cum consummaverit homo, tunc incipit. (*Eccli.* XVIII, 6.)

Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus, danda opera est, ut post hæc initia ad incrementa quoque veniatur et consummetur in vobis quod jam rudimentis felicibus esse cœpistis., (S. CYPR., lib. I, epist. 5, *Ad Rogatianum*, init.)

Bona est in rebus salutaribus insatiabilitas. (S. GREG. Thaumaturg., *Orat. in S. Theoph.* paulo post init.)

Si quis dicat : Contentus sum et plenus, errat ille et mentitur. (S. MACAR., hom. 15, post med.)

Si quis dicat : Dives sum, sufficit, bona possideo, non amplius egeo, ille non est Christianus, sed vas erroris et diaboli ; nam qui fruitur Deo, satietatem nescit, quantoque magis cum gustaverit ac ederit, tanto plus esurit. Et qui sunt ejusmodi, irritento erga Deum ardore ducuntur et amore, quantoque majorem proficiendi ac crescendi diligentiam adhibent, eo magis se existimant egenos. (ID., *ibid.*,

Nos ita constitutam habere vitæ rationem oportet, ut virtutes partim jam exsequamur, partim in eas incumbamus, partim cupide appetamus, quousque ad finem ac deificationem illam pervenerimus, ob quam creati sumus. (S. GREG. Naz., orat. 3, num. 124 et ultimo, in fin.)

Quid est ambulare, breviter dico, proficere... ubi tibi placuisti, ibi remansisti, si autem dixeris : Sufficit, periisti. (S. AUG., *De verbis Apost.*, s. 15, c. 15.)

Aliter hic non potes esse perfectus, nisi scias hic te non esse posse perfectum. (S. AUG. *in psal.* XXXVIII, 9.)

Omnia illi desunt qui nil sibi deesse putat. — Infimum noris esse, si summum putas. — Quis summus? Cui addi non possit graviter erras si te illum existimes... Absit ! Augustis relinquito illam sententiam, aliisque qui divinis coli honoribus non timuerunt. (S. BERN., lib. II *De consid.*, c. 7.)

Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit : Satis est, sed semper esurit sititque justitiam, ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. (ID., epist. 254, *Ab abbatem Guarinum*, ante med.)

Necdum ad bravium pervenisti, necdum apprehendisti metam; grandis adhuc tibi restat via, noli sistere gradum, noli in medio itinere residere : In sudore, inquit, vultus tui comedes panem tuum, donec in terra de qua sumptus es revertaris. Ex tunc sane tempus erit requiei, nimirum quando jam spiritus ipse dicet, ut requiescas a laboribus tuis. (S. BERN., seu GAUFRID. abb. Clarav., declamat. 13, n. 39.)

Ardua et angusta est via, et non hic, sed in domo Patris mansiones sunt multæ. (S. BERN., epist. 341, *Ad conventum S. Bertini*, paulo post init.)

Vera virtus finem nescit, tempore non clauditur. (S. BERN., epist. 254, *Ad Guarinum abbatem*, post init.)

ART. III. — *Quomodo proficiendum.*

SECTIO PRIMA. — *Quotidie inchoent, nunquam vero se comprehendisse arbitrentur.*

Simon Oniæ filius quasi oliva pullulans. (*Eccli.* V, 11.)

Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum arrepti propositi vigore lacessere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit. (S. ANTON., apud S. Athan. in ejus Vita.)

Negotiatores spirituales sumus, dilectissimi mei, sæcularibus negotiatoribus similes. (S. EPHREM., *Serm. ascet. de vita religiosa*, circa med.)

Velut quotidie initia jacientes componamus cogitationes nostras, sic enim et robustiores et paratiores erimus. (ID., paræn. 27.)

Nescit mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare... Hinc Psalmista, qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quia si inchoans dicebat : *Dixi, nunc cœpi* (*Psal.* LXXVI, 11) : videlicet, si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus. (S. GREG., lib. XXII *Moral.*, c. 2, post med.)

Esto sollicitus magis, ut scias quid desit tibi. Hoc enim melius. Utinam sic nos essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum sæculares homines pecuniæ temporalis, etc. Videas certe eos quidquid adepti sunt parvi pendere, non attendere quanto labore et desiderio ea vix tandem consequi potuere quoniam vilescunt eis omnia præ desiderio minoris forte rei quam alteri cœperint invidere, etc (S. BERN., serm. 1, *De altitudine cordis*, post med.)

Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini. (S. ANTON., apud S. Athan., in ejus Vita, sub fin. Ex vers. Evagrii., ed. Bened. p. 863.)

Oliva pullulans (*Eccli.* L, 11), quia justus semper videtur sibi incipiens (S. ANTON. Paduan., *Dominica* XII *post Trinitatem*, ante med.)

SECTIO SECUNDA. — *Quæ retro sunt obliti, ad anteriora se extendant.*

Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinatum persequor bravium, etc. *Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus.* (*Philip.* III, 10, 13-14-15.)

Nobis dicitur, crescite, ratione inita interioris hominus, qua se promovente, recta ad Deum contendimus : talis erat Isaac de quo celebre illud elogium proditum memoriæ est, quia promovens gradum, in sublime attollebatur, donec magnus effectus est, non enim desiit aliquando succrescere. (S. BASIL., in *Hexaem.*, longe ante med.)

Hoc et nos existimare semper debemus, etiamsi sexcenta obiverimus virtutis officia. Etenim si Paulus, post sexcentas mortes, post tanta pericula hoc secum putabat, multo magis nos : Nondum, inquit, animo concidi, quamvis post tantum cursum nondum pervenerim, non ideo tamen desperavi, sed adhuc curro, adhuc certo : hoc unum specto, ut assidue proficiam; id nobis etiam faciendum est : oblivioni mandanda sunt benefacta, et omittenda quæ retro sunt; nam et cursor non quot spatia confecerit, cogitat, sed quot adhuc restent. Ita et nos non quantum in virtute progressi simus, cogitemus, sed quantum adhuc progrediendum restet. (S. Chrysost., hom. 12 *in Epist. ad Philip.*, paulo post init.)

Quicunque sanctus est quotidie in priora extenditur, et præteritorum obliviscitur. — Felix qui quotidie proficit, qui non considerat quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, ut proficiat. (S. Hier., *in psal.* lxxxiii.)

Amplius debemus inspicere quæ bona necdum fecimus, quam ea quæ jam nos fecisse gaudemus. — More viatorum, nequaquam debemus aspicere quantum jam iter egimus, sed quantum superest ut pergamus. (S. Greg., lib. xxii *Moral.*, cap. 5, paulo post init.)

Perfecti quique magna se discretionis subtilitate conspiciunt, ne addeteriora unquam vel in opere vel in cogitatione dilabantur. Quantum quotidie proficiant incessanter pensant, recte de his dicitur : Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. (S. Greg. Papa, hom. 3, lib. i *in Ezech.*, sub fin.)

Hæc est magna virtus et summa securitas, quando et pie vivis, et tamen plus attendis quæ desunt tibi quam quæ obtinuisse videris, oblitus quæ retro sunt, et extendens te in anteriora : hæc est absconsio sub scapulis Domini. (S. Bern. serm. 4 *in psal.* xc. *Qui habitat*, post med.)

Vide quanta mala cogitatio illa parturiat qua sedule versas in animo quod tibi habere videris, elevaris in superbiam, dum te præponis alteri, hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris, hinc demum incipis et deficere; sicque in tepiditatem incidis, et incipis remissius agere. (Id., *Serm. de altitudine cordis*, sub fin. num. 4.)

Sectio tertia. — *In via semper ambulando procedant.*

Melius est in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. — Bene currunt, sed in via non currunt; quanto plus currunt, plus errant, quia a via recedunt. (S. Aug., serm. 55, *De verbis Domini*, in fin.)

Melius it claudus in via quam cursor præter viam. — Si dixeris : Sufficit, periisti : semper adde : Semper ambula, semper profice. Noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare; remanet qui non proficit, retro redit qui ad ea devolvitur, unde jam abcesserat; deviat, qui apostatat. (*Ibid.*, serm. 15, cap. 15, in fine.)

Ambula securus in Christo, ambula, ne offendas, ne cadas, ne retro respicias, ne in via remaneas, ne a via recedas, ista omnia præcave tantum et pervenisti. (Id., serm. 49, *De tempore*, c. 11.)

Necesse est (ut homo) cogitet, quemadmodum ambulet in via, ne remaneat, ne retro eat, ne aberret, ne claudicando non perveniat. (Id., tract. 5, *in Epist. Joan.*, longe post init.)

In proposito sancto non levis est jactura temporis : a terris enim ad cœlos festinantem qui moratur, etsi non detinet, plurimum tamen nocet. Nolite ergo negligere, nolite tardare, grandis enim vobis restat via. (Guillelm. a Sancto Theodorico, *De vita solit. ad fratres de Monte Dei*, cap. 1 et 2, inter Opera S. Bernardi.)

Desere ima quantum vales, et summa pete; non deficias, neque tepescas, ut gradum perfectionis possis ascendere. (*De ordine vitæ*, n. 21, cap. 6, inter Oper. S Bern.)

Properantem a terra in cœlum qui vel modicum detinet, plurimum nocet. (Petr. Bles., epist. 102 init.)

Sicut viator qui diu mane dormiens postea cum festinatione et impetu laborat tempus neglectum currendo recompensare, et socios qui se præcesserunt insequens invenire. (S. Bonav., *De perfect. relig.*, lib. ii, c. 1.)

Sectio quarta. — *Unusquisque secundum mensuram gratiæ suæ.*

Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et, unicuique prout divisit Deus mensuram fidei. (*Rom.* xii, 5.)

Secundum mensuram donationis Christi. (*Ephes.* iv, 7.)

Non potest puer currere instar perfecti atque adulti viri. (S. Ephrem., parænes. 16, ante med.)

Neque supra modum tentes grandia, atque excelsa quæ perficere nequeas, neque rursus nimirum scuteris vilia, etc. (Id., *Serm. ascetic. de vita religiosa.*)

Ubi corpus ibi et aquilæ (*Matth.* xxiv, 28), illud ergo corpus sequamur... Qui non potest ut aquila volare, volitet ut passer; qui non potest ad cœlum, volet ad montes. (S. Ambros., *De fuga sæculi*, cap. 5, paulo ante fin.)

Talis actus, talis vita, talis gratia. (Id., lib. ix *in Lucam* xix, 29, paulo post init.)

Alius centum, alius sexaginta, alius triginta producit... Non (enim) unam ab omnibus mensuram (Dominus) efflagitat. (S. Chrysost., *in Matth.*, hom. 45, post med.)

Hac ratione ad perfectionem divinus sermo provocat, ut secundum vires nostras, unusquisque nostrorum, quantum valuerit extendatur. (S. Hier., lib. i *Adversus Pelag.*)

Nemo repente fit summus. Ascendendo, non volando apprehenditur summitas scalæ. (S. Bern., serm. 1, *De S. Andræa*, sub fin.)

Cujus voluntas ex affectione et cum desiderio gratiæ cohæret, ut nec concupiscat mala agere, nec bona minora, nec minus bene quam gratia

suggerit, hic plane perfectus est vir. (S. Bern., serm. 2, *De S. Michael.*, in fin.)

CAPUT II.

Habitum clericalem semper deferre.

ART. I. — *Quod clerici debeant habitum clericalem semper deferre.*

Nullus eorum qui in cleri catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque in itinere ambulans, sed utatur stolis, quæ iis qui in clerum relati sunt, attributæ fuere. (*Conc. Quinisextum*, sub Sergio, ann. 692, can. 27, 21, 9, 4, c. *Nullus.*)

Clerici qui, relicto ordine et habitu, lapsi, in apostasia tanquam laici versantur; si in criminibus teneantur deprehensi per censuram ecclesiasticam non præcipimus liberari, tales enim inter apostatas numerandos sanctorum Patrum statuta declarant. (*Appendix Conc. Later.* III *œcumen.*, ann. 1179, sub Alexandro III, part. XXVI, c. 16, Eugen. Pap. I, Sarensi episcop.; *Conc.* Labb., t. X, p. 1654.)

Qui abjectis vestibus proprio congruentibus ordini, alias assumere, et in publico portare, rationabili causa cessante præsumit, professorum illius ordinis prærogativa se reddit indignum, etc. (*Conc. Vienn. œcumen.*, ann. 1311, sub. Clem. V, ex lib. III *Clementin.*, tit. *De vita et honest. cler.*)

Inter cæteros prælatorum et clericorum excessus, hoc maxime inolevit, quod spreta in vestibus forma ecclesiasticæ honestatis plurimi delectantur esse deformes, et cupiunt laicis conformari, quodque mente gerunt, habitu confitentur; unde præter cætera quæ circa vestes, tonsuram, et habitus clericorum, tam in formis quam in coloribus, atque comam seu capillos, vitamque et honestatem clericorum jura statuunt, et quæ nimium collapsa sunt, tam in sæcularibus quam in regularibus sacro approbante concilio innovamus et præcipimus diligenter observari. (*Conc. Constant.*, ann. 1414, sub Martin. V, sess. 43, *De vita et honestate cleric.*)

Etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in carnalibus, alterum in divinis. (*Conc. Trident.*, sess. 14, *De reformatione*, cap. 6.)

Statuit sancta synodus, ut quæ alias Summis Pontificibus et a sacris conciliis, de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, iisdem pœnis vel majoribus arbitrio. Ordinarii imponendis observentur...

Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscunque, etc. (*Conc. Trid.*, sess. 22, *De reform.*, c. 1.)

Nullus clericus sagum, aut vestimentum, vel calceamenta sæcularia, nisi quæ religionem deceant, induere præsumat. (*Conc. Matisc.*, can. 2, ann. 581; *Conc. Agath. nationale*, can. 50, refertur distinct. 23, c. *Clerici qui comam.*)

Omnes clerici fornicationem non faciant, nec habitum laicorum portent. (*Conc. Suess.*, can. 3, ann. 744; *Conc. Metense*, c. 6, ann. 888.)

Ut in habitu clericali decenter incedant clerici decernimus. (*Conc. Oxoniens.*, ann. 1222, can. 32.)

Contrarias vero constitutiones tanquam pessimas, juri divino et positivo ac rationi contrarias, et ex corruptela introductas rejiciant. (*Edictum archiep. Colon.*, ann. 1337.)

Quæ circa tonsuras et vestes per canonica statuta fuerunt de honestate clericorum laudabiliter instituta, ea ab omnibus ecclesiasticis viris servari districte præcipimus (*Conc. Paris.*, ann. 1429, c. 21.)

Etiamsi in gymnasiis publicis sint. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565.)

Etiamsi studii causa absint. (*Synod. Flor.*, ann. 1569; *Ravenn.*, ann. 1580.)

Clerici vestes non peregrinas sed ordini congruentes deferre cogantur, ut quondam generali concilio statutum est. (*Convent. Melod.*, ann. 1579, sub Gregorio XIII, *De vita et honest. cleric.*)

Hortamur ac præcipimus ut tonsuram in capite, et coronam habeant suis ordinibus congruentem, et honeste rasam, et vestibus oblongis minime laceris, aliisque omnibus vestimentis ecclesiasticæ dignitati et modestiæ convenientibus utantur. (*Conc. Rothom.*, capitul. *De curatorum et aliorum presbyt. off.*, n. 9, ann. 1581, a Gregorio XIII approbatum et confirmatum.)

Etiamsi in gymnasiis publicis studiorum causa commorentur. (*Synod. Cremon.*, ann. 1584; *Conc. Aquense*, tit. *De vita et honest. clericor.*, ann. 1585.)

Ne domi quidem suæ ullam quæ clericum minus deceat vestem adhibere audeat. (*Synod. Amerin.*, ann. 1595.)

Honestas status clericalis et ordinis requirit ut tam clerici quam etiam studentes gymnasiorum, et scholares in scholis particularibus manentes, habitum conformem, honestum, statui clericali congruentem portent. (*Synod. Amerin.*, ann. 1595.)

Clerici qui sunt apostasiæ crimine infamati, qui videlicet abjecerunt habitum clericalem, non sunt in sæculari habitu tolerandi, sed per districtionem ecclesiasticam coercendi. Innoc. III, c. *Tuæ* 3, *De apostat.*, lib. V *Decret.*, circa annum 1210.)

Ne quis nimia sive pastorum sive temporum indui-

gentia et impunitate seu oscitantia, cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu, et propriæ salutis dispendio de cætero abutatur, hac nostra perpetuo valitura constitutione præcipimus et mandamus omnibus et quibuscunque clericis, non solum in sacris, sed etiam in aliis minoribus ordinibus constitutis et clericali tantum tonsura insignitis, et ne dum beneficia ecclesiastica qualiacunque etiam simplicia nunc et pro tempore obtinentibus, et in illis vel ad ea jus habentibus, verum etiam pensiones super quibusvis fructibus, reditibus, aut proventibus quarumcunque ecclesiarum, etc. Ut ipsi et eorum quilibet quantumvis exempti exsistant, etc., debeant... Tonsuram et habitum clericalem, vestes scilicet talares, etc., quacunque remota excusatione assumere et jugiter deferre. Alioquin et ipsos, et ipsorum quemlibet, etc., præter alias pœnas contra eos inflictas... beneficiis... nec non pensionibus, ipso facto privatos declaramus, etc. (Sixtus V, ann. 1589, in bulla quæ incipit, *Cum sacrosanctam*, etc.)

ART. II. — *Cur clerici debeant habitum clericalem semper deferre?*

Sectio prima. — *Ut ab aliis secernantur.*

Ut Christi militia laudibus deputata divinis, vita, genu, moribus, et habitu a militia secernatur humana... hortamur, etc. (*Conc. Herbipol. nation.*, ann. 1287, c. 1.)

Clerici omnes et singuli in habitu et incessu suam professionem, religionem et statum probent. (*Synodus Bysunt.*, tit. 2, *De vita et honest. cleric.*, stat. 2.)

Quia secundum Scripturas, sermo, vestitus, incessus et vultus annuntiant de homine, sicut omnis sacerdos ab hominibus segregatur et assumitur in his, quæ sunt ad Deum, ita debet eximi et separari ab hominibus sæculo et mundo servientibus, sive in sermone, sive in exteriori quocunque habitu, ut internoscatur servire Deo et non mundo. (*Synod. Ebroicens.*, ann. 1576, tit. *De vita et honest. cleric.*)

Non sine causa capita eorum tondentur et raduntur. Nam his signis secernuntur a laicorum conversatione. (*De mundi contemptu*; inter Opera S. Aug.)

Singulari aliquo signo, a reliquo populo distingui debent (clerici), ne cui eorum jure dici possit: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* (*Matth.* xx, 12.) (Sixtus V, in bulla quæ incipit, *Cum sacrosanctam*, circa init., ann. 1589.)

Sectio secunda. — *Ut modestia et professione sui status alios ad virtutem et pietatem excitent.*

(Sacerdotes) incedant in vestibus suo ordini congruis: ut sicut cæteris dignitate præeminent, sic plenius et formam et exemplum exhibeant honestatis. (*Conc. Eboracens.*, ann. 1194, decret. 6.)

Ut ex eorum exteriori habitu possit interior quodammodo deprehendi, ac ita luceant opera eorum, ut populo sint tanquam lucerna ad propulsandas mundi tenebras et dirigendos pedes eorum in viam pacis. (*Synod. Turon.*, ann. 1557, tit. *De his quæ incumbunt agenda rectoribus et clericis.*)

Clericalis sinceritas et modestia ecclesiastica non minus ex honesto habitu, quam ex honestis moribus ostenditur, et talis quis esse præsumitur, qualis ex habitu judicatur. (*Synod. Veronens.*, ann. 1542, tit. *De vita et honest. cleric.*, c. 2.)

Exterioris clericorum habitus modestia signum est et indicium compositionis et ornatus hominis interioris. (*Synod. Aleriens.*, ann. 1571.)

Quoniam magis oculis quam auribus credunt homines, necesse est ut sacerdos bonum præbeat exemplum, tam in suo vestitu, quam in reliquis suis actionibus. Idcirco S. Chrys. hom. 15 *in Matth.* ait: « Quod bona exempla voces edant omni tuba clariores. » (*Synod. Urgellens.*, ann. 1580.)

Sicuti clericorum honestas intus per morum compositionem in animo esse debet, ita quoque in habitu exteriori, ad populi ædificationem, et ad sui etiam ipsorum, atque totius clericalis ordinis reverentiam et dignitatem elucere maxime oportet. (*Synod. Hostuntensis*, ann. 1686, tit. *De vita et honestate cleric.*, c. 1.)

Clericalis stolæ momentum est tale, ut de ejus occursu vitia suffundantur, mores improbi erubescant. (*Synod. Leonens.*, ann. 1629, c. 9, *De cleric. vita et honest.*)

Quandoquidem ecclesiasticus ordo maximopere postulet, imo nunquam satis clericis inculcari possit, ut cum vitæ morumque integritate illorum externus habitus congruat. (*Synod. Tornacens.*, ann. 1643, tit. 25, *De cleric.*)

Perseverantiam in bono studio figurat tunica talaris, quam induit Joseph in præfiguratione corporis Christi, et nos clerici eam portamus sive in quotidiano usu, sive in ecclesiastico. Ex ea nempe admonemus populum Dei, ut usque ad finem mundi satagat se operire bonis operibus. (Amalar. Fortun., lib. iv *De ecclesiast. offic.*, c. 33.)

Sectio tertia. — *Ut sua clero apud populum constet auctoritas et honor asseratur.*

Presbyteri et diaconi sæcularibus indumentis non utantur, etc. Sacerdos sine operimento deturpat sacerdotium suum. (Atto II, episc. Vercell., *Capitul.*, c. 15, ex Zachar. Pap.; in *Conc. Rom.*, cap. 3; et refertur 21, q. 4, c. 3, *Episcopi.*)

Ut clericalis ordinis honor debitus servetur. (*Conc. Oxoniens.*, ann. 1222, c. 32.)

Cum sancti Evangelii veritas hominem nuptialem vestem non habentem jubeat foras mitti, quanquam de virtutum ornatu dictum esse illud sacra expositio doceat, quia cum per exteriorem habitum sæpe interior designetur, oportet tamen exterius talem ostendere, ut ei, qui debet interius esse, verisimiliter coaptetur; ne ex habitu forsan indecenti is, qui gestat, in se ipso vilis appareat, aut corda videntium pro facilitate indicii scandalizet. (*Conc. Londin.*, ann. 1628, c. 5.)

Honestas clericorum consistit in tonsura capitis condecenti. (*Synod. Rhem.*, ann. 1510.)

Quanto honestioribus poterunt indumentis utantur. ut ex illis, quales sint, non modo cognosci, sed etiam honorari possint, cum aliter mali animi argumentum sit, ut, quod quis sit, illud videri nolit. — Ne per dissolutarum et indecentium vestium delationem sacerdotalis dignitas vilescat. — Ne... per vestium indecentium delationem sacerdotalis dignitas vilescat, præcipimus et mandamus, ut posthac habitus suo statui decentes et congruentes deferant. (*Synod. Veronens.*, ann. 1542, tit. *De vita et honest. cleric.*)

Quoniam in ministro Dei decorum maxime laudatur, omnes canonici et clerici veste utantur longa et nigro colore, ne a populo contemnantur. (*Constitutiones provinciarum Spalatensis et Jadrensis*, promulgatæ ann. 1578, titul. *De iis quæ ad canonicos et clericos in universum pertinent.*)

Quo major ordini auctoritas concilietur. (*Conc. Tolosan.*, ann. 1590, part. I, *De presbyteris et clericis*, c. 4, n. 3.)

Nec suæ tandem sortis calicis et hæreditatis Domini immemor clericalem tanti momenti ad existimationem ecclesiasticam conservandam ornatam induere renuat. (*Concil. Burdig.*, ann. 1624, titul. *De vita et honest. cleric.*, n. 4.)

Habitus sunt indices et custodes dignitatis. (Tertul., *De pallio*, post med.)

Sectio quarta. — *Ut arctioris et eminentioris vitæ instituto sese obstrictos intelligant.*

Vestes suo ordini congruentes in signum vitæ purioris deferant. (*Synod. Carnot.*, ann. 1573.)

Ex ipso vero clericali habitu obstrictos se obligatione modestiæ ac temperantiæ cognoscant. (*Synod. Aquileiens.*, ann. 1596, tit. *De vita et honest. cleric.*)

Novacula salutiferæ sectionis, remedii et decoris novacula nobis Christus Deus est, qui cor nostrum circumcidit, vitia radit, animæ caput levigat, et faciem mentis accurat, nosque ut illam in lege captivam purgat et liberat horrido miseræ servitutis capillo, ut conjungendi Domino velut illa in Israelitæ viri nuptias transitura criminibus carnis nostræ quasi barbaris crinibus exuamur. (S. Paulin., epist. 4, *Ad Sever.*, circa init.)

Gratiæ spiritualis beneficium etiam corporalis forma testetur et libertatis internæ lætitiam serenitas revelatæ frontis ostentet. (Id., *ibid.*, ante med.

Quid est talaris tunica, nisi actio consummata? (S. Greg., lib. I *Moral.*, c. ult.)

Nigra vestis insinuat humilitatem mentis, vile vestimentum denuntiat mundi contemptum... Nunc ergo moneo te ut habitum, quem ostendis specie, impleas opere, obsecro te ut habitum ordinis bonis ornes moribus; sanctus est habitus, sanctus sit animus; sicut sancta sunt vestimenta, sic opera tua sint sancta... Non aliud abscondas intus, et aliud ostendas foris; non sit aliud in secreto, aliud in publico. (*De modo bene vivendi*, c. 9, in fin., inter Oper. S. Bern.)

Sectio quinta. — *Ne in grave proruant, cujus gravitas colligitur.*

§ I. — 1° *Ex notis, quas desertoribus habitus clericalis Ecclesia inurit.*

Apostasia. (*Conc. Lateran.* III, ann. 1179, part. XXVI, c. 16, et refertur *Decret.* Greg. lib. V, tit 9, c. 1; Eugen. I, Sarenorum episcop., ann. 654, cujus verba in hoc concilio referuntur; Innoc. III, circ. ann. 1210, c. *Tuæ*, De apostatis.)

Temeritas religionisque contemptus. (*Concil. Trid.* sess. 14, *De reform.*, c. 6.)

Sacrorum canonum contemptum, et ecclesiasticæ sanctitatis, profanationem. (*Conc. Meldense*, c. 37, ann. 845, refert. 23, q. 8, *Quicunque ex clero*, 6.)

A castris Dominicis, quibus ascriptus est profugus et apostata, elabitur, etc. — A castris Dominicis, quibus ascriptus est profugus et apostata, coerceatur, ut ad sinum matris Ecclesiæ revertatur. (*Conc. Triburiens.*, ann. 895, can. 27.)

Præsumptionis nequitia. (Honorius III Pap., arch. Turon., *De apostas.*, tit. 9, lib. V *Decret.*, cap. *A nobis*, 5; *Conc. Montispessul.*, ann. 1258.

(Excessus, qui) clericali honore reddit indignum. (*Conc. Montispessul.*, ann. 1258.)

Gravis et perversus nimis abusus, in quo Deus irrideri videtur, obfuscari decus Ecclesiæ, clericalis ordinis celsitudo deprimitur, Christus a suis militibus ferentibus insignia aliena deseritur, decor honestatis ecclesiasticæ minuitur et maculatur. (*Conc. Londinens. nationale*, ann. 1268, c. 5, *De habitu clericorum.*)

Apostasia tonsuræ et habitus clericalis. (*Conc. Rothom.*, ann. 1279.)

Ad alias pœnas canonicas procedemus, sæculo redditurі, quos sæculo malle servire quam Deo vita et vestitus ipse annuntiant. (*Synod. Ebroicens.*, ann. 1576; *Statut. synod. Claudii de Sainctes Ebroicens. episcop.*, tit. *De vita et honest. curatorum.*)

Non Ecclesiæ serviunt, sed mundo et Satanæ. (*Synod. Spoletina*, ann. 1583.)

Suæ sortis, calicis et hæreditatis Domini immemores. (*Conc. Burdig.*, ann. 1624, tit. *De vita et honest. cleric.*)

Religionis dedecus, nominis Dei contemptus, propriæ salutis dispendium. (Sixtus V, in bulla quæ incipit: *Sacrosanctam*, ann. 1589.)

§ II. — 2° *Ex pœnis, quæ in hujuscemodi desertores a jure decernuntur.*

Et erit in die hostiæ Domini, visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina. (*Sophon.* I, 8.)

Apostasia... nec non redituum ac beneficiorum suspensione etiam ac aliis censuris ac pœnis canonis multanda. (*Vide* Eugen. I, Sarensi episcop.; *Conc. Later.*, sub Innoc. II, cap. 4, refertur 21, quæst. 4, cap. ultim.; *Conc. Lateran.* III, sub Alexandro III, part. XXVI, cap. 16; Innoc. III, cap. *Tuæ*, De apostatis; *Conc. Rothomag.*, ann. 1299, et alibi passim; *Aquense*, ann. 1585.

Professorum illius ordinis prærogativa se reddit

indignum. (*Conc. Mogunt.*, tit. *De vestibus cleric.*, ann. 1423; *Viennense*, sub Clem. V, ann. 1312; lib. III *Clement.*, tit. 1, *De vita et honest. clericorum*, cap. *Quoniam*, 2.)

Propterea omnes ecclesiasticæ personæ, quantumque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint, si, postquam ab episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem et juxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio et beneficio, ac fructibus, reditibus et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possint et debeant, secundum constitutionem Clementis V, in *Conc. Vienn.* editam, quæ incipit, *Quoniam innovando et ampliando.* (*Conc. Trid.*, sess. 14, *De reform.*, c. 6.)

Perpetuo statuto duximus ordinandum quod clerici, etc. Qui tonsuram dimiserint, aut in habitu non vixerint clericali, etc. A talliis seu quotis ab ecclesia de cætero minime defendantur, et qui honore clericali se indignos reddiderint, ejus beneficio nullatenus foveantur. (*Conc. Montispessul.*, ann. 1258, cap. 3.)

Clerici, qui coronas benedictas habuerunt et reliquerunt, usque ad dignam satisfactionem excommunicentur. (*Conc. Senon.*, ann. 1269, sub Clemente IV.)

A nobis expetiit tua fraternitas edoceri quid de apostatis sit agendum, cum in custodia detinentur, qui minis vel blanditiis nullatenus possunt induci, ut abjectum habitum reassumant. Ad quod tibi breviter respondemus quod tales, si volueris, poteris sub gravi custodia carcerare, ita quod solummodo vita sibi misera reservetur, donec a suæ præsumptionis nequitia resipiscant. (Honorius III archiep. Turon., *De apostatis*, tit. 9, cap. *A nobis*, 5; lib. V *Decretal.*)

Quid sibi vult quod clerici aliud esse, aliud videri volunt?... Nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant ut milites, neque ut clerici evangelizant, cujus ordinis sunt? Cum utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt... Vereor istos non alibi ordinandos, quam ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. (S. Bernard., lib. III *De considerat.*, c. 5.)

Nunquid clerici sæculares, qui non portant coronam vel tonsuram vel habitum congruentem, etc., sunt in statu salvandorum? Ad hoc, licet aliqui scandalizentur, volentes sibi applaudere in peccatis et dicentes, omnia jura, quæ super hoc emanaverunt, de consilio intelligenda; dico quod non; cum enim pro tali apostasia pœna gravis et multiplex imponatur... patet quod non est consilium, sed præceptum. (S. Raymund., in *Summa*, tit *De apostatis*, c. 8.)

§ III. — 3° *Ex scandalo, quod Ecclesia conflatur.*

De habitu clericorum, qui non clericalis videtur, sed potius militaris, grave scandalum laicis generatur. (*Conc. Londin. nation.*, ann. 1237, c. 14.)

Dum clericum a laico respiciens oculus non discernit, fit omnibus vere fidelibus in scandalum et in despectum. (*Conc. Lond.*, tit. *De habitu clericali*, ann. 1208.)

Pro amputando Ecclesiæ scandalo hoc signum dedecoris auferatur. (*Conc. Toletan.*, ann. 633, cap. 41.)

Crudeliter famam suam negligere, et cleri statum deformare non dubitant. (*Edict. archiep. Colon.*, ann. 1337.)

Propter eos blasphematur nomen Dei in gentibus. (*Synod. Spolet.*, ann. 1583.)

ART. III. — *Quæ sit vestis clericalis, quam semper deferre debeant clerici.*

In presbyteratus ordine constituti vestes colorum, quæ clericis a jure non prohibeantur, deferre debent usque ad talos saltem demissas. (Et infra.) Reliqui vero clerici temperate ac modeste omnia faciant, et tam ipsi clerici beneficiati, quam in sacris ordinibus constituti comam neque barbam non nutriant. (*Conc. Lateran.*, sub Leone X, sess. 9, ann. 1511.)

Omnes clericos maxime in sacris constitutos admonitos esse volumus ut professionem suam probent habitu... vestes sint talares. (*Conc. Senon.*, ann. 1527.)

Præcipimus eis ut vestes ordini ecclesiastico congruas, utpote talares, deferant. (*Synod. Paris.*, ann. 1557; *synod. Lugdun.* ann. 1566; *conc. Turon.*, ann. 1583, a Greg. XIII approbatum et confirmatum; *synod. Catalaun.*, ann. 1557; *conc. Ravenn.*, ann. 1314; *Narbon.*, ann. 1551; *Mediolan. et Sypontin.*, ann. 1567; *Ravenn.*, ann. 1569; *Urbinat.*, ann. 1569; *Florent.*, ann. 1569; *Hidront.*, ann. 1567; *Neapol.*, ann. 1576, a Greg. XIII approbatum; *Senens.*, ann. 1589; *Aquileien.*, ann. 1596; *Salernitan.*, ann. 1615.)

Omnibus qui sacris ordinibus initiati sunt, vel qui beneficia ecclesiastica etiam simplicia obtinent, præcipimus ut tonsuram et habitum clericalem ordini suo atque dignitati congruentem gerant, et vestes eorum sint talares. (*Conc. Burdigalen.*, cap. 21, ann. 1583, a Greg. XIII approbatum et confirmatum; *Conc. Bituricense*, ann. 1584, tit. 25, a Sixto V confirmatum; *Conc. Tolosan.*, ann. 1590, part. 1, c. 4; *Synod. Paris.*, ann. 1620; *Synod. Sylvanec.*, ann. 1626. — Vid. *Conc. Aquense.*)

Veste ecclesiastica eaque talari ac decenti utantur omnes clerici, nec sine illa pallium breve aut longum deferant. (*Conc. Rhemense*, ann. 1583, a Greg. XIII approbatum et confirmatum.)

Habitum clericalem declaramus eum esse, qui veste vel talari, vel breviore in itinere, ac ton-

sura constat; si ex duobus alterum desit, habitum clericalem dimidiatum declaramus ac dicimus; ut constitutionibus de habitu clericali deferendo disponentibus satisfactum non sit. (*Conc. Aquileiense*, ann. 1596, rubric. *De vita et honest. cleric.*, c. 11.)

Vestibus honestis utantur non reprobatis a jure. (*Synod. Tull.*, ann. 1515.)

ART. IV. — *De tonsura clericali.*

SECTIO PRIMA. — *Quid sint tonsura et corona clericalis* (22).

Si quis ex clericis relaxaverit comam, sit anathema (23). (Greg. II, in conc. Romæ habito, et habetur distinct. 3, cap. *Si quis*, et lib. III *Decretal.*, tit. 1, c. 4.)

Non sufficiat clerico vestem clericalem jugiter deferre in corpore, nisi et tonsuram perspicue gestet in capite. (*Conc. Aquileiense*, ann. 1566.)

Sed et tonsuram deferat, quæ est militiæ clericalis... seu ecclesiasticæ nota et insigne. (*Conc. Benevent.*, ann. 1567; *Synod. Faventin.*, ann. 1569.)

Insigne enim clerici tonsura est ac vestis talaris. (*Conc. Aquileien.*, cap. 11, ann. 1596.)

Sacræ militiæ incentiva symbola et insignia. (*Synod. Colonien.*, ann. 1596.)

SECTIO SECUNDA. — *Cur tonsura et coronæ insigniri debeant clerici.*

§ I. — 1° *Ut regalis sacerdotii memores vitia tanquam reges comprimant.*

Coronam etiam condecenter portent, per quam designentur regalis esse generis, et sperare se assequi debere partem hæreditatis divinæ. (*Conc. Raven.* III, ann. 1314, rubric. 10.)

Tonsura in vertice juxta ordinem suum coronam efficiat congruentem, qua se in regale sacerdotium assumptos nihil jam plebeium aut humile sapere præ se ferant. (*Synod. Bysunt.*, ann. 1573; *Statut. synod. Claudii a Bauma, archiep. Bysunt.*)

Hi namque sunt reges, id est, se et alios in virtutibus regentes, et ita in Deo regnum habent, et hoc designat corona in capite. (S. HIERONYM., relat. 12, q. 1, c. *Duo sunt.*)

Quod vero de tonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. (S. ISIDOR. Hispal., *De officiis ecclesiast.*, c. 4.)

Capillorum detractio et refectio consecrationem significat; capilli enim totius sunt corporis flosculi de eo efflorescentes, qui detractione sua indicant primitias ab homine Deo offerri. (SIMON Thessalonic., *De sacris ordinat.*, c. 2 *De ritu ordinationis lectoris.*)

Per caput principale animæ, scilicet mens, denotatur, quæ sicut capillis, ita cogitationibus perornatur; quæ novacula timoris Dei debet a superfluis cogitationibus radi, ut nuda facie cordis valeat cœlestia contemplari. Rotunditas autem, quæ remanet, crinium est ornatus virtutum; capilli vero in circulum coæquantur, quia omnes virtutes in concordia charitatis consummantur. (HONOR. Augustodun., *De gemma animæ*, lib. I, c. 195.)

Dicendum quod eis, qui ad divina ministeria applicantur, competit tonsura et rasura in modum coronæ et ratione figuræ, quia corona est signum regni et perfectionis, cum sit circularis. Illi autem, qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, et perfecti in virtute esse debent. (S. THOM. in IV *Sententiarum*, distinct. 24, quæst. 3, art. 1.)

§ II. — 2° *Ut uni Deo libera mente vacandum sibi agnoscant.*

Tonsuram ferre clericalem ne prætermittant, id est, quod abrasis a summa capitis parte in coronæ formam capillis mystica significatione admonentur, superflua vanaque omnia mundi irritamenta, curasque omnes sæculares ac terrenas sollicitudines abjiciant. (*Syn. Basileens.*, ann. 1581.)

Hinc itaque fideles Christi, qui ad æternam vitam medullitus suspirant, qui mundum cum suis oblectationibus sub pedibus conculcant, qui in terra nihil possidere volunt, sed cum Apostolo dicunt (*Philip.* III, 20) : *Nostra conversatio in cœlis est*, capillorum minimam partem in capitibus retinent, ut per eorum abrasionem, se minimam terrenorum sollicitudinem habere designent. — Quisquis clericus, ad sortem Domini vocatus, comam nutrit, et capillos radere vel tondere erubescit, profecto se non de Dei, sed de mundi sorte esse testatur; quanto enim quisque carnis crines diligit, fovet, et nutrit, tanto cor suum non in cœlis, sed in terra fixum esse ostendit; quanto autem radit et edomat, tanto se non terrena, sed æterna diligere comprobat. (Auctor libri *De contemptu mundi*, c. 3, inter Opera S. Augustini.)

Capilli in capite exteriores sunt cogitationes in mente; qui, dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis exprimunt, quæ ex sensu negligenti quia importune aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt : quia igitur cuncti, qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen vehementer eis incumbere, sacerdotes recte et caput prohibentur radere et comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum, nec a se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. (S. GREG., *Pastoral.*, part. II, c. 7, in fin.)

mus, tunc sub hoc prætextu boni maxime nobis insidiamur, nec novimus quo pacto ipsi pereamus. — Ipsissimus interitus ac mors est justitia voluntate propria commista, ingens periculum, summusque timor est. — Si justitia voluntati cooperetur, non bene convertitur homo tunc; maxime periclitatur, imo perit infelix. — Nisi enim homo sua omnia cuipiam viro probo exponat, ac veluti onus quoddam in sinum amici reponat, si fuerit præsertim is, qui ex mala consuetudine et prava conversatione ad bonorum consortium venit, in hoc statim diabolus propriam invenit voluntatem, propriamque justitiam, per quas illum dejiciat, demoliatur ac decipiat. — Cum propriam amplexamur atque adeo fovemus voluntatem, propriisque nos ipsos instituimus et informamus justificationibus, tunc nobis ipsis insidias tendimus, nec nostram animadvertimus perniciem et interitum : nam quo pacto Dei voluntatem agnoscere valebimus, si nobis ipsis crediderimus? (S. Doroth., doctrin. 5.)

Sicut, qui ductore caret, etiamsi sapiens sit, sæpe tamen errat in via ; sic qui suam voluntatem ac judicium in hac vita spirituali sequi decernit, licet omnem omnium sapientiam solus obtineret, facile tamen in animæ exitum ruet. (S. Joan. Climac., grad. 25.)

Qui propriæ confisus justitiæ voluntatem amplectitur suam, nec hostis insidias effugere potest, nec quietem invenire, nec, quæ sibi desunt, intelligere, nec, cum a corpore discedit, misericordiam invenire. (B. Isaias, orat. 8.)

Nihil in omnibus Scripturis perspicio, quod magis ab homine Deus exigat, quam ut omnibus in rebus humiliet se proximo suo, et propriam abneget voluntatem. (Id., orat. 22.)

Salus in eo sita est ut voluntates nostras abnegemus. (Id., orat. 24.)

Semetipsum abnegat, qui sui juris esse recusat, et totum se alterius arbitrio subjicit propter Christum. (S. Bonav., *De profectu religio.*, lib. II, cap. 41 in fin.)

Sectio sexta. — *Quia tuta et optanda tranquillitas animæ fructus est obedientiæ.*

Solatium vitæ, ut habeas cui pectus aperias. (S. Ambros., lib. III *Offic.*, c. 3.)

Hæc institutio non solum per veram directionis viam juvenem recto tramite docebit incedere, verum etiam cunctis fraudibus et insidiis inimici servabit illæsum. Non valebit ignorationi ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat vel admittit. — Illico namque, ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, et, antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus velut e tenebricoso et subterraneo specu confessionis virtute protractus ad lucem et traductus quodammodo ac dehonestatus abscedit. (Cassian., collat. 2, c. 10.)

Nec invenit tunc diabolus quomodo noceat, quomodo supplantet, cum ex omni parte gubernetur homo, cum undique tutus sit et cautus. (S. Doroth., doctrin. 5.)

Nunquam permisi, nunquam passus sum ut cogitationibus meis crederem, nisi prius interrogarem ac consulerem seniorem. Proinde credite mihi, fratres, tanta quiete et animi tranquillitate fruebar, ut plerumque indignarer, nec libenter id ferrem. — Discite vos ipsos non instituere, non vobis credere, non vestris viribus, aut prudentiæ fidere... humilitas hæc est quies, tranquillitas, gaudium est... non licet profecto, nec omnino fieri potest, ut salutem quis alio modo consequatur. (S. Doroth., doctrin. 5.)

Si quis conscientiam suam mundissimam in patris spiritualis subjectione servavit, hic jam mortem ut somnum, imo vero ut vitam, quotidie intrepidus exspectat, certissime sciens obitus tempore sui ipsius non a se, sed a patre rationem esse requirendam. (Id., *ibid.*, c. 3.)

Immediata ad Deum excusatio. (S. Joan. Climac., grad. 4, in princ.)

Nec enim obedientiæ amans periculum subveretur unquam, suo ipse judicio ad omnia præsidenti devotus. (In auctario *Biblioth. Patrum Græcorum*, t. II, *Vita S. Nicolai Studitæ.*)

Fieri quomodo potest ut moriatur homo obedientiæ deditus? (Achatius apud S. Joan. Climac., grad. 4, *De obedientia*, c. 5.)

Aliorum manibus sublati et natantes mare hoc magnum trajiciunt. (S. Joan. Climac., grad. 4, init.)

Aperi cogitationes tuas Patribus tuis, ut gratia Dei te protegat. (Isaias abbas, oratione 9.)

Magnum hujus vitæ solatium est, habere cui pectus aperias ; cum quo arcana participes ; cui committas secreta cordis tui, ut ames et sequaris eum, qui tibi paterna pietate in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur, et in prosperis gratuletur. — Felix talis societas talisque amicitia, qua nihil est in rebus humanis pulchrius. (*De ordine vitæ*, c. 3, n. 10, inter Oper. S. Bern.)

Felix hæc servitus, imo gloriosa libertas, qua quis sponte in regiam venditus servitutem, Deum et ejus vicarios potius, quam seipsum, super se regnare constituens, suæ prorsus renuntiat voluntati. (S. Bonav., *Specul. discip. ad Novat.*, part. I, c. 4, in fin.)

Via obedientiæ est via regia, quia homines inoffenso pede ducit ad summitatem, etc. (S. Vincent., Ferrar., *De vita spirit.*, c. 4.)

Homo, qui sub obedientia sancta consistit, et continue regula directionis dirigitur et instruitur, a diaboli deceptionibus tutus est, etiamsi pater ipse spiritualis aliquando aliqualiter erraret ; Deus enim propter humilitatem obedientiæ totum ei disponit ad bonum, sicut probari posset multis auctoritatibus et exemplis. (*Ibid.*, c. 10, paulo post init.)

Sectio septima. — *Quia ductore carens in errores et pericula sæpius incurrit.*

Consilii expers similis est navigio rectore carenti, quod quibuslibet ventorum flatibus committitur. (S. Basil., *Orat. de felicit.*)

Ptolomæus qui ultra sexdecim in ea, quæ dicitur κλιμαξ, id est, scala, habitavit... et per quindecim annos in ea sancte perstitit, a seductore dæmone illusus et præceps datus est in profundum interitus, cum nullum unquam convenisset ex SS. Patribus, qui sapienter gubernaverant... sed inventus absque gubernatore, in extremum mortis profundum cecidit, et sicut arbor viridibus foliis comata et fructibus ornata, quæ unico temporis momento omnibus simul est nudata, reddita est arida, nam, ut scriptum est (*Prov.* xi, 14 sec. LXX : *Quibus non est gubernatio decidunt ut folia.* (Pallad. episc., *Histor. Laus.*, c. 33.)

Sicut civitas muris diruta et non circumdata, sic et vir, qui non cum consilio aliquid agit. (*Prov.* xxv, sec. LXX ; Cassian., coll. 2, c. 4.)

Recolite Heronem senem 50 annis in hac eremo commoratum ante paucos admodum dies illusione, diabolica a summis ad ima dejectum... in puteum se præcipitem dedisse, et in deceptionis suæ errore vitam tertia die finiisse... Nonne quia suis definitionibus regi, quam consiliis vel collationibus fratrum atque institutis majorum maluit obedire? (Cassian., coll. 2, c. 5.) [Vide plura similia exempla, *ibid.*, cap. 6 seq.]

Nihil est miserabilius, nihil quod citius expugnari queat his, qui nullos duces, nullos auctores habent ad viam Dei... ait enim Scriptura : *ii, quibus non est gubernatio, decidunt ut folia* (*Prov.* xi, 14); folium quidem in principio semper est viride, semper floridum, jucundum et delectabile, postmodum vero paulatim languet et arescit, ac mox decidit, inde contemnitur ac conculcatur ; pari modo se habet homo, qui a nemine gubernatur, aut regitur ; principio quidem fervorem habet quemdam ad obedientiam et cætera ejusmodi bona, deinde vero fervore illo sensim exstincto, si nullum habuerit, qui ei moderetur eum et fervorem illum jam exstinctum excitet, accendat, atque foveat et nutriat, is procul dubio arefactus et desiccatus cadit. (S. Doroth., doctrin. 5.)

Habeo, inquit dæmon abbati Macario, quemdam ex fratribus tuis, quem uti turbinem, cum volo, verso. Istiusmodi profecto homines amat diabolus ; his maxime delectatur, qui duce et gubernatore carent. — Tunc omnino miser cadit ac perit funditus ; quis enim ei, qui ejusmodi est, persuadere poterit ut credat? (*Ibid.*, paulo post init.)

Qui se instituere et docere volunt... coadjutores et cooperatores diaboli sunt, sibique ipsis insidias struunt. — Itaque, cum videris quempiam cecidisse, scito nullam aliam potiorem esse causam, quam quod cordi suo credidit, et se ipsum instituere voluit. Nihil hoc periculosius, nihil deterius. (*Ibid.* circa med.)

Seducti sunt, qui sibi ipsis confidentes nullo sibi duce opus esse arbitrati sunt. (S. Joan. Climac., grad. 1, c. 2.)

Qui cæcum duce, pastore gregem, viæ ignarum ductore, infantem patre suo, ægrotum medico, gubernatore navem destituit et fraudat, utrisque periculum parat. (*Ibid.*, grad. 4, *De obedientia*, c. 3.)

Seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori. (S. Bern., serm. 77 *in Cant.*, n. 6.)

Væ illi qui sibi confidit et solus sine ductore incedit ; nam leviter incidit in venatorum laqueos, et, cum inciderit, non habet sublevantem. (D. Gerhard. Zutphan, *De spiritualibus ascens.*, c. 51.)

ART. III. — *Quibus dotibus director instructus esse debeat.*

Sectio prima. — *Eæ dotes generatim exponuntur.*

Summa vigilantia acerrimaque in omnes partes animi circumspectione operam dato ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ studiis certissimum ducem sequare, ejusmodique, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere sciat commonstrare ; qui ornatus virtutibus sit ; cujus universæ actiones testimonio sint charitatem in eo erga Deum inesse ; qui divinarum Litterarum scientiam habeat ; virum integrum, nec ulli distractioni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, minime libenter gerendis se negotiis admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minime iracundum, injuriarum immemorem, natura propensum ad eos docendos, qui ad ipsum accedant ; quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat ; severum atque constantem ; cui denique nihil sit prætantius honore Dei. (S. Basil., serm. *De abdicatione rerum.*)

Talis debet esse, qui consilium alteri det, ut seipsum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.—Sit ejus sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia decora. — Talis debet esse, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, quod mores ejus et vitam refellat, nihil improbum ac malevolum, quod avertat consulentes. (S. Amer., lib. II *Offic.*, c. 17.)

Qui ex Sodomis fugiunt, angelis æquali, ut ita dixerim, adjutore homine opus habent. (S. Joan. Climac., grad. 4, c. 2.)

Spiritalis pater discretione sit providus, experientia probatus, ordinatus moribus, gravitate maturus, decoratus honestate, sanctarum Scripturarum gnarus, austerus in se, proximo compatiens, orationi assiduus, corde mitis, eloquio verax, et in omni, si possibile est, spiritali disciplina provectus. (S. Laurent. Justinian., *De obedientia*, c. 20 n. 2.)

SECTIO SECUNDA. — *Eædem dotes speciatim enumerantur.*

PUNCTUM I. — Prudentia.

Quis ei se committat, quem non putet plus sapere, quam ipse sapiat, qui quærit consilium? Quod si eum inveneris, qui vivacitate ingenii, mentis vigore atque auctoritate præstet et accedat eo ut exemplo et usu paratior sit, præsentia solvat pericula, prospiciat futura, denuntiet imminentia, argumentum expediat, remedium ferat in tempore, paratus sit non modo ad consulendum, sed etiam ad subveniendum; huic ita fides habeatur, ut dicat, qui consilium petit. (*Eccli.* XXII, 31) : *Etsi mala mihi evenerint per illum, sustinebo.* Hujusmodi viro salutem nostram et existimationem committimus, qui sit justus et prudens; facit enim justitia ut nullus sit fraudis metus, facit etiam prudentia ut nulla sit erroris suscipio. (S. AMBROS., lib. II *Officiorum*, c. 8.)

Debet enim semper subtili examine bona malaque discernere, et quæ, vel quibus, vel quando, vel qualiter congruat studiose cogitare. (S. GREG., *Pastor.*, part. II, c. 2.)

Medici artis periti hoc habent proprium, ut non omnibus æqualiter, sed singulis diversa, prout expedire perspexerint, impertiantur medicamenta... Quo præstantior anima corpore natura, diuturnitate, officio et moribus, eo sollicitior in reparatione ipsius adhibenda prudentia. — Si discretionis caruerit libra, subjectorum augebit potius quam minuet passiones. Et emissa imprudenter Verbi Christi sagitta vulnus vulneri, et languorem addit ipsi languori. (S. LAURENT. JUSTINIAN., *De institut. et regim. prælatorum*, c. 8, n. 1.)

Non uno eodemque medicamento animarum sunt medendi languores, sed juxta singulorum qualitates sunt impertienda remedia. (*Ibid*, c. 14, num. 6.)

PUNCTUM II. — Doctrina.

Erudimini, qui judicatis terram. (*Psal.* II, 10.)

Quis enim se committat ei, quem non putet plus sapere, quam ipse sapiat, qui quærit consilium? — Quid consulas hominem quem non arbitreris posse aliquid melius reperire quam ipse intelligis? (S. AMBROS., lib. II *Offic.*, c. 8.)

Per ignorantiam hi etiam, qui sequuntur, offendunt. (S. GREG., *Pastor.*, part. I, c. 1.)

Quomodo docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere. (S. ISIDOR. Hispal., lib. III *Sententiarum*, c. 35.)

Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. (*Matth.* XV, 14.)

Ignorans utique ignorabitur, imo et multos ignorare faciet et ignorari. (S. BERN., *in hæc verba* [*Matth.* XIX, 27] : « *Ecce nos reliquimus omnia,* » init.)

Istos decet esse oculis plenos ante et retro, sicut sancta quatuor animalia, quatenus suos suarumque ovium spirituales agnoscant gressus. (S. LAURENT. JUSTIN., *De regim. prælatorum*, c. 15, n. 1.)

Quam, quæso, spem valet habere pertingendi, quo cupit accedere, qui viarum ignarus inexpertum peregrinationis, qua gradiendum est, habens comitem, per singulas pene horas, an recte incedat, dubitare impellitur? (S. LAUR. JUSTIN., *De humilitate*, c. 18, n. 1.)

PUNCTUM III. — Pietas et benevolentia.

Advertimus quod in acquirendis consiliis plurimum adjungat vitæ probitas, virtutum prærogativa facilitatis gratia. — Quis in cœno fontem requirat? Quis e turbida aqua potum petat? Itaque, ubi luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis non despiciat morum colluvionem? Quis utilem causæ alienæ judicet, quem videt inutilem vitæ suæ? — Quomodo eum potes judicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet esse, cui me committere paro. An vero idoneum eum putabo, qui mihi det consilium quod non dat sibi, et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacet, cujus animum voluptates occupent, libido devinciat, avaritia subjuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic consilii locus, ubi nullus quieti? (S. AMBROS., lib. II *Offic.*, c. 12.)

Necesse est ut præstantior sit, a quo consilium petitur, quam ille est, qui petit. (*Ibia.*, c. 8.)

Imitator Christi esse debet, qui potest consilium dare. — Quis, quamvis instructum ad consilii opem, difficilem tamen accessu ambiat, in quo sit illud, tanquam si quis aquæ fontem præcludat? Quid enim prodest habere sapientiam, si consilium neges? Si consulendi intercludas copiam, clausisti fontem, ut nec aliis influat, nec sibi prosit. (*Ibid.*, c. 12.)

Audiant prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro : erudimini, qui judicatis terram, discite qui judicatis terram, discite subditorum vos matres esse debere, non dominos; studere magis amari, quam metui; et, si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica; matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. (ID., serm. 23 *in Cantic.*, num. 2.)

Si doctus fuerit, non sit autem bonus, verendum ne non tam nutriat doctrina uberi, quam sterili vita noceat. (S. BERN., serm. 76 *in Cantic.*, num. 10.)

PUNCTUM IV. — Sincerus animarum zelus, propriisque commodis minime studens

Da animas, cætera tolle tibi. (*Gen.* XIV, 21.)

Argentum et aurum aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis. (*Act.* XX, 33.)

Non quæro quæ vestra sunt, sed vos. (*II Cor.* XII, 14.)

Libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris. (*Ibid.*, 15.)

Non... quæro datum, sed requiro fructum (*Philip.* IV, 17.)

Neque in occasione avaritiæ. (*I Thess.* II, 5.)

Boni vir consilii dicit cum Paulo (*Philip.* IV, 11; *I Tim.* VI, 10) : Ego autem didici in quibus sum sufficiens esse, sciebat enim omnium malorum radicem esse avaritiam, et ideo suo contentus erat, alienum non requirebat : satis, inquit, mihi est, quod habeo, sive parum, sive plurimum habeam, mihi plurimum est. — Sufficit, inquit, mihi, in quo sum, id est, nec deest, nec superfluit; non deest, quia nihil quæro amplius ; non superfluit, quia non soli mihi habeo, sed pluribus.— Sciebat abundare, quia non quærebat datum in pecunia, sed requirebat fructum in gratia. (AMBROS., lib. II *Offic.*, c. 17, paulo post med.)

Hoc boni sacerdotes debent fideliter desiderare, ut filii eorum pro salute animæ suæ assiduis eos interrogationibus inquietent... Cupimus a vobis istam desiderabilem inquietudinem assidue sustinere, dummodo animas vestras videre mereamur in Christi amore proficere. (S. CÆSAR., hom. 26, prope fin.)

Ipsi me utantur, ut libet, tantum ut salvi fiant; parcent mihi, si non pepercerint; et in eo potius requiescam, si non me inquietare timuerint pro necessitatibus suis. (S. BERN., serm. 52 *in Cant.*, n. 7.)

ART. IV.— *Quomodo cum directore unusquisque se gerere debeat.*

SECTIO PRIMA. — *Religiose.*

Sic universa complere, quæcunque fuerint a præposito præcepta, tanquam si a Deo sint cœlitus edita, sine ulla discussione festinant. (CASSIAN., *De institut. renunt.*, lib. IV, c. 10.)

Præposito subjecti, tanquam capiti membra, præcepta ejus velut imperium Dei summo amore, custodiant. (S. PROSPER, seu JULIAN. Pont., lib. II *De vita contemplativa*, in Præf.)

Quicunque revera volunt Christi addiscere voluntatem, Patrum animas summa cordis humilitate et sine cogitationum hæsitatione interrogantes, quæ illi consulunt, tanquam ex Dei ore suscipiant.. etiamsi non sint valde spiritales (qui interrogantur); neque enim est injustus Deus, ut animas decipiat, qui se per fidem proximi consilio atque judicio humiliter submiserint. (S. Joan. CLIMAC., grad. 26, circa med.)

Obedientia, quæ exhibetur majoribus, Deo exhibetur; ipse enim dixit (*Luc.* X, 16) : *Qui vos audit, me audit*, unde quidquid vice Dei præcipit homo, quod non est certum displicere Deo, haud aliter accipiendum est, quam si præciperet Deus. Quid enim interest utrum per se aut per suos ministros, sive homines, sive angelos, hominibus innotescat suum beneplacitum Deus? (S. BERN., *De præceptis et dispensatione*, c. 9, n. 21.)

Sive Deus, sive homo Dei vicarius mandatum tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum. (*Ibid.*, n. 19.)

Tanquam Deo obedias : ipsi enim rectores nonne sunt vicarii Dei super nos, et ideo debemus eis sicut Domino obedire, et non sicut hominibus, quia non propter ipsos, sed propter Deum eis subjacemus. Talem te exhibeas ei, ut libere jubeat te facere, aut omittere, quidquid viderit expedire; quia, si ipse timet te, jam servus major est domino suo, et discipulus est super magistrum. (S. BONAV., *De instit. novit.*, part. I, c. 2.)

SECTIO SECUNDA. — Candide et ingenue.

Nullum animi sui motum apud semetipsum celatum debent retinere... Hoc enim modo fiet, ut et, quod laude dignum sit, confirmetur, et, quod minus probandum, congruo remedio sanetur. (S. BASIL., *Regul. fus. disp.*, resp. 26.)

Ad perfectionem ut facile perveniant, consequenter instituuntur nullas penitus cogitationes in corde prurientes perniciosa confusione celare, sed confestim ut exortæ fuerint eos suo patefacere seniori. — Generale namque et evidens indicium diabolicæ cogitationis esse pronuntiant, si eam seniori confundimur aperire.— Ita sit ut in nullo circumvenire juvenem callidus inimicus velut inexpertum ignarumque prævaleat, nec ulla fraude decipere, quem prævidet non sua, sed senioris discretione muniri, et suggestiones suas, vel ignita jacula, quæcunque in cor ejus injecerit, ut junior seniorem celet, non posse suaderi. — Aliter quippe subtilissimus diabolus illudere vel dejicere juniorem non poterit, nisi cum eum seu per arrogantiam sive per verecundiam ad cogitationum suarum velamen illexerit. (CASSIAN., lib. IV *De instit. renuntiat.*, c. 9.)

Serpentis capita, id est, cogitationum principia semper observa, ad seniorem scilicet mox ea deferens; ita enim disces perniciosa ejus initia conterere, si nihil ex eis seniori tuo erubueris revelare. (ID., lib. IV *Institutionum*, c. 37.)

Humilitas his indiciis comprobetur, 1° Si mortificatas in se habeat omnes voluntates. 2° Si non solum actuum suorum, verum etiam cogitationum nihil suum celaverit seniorem. 3° Si nihil suæ discretioni, sed judicio ejus universa committat, ac monita ejus sitiens ac lubenter auscultet. 4° Si in omnibus servet obedientiam. (*Ibid.*, c. 39.)

Humilitatis hæc erit prima probatio, si universa, non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini, ut nihil quis suo judicio credens illorum per omnia definitionibus acquiescat. (*Ibid.*, collat. 2, c. 10.)

Absque ullo confusionis operimento omnia debent senioribus revelari, atque ab eis vel remedia vulnerum, vel exempla conversationis vitæ fiducialiter sumi. (*Ibid.*, c. 13, in fin.)

Vulnera clausa plus cruciant, quia, cum putredo, quæ intrinsecus fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. (S. GREG., lib. VII *Moral.*, cap. ult., et *Pastor.* lib. III, admonit. 15.)

Cogitationes quæ te oppugnant, omnes seniori patefacere non erubescas, si vis levationis solatium invenire; dæmones enim non nisi ex homine qui

cogitationes suas tegit, seu malæ, seu bonæ sint, gaudium percipiunt. (B. Isaias, orat. 4.)

Si ad sanitatem festines, vide ut nihil vel modicum de te ipso agere præsumas medico inconsulto ; a quo, si operam medicantis exspectas, necesse est ut vulnus tuum semper ei detegere non erubescas : erubesce, sed tamen revela totum, nec abscondas. (*Epist. ad Fratres de Monte Dei*, c. 9, inter Opera S. Bern.

Veretur hostis consilium suum ingerere non celanti. (S. Bonav., *Specul. discipl. ad novit.*, part. II, c. 1, init.)

Sectio tertia. — *Humiliter et absque præcepti discussione.*

Non judices contra judicem, quoniam, secundum quod justum est, judicat. (*Eccli.* VIII, 17.)

Tolle corpus exanime, et, ubi placuerit, pone ; videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum ; quod si statuatur in cathedra, non alta sed ima respiciet ; si collocatur in purpura, pallescit. Hic verus obediens est, qui cur moveatur non dijudicat, ubi locetur non curat, ubi transmutetur, non instat, etc. (S. Anton., apud S. Athan., in ejus Vita.)

Hoc, quod ab ipso Christo docemur, dum ait (*Joan.* XXI, 17) : *Pasce oves meas...* Quo igitur modo oves pastori obtemperant quocunque duxerit euntes, sic Dei cultores ductoribus convenit obedire. — Non secus ac faber aut architectus ad arbitrium suum quolibet artis suæ utitur instrumento, nec unquam instrumentum operi seipsum negat, sed manui artificis cedit ; ita quoque verum pietatis cultorem in omnibus duci suo parere necessum est, ne, dum id, quod præceptori rectum videtur, facere detractat, spiritualis ædificii consummationem impediat. — Sicut instrumentum, quid ad opus conferat, sibi non eligit, sic et ille, qui virtutum exercitiis incumbit, quid in spirituali fabrica præstet, proprio ne definiat arbitrio, sed artificis prudentiæ ac dispensationi sui committat informationem. (S. Basil., *Constitut.*, c. 22, sub fin.)

Potestatem sui ipsius ne ad punctum temporis habeat spirituali vacans exercitationi, quo propriis liceat occupari negotiis : nec enim absente fabro videas instrumentum sponte agitari. — Nec ad brevissimum tempus a corpore separabitur membrum, aut sine ejus, qui intus præsidet, opificis voluntate moveri poterit. (*Ibid.*, c. 27.)

Debent sic propriæ renuntiare voluntati, ut ab inanimatis corporibus, aut a materia, quæ artifici proposita est, nihil differant. (S. Nilus, *Lib. ascetic.*)

Nec super earum (cogitationum suarum) judicio quidquam suæ discretioni committere instituuntur, sed illud credere malum esse vel bonum, quod discusserit ac pronuntiaverit senioris examen. (Cassian., *Institut.*, lib. IV, c. 9.)

Sic universa complere, quæcunque fuerint a præposito suo præcepta, tanquam sint a Deo cœlitus edita, sine ulla discussione festinant, ut nonnunquam etiam impossibilia sibimet imperata ea fide ac devotione suscipiant, ut tota virtute ac sine ulla cordis hæsitatione ea perficere ac consummare nitantur, et nec impossibilitatem quidem præcepti pro senioris reverentia metiantur. (*Ibid.*, c. 10.)

Nihil discernens, nihil dijudicans ex his quæ tibi fuerint imperata, cum omni simplicitate obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens esse judicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit. (*Ibid.*, c. 11.)

Unum sane atque idem inobedientiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otii desiderium senioris violare præceptum : tamque dispendiosum est pro somno, quam pro vigilantia monasterii statuta convellere. (Id., collat. 4, c. 20.)

Obedientia est inexaminatus atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens... Nihil resistit, nihilque discernit mortuus in bonis, aut iis quæ videntur mala... obedientia est discretionis depositio inter divitias discretionis. — Cum cervicem nostram in Domino inclinare atque alteri credere desiderio acquirendæ humilitatis ac propriæ salutis insistimus, ante hujus militiæ ingressum, si qua est in nobis calliditas et prudentia, gubernatorem cautissime examinemus et discernamus, atque, ut ita dixerim, tentemus... Cum vero pietatis et obedientiæ stadium ingressi fuerimus, minime jam optimum institutorem nostrum in aliquo penitus dijudicare licebit, etiamsi in illo, homo enim est, modica aliqua delicta animadvertimus ; si vero alias fecerimus, nihil nobis obedientia prodesse poterit. — Cum tibi cogitatio suggesserit ut prælatum aut dijudices, aut damnes, ab ea non secus quam a fornicatione desistas, neque prorsus huic serpenti requiem præstes, non locum, non ingressum, non initium : loquere ad hujusmodi draconem, atque eum his verbis incesse : O malignissime seductor, non ego ducem meum judicandum suscepi, sed ille mei, non ego illius, sed ille mei judex est. — Secure majoribus credamus in Domino, qui curam nostri susceperunt, etiamsi quædam imperent quæ contraria ac saluti nostræ videantur adversantia : tunc enim fides ad illos nostra velut in fornace humilitatis comprobatur. Obedientia igitur etiam in iis quæ nonnunquam videntur sine ratione præcipi, colenda et probanda est. (S Joan. Climac., grad. 4.)

Nescit judicare, quisquis perfecte didicerit obedire. (S. Greg., *in I Reg.*, lib. II, c. 4.)

Quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere... velut contempto divino altari ad aras dæmonum responsa præcipiunt, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinventionibus credunt et salubribus prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur. (*Ibid.*, lib. VI, c. 15.)

Nec suscipiet Christus nummum obedientiæ, nisi et integer inveniatur, et sine aliqua falsitate : nam, si discutimus, si dijudicamus, in hoc quidem præcepto obedimus, et non in illo ; fractus est nummus,

non suscipiet eum Christus : si quis obediat, sed simulatorie, aut ad oculum, murmuret autem in abscondito, falsus est nummus ejus ; plumbum habet, non argentum, et iniquitas ejus sedet super argentum plumbi. (S. Bern., serm. 2 *De sancto Andrea.*)

Discernere superioris est, inferiorum obedire. (*Ad fratres de Monte Dei, Epist. de vita solitaria*, c. 5, inter Opera S. Bern.)

Hæc omnis sit ejus discretio, ut in hoc nulla sit discretio, et hæc omnis sapientia ejus sit, ut in hac parte nulla ei sit. (*De vita solitaria*, c. 5, num. 14, in fin., inter Opera S. Bern.)

Non licet tibi vivere de cætero pro velle tuo, sed quo ductor tuus ire jubet, et quod ipse prohibet, cavere debes ; quia, qui artem aliquam addiscere cupit, sui doctoris regulas debet tenere, et proprias adinventiones relinquere, et infirmus, qui adhuc accessiones vitiorum patitur, debet servare dietam, quam ei suus medicus indicit, si cito et plene vult curari. (S. Bonav., *De instit. novit.*, part. 1, c, 2.)

CAPUT IV.

In seminario vel alio quopiam clericorum sodalitio vitam agere.

ART. I. — *Quod clericis in seminario vel alio clericorum sodalitio videndum sit.*

Omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognoscimus, juniores, lectores, etc., secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant, et eos, quomodo boni patres spiritualiter nutrientes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, et in lege Domini erudire contendant, etc. (*Conc. Vasens.* II, can. 1, ann. 529.)

(Infantes) mox cum detonsi, vel ministerio electorum contraditi fuerint, in domo ecclesiæ sub episcopali præsentia debent erudiri. (*Conc. Tolet.* II, c. 1, ann. 531, et refertur distinct. 28, c. 5. Ibi loco *electorum*, legitur *lectorum*.)

Canonici et clerici civitatum, qui in episcopiis conversantur, consideravimus ut in claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulque in uno reficiantur refectorio, quo facilius possint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vita et conversatione sua admoneri et doceri, victum et vestitum juxta facultatem episcopi accipiant, ne,paupertatis occasione compulsi per diversa vagari ac turpibus se implicare negotiis cogantur, dimissoque ecclesiastico officio incipiant indisciplinate vivere, et propriis inservire cupiditatibus. (*Conc. Turon.* III, sub Carolo Magno, ann. 813, can. 23.)

Simul dormiant... ad mensam similiter lectionem audiant, et obedientiam secundum canones suis magistris exhibeant. (*Conc. Mogunt.*, can. 9, ann. 813.)

Necessaria res exigit, ut juxta ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis vacent. Itaque omnibus unum sit refectorium ac dormitorium, seu cæteræ officinæ ad usus clericorum necessariæ. (*Synod. Rom.*, sub Eugenio II, et Leone IV, c. 7, et refertur 12, q. 1, c. 3.)

Statuimus ut ii prædictorum ordinum (scilicet sacerdotes, diaconi, subdiaconi) qui decessori nostro (Leoni) obedientes castitatem servaverunt, juxta ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant, et quidquid eis ab ecclesiis venit, communiter habeant, et rogantes monemus ut ad apostolicam, communem scilicet vitam, summopere pervenire studeant. (Nicolaus II, in *Conc. Rom.* 113 episc., ann. 1059, can. 4, et refertur distinct. 32, c. 6 ; præter part. I, t. IX, (*Conc.* Labb., p. 1099, edit. Paris. p. 1671.)

Ut nullus laicus ad quemlibet gradum ecclesiasticum repente promoveatur, nisi post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter clericos fuerit comprobatus. (*Ibid.*, can. 13.)

Væ clerico soli, quia, cum non habeat emolumentum societatis, et facilius cadit, et, cum ceciderit, non habet sublevantem se. (*Synod. Senon.* ann. 1528.)

Cum nec Joannis Baptistæ austeritas, nec Christi invicta popularitas probari potuerit.... quid conservandæ dignitati clericali convenientius, quam ut clericalis cohabitatio a sæculari sit secreta ? (*Synod. Ebroic.*, ann. 1576.)

Quia tua fraternitas, monasterii regulis erudita, seorsum vivere non debet a clericis suis in Ecclesia Anglorum, etc.; hanc debet conversationem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, etc. (S. Greg. Magn., *Ad Aug., interrog.* 1, *Regist. epistol.*, lib. XII, indict. 7, epist. 31.)

Puer plane Samuel post ablactationem nequaquam domum cum parentibus remeat, sed circa templi ministerium jugiter perseverat... nunc e contra ii, qui divinis sunt cæremoniis mancipati, ecclesiæ sacraria remota contemnunt, habitare vero inter forensis strepitus murmura concupiscunt. — Hoc tempore clericis parum videtur, si sua Deo vivendo carnaliter substrahant, nisi etiam ab ecclesiasticæ procurationis excubiis per angiportus et nundinarum stationes habitando secedant. — *Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria.* (*Num.* I, 53.) Si ex præcepto Domini Levitæ castra sua juxta tabernaculum figunt, nec secedere tabernaculo, vel inter turbas habere hospitium permittuntur ; cur nunc clerici juxta divinæ constitutionis edictum abhorreant apud ecclesiam degere, ut tanto liberius, quanto quietius in sacri eloquii valeant meditatione vacare ? et saltem hoc præstent ecclesiæ.... quod illi deferebant tabernaculo. (S. Petr. Dam., *De comm. vita cleric.*, opusc. 27, c. 1.)

Quapropter obsecro sanctitatem vestram, expulso Pharisæorum fermento, nativitatis vestræ domos

cum Abraham patriarcha relinquite, in uno vos cœnaculo cum apostolis apud ecclesiam congregate.... ut in fraterna vos unanimitate viventes Spiritus sanctus merito dignetur invisere. (S. Petr. Dam., *De comm. vit. cler.* c. 3.)

De sectis lapidibus altare reprobat Deus... Secti quippe lapides sunt, qui fraternæ societatis consortium respuunt, qui vivere cum fratribus, et conversari concorditer nolunt. Tales autem Christus in suo non recipit corpore, quos a membrorum suorum sectos judicat unitate. (*Ibid.*, c. 5.)

ART. II. — *Cur clericis in seminario vivendum.*

Sectio prima. — *Propter hujuscemodi societatis commoda.*

Melius est duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ : 1° Si unus ceciderit, ab altero fulcietur : væ soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se. 2° Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo : unus quomodo calefiet? 3° Et, si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei : funiculus triplex difficile rumpitur. (*Eccle.* iv, 9, 10, 11, 12.)

Ubi omnia communia, animi, mentes, corpora, eaque, quibus necessario ad cultum et victum utimur, communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia et certaminum coronæ; ubi multi unus, et unus non solus, sed in pluribus. Huic vitæ instituto quid est tandem quod jure æquiparari possit? Quid beatius dici? etc. — Homines ex diversis nationibus ac regionibus profectos per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeo veluti in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantum animus inesse videatur, vicissimque plura corpora unius mentis instrumenta cernantur. In his, qui infirma corporis valetudine est, is complurium animas infirmitatis suæ participes habet; qui vero animo æger est et affligitur, ei complures præsto sunt, a quibus curetur, et a quibus assidue erigatur : hi æquabili jure inter se alii aliorum et famuli sunt et domini, et invicta libertate summam inter se servant servitutem... tales nimirum nos Deus esse voluerat, cum nos ab initio finxit, atque in hunc finem creavit. (S. Basil., *Constitut. monast.*, c. 18, paulo post init.)

Ad multa utilius est ut in eodem loco plures simul vivant. 1° Ut pes virtute sua diu uti non potest sine reliquorum membrorum adjumento, sic, etc. — 2° In vita solivaga inutile nobis est quod præsens est, et quod abest aliunde habere non possumus. (Id., *Reg. fus.*, disp. 7, circa init.)

Unusquisque nostrum, quocunque alio laboret vitio, pudore tamen fratrum sæpe numero victus maximam curam ac studium adhibet, ut integer esse videatur et immunis lateat. (S. Cyril. Alex., *De adoratione in spiritu et verit.* lib. xii, qui est *De sacerdotio.*)

Cuncta, quæ sub cœlo, perscrutatus jucunda et læta sanctus David novissime omnium hæsitans vel exsultans aiebat (*Psal.* cxxxii, 1) : *Ecce nunc quid bonum et jucundum?* nihil sane aliud, *quam habitare fratres in unum.* (S. Joan. Climac., grad. 4, n. 43.)

Socialis vita donum gratiæ est. (S. Bern., serm. parv. 73, nunc serm. 92 *De diversis*, n. 2.)

Si juxta Petri vocem diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, qui fraterni consortii caulas deserit, ultroneus se cruentæ belluæ morsibus tradit — Bucula namque in armento compascens lupi non timet incursum; cum vero solivaga præsumit silvarum lustra percurrere, ferarum compellitur ingluviem saturare. — Turmatim anseres volitantes accipitrem parvi pendunt; aliquando qui defuerit, rostro perfossus et unguibus non evadit.— Apes in alvearis congregatæ mellificant, et quandiu in unum coeunt, ex earum laboribus dulces favi regibus apponuntur, et si dissiliunt, ac relicto duce vagabundæ pervolitant, famis necesse est inopia contabescant. — Hostium vallatus insidiis, si cum eo, quo constipatur, abstiterit, hostilibus se jaculis præda factus exponit. (S. Petr. Dam., opusc. 27, *De communi vita canonic.*, c. 3.)

Videmus quod plures homines, quando sunt congregati, incedunt securius, resistunt fortius, solatiantur jucundius; unde dicitur in *Ecclesiaste* (iv, 9) : *Melius est duos esse simul quam unum.* (S. Bonav., *Diæt. salut.* tit. 4, c. 1.)

Sectio secunda. — *Quia in seminario clericorum innocentia a vitiorum et sæculi illecebris tuta est.*

Omnis ætas ab adolescentia in malum prona est; nihil enim incertius quam vita adolescentium... Ob hoc constituere oportuit, ut si qui in clero impuberes, aut adolescentes exsistunt, omnes in uno conclavi atrii commaneant, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem et magistrum disciplinæ et testem vitæ habeant... Qui autem his præceptis resultaverint, monasteriis deputentur, ut vagantes animi et superbi severiori regula distringantur. (*Conc. Toletan.* iv, c. 24, ann. 633, et refertur distinct. 12, quæst. 1, c. *Omnis ætas.*)

Sunt igitur ea potissimum de causa seminaria erecta, ut in iis boni strenuique operarii ad curationem animarum, quas suo sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur, et ii quidem adolescentes, qui ob ætatem, cum tenera sit et proclivis ad voluptates, et flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendas, in operibus virtutum eruditi debent, ut eam vitæ perfectionem adipiscantur, quæ in iis, qui doctores populorum futuri sunt, elucere debet, et severioribus disciplinæ legibus coercendi. (*Acta Ecclesiæ Mediolan., De institutionibus seminarii*, part. iii, c. 1.)

Sectio tertia. — *Quia in seminario instituuntur clerici.*

Punctum I. — Ad pietatem et ecclesiasticam disciplinam.

Seminariorum fundatio eo tendit, ut clerici ad

pietatem, religionem, ecclesiasticam disciplinam, bonos mores et litteras erudiantur. (*Conc. Rothomag.* ann. 1581, c. ult., num. 17.)

Cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte aut sine maximo ac singulari propemodum omnipotentis Dei auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret... (*Concil. Turon.*, ann. 1583, c. 21; et *Trid.*, sess. 23, c. 18.)

Quam utilis sit seminarii institutio ac necessaria ad cleri disciplinam in singulis Ecclesiis propagandam animarumque salutem procurandam ex eo intelligi potest, quod hujus rei salutaris ratio aliquando intermissa damna et detrimenta non mediocria Ecclesiæ Dei attulit. (*Synod. Aquensis*, ann. 1585; *Conc. Mediol.* v, part. III, tit. *De seminario.*)

Seminariorum institutio in Ecclesia Dei summopere fructuosa est, quo clericalis militiæ propagatur ordo, et progressio tantopere necessaria, ut stare ecclesiastica disciplina sine illorum subsidio et adminiculo vix possit. (*Conc Aquileiense*, ann. 1596, c. 12, init.)

Beatus in sociali vita cum fratribus permanens.... ibi enim homo in virtute probatur et exercetur, etc. ibi ad perfectiora verbo et exemplo trahitur; ibi suam imperfectionem considerare et lugere compellitur; ibi alterius fervore excitatur, alterius humilitate docetur, istius patientia, illius obedientia movetur, etc.; ibi alterius correctio fit ipsius admonitio; ibi alienum periculum proprium efficitur speculum; ibi unius vigilantia alterius est custodia; ibi homo portat et portatur; ibi multa audit et videt, unde docetur; ibi boni commendantur, ut meliores fiant; ibi negligentes arguuntur, ut refervescant, etc.; hæc enim angelicæ vitæ æmulatrix est. (S. Thom. a Kempis, I part., serm. 2.)

Punctum. I. Ad præstandum Ecclesiæ utile ministerium.

Nihil exquisitius (seminariorum institutione) ut habeant diœceses plerosque omnes ministros bene idoneos ad laudabiliter obeundum munus suum, et non paucos excellentes eruditione et pietate. (*Conc. Cameric.*, ann. 1565; *De seminario*, cap. 1, t. XV *Conc.* Labb.)

Ad ecclesiasticæ vitæ normam et ingenuas artes dirigere juventutem (seminario) propositum est, ut pro suo quisque gradu et conditione, cum sibi ipse profuerit, Ecclesiæ etiam orthodoxæ pro virili parte prodesse possit et communi utilitati consulere. (*Conv. Melodun.*, ann. 1579, tit. *De legibus seminarii.*)

Quemadmodum enim agricola, nisi serat tempestive, non potest metere; ita Ecclesia Dei ex prædictis sacramentis fructus uberes per idoneos operarios afferre nequit, nisi seminaria, juventutis erudiendæ et moribus informandæ causa, foveat. (*Syn. Rhem.*, ann. 1583, tit. *De seminariis.*)

Ut vinea Domini ex illius præcepto rite semper colatur, multaque messis in ejus horreum reportetur, multis operariis opus est; quorum tamen non tam numerus, quam industria et virtus spectanda est : paucos enim idoneos et probatos habere satius est, quam multos inutiles, atque adeo ipso vitæ genere perniciosos. Danda nihilominus opera est ut et probi habeantur et multi, cum satis constet majora ex multis idoneis, quam ex paucis emolumenta percipi. Ut ergo talibus operariis nunquam destituatur Ecclesia, qui aliis in partem oneris vicissim succedant, saluberrimo decreto a sancta synodo Tridentina sancitum fuit ut in singulis metropolitanis et cathedralibus ecclesiis seminaria instituerentur, in quibus clerici a teneris annis ad pietatem et disciplinam ecclesiasticam informarentur. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, tit. *De seminariis.*)

Sectio quarta. — *Quia seminariorum ope pristinum clero et Ecclesiæ decus restituitur.*

Nihil dici aut cogitari potest hoc decreto (25) (*Conc. Trid., De instit. seminariorum*), exquisitius ad hæreses exstirpandas, et reddendum Ecclesiæ Dei pristinum suum nitorem et clero sacerdotioque pristinum suum decus, ac consequenter ut intra non multos annos Ecclesia mire floreat eruditione sacra, pietate, vitæque puritate... atque adeo jam inde ab initio Ecclesiæ vix quidquam præclarius aut efficacius institutum esse videatur ad reddendum Ecclesiæ Dei florentissimum statum Litterarum sacrarum cognitione, pietate, religione, vitæque puritate. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, tit. *De seminariis*, c. 10, p. 157, t. XV *Conc.* Labb.)

ART. III. — *Quid in seminario præstandum clericis.*

Sectio prima. — *Erga superiores.*

Quoniam omnem ordinem sine obedientia pertubari necesse est, omnes profecto et suis moderatoribus parere diligenter oportet. — Præfectum et moderatores suos tanquam patres intueantur, seipsos vero bonos filios, ut decet, præbeant. (*Conv. Melodun.*, ann. 1579, tit. *Leges seminar.*, c. 3, n. 1.)

Se promptos in iis rebus exsequendis præbeant, quæ illis, prout ratio temporis postulabit, præscribentur, vel campanæ sono signabuntur. — Nemo quidquam retinebit, quod superiori velit esse celatum. (*Ibid.*, n. 2.)

Suis præpositis obediant tanquam patribus, et ab eorum nutu toti pendeant, prompti et parati ad omnia quæ fuerint illis præscripta, nec minus patientes ad perferenda quæcunque incommoda. (*Synod. Rothom.* ann. 1581, c. ult., n. 27.)

Superioribus omnes et singuli debitam obedien-

(25) Vid. *Regul. clericorum.*

tiam et observantiam omnino præstent. — Si quid a rectore petierint, repulsamque tulerint, taciti acquieseant; quod si videatur eidem in memoriam revocandum, id postero die facere possunt; amplius nullomodo, nisi nova intercedente causa. — Erga rectorem ea sint animi affectione, qua filii erga parentem; ab eo si quid præter voluntatem imponitur aut negatur, id existiment ad utilitatem suam referri, pro certo habentes superiores ad id multis duci causis, quæ adolescentes plerumque lateant. — Eidem rectori libere suos sensus exponant, ut illis, prout opus fuerit, consulat, cum nihil sit difficilius adolescenti, quam immoderatis animi affectionibus per se moderari.— Litteras neque mittant ipsi, neque ad se missas aperiant, priusquam rectori ostenderint.— Conveniant omnes ad res communes, in ecclesiam, in cœnaculum ad primam mensam, in locum recreandis animis assignatum, et ad alia hujus generis, idque etiamsi peculiaribus occupationibus concionum, aliarumve ejusmodi rerum impediti teneantur, nec inde absque venia discedant, priusquam id absolutum fuerit, cujus causa convenerint. Qui secus fecerit, graviter punietur. Sic in aliis rebus publica semper privatis anteponant. (*Act. Eccles. Mediol., De semin. inst.*, part. III, c. 3.)

Sectio secunda. — *Erga se ipsos.*

Memor sit unusquisque vocationis suæ, eoque nomine sæpe Deo gratias agat, coneturque maxime vitam, ut clericum decet, instituere. — Modestiam ubique servent, in ecclesia præcipue, dormitorio, cœnaculo ac extra domesticos parietes, cum illa adolescentiæ peculiare sit ornamentum. — Caveant ne oculos huc illuc circumferant, ne loquantur altius, præsertim si multi sint, ne strepitum excitent, ne nimis festinanter incedant. (*Acta Eccles. Mediolan., De institut. semin.*, part. III, c. 3, ante med.)

Cum silentium permultum ad pacis pietatisque conservationem, ad studia, ad multas perturbationes evitandas conferat, nunquam colloquantur nisi de rebus necessariis, idque præcipue ante et post orationem, Missam, examen conscientiæ, sanctissimorum pœnitentiæ ac Eucharistiæ sacramentorum perceptionem, præterquam relaxationis tempore, quo de rebus utilibus sermones habere, sine tumultu tamen, licebit. — Vitent minus honesta verba, inanesque collocutiones. — In omnibus actionibus, motu corporis et verbis elationem et superbiam fugiant, cum ea homines Deo inimicos, et cæteris odiosos reddat. (*Ibid.*)

Studeant etiam modestiæ, virtuti et morum elegantiæ, et caveant aliis suo exemplo detrimento esse. (*Conv. Melodun.* ann. 1579, tit. *De legibus seminar.*, c. 2, n. 1.)

Silentium ubique servetur, etc., et in omnibus etiam locis ecclesiastica modestia eniteat. (*Conc. Burdig.* ann. 1583 a Greg. XIII approbatum, tit. *De seminar. legib.*, c. 6, p. 996, t. XV *Concil.* Labb.)

Sectio tertia. — *Erga conviventes clericos.*

Caveant per collegium vagari studiorum præsertim tempore, neque eo tempore, vel alio, quo id non licet, cum iis colloquantur, qui sibi obviam fiant, tempus conterentes. (*Conv. Melodun.*, tit. *De leg. semin.*, c. 3, n. 4.)

Nemo alterius cubiculum intrabit absque facultate præfecti. (*Ibid.*, n. 5.)

Cum iis tantum agent contubernalibus, cum quibus permittentur ad eorum utilitatem, neque pauciores tribus una erunt quietis tempore. (*Ibid.*, n. 7.)

Caveant alios verbis offendere, studeantque concordiam cum omnibus tenere. (*Ibid.*, c. 4, n. 2.)

Nemo ne joco quidem alium tangat, sed ubique et apud omnes eamdem tueantur modestiam. (*Ibid.*, n. 3.)

Mutuam charitatem ac benevolentiam omni studio amplectantur, ut, quemadmodum debent, tanquam unius corporis membra perfecto amoris vinculo colligantur. — Nihil inter ipsos differat, aut alter alteri præferatur, aut posthabeatur, omni divitis et pauperis, nobilis et obscuri discrimine sublato. — Alter alteri honorem exhibeat præcipue in superiori ordine constituto, maxime vero si sit sacris initiatus. — Hoc enim vel maxime mutuam alit benevolentiam, estque purgatæ conscientiæ et animi vere nobilis certissimum argumentum; non tamen reverendi aut domini, aut hujusmodi titulos usurpent; e contra vero ea loquendi ratione non utantur, quæ morum rusticitatem coarguat. — Nullus nisi proprio, aut familiæ nomine quemquam appellet, nec ei quovis modo illudat. — A privatis amicitiis, nimiaque inter se familiaritate abstineant; conventicula ne agant, ex quibus multa damna in congregationibus existunt; quamobrem sine ullo discrimine cum omnibus versentur. — Nunquam vero separatim ab aliis inter se colloqui, aut esse liceat, nisi tres saltem aut quatuor fuerint, præsertim autem relaxationis tempore. — Qui aliquid minus laudabile in quoquam perspexerit, aut aliquem correptione vel pœna dignum animadverterit, rectorem statim commonefaciat; qui secus fecerit, tanquam malorum fautor punietur. — Si crimen suum aliquod deferri contingat, auctorem non quærant; rescientes autem nullam male erga illum affecti animi significationem dent, conentur potius in posterum meliores fieri, neque ea admittere, propter quæ merito possint accusari. — Quas in aliis virtutes cernunt, eas in seipsis exprimere certatim contendant, humilitatis, obedientiæ, modestiæ exempla vicissim desumant: vitia, si quæ forte in aliis perspexerint, vitent; nullusque tam sit impius, ut alios pie aliquid agentes vituperare audeat, et dæmonis officio fungens eum ab operibus virtutum conetur abducere. (*Acta Eccles. Mediol., De instit. semin.*, part. III, art. 3, post. med.)

Non superiores modo, sed et majores omnes colent et observent, eosque, qua par est, modestia al-

loquantur. (*Conc. Burdig.* ann. 1583 a Gregorio XIII approbatum, *De legibus semin.*, c. 6.)

Plurimum itaque prodest unicuique bonis jungi, adolescentibus quoque utile ut claros et sapientes viros sequantur... (Hoc enim) ad instructionem plurimum proficit, et ad probitatis testimonium : ostendunt enim adolescentes eorum se imitatores esse, quibus adhærent. (S. Ambros., lib. II *Offic.*, c. 20.)

Nescit enim religio nostra personas accipere, sed merita inspicit singulorum. (S. Hier.)

Nullus etiam frater est puro nomine appellandus, sed proprio nomini apponendum est semper religiosæ prænominationis insigne ; sed nec solo cognomine vel nomine patriæ, puta, Lumbardus vel Gallicus frater est aliquis nuncupandus. (S. Bonav., p. I *Specul. discipl. ad novit.*, c. 6, ante med.)

Sectio quarta. — *Erga extraneos.*

Sine facultate præfecti etiam cum externis ne colloquantur. (*Conv. Melodun.*, tit. *Leges semin.*, c. 3, n. 7.)

Extra collegium nemo apud aliquem comedat; nisi apud suos parentes vel propinquos ; idque raro et cum facultate. (*Ibid.*, n. 9.)

Sectio quinta. — *Circa seminarii instituta et leges.*

Constitutiones ad clericos pertinentes semel ut minimum singulis mensibus in triclinio legantur, quibus ut cæteris omnibus, quæ a rectore præcipiuntur, obedientes erunt. (*Acta Eccl. Mediol.*, part. V, tit. *Quæ ad cleric. sem. pertinent*, sub fin.)

Non modo collegii communia decreta perstudiose observare oportet, sed etiam ea omnia quæ illis ad eumdem finem spectantia præscribentur. (*Conv. Melod., De leg. seminar.* c. 3, n. 1.)

Se promptos in iis rebus exsequendis præbeant, quæ illis, prout ratio temporis postulabit, præscribentur, vel campanæ sono significabuntur. (*Ibid.*, n. 2.)

Polliceatur se primario seminarii eique substitutis in omnibus obtemperaturum, ac leges omnes et statuta seminarii observaturum : alioquin intelligat se in seminario nullam moram facturum esse, sed statim ex eo ejectum iri, eaque de causa illi statuta illico legentur. (*Conc. Burdig.* ann. 1583, *De instit. et leg. seminariorum*, c. 2.)

Sectio sexta. — *Circa quædam specialia profectus spiritualis impedimenta.*

Discolos tandem et incorrigibiles malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo. (*Conc. Trident.*, sess. 23, c. 18 ; *Conc. Aquileiens.* ann. 1596 ; *Conv. Melodun.* ann. 1579, tit. *Leges seminarii*, c. 1, n. 7.)

Ea negligere, quæ ad pietatem, collegii institutum et præfectos pertinent, cum iis societatem inire qui minus proficiunt, facile obtrectare, suos errores deferri (licet ob eorumdem utilitatem fiat) moleste ferre, aut eos inficiari, aut excusare, pœnas injunctas graviter accipere, singulare aliquid velle, quod eis nequaquam expedire censeatur. Quæ quidem omnia vere impedimenta dicuntur : nam experientia compertum est, qui hanc et ejusmodi viam ingrediuntur, neque sibi ipsis prodesse, et obesse cæteris. (*Conv. Melodun.* ann. 1579, tit. *Leges seminarii*, c. 1, n. 8.)

Detur opera præcipue in sermonibus et confessionibus, ut omnis ex clericorum mentibus sitis et aviditas beneficiorum tollatur, ac proinde videatur ut ea de re ne ipsi quidem inter se colloquantur, ac iis sæpius inculcetur quam aversi ab omni rerum humanarum cogitatione ecclesiastici ordinis homines in via Domini ambulare debeant. (*Act. Ecclesiæ Mediolan., De institut. seminariorum*, part. I, c. 1.)

Qui etiam difficiles natura fuerint, nisi se verbis aut castigatione correxerint, diu non erunt in seminario retinendi, et quamvis desides ac rudes, etc. nulla ratione sint ferendi in seminario; multo magis animadvertere oportet in eos qui pietatem negligant, qui seminarii statuta passim violent, qui societatem cum protervis ineant, qui externorum colloquiis delectentur, qui facile obtrectare et murmurare soleant, qui suos errores (licet ob eorum utilitatem id fiat), deferri moleste ferant; qui mentiri, aut sua errata inficiari aut excusare soleant, qui pœnas injunctas graviter ferant ; qui singulare aliquid, quod iis nequaquam expedire censeatur, velint; qui procaciter, impudice, ironice loquantur, aut respondeant ; hæc enim et similia vitia sunt imprimis a toto seminario arcenda, et acriter, nemine excepto, corrigenda. (*Conc. Burdig.* ann. 1583, tit. *De legibus seminariorum*, c. 8, *De correctione.*)

Quia in communi conventu privatæ coitiones justitiam violant, quod æquali inter se vicissim charitate complecti omnes debent. — Ex conventu rejiciatur amor singularis, ex quo suspiciones, invidiæque oriuntur, nam ubique æqualitatis defraudatio invidiæ odiique materia ac seminarium existit iis qui ea defraudantur. — Qui unum aliquem magis quam cæteros diligit, is, quod non perfecte cæteros diligat, de se ipso indicio est. (S. Basil., serm. 2 *De institut. monac.*)

Partiales si quidem amicitias ac societatis dilectiones lex non permittit... Si quis ergo majori quadam animi propensione sit affectus erga fratrem aut cognatum, velut injuriam faciens communitati, castigetur ; nam redundantia affectionis in una persona multam accusationem affert defectus in aliis.— Affectiones, quæ in hanc magis quam in alteram partem propendent, plurimum incommodant communi omnium concordiæ; unde, qui majori propensione aliquem diligit... castigandus ut injurius publicæ charitati. (*Ibid.*, serm. 1.)

Charitatem siquidem mutuam habere inter se fratres debent, non ita tamen ut duo tresve seorsum a cæteris sodalitatem coeant, quandoquidem hoc non charitas est, sed seditio et divisio, et eorum, qui sic coeunt, improbitatis judicium... Si vero ipsi a reliquis sua sponte abscissi disjunctique in cœtu cœtum

efficiant, vitiosa hujusmodi amicitiæ conciliatio est. (S. Basil., *De constit. monast.*, c. 29.)

Quapropter ab omni societate et congressu procul arceatur singularis ista affectio, perinde ac pugna quædam indecens ; nam, ut hæc manifestas producit inimicitias, sic illa invidias et simultates generat. (Id., orat. 1 *De amore Dei et proximi*, paulo ante fin.)

Summa observantia custoditur, ne quisquam cum alio, præcipue juniores, vel ad punctum temporis pariter substitisse, aut uspiam secessisse, vel manus suas invicem tenuisse deprehendantur, si qui contra, etc... ut contumaces... non levis culpæ rei pronuntiati, suspicione etiam conjurationis pravique consilii carere non poterunt. (Cassian., lib. II *De institut.*, c. 15, circa med.)

Videas enim illos ambulare seorsim, convenire sibi et sedere pariter, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrium... ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam, conciliant inter se inimicissimas amicitias, et pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Haud secus egere quondam Herodes et Pilatus, de quibus narrat Evangelium, quia facti sunt amici in illa die, hoc est, in die Dominicæ Passionis. Convenientibus sic in unum jam non est Dominicam cœnam manducare, sed magis propinare et bibere calicem dæmoniorum. (S. Bern., serm. 24 *in Cant.*)

Immanis bellua illa devorans... singularis ferus depascens eam... ideo clericum commorari non patiantur... cui non sufficit communis regula, vel quod majorum exhortantur exempla, quatenus dicere possit : Non sum sicuti cæteri hominum, singulariter sum ego. (Id., grad. 5, *Superbia.*)

CAPUT V.

Crebras de rebus ad pietatem et disciplinam ecclesiasticam pertinentibus collationes habere.

ART. I. — *Quod collationes inter clericos frequenter habendæ.*

In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant a te. (*Eccli.* VI, 35.)

In singulas hebdomadas canonici cujusvis ecclesiæ capitulum habeant, in quo, cum quæratur an superioris concilii decreta serventur... tum legatur pars aliqua earum rerum quæ de vita et honestate clericorum nostris constitutionibus prescriptæ sunt, vel illarum quæ Catechismo Romano, aut aliis item libris expressæ ad Christianæ pietatis doctrinam vitæque ecclesiasticæ disciplinam et rationem pertinent : tum etiam in aliis spiritualis vitæ exercitationibus ipsi versentur. (*Conc. Mediolan.* II, tit. 2, decret. 13.)

Ad has privatas sacerdotalis studii exercitationes clericos etiam, qui intra illius parochiæ fines habitant, adhibeant, ut eos rerum ecclesiasticarum cognitione instructiores in ecclesiis habeant. — In qua parochia quinque saltem sacerdotes erunt, eos in singulas hebdomadas bis ad privatas inter se studiorum disceptationes parochus convocet. (*Ibid.*, decret. 30.)

Congregatio casuum conscientiæ singulis mensibus nunquam prætermittatur : ad congregationem convocentur omnes ; contumaces pœna pecuniaria plectantur. (*Conc. Aquileiense* ann. 1596, tit. decimo octavo, *De vicariis foranensibus.*)

Dicebat S. Antonius ad omnem quidem mandatorum disciplinam Scripturas posse sufficere, sed et hoc optimum fore, si mutuis se invicem fratres sermonibus consolarentur. (S. Athan., in *Vita S. Antonii*, paulo post init.)

Semper de Kalendis in Kalendis mensium, quando presbyteri de decaniis simul conveniunt, collationem habeant, etc. (*Capitular. Hincmar.*, p. III, c. 1, t. III *Conc. Gall.*, ad calc.)

De pretio escarum et de numero panum cum ministris quotidiana discussio est : rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. (S. Bern., lib. IV *De considerat.*, c. 6.)

ART. II. — *Cur frequenter collationes habendæ ?*

Sectio prima. — *Quia semper in Ecclesia habitæ a Christo cum apostolis.*

Christus cum apostolis congregatis de regno Dei disserens collationem dici potest cum illis habuisse. (*Matth.* XVI, 23, et XIII et cæteris, item *Act.* I, 3.)

Ab ipsis inter sese apostolis.

Convenerunt apostoli et seniores videre de verbo hoc. (*Act.* XV, 6.)

Ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum ipsis Evangelium, quod prædico in gentibus. (Galat. II, 2.)

Omnes (apostoli) in uno positi et Spiritu sancto repleti breve istud futuræ sibi prædicationis indicium, conferendo in unum quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt : Symbolum autem hoc multis et justissimis ex causis appellare voluerunt : symbolum enim Græce indicium dici potest et collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt : id enim fecerunt apostoli in his sermonibus, in unum conferendo quod unusquisque sensit. (*De exposit. Symboli apost.*, Præfat., inter Opera sancti Cypriani.)

Gratissima erat fratribus Antiochenis Pauli et Barnabæ præsentia corporalis, quorum collatione firmabantur in fide. (Cassiodor., *De amicitia.*)

(Vide S. Greg. homil. 10 *in Ezech.*, *in hæc verba*, [III, 13] : « *Audivi vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.* »)

Ab aliis quoque secum invicem viris sanctis.

Mane per singulas domos finitis orationibus, non statim ad suas cellulas revertentur ; sed conferent inter se quæ præpositos audierint disputantes [seu disserentes]. (*Regula S. Pachom.*, c. 7.)

Seniores ad beatum Antonium perfectionis inquirendæ gratia convenerunt, et a vespertinis horis usque ad lucem fuit protracta collatio. (Cassian., collat. 2, c. 2.)

Quod religiosi ad collationem veniunt, hoc a sanctis Patribus acceperunt, qui in vesperis solebant in unum convenire, et de Scripturis simul conferre, et quæ ipsi tunc invicem contulerant, collationes dicebantur : et hæc his similia ad collationem leguntur. (Honor. Augustodun., *Gemma animarum., De antiq. rit. Miss.*, lib. II, c. 63.)

Sectio secunda. — *Quia conducunt plurimum.*

§ I. — *Ad gloriam Dei*

Deus stetit in synagoga deorum. (*Psal.* lxxxi, 1.)

Chaldæus vertit : *Deus, cujus majestas commoratur in congregatione justorum, qui potentes sunt in lege.* (*Mystag. Cresol.*, lib. III, c. 40, et in *Biblia polyglotta.*)

Vel : *Deus divinitatem suam posuit in congregatione justorum*, etc. (*Bibl. maxim., in hunc psal.* in versione Chaldaica.)

Deus, qui glorificatur in concilio sanctorum. (*Psal.* lxxxviii, 8.)

Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. (*Matth.* xviii, 20.)

Si Deus adesse dignatur, ubi duo vel tres fuerint, quanto magis non deerit, ubi plures conveniunt sacerdotes. (S. Gregor., epist. 11 lib. vii, *Ad Siagrium Athen.* etc., circ. fin.)

Qui cum his qui in nomine ejus duo vel tres congregandi erant adesse se perhibuit, non utique tot multitudines zelo congregatas suæ pietatis, divinæ intelligentiæ ac ducatus exsortes desereret. (S. Germ., *Epist. ad Thomam Claudisp.* quæ habetur in synodo vii, act. 4.)

§ II. — *Ad profectum clericorum.*

Audivi vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram. (*Ezech.* iii, 13.)

Si quid unusquisque vestrum deesse sibi ad scientiam putat, ad communem id proferat inquisitionem : facilius enim pluribus simul conferentibus, si quid illud difficile, vel obtectum esse videtur, clarescit, Deo sine dubio inveniendi gratiam largiente. (S. Basil. Procem. *Reg. fus. disp.*)

Operæ pretium est, si statis quibusdam temporibus certisque locis consessus celebretur communis : qui præsunt... et de rebus iis quæ sibi præter rationem acciderint, tum de difficilibus, etiam ad tractandum de naturis aut moribus, et quomodo in singulis moderandis se gesserint vicissim inter se communicent et conferant, quo videlicet si quid aliquando minus recte ab aliquo factum fuerit, id adhibita locuplete multorum sententia majore cum auctoritate, quod in medium adductum est, quale sit, judicetur ; contraque, si quid recte gestum, multorum testimonio comprobetur. (S. Basil., *Reg. fus. disput.*, c. 54.)

Quoniam se quisque per seipsum emendare non facile potest, faciamus sodalitia et collationes ; et quod in conviviis pauperes faciunt, quoniam non potest quisque solus convivium exhibere perfectum, convenientes omnes ex symbolo convivium conferunt ; hoc et nos faciamus, postquam per nos ipsos torpidi sumus, collationes facientes inter nos consilium spondeamus conferre, et monitionem, et exhortationem, et increpationem, et minas, ut ex singulorum studio omnes recte agamus. (S. Chrysost., hom. 11 *Ad populum Antioch.*)

Si lapis sæpe ad lapidem concussus scintillas exilire facit, tametsi nihil frigidius lapide, nihilque igne calidius, attamen concussio, victa natura, ignem elicit, quod cum in lapillis contingit, multo magis idem fit et in animabus, quæ mutuo atteruntur, et igne spiritus coalescunt. (Id., *Serm. adv. Anom.*)

Sæpe accidit ut et ille interdum, qui acrioris ingenii scientiæque majoris est, aliquid falsum mente concipiat ; et ille, qui tardioris ingenii ac minoris est meriti, rectius aliquid veriusque persentiat ; et idcirco nullus sibi, quamvis scientia præditus, inani tumore persuadeat quod possit collatione alterius non egere ; nam, etsi judicium ejus diabolica non fallat illusio, elationis tamen et superbiæ graviores laqueos non evadet. (Cassian., collat. 16, cap. 12.)

Ala alam percutit, dum virtus virtutem pulsat... alis ergo suis vicissim se animalia feriunt, cum sanctæ mentes alternis se virtutibus tangunt, et tangendo excitant, atque excitata ad profectum volant. (S. Greg., *in Ezech.*, hom. 10.)

Hoc omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum : poterat namque unicuique regioni fructus omnes tribuere, sed, si una quælibet regio alterius regionis fructu non egeret, communionem cum altera non habuisset : unde fit ut huic vini, alii vero abundantiam olei tribuat, hanc multitudine pecudum, illam vero ubertate abundare fructuum, ut cum illa defert quod ista non habet, et ista reddit quod illa non detulit, per communionem gratiæ sibi simul, etiam divisæ, terræ conjunctæ sint. Sicut ergo regiones terrarum, ita sunt mentes sanctorum, quæ dum vicissim sibi conferunt quod acceperunt, quasi fructus suos regiones regionibus impendunt, ut in una omnes charitate jungantur. (*Ibid.*, paulo infra.)

Cum sit utilis ad instruendum lectio, adhibita tamen collatione majorem intelligentiam præbet : melius est enim conferre, quam legere ; collatio siquidem docibilitatem facit, nam propositis interrogationibus cunctatio rerum excluditur, et sæpe objectionibus latens veritas approbatur : quod enim obscurum aut dubium est, conferendo cito perspicitur. (S. Isidor. Hispal., lib. III *Sentent., De summo bono*, cap. 14, init.)

Nulla pene res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quam sacerdotum negligentia, qui contemptis canonibus ad corrigendos ecclesiasticos mores synodum facere negligunt. (Atto II,

episc. Vercell., *Capitular.*, c. 27 ex *Conc. Tolet.* IV, c. 3, sæc. X.)

Experimento didicimus non minus bonam collationem quam etiam lectionem prodesse; unde a præsenti statuimus ut per singulas plebes singulis Kalendis omnes presbyteri seu clerici simul conveniant, ut de fide ac sacramentis divinis, seu de vita et conversatione et singulis officiis ad eos pertinentibus communiter tractent, et, si forte aliquis inter eos negligens aut reprehensibilis invenitur, a cæteris corrigatur; quod si corrigi omnino non studuerit, mox suo nuntient episcopo, ut hæc acrius emendare quantocius studeat. (Id., c. 29 *Capitular.*)

Sæpe ob humilitatis gratiam juniori Deus revelat quod seniorem celat. (S. Benedict., *Reg.* c. 3.)

Non enim in Daniel et Samuel ætatem discrevit. (Smaragd. abbas, *in cap.* 3 *Regulæ S. Benedicti.*)

Juvat non parum ad profectum spiritualem devota spiritualium rerum collatio, maxime ubi pares animo et spiritu in Deo sibi sociantur. (S. Thom. a Kempis, *De imitatione Christi*, lib. I, c. 10, n. 2.)

Sectio tertia. — *Quia dæmonibus invisæ.*

Licinius hostis piæ religionis, cum vidisset in ecclesiasticis conventibus summa esse posita præsidia ad tuendam ornandamque religionem, dæmonis impulsu lege prohibuit, ne antistites ullos conventus aut concilia, aut deliberationes de utilibus rebus instituerent. (Euseb., lib. I *De vita Constantini*, c. 51.)

Machetes senex otiosarum fabularum diabolum esse fautorem, ac spiritualium collationum semper impugnatorem existere his declaravit indiciis. Nam, cum fratribus quisbusdam de rebus necessariis ac spiritualibus disputaret, eosque videret lethæo quodam sopore demergi, nec posse ab oculis suis pondus somnii depellere, otiosam repente fabulam introduxit; ad cujus oblectationem cum eos evigilasse confestim vidisset, ingemiscens ait : nunc usque de rebus cœlestibus loquebamur, et omnium vestrum oculi lethali dormitione deprimebantur; at, cum otiosa fabula intermissa est, omnes expergefacti torporem somni dominantis excussimus. Vel ex hoc ergo perpendite quisnam collationis illius spiritalis fuerit impugnator, etc. (Cassian., lib. V *Institut.*, c. 31.)

ART. III. — *De quibus in collatione disserendum.*

Sectio prima. — *Quomodo in collationibus loquendum.*

Stultas et sine disciplina quæstiones devita. (*II Tim.* II, 14.)

Conferant inter se singulis mensibus, quæ ad boni pastoris officium et ad curam animarum recte gerendum pertinent : et consulant de difficultatibus suæ parochiæ... etc. Simulque quidpiam ex probata *Summa de casibus conscientiæ* explicabunt. (*Conc. Mediol.* I, *tit. De vicar. foran.*, c. 29, § 7.)

Vel aliquam Catechismi Romani lectionem tractent, vel quæstiones aliquas de conscientiæ casibus explicent, vel concilii provincialis, aut diœcesanæ synodi, quam eorum episcopus habuerit, partem aliquam studiose legant. (*Conc. Mediol.* II, tit. 2, decret. 30, in fin.)

Disputandum de his solum quæ ingenii nostri modulum atque audientis captum non excedunt, etc. Sarcinæ viribus graviores bajulorum humeros ac crebiores pluviæ terram opprimunt; ita etiam auditores quæstionibus gravioribus ac durioribus oppressi atque confecti pristinas quoque vires amittunt. (S. Greg. Naz., orat. 33.)

Non discurrebat inter eos sæcularis fabula, non cura sæculi, non actio terrenarum rerum, sed solummodo collatio spiritualis, regni cœlestis desiderabilis commemoratio, futura beatitudo, gloria justorum, pœna peccatorum, sanctorumque quies. Hæc commemorantes suspirabant ex imo pectore et flebant uberrime. (Rosveyd., *Vit. Patrum*, lib. III, § 200, loquens de septem a Sarracenis interfectis, qui die Sabbati convenire semper in unum locum consueverant.)

Sectio secunda. — *Quam dimisse et simpliciter in collationibus loquendum.*

Nolite contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. (*II Tim.* II, 14.)

Servum Dei non oportet litigare. (*Ibid.*, 24.)

(Hos cœtus, ubi contentiones regnant, consilia gruum anserumque temere pugnantium vocat sanctus Gregor. Nazianzenus, carm. 10, *De diversis vitæ generibus*, § 10.)

Collatio inter Dei servos debet esse, non altercatio. (S. Ambros., *in II Tim.* II.)

Cum divinis Scripturis, quantum possumus, colloquamur, sine contentione, pacati, non inani et puerili animositate studentes alterutrum vincere, ut pax Christi potius vincat in cordibus nostris. (S. Aug., epist. 174, *Ad Poscentium.*)

Sicut instruere solet collatio, ita contentio destruit. (Isid., lib. III *Sentent.*, c. 14.)

Sectio tertia. — *Quam attente audiendum.*

Si quis dormitaverit sedens præposito disputante, surgere statim compellitur; et tandiu stabit, donec ei videbitur ut sedeat (S. Pachom., *Reg.*, art. 87.)

Cunctis residentibus medius, quem Patrem vocant, incipit disputare; quo loquente tantum silentium sit, ut nemo alium respicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu est audientium. (S. Hieron., epist. 22, *Ad Eustochium*, circ. fin.)

Conveniunt ad audiendum Patrem... Audiunt autem incredibili studio, summo silentio. (S. Aug., *De morib. eccl.*, lib. I, c. 31.)

Etiamsi ea quæ optime nosti forte audieris in collatione proferri, non ex hoc, quod tibi jam nota sint, aspernanter fastidioseque suscipias; sed ea cordi tuo illa aviditate commendes, quia debent desiderabilia salutis verba vel auribus nostris indesinenter infundi, vel de nostro ore jugiter pro-

ferri. — Quamvis enim adhibeatur sanctarum rerum crebra narratio, nunquam tamen animæ sitim veræ scientiæ sustinenti satietas generabit horrorem : sed ea quotidie velut nova ac desiderata suscipiens, quanto frequentius hauserit, tanto avidius vel audiet, vel loquetur, et confirmationem potius perceptæ scientiæ ex eorum repetitione, quam ullum ex frequenti capiet collatione fastidium. — Evidens namque est tepidæ ac superbæ mentis indicium, si verborum salutarium medicinam quamvis studio nimiæ assiduitatis ingestam fastidiose negligenterque suscipiat : *Anima enim, quæ in satietate est, favis illudit : animæ autem egenti etiam amara dulcia videntur.* (*Prov.* XXVII, 7. CASSIAN., collat. 14, abbatis Nesterotis, c. 13.)

Machetes, cum agitaretur collatio spiritualis, diebus ac noctibus nunquam somni tempore torpore penitus laxabatur : si quis vero detractionis verbum vel otiosum tentasset inferre, in somnum penitus concidebat. (CASSIAN., *Institut.*, lib. v, c. 29.)

Altero loquente cave sermonem abrumpas. (S. DOROT., doct. 24, init.)

SECTIO QUARTA. — *Quam ordinate et modeste agendum.*

Quando presbyteri par Kalendas simul conveniunt, post peractum divinum mysterium et necessariam collationem, non quasi ad prandium, ibi ad tabulam resideant, et per tales inconvenientes pastillos se invicem gravent, quia inhonestum est et onerosum ; sæpe enim tarde ad ecclesias suas redeuntes majus damnum de reprehensione conquirunt, et de gravedine mutua contrahunt, quam lucrum ibi faciant. (HINCMAR., *Capitular.*, part. I, cap. 15, ex *Conc. Nannet.*, et habetur dist. 44, c. *Quando.*)

De hujusmodi conventu, qui sub religionis obtentu agebatur, Paulus Apostolus convenienter reprehendit Corinthios (*I Cor.* II, 20), qui inconvenienter cœnam Dominicam manducare conveniebant : sic et qui ad cœnam Dominicam, id est ad collationem verbi sub occasione conveniunt, et ex veritate ventris causa conjunguntur, reprehensibiles et coram Deo et coram hominibus habentur, etc. GRATIAN., dist. 44, c. *Quando presbyteri*, n. 9.)

Tempore congregationum frugalitas servetur inter omnes qui conveniunt. Dum corpus alitur, lectura aliqua sacræ Scripturæ condiatur mensa, alatur animus, etc. (*Conc. Aquileiens.* ann. 1596, tit. 18, *De vicar. foran.*, circ. med.)

CAPUT VI.

ART. I. — *Clericos oportet tempus sancte impendere, et juxta ordinem ipsi præstitutum collocare.*

Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat. (*Eccli.* XIV, 14.)

Bonum facientes non deficiamus ; tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. (*Galat.* VI, 9, 10.)

Tu dormis, et tempus tuum ambulat. (S. AMBROS., *in psal.* I, longe ante med.)

Tempus sementis tempus est præsens, et vita quam currimus : in hoc licet nobis, quod volumus, seminare ; cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur : unde et Salvator ait (*Joan.* IX, 4) : *Operamini dum dies est, veniet nox, quando jam nullus poterit operari.* Titus, filius Vespasiani, tantæ dicitur fuisse bonitatis, ut, cum quadam nocte sero recordaretur in cœna quod nihil boni die illa fecisset, dixerit amicis : « Hodie diem perdidi. » Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, etc. Quod si hoc ille sine lege, sine Evangelio, sine Salvatoris et apostolorum doctrina, naturaliter et dixit et fecit, quid nos oportet facere ? (S. HIER., l. III *Comment. in Ep. ad Galat., ad illud* (VI, 10) : « *Ergo, dum tempus habemus.*) »

Nemo vestrum parum æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis... libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O ! donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio Conditoris indulget ! O ! donec transeat tempus, quo divinam debueras propitiare pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. (S. BERN., *De diversis*, serm. 17.)

In proposito sancto non levis est jactura temporis : a terris enim ad cœlos festinantem qui moratur, et si non detinet, plurimum tamen nocet. (ID., *De vita solit., ad Fratres de Monte Dei.*)

Nullum tempus feriatum habeas, sed semper aut orationi, aut lectioni, aut alii honestatis studio te impendas. (PETR. BLES., *De instit. episc.*, longe ante med.)

Scias non modicam esse temporis jacturam, quod in otio, aut fabulis expendisti. (*Ibid.*, post med.)

ART. II. — *Cur clerici tempus utiliter impendere debeant.*

SECTIO PRIMA. — *Ob naturam ipsius temporis.*

§ I. — *Quia pretiosum est tempus.*

Nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis sunt... tempus plane et quærendi et invocandi... tempus miserendi. (S. Bern., serm. 75 *in Cant.*, n. 4.)

Nihil pretiosius tempore ; sed, heu ! nihil hodie vilius æstimatur ! transeunt dies salutis, et nemo recogitat. (ID., § 44, *De excusatione sæcularium*, n. 54.)

Tempus hoc animabus, non corporibus est assignatum ; dies salutis utique, non voluptatis. (ID., *Declam.*, n. 30.)

§ II. — *Quia breve.*

Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur. (*Job* VII, 6.)

Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit. (*Psal.* LXXXIX, 4.)

Tempus velut umbra præterit. (*Eccle.* VII, 1.)

Tempus breve est : reliquum est, ut et... qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur ; præterit enim figura hujus mundi. (*I Cor.* VII, 29, 31.)

Vapor est ad modicum parens. (*Jac.* IV, 15.)

Breve tempus nobis in præsenti vita præstatur. (S. CHRYS., hom. 17 *in Joan.*)

Æternitati comparata brevis est omnium temporum longitudo. (S. HIERON., *Epist. ad Cyprian.*)

Quid diu est, ubi finis est ?... verba currunt et horæ volant; sic ætas nostra, sic actus nostri, sic honores nostri, sic miseria nostra, sic felicitas nostra ; totum transit. (S. AUG., *De verbis Domini*, serm. 42, in fine, et nunc serm. 124.)

Transvolant tempora, et, quod tibi tardum, in oculis Dei breve est. (ID., *in psal.* XXX, enarr. 2, post. med.)

Totum hoc tempus ab Adam usque in finem sæculi exigua gutta est comparata æternitati. (ID., *in psal.* CI, conc. 2.)

Quidquid finem habet, quantumlibet longum sit, diu non est. (S. AUG., *in psal.* CXLV.)

Velis, nolis, non longe est finis vitæ. Ipsa vitæ memoria brevioris remedium magis, quam incentivum debet esse peccati. (S. BERN., *De fallacia præs. vitæ*, circa init.)

Temporis esse non est, nisi fluxus et desitio, atque defectus ab ipso esse. (GUIEL. Paris., *De legibus*, c. 27, longe ante fin.)

§ III. — *Quia irreparabile.*

Curemus nosmetipsos, invigilemus nobis; quis enim nobis amissum tempus restituet? Quærere hos dies poterimus, sed nunquam inveniemus ; attendamus igitur nobis ipsis, fratres, vigilemus, dum tempus habemus... labi tempus et perire nobis animadvertimus, vixque timemus. Annon venit in mentem sententia illius, quæ frequens erat in ore senis, dum diceret : aurum vel argentum si amiserit homo, posse eum vel idipsum, vel tantumdem recuperare ; tempus autem, si pereat, nec ipsum amissum, nec aliud pro eo posse aliquando restaurari? quod verissimum esse patet ; quis enim diem vel horam temporis amissam quærens aliquando invenit? (S. DOROTH., *Doctr.* c. 11, circa init.)

Transeunt dies salutis, et nemo recogitat ; nemo sibi non reditura momenta periisse causatur. — Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile, et non advertit insipiens quid amittat. (S. BERN., *Declam.*)

Dies, qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus, nolimus, implemus ; sed væ nobis, si dies implentur, et purgatio minime impletur. (GUERRIC. abb., serm. 6, *De purific.*, circa init.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia tempus est pretium æternitatis.*

Momentaneum et leve tribulationis gloriæ pondus operatur in nobis. (*II Cor.* IV, 17.)

Gloria æterna est brevi tempore patientium. (S. AUG., *in psal.* CXVIII, conc. 23, circa fin.)

Ille, qui Deum, dum inveniendi tempus est, non quæsierit, in æternum invenire non potest. (ID., serm. 221 *De tempore*, in fin.)

Nullus fere est, qui tempori rationem ponat, qui cogitet apud se, quantum valeat ad comparandam æternitatem dies una. (GUERRIC. abb., serm. 6, *De purific.*)

SECTIO TERTIA. — *Quia temporis stricta ratio reddenda.*

In tempore redditionis postulabit tempus. (*Eccli.* XXIX, 6.)

Vocavit adversum me tempus. (*Thren.* I, 15.)

Qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex ipso se munere arctius astringit : nam, quia accepta pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtius in ultimis judex impensa argumenta misericordias convertit ad pœnam. — *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.* (*Isa.* LXV, 20.) Ac si aperte nos deterreat, dicens : Vita quidem pueri in longum trahitur, ut a factis puerilibus corrigatur, sed, si a peccati perpetratione nec temporis longinquitate compescitur, hæc ipsa vitæ longinquitas, quam per misericordiam accepit, et ad cumulum maledictionis crescit ; unde necesse est ut, cum nos diutius exspectari conspicimus, ipsa prærogatæ pietatis tempora quasi damnationis argumenta timeamus, ne ex clementia Judicis crescat supplicium peccatoris. (S. GREG., lib. XVII *Moral.*, cap. 4, init.)

ART. III. — *Diversæ proponuntur viæ, quibus temporis dispendio occurratur.*

SECTIO PRIMA. — *Via prima. Agendorum regulam et modum sibi præfinire.*

§ I. — *Quod actiones suas vitamque universam ad aliquam normam dirigere debeant clerici.*

Daniel... fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat. (*Dan.* VI, 10.)

Omnia honeste et secundum ordinem fiant. (*II Cor.* XIV, 40.)

Episcopus ac alii, item qui illius nomine atque auctoritate visitationis munus obibunt, videant atque inquirant diligenter, quibus in rebus tempus clerici consumant... Salutaribus eos occupationibus et ecclesiastico homine dignis incumbere procurent.... de exercitationibus sibi præscriptis testimonium... afferant, idque ad constitutam rationem. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *De vita honest. cler.*)

Omnia vobis decenti ordine perficiantur in Christo. (S. IGNAT., *Epist. ad Smyrn.*, n. 9.)

Ne hodie asperam ducas vitam, et cras mollem ac delicatam... Canonem unum retine, sicut etiam sancti fecerunt Patres, qui ad quinquaginta et ultra annos suum non mutarunt canonem ac regulam. (S. EPHREM., *Serm. parænetic., De* II *Adventu, et resipiscentia.*)

Tempus quacunque in re ita tibi partire, ut verse-

ris ordinate in cibo et potu, in sermone et oratione atque lectione. (Id., *Cant. spirit. in laudem doctrinæ.*)

Proprium ac suum cujusque rei tempus esse sacræ Litteræ testantur... Nihil enim tam incommodum in negotiis accidere solet, quam si quid non observata temporis opportunitate peractum est. — In omnibus rebus quid tempus postulet, quidque unicuique negotio accommodatum sit observemus. (S. Cyrill. Alex., *De fest. paschal.*)

Sanctus vir Samuel statutas dies et horas habebat etc. (S. Greg., lib. iv, c. 4 *in I Reg.* ix, *ad hæc verba* (ỳ 12) : « *Festina nunc, hodie venit in civitatem.* »)

Singulis horis... sua distribuet exercitia, cui spiritualia, spiritualia; cui corporalia, corporalia ; in quibus si exsolvat omne debitum, spiritus Deo, corpus spiritui, ut, si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum, suo modo, suo loco, suo tempore non habeat impunitum. (*De vita solit., ad Fratres de Monte Dei*, inter Op. S. Bern.)

Propriam vitam ordina, mores compone. (S. Bern., *in Octo punctis vitæ spiritalis*, punct. 8.)

Regat sanctæ obedientiæ regula bonam voluntatem. (Id., *Ad Fratres de Monte Dei.*)

Quoniam dies mali sunt, oportet te de malitia temporis in usum animarum aliquid sequestrare, quod componat mores, regat affectus, dirigat actus, ipsumque ordinem tuum ordinet et honestet. (Petr. Bles., *De instit. episc.* longe ante med.)

Discute et sollicite examina quid tibi congruit, quid tibi melius expedit... ordina deinde gradus, exercitia et modum... et hoc, ut videtur, est ascensiones in corde disponere, id est modum aliquem, et exercitia per discretam et diligentem tui et aliorum discussionem arripere, et cordi tuo fortiter infigere et imprimere. (Gerhard. Zutphan., *de ascension. spiritualibus*, c. 9.)

Singuli Deo famulantes studeant proprios interioris et exterioris hominis loco et tempore dirigere actiones, ne anteponenda postponant, et agenda prætereant ; qui frequenter seductoria persuasione decipiuntur, qui absque sedula discussione in via Dei pergere assuescunt. Maximi procul dubio periculi res est, prout suggerit animus, velle degere : propterea cunctis consulendum est, ut taliter unumquodque disponant opus, quatenus quælibet hora propriam habeat actionem. Sciant quando orationi, quando lectioni, quando operi manuum incumbendum sit, ne acediæ spiritu in mentis dubietatem vel hebetudinem evecti tempus suum inaniter consumant. — Qui pollent prudentia... et cœlorum regna sagaciter diripere moliuntur, suo tempore orant, suo tempore legunt, suo tempore manibus operantur ; singula singulis peragunt horis, nec penes ipsos quidquam inordinatum prætermittitur, et, quoniam cuncta statutis perficiunt temporibus, ideo proficiunt, vitamque suam sine tædio deducunt. (S. Laurent. Justin., *De discipl. et perfect. mon. convers.*, c. 19, n. 3.)

§ II. — *Cur ex aliqua regula vitam et actiones instituere teneantur clerici.*

1° Ob bonum ordinis.

Ab æterno ordinata sum. (*Prov.* viii, 23.)

Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. (*Rom.* xiii, 4.)

(Ordinis) perturbatio in aere tonitrua, in terra motus, in mari naufragia, in urbibus domibusque bella et dissidia, in corporibus morbos, in animis peccata procreavit. (S. Greg. Naz., *Orat. de moderat. in disput. servanda*, longe post init.)

Non est confusionis Deus, sed ordinis. (Id., orat. 9, n. 28.)

Ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam formamque meritorum. (S. Ambros., tract. 4, *in psal.* cxviii, circa med., n. 12.)

Ordinem persequamur quia scriptum est : In me ordinavit charitatem. (Id., lib. v *in Luc.*, c. 1.)

Nihil æque ædificat ut ordo, etc. (S. Chrysost., hom. 37 *in I Cor.* xiv, ante med.)

Ordo dux est ad Deum, et, quæ a Deo sunt, ordinata sunt. (S. Aug., *De ordine*, c. 1.)

Pax omnium rerum (est) tranquillitas ordinis. (Id., xix *De civ. Dei*, c. 13, post init.)

Ordo est ; quem si retinuerimus in vita, perducet ad Deum. (Id., lib. *De ordine*, c. 9.)

Omnia simul, quæ Deus administrat, ordine administrantur. (Id., lib. ii *De ordine*, c. 1, n. 2.) Hic non ex propria persona loquitur, sed alium inducit loquentem.)

Ordo est, quo Deus agit omnia, quæ sunt. (*Ibid.*, c. 4, init.)

Minus ordinata inquieta sunt ; ordinantur, et quiescunt. (Id., xiii *Confess.*, c. 10.)

Definitio brevis et vera virtutis, ordo est amoris. (Id., lib. xv *De civit. Dei*, c. 22, in fin.)

Ordo enim, si ulla in re, in religionis cultu maxime est necessarius. (S. Nilus, *Lib. ascetico*, ante med.)

Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit et decorem, etiam et perpetuitatem ; ordinatione, inquit, tua perseverat dies. — Si suo quisque feratur impetu secundum spiritum quem accepit, et ad quæque volet indifferenter, prout afficitur, et non rationis judicio convolarit, dum sibi assignato officio nemo contentus erit, sed omnes omnia indiscreta administratione pariter attentabunt.... non plane unitas erit, sed magis confusio. (S. Bern., serm. 49 *in Cant.*, circa med.)

Nonne medici corporum medicinæ portionem definiunt ; eligere in sumendis cibis, quid prius, quid posterius, et ad quem modum, quidque sumi oporteat? Nam, etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creavit, tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum et ordinem non observes, reddis plane non bonos. (Id., serm. 36 *in Cant.*, ante med.)

Discretum, moderatum et ordinatum te in omnibus exhibeas, quia Deo nunquam placuit ali-

quid immoderatum, instabile, confusum, inordinatum. (S Bern., in *Octo punct. vitæ spirit.*, punct. 7.)

Ad honestatem tendentes inprimis necessarium habent ut per exercitium disciplinæ virtutis titulum citius apprehendere possint. (S. Bonav., Prolog. in *Specul. discipl. ad novitios.*)

Ordinis ignorantia secundum Ambrosium (*in psal.* cxviii) perturbat formam meritorum. (S. Bonav., *Solil.*, c. 1, init.)

Id multum expedit in omnibus exercitiis, ut scias quando unumquodque sis arrepturus, et quando ad aliud te versurus, ut habeas tempora orandi, tempora legendi, ut omnia fiant ordinate. (B. Gerhard. Zutphan., *De spirit. ascens.*, c. 45.)

Quæque res, quæque operatio, ut Deo placeat et virtuose fiat, habere debet in se tempus, et modum, et intentionem; si autem aliquo horum caret, imperfecta est, nec ad plenum divinis splendet obtutibus. (S. Laurent. Justin., *De discipl. et perfect. monast. conversationis*, c. 10, n. 4.)

Arnulpho viro nobili in Flandria vere contrito, cum pro delictis, quæ in mundo contraxerat, injunxisset sanctus Bernardus dicere orationem Dominicam tribus vicibus, et in ordine perseverare, illeque de tam modica pœnitentia sibi imposita contristaretur; an tibi parum videtur, inquit Bernardus, ordinem tenere, et in ipso usque ad mortem perseverare? (Introd. in Op. S. Bern. I. vii, c. 22, ex lib. *Viror. illustr. ordin. Cisterc.*, init. Oper. S. Bern.)

2° Ob utilitatem regulæ.

Dilectio custodia legum est. (*Sap.* vi, 19.)

Retinaculum fidei. Disciplina custos spei. Fomes ac nutrimentum bonæ indolis. — Dux itineris salutaris. — Magistra virtutis. — Facit in Christo manere semper, ac jugiter in Deo vivere. (S. Cypr., *De habitu virginum*, init.)

Magnum animarum naufragium, in quo regulæ et rectæ vitæ institutiones non vigent. (S. Ephrem., *Apophtegm.*, c. 32.)

In perpetua similitudine et æqualitate rerum nescio quomodo torpedo quædam plerumque oboritur atque tædium, etc. In vicissitudine autem varietateque, etc., et studium ipsum renovatur et attentio instauratur. (S. Basil., *Regul. fus. disputat.*, resp. 37, in fin.)

Certum sibi vitæ genus constituere tanti momenti esse duco, ut totius vitæ vel recte vel male traducendæ fundamentum in eo positum esse putem. (S. Greg. Naz., orat. 23, n. 9.)

Scire quid facias, et ordinem nescire faciendi, non est perfectæ cognitionis; offendunt plerumque præpostera. (S. Ambros., tract. 4 *in psal.* cxviii, n. 12.)

Ipsa est optima gubernatio, ut omnia suis temporibus distributa ex ordine gerantur, ne animum humanum turbulentis implicationibus involuta perturbent. (S. Aug., *De opere monachor.*, c. 21, in fin.)

Semper enim æquanimius quælibet fatigatio sustinetur et sine fastidio labor impenditur, si interjecta et vicissitudo quædam vel operis immutatio qualiscunque succedat. (Cassian., *Instit.* c. 11.)

Solemus annos nostros et spatia temporum, quibus nunc vivimus, supputare; non te fallat, quicunque ille est numerus dierum; illum tantum diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, quem sine illa regulæ transgressione duxisti. (S. Euch. vel Cæsar Arelat., hom. 31, init.)

Onus delectabile, suave pondus, sarcina salutaris, etiamsi premere aliquando forte videtur, etiamsi interdum latera tundit, et flagellat recalcitrantem, etiamsi quandoque in chamo et freno maxillas constringit et coercet, omnino feliciter; esto ut jumentum. (S. Bern., serm. 7 *in psal.* xc : « *Qui habitat*, » n. 3.)

Homo sine regula nec ordinem tenet, nec tenetur ab ordine. (Id., epist. 193, de Abailardo loquens.)

Rogo vos, state in Domino solliciti semper circa custodiam ordinis, ut ordo custodiat vos. (Id., epist. 321, et nunc 345.)

Plus eis, quam cæteris, gravis et austera videtur disciplinæ regula. Quare hoc? nisi quia sæcularem magis diligunt vitam. (Id., *De ordine vitæ*, init., c. 1.)

Infelix, qui legem vitæ et disciplinæ abjicit, et majorum gubernari magisterio refugit. — Iste non secundum Deum, sed secundum se vivit, qui, si poterit, est cum quibus vult, pergit quo vult et quantum vult, ridet et jocatur inter quos, et ubi, quando vult, etc. (*Ibid.*; ibi loquitur de junioribus religiosis.)

Si omne confusum et inordinatum, eo ipso corruptibile et instabile judicatur, similiter e converso omne ordinatum stabile et suæ ordinationis decentia judicabitur stabilitum; idcirco discipulis veritatis est cum diuturniori exercitio sagaciter laborandum, cum suas orationes vel psalmos, vel hymnos, vel quæcunque alia dixerint, ut stabiliant in se numerum dicendorum : item quid 1°, quid 2°, quid 3° — Semper id et eo modo, quo decreverint, studeant adimplere, quia ex isto felici exercitio relinquitur quædam habilitatio in mente, de quo sæpe animus non modicum contristatur, si aliqua negligentia vel inertia consuetum exercitium derelinquat; imo, quod in principio ipsius exercitii spiritualis laboriosum videbatur, spiritui postmodum quasi versum in consuetudinem suo decore alliciat, ut jam frigiditas versa in calorem, tarditas in velocitatem. — Hæc est ultima industria a sapientiæ amatoribus totis visceribus amplectenda. (S. Bonav., *Mystic. theol.*, petitione 7, part. iii, in fin.)

Quoniam cuncta statutis perficiunt temporibus, ideo proficiunt, vitamque suam sine tædio deducunt. (S. Laurent. Justin., *De discipl. et perfect. monach. convers.*, cap. 10, n. 4.)

3° Ob periculum pestiferæ otiositatis.

Ne ad suæ salutis discrimen et aliorum offensionem otio abutantur. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *De vita et honest. cleric.*)

Qui nihil sibi determinati exercitii vel spiritualis modi præfigunt, tot recipiunt de suis exercitiis consilia, quot viderint aliorum facta, credentes omni spiritui, in nullo stabiles, in nullo fixi, sed in omnibus vagabundi. (D. Gerhard. Zutphan., *De spirit. ascensionibus*, c. 9, in fin.)

Optima est gubernatio, inquit Augustinus, ut omnia suis temporibus distributa gerantur ex ordine, ne animum humanum turbulentis implicationibus involuta perturbent. (Id., *De spirit. ascens.*, c. 45.)

4° Ob commoda denique, quæ ex vita ad regulam exacta proveniunt.

Inde tibi multiplex eveniet utilitas; et 1° ut omnia ordinate agas, secundum quod in corde tuo disposuisti, et non casualiter, sicut quidam, qui hodie se in isto, cras in alio exercentes, sunt fluidi et vagabundi, omnia arripientes et in nullo proficientes, etc., tu autem non sis. (D. Gerhard. Zutphan., *De spirit. ascens.*, c. 9.)

Id multum expedit in omnibus exercitiis, ut scias quando unumquodque sis arrepturus et quando ad aliud te versurus, ut omnia fiant ordinate. (*Ibid.*, c. 45.)

§ III. — *Quemnam in agendis ordinem et modum servare oporteat clericos.*

Quidquid vero temporis a divinis officiis, ab orationis contemplationisque exercitatione, ab ecclesiasticis functionibus et ab aliis necessariis actionibus vacuum habetis, non in otio, neque in desidia, nec vero in rerum novarum curiositatibus illud conterite; sed, cum in sortem Domini vocati sitis, in ejus lege die ac nocte meditemini. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

Sic dies transeat, sic nox inveniat laborantem, orationi lectio, lectioni succedat oratio; breve videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. (S. Hier., epist. 7, *Ad Lætam*, post med.)

Sectio secunda.— *Via secunda.—Tempus non in consectatione rerum inanium et fluxarum, non in negotiorum sæcularium cura, sed in vita sancte transigenda et commodis Ecclesiæ catholicæ promovendis consumere.*

Eorum, qui nec disciplinis instituti sunt, nec legibus, nec numerus initur, nec habetur ratio. — Virtus et honestas in qualitate consistit, non in quantitate; unde vel unus dies sine culpa transactus integræ vitæ sapientis æquiparatur. (Philol., *De præmiis et pœnis*, sub fin.)

Quando tempus in bono consumimus, emimus illud, et proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat... (sicque) dies malos in bonos vertimus, et facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri. (S. Hier., lib. III *De comment. in Evist. ad Ephes.*, c. V.)

Duobus annis regnavit Saul: licet enim multis annis regnaverit, illis solis regnare dicitur in quibus innocens et humilis fuisse perhibetur. — Illo ergo solum tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter et humiliter viximus. Nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate et fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita minime memorantur. (S. Greg., *in I Reg.* XIII, init.)

Josaphat Barlaamum, suum catechistam, interrogans quot annorum esset, ab eo audivit: Natus sum annos 45. Miranti Josaphat, quod cum canum videret, respondit: Si annos meos ab ipso vitæ ortu nosse quæris, recte sane eos plusquam 70, esse conjecisti: at mihi quidem nullo omnino modo inter vitæ annos censentur, qui in hujus mundi vanitate consumpti sunt. (S. Damasc. in *Vita SS. Barlaam et Josaphat*, cap. 18, circ. init.)

Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidisse. (S. Bern., *Flores ex Declam.*)

Sectio tertia. — *Via tertia. — Tempus jam perditum redimere.*

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. (*Ephes.* V, 16.)

Quia sapiens est, et idcirco caute ambulat, redimit tempus; tempus autem redimit, quia dies mali sunt. Quando in bono opere tempus consumimus, emimus illud, et proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat. (S. Hier., lib. III *Comment. in Epist. ad Ephesios*, c. V, *in hæc verba*, ℣ 16 : « *Redimentes tempus,* » etc.)

Redimere tempus, hoc est: quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus; perde ergo : ex eo quod perdis, pretium est temporis : certe quando pro tuis necessitatibus procedis ad publicum, das nummos, et emis tibi panem, etc. Das, et accipis; aliquid amittis, aliquid acquiris; hoc est emere : nam si nihil amittas, etc. — Si nihil amittas, et habeas quod non habebas, aut invenisti, aut donatum accepisti, aut hæreditate acquisisti; quando autem aliquid amittis, ut aliquid habeas, tunc emis. Quod habes, emptum est; quod amittis, pretium est. Quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi aliquid, sic perde nummos, ut emas tibi quietem ; ecce hoc est tempus redimere. (S. Aug., serm. 24, *De verbis Apostoli.*)

Quid est redimere tempus, nisi, cum opus est, etiam detrimento corporalium commodorum ad æterna quærenda et capessenda spatia temporis comparare? (Id., hom. 1, inter 50.)

Semper redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus. (S. Anselm.)

CAP. VII.

Piis exercitationibus per aliquod tempus in secessu animam excolere.

ART. I. — *Quod piis exercitationibus operam dare in secessu præsertim conveniat clericos.*

Petra refugium herinaciis. (*Psal.* CIII, 18.)

Sedebit solitarius, et tacebit, et levabit se supra se. (*Thren.* III, 28.)

Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. (*Marc.* VI, 31.) Docemur hinc, inquit hic Euthimius, oportere Ecclesiæ magistros non semper se exponere multitudini, sed, cum datur oportunitas, retrahi ac solitarios esse, mentemque ab exteriori distractione revocare.

Dicat cum Propheta Christi ministerio addictus. (*Psal.* LIV, 3, 5, 7, 8.) *Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris : cor meum conturbatum est in me*, etc., *et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam; ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.*

Clericum solitudo facit, non publicum. (*Epist. ad Oceanum, de vita cleric.; Conc. Aquisgran.*, ann. 816, can. 98 ; S. Bonav., lib. IV *Pharetr.*, c. 18.)

Quandiu quis permistus est turbis et in multitudine fluctuantium volutatur, non vocat soli Deo, neque segregatus a vulgo est, nec potest esse sanctus. (Origen., hom. 11 *in Levit.*, init.)

Consilium tibi do : in quiete ac silentio reside... colligensque cogitationes tuas, præside illis, ut judex... ac spiritum die noctuque scalpe atque scarifica, etc. (S. Ephrem., paræn. 41.)

Quid facis in turba? (S. Hier., *Epist. ad Heliod., De laude vitæ solitariæ*, in med.)

Solitudo non deserta, sed secreta. (S. Paulin., *Epist. ad Sebast. eremit.*)

A strepitu negotiorum sæcularium remotissimus (sacerdos)... studiis spiritualibus, quibus in dies singulos melior ac melior fiat, invigilet. Amet otium sanctum, in quo exerceat animæ suæ negotium. (S. Prosper. seu Julian. Pont., lib. I *De vita contemplativa sacerd.*, c. 8, n. 15.)

Per hoc Christus Ecclesiæ doctores et pastores monet ne externis turbis perpetuo se dedant, sed privatim sæpe secretoque agentes animos colligant, eumdemque a publicis negotiis et occupationibus, quantum res patitur, identidem sevocent. (Victor Antiochenus, *in Marc.* VI, 51 ; et habetur in *Glossa ordinaria.*)

Nunc autem, quoniam dies mali sunt, sufficit interim admonitum esse non totum te nec semper dare actioni, sed considerationi aliquid tui et cordis et temporis sequestrare. (S. Bern., lib. I *De considerat.*, c. 7.)

Rectores animarum summi Pastoris Christi vestigia imitentur. Interdum declinent tumultus hominum, fragoresque exteriorum actionum, quæ procul dubio distrahunt animam et rapiunt per diversa... Redeant vero ad se, et subeant orare in monte. Post cujus utique orationis exercitium denuo revertantur ad opus, quatenus pro spirituali consolatione percepta in labore sint alacres, sint in administratione solliciti, et in omni sua exercitatione devoti. (S. Laurent. Justinian., *De regimine prælat.*, c. 11, num. ult.)

Prorsus arbitror præsidentibus aliis fore necessarium, se interdum ab exteriorum fragoribus elongare, orationique devote instare, quatenus liberi ipsi in se libere utilitatibus inserviant proximorum, atque de limpidissimo ac pacatissimo interioris hominis fonte, saluberrimam divinorum eloquiorum ad se confluentibus aquam valeant propinare, recte consulere, agendaque judicare prudenter. (Id., c. 6, n. 4.)

Ad hoc spiritale regimen, sicut decet, explendum, opus est specialis gratiæ habere præsidium; otium etiam ab exterioribus ad tempus. (Id., c. 6, n. 4, in fin.)

ART. II. — *Cur religiosis exercitiis in secessu vacandum.*

Sectio prima. — *Ob exemplum Christi*

§ I. — *Secessum diligentis.*

Similis factus sum pellicano solitudinis. (*Psal.* CI, 7.)

Christus eremi amore flagrabat atque in omnibus salutaris auctor exempli hanc sibi non dignam nobis desiderabat. (S. Eucher., *De laude eremi et fuga sæculi*, num. 13.)

Christus et secretum quærit et solitarium locum diligit. (S. Bern., *De inter. domo*, c. 66, al. 37.)

§ II. — *In secessum se recipientis.*

Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine (26). (*Psal.* LIV, 8.)

Ductus est Jesus in desertum a Spiritu. (*Matth.* IV, 1.)

Ipse sedebat in desertum, et orabat. (*Luc.* V, 16.)

Ipse Dominus in secessu frequentius agebat, ut liberius oraret, ut sæculo cederet ; gloriam denique suam discipulis in solitudine demonstravit. (Tertul., *Ad martyr.* c. 2.)

Elias libenter in Carmelo philosophabatur, et Joannes in deserto, et Jesus ipse, ut actiones multitudini hominumque frequentiæ, ita preces quieti locisque ab hominumque commercio semotis fere tribuebat. Quid per hoc sanciens, ac velut lata lege statuens? nempe nobis quoque non nihil quiescendum esse, ut animo minime turbido cum Deo versemur, mentemque a rebus vagis et incertis paululum reducamus. (S. Greg. Naz., orat. 28, n. 20, in fin.)

Christus mystico flumine infusus nihil sibi prius agendum putat, quam ut ad deserta contendat. (S. Eucher., *De fuga sæculi*, n. 13.) — Si eremus

(26) Vid. *Matth.* XIV, 13 ; *Marc.* VI, 31 ; *Luc.* IV 1, 8, 20 ; *Joan.* VI, 16.

votiva Deo ab erroribus libera, quanto magis necessaria homini erroribus obnoxio? si petita non delinquenti, quanto magis exoptanda peccanti?

Solitudo novit vigilias Jesu, solitudo suscepit lacrymas Jesu, solitudo orationes Jesu audiit, solitudo nascentem, solitudo prædicantem, solitudo turbas pascentem, solitudo in transfiguratione coruscantem faciem Jesu sole clarius attendit, solitudo morientem, solitudo resurgentem, solitudo ascendentem Dominum conspexit. (Petr. Cellens., lib. IV, c. 12, in fin.)

§ III. — *Ad secessum invitantis.*

Venite in desertum locum, et requiescite pusillum. (*Marc.* VI, 31.)

Quiescere facit discipulos Christus, ut sciant prælati laborantes in verbo et doctrina dignos esse, quibus detur sua quies, et non semper intendant laboribus. (Theoph., *in Marc.* VI, 31.)

§ IV. — *In secessu uberiora dona largientis.*

Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. (*Osee* II, 14.)

Est autem ad cor loqui juxta idioma Scripturarum blandis et consolatoriis verbis tristitiam mœroremque temperare (27). (S. Hier., *in Osee*, II.)

Fuit olim erga eremum cura divinæ providentiæ summa et maxima; sed nec nunc quidem parva est; nam et nunc cum eremi incolis victus e cœlo lapsus divinitus inseparata supervenit largitate, defluit; habent in cœlesti munificentia suum manna... e silicibus perfossis respondentes e saxis aquæ profluunt. (S. Eucher. *De fuga sæculi*, n. 17.)

Aluit Dominus in deserto suos quondam; sed et nunc alit; illos quadraginta annis, hos vero quousque anni erunt. (*Ibid.*)

Peculiarius Christo propugnatore munitur, qui tanquam murorum objectu ita eremi ambitu hostes suos submovet. (S. Eucher., *De fuga sæculi*, n. 13.)

Cum quo Deus est, nunquam minus est solus, quam cum solus est; tunc enim libere fruitur gaudio suo, tunc ipse suus est ibi ad fruendum Deo in se, et se in Deo: tunc in luce veritatis et in sereno mundi cordis atrio patet sibi pura conscientia, et libere se confundit de Deo memoria; et illuminatur intellectus et bono suo fruitur affectus, vel libere seipsum deflet humanæ fragilitatis defectus. (S. Bonav., lib. IV *Pharetr.*, c. 18, ex S. Bernardo.)

Sectio secunda. — *Ob exemplum sanctorum.*

§ I. — *In secessu viventium.*

Ingressus Moyses medium nebulæ ascendit in montem, et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus. (*Exod.* XXIV, 18.)

Pulchra res solitudo et quies; idque me docet Eliæ Carmelus, Joannis desertum, ac mons denique ille, in quem *Jesum* sæpe secessisse, secumque animo quieto versatum esse constat. (S. Greg. Naz., orat. 16, num. 9.)

Comites non desiderabat (B. Virgo) quæ bonos comites cogitationes habebat; quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. (S. Ambros., lib. II *De virginib.* paulo post init.)

S. Martinus, ubi semel atque iterum superbum principem (Valentinianum) frustra adire tentavit, recurrit ad nota præsidia; cilicio obvolvitur, cinere conspergitur, cibo potuque abstinet, orationes diebus noctibusque perpetuat; septimo vero die assistit ei angelus, etc. (Sulpic. Sever., dialog. 1, c. 6.)

S. Martinus, quo utilius proximorum saluti vacaret, solebat ad tempus in cœnobium urbi Turonicæ vicinum, meditationis causa, secedere ab omni turba et strepitu temporalium rerum secretus. (Vid. Sulp. Sever., in ejus Vita.)

Solitudo arx nostra, quam maxime ex omnibus rebus complexus sum, et velut sociam et administram, divinæque ascensionis matrem, et Deum ex homine mirifice suspexeram efficientem, ac mihi statueram totius vitæ ducem ac moderatricem. (S. Gregor. Naz., orat. 2, n. 1.)

Nec rebus publicis occupatus, et a fori strepitu remotus, ruris otium, et Ecclesiæ cultum placita in secretis domesticis tranquillitate celebravi; et paulatim subducto a sæcularibus turbis animo præceptisque cœlestibus accommodato, proclivius ad contemptum mundi comitatumque Christi jam quasi definitima huic proposito via dimicaverim. (S. Paulin., *Epist.* 2 *Ad Severum.*)

Etsi in populis et super populum agas, oves pascuæ Domini regens sollicitis vigil pastor excubiis, tamen abdicatione sæculi et repulsa carnis ac sanguinis desertum tibi ipse fecisti, secretus a multis, vocatus in paucis. (S. Paulin., *Ad Alipium episc.*, epist. 35, inter *Epist.* Aug., tom. II ipsius Operum.)

S. Zenobius episcopus Florentinus quotannis se subducebat populo, recedens in monasterio, in quo paulo ante S. Ambrosius versatus fuerat; hic, cum a publicis curis, populari tumultu pro tempore, ut quietius orationibus vacaret, se revocare voluisset, ad basilicam quamdam parvam parumper a civitate distantem accedere consueverat... In qua pro eo tempore vitam pene eremiticam ducens duobus Eugenio archidiacono et Crescentio subdiacono comitibus in Christo solabatur: quorum consortio Ambrosius ipse pluries admistus interfuit. (Joan., archipresb.; Aretinus, in *Vita S. Zenobii.*)

Sanctus Augustinus alienatis a se curis sæcularibus Deo cum iis, qui eidem adhærebant, vivebat, jejuniis, orationibus bonisque operibus in lege Domini meditans die ac nocte. (Possid., in ejus Vita, c. 3.)

(S. Cuthberti et Acdberti episcoporum in Anglia morem secedendi in insulam orationis gratia narrat Beda in *Vita S. Cuthberti*, cap. 24, in fin.)

Idem narrat S. Patritium episcopum perstitisse

(27) *Vide* S. Hieron., hic et *in* Isa. XL.

in monte, jejunans et orans, ac divina responsa frequenter accipiens per quadraginta dies. (Beda, in *Vita S. Patritii*, lib. II, circa med.)

S. Laurentius episcopus Dublinensis in Hibernia delegerat sibi cryptam scopulis præruptis et stagnantibus aquis præcinctam; quo non nisi per scalas manuarius erat accessus. (Surius, in ejus Vita, cap. 16, 17.)

Joannes episcopus Hagulstaldensis Ecclesiæ secretiorem mansionem in nemore habuit vallo circumdatam, amne separatam, ab urbe sesqui milliare distantem, in qua vir Dei sæpius, ubi opportunitas arridebat temporis, et maxime in Quadragesima, manere cum paucis, atque orationibus et lectioni quietus operam dare consueverat. (Beda, lib. III *Histor. Anglic.*, c. 2.)

S. Hugo Lincolnensis episcopus semel ad minimum singulis annis æstivis vacationibus ad monasterium Vuictamiense se conferre solebat; ibi tanquam in messe fertili menti suæ de spiritualibus providebat frugibus, quas ubertim illic ipse secuerat. (Surius, in ejus Vita, t. VI, nov. 17, cap. 23, init.)

Vir Dei (Franciscus) solitarius remanens et pacatus nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, et quasi occultius secretarium nactus confabulabatur cum Domino suo : ibi respondebat judici, ibi supplicabat patri, ibi colloquebatur amico. (S. Bonav., cap. 10 *Vitæ sancti Patris Francisci.*)

S. Franciscus, quo liberius Deo vacans exteret, si quid pulveris sibi ex hominum conversatione adhæsisset, secundum exigentiam locorum et temporum alienæ condescendisset procurandæ saluti, inquietationibus derelictis turbarum solitudinis secreta petebat locumque quietis. (S. Bonav., in *Vita S. Francisci*, c. 13.)

S. Carolus cardinalis archiepiscopus Mediolanensis bis singulis annis saltem ab urbe discedebat, seque in remotis solitariisve locis colligens, plures dies totos ab omni alia occupatione liber, tum superioris temporis errata dolebat, tum sese spiritualibus divinisque contemplationibus ad majorem sanctitatem incitabat. Inde cœlesti pabulo refectis animæ viribus, ad sua curricula recens alacrisque descendebat. (Lib. VII *Vitæ S. Caroli*, c. 14, init.)

S. Carolus, non modo initio vitæ perfectioris hisce meditationibus exercuit, ad mortem iisdem se præparavit, intermedio tempore vitæ bis quotannis, et, si opus erat, propter negotiorum gravitatem sæpius eadem se exercitatione poliebat; verum etiam suæ diœcesis futuros sacerdotes voluit non ante sacris initiari, quam animum suum fructuoso secessu purgassent; jussit adolescentes, qui in seminarium clericorum adscribebantur, proximis ab ingressu diebus iisdem exercitationibus ductu confessarii diligenter excoli, atque secessum eumdem voluit ab iisdem clericis quot annis iterari. (Nigron., *Ascet.* tract. 6, § 41, ex ejus Vita; Guiss. lib. I, cap. 5, lib. II, c. 5 et 16; l. III, c. 6; lib. VI, c. 1; lib. VII, c. 15; lib. VIII, c. 5.)

Non primus Scipio scivit solus non esse, cum solus esset; nec minus otiosus quam cum otiosus esset, etc. (S. Ambros., lib. III *Offic.*, c. 1, init.)

Ego quidem nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo; nihil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo; cancellos non adoro, subsellia non contendo, jura non conturbo, causas non elatro; non judico, non milito, non regno; secessi de populo; imo unicum mihi negotium est, nec aliud nunc curo, quam ne curem. (Tertull., *De pallio*, c. 5.)

Norbertus archiepiscopus Magdeburgensis, acceptis sacris ordinibus, convertit continuo pedem, et contulit se ad Sibergense quoddam magnæ et præclaræ famæ monasterium, ubi accepti sacerdotii addisceret usum, et certa religiose vivendi caperet documenta, completisque ibi diebus quadraginta, rediens ad Ecclesiam, ubi erat canonicus, se contulit, etc. (Surius, in *Vita S. Norberti*, Jun. 6, cap. 3.)

§ II. — *In medio negotiorum strepitu secessum meditantium et ad illum anhelantium.*

Rarus urbium frequentator familiare secretum taciti ruris adamasti, non otium negotio præferens, neque te ecclesiasticæ utilitati subtrahens, sed jam pene forensibus turbis æmulos ecclesiarum tumultus, et consilia inquieta declinans. (S. Paulin., *Epist. ad Aprum Tullens. episc.*, epist. 1 circ. fin.)

Dominus Jesus ad excelsa montis remotiora secessit; et ibi ille apostolorum maximus : Bonum erat, inquit, nos hic esse, adamans scilicet magnitudinem signi in remotione deserti. (S. Eucher., *De fuga sæculi*, n. 14.)

Tu, veneranda tellus (deserti) sanctis in te positis, aut non procul a te remotis, aut habitabilis aut desiderabilis exstitisti. (*Ibid.*, n. 25.)

§ III. — *Ex secessu fructus luculentissimos ferentium.*

Elias duratus ad patientiam in solitudinum incolatu et tanquam pastus ad virtutis adipem agresti alimento processit fortior. — Joannes quoque in deserto adolevit, et constantiam illic prius exercuit, ut postea regem increparet. (S. Ambros., epist. 25, *Ad Vercell. Eccles.*, nunc 63.)

§ IV. — *Ad secessum nos invitantium.*

Esto igitur locus aliquis hujuscemodi, qualis hic noster, ita ab hominum congressu liber, ut a nullo extraneorum irrumpente assidua interpellatur meditatio. (S. Basil., epist. 1, *Ad Gregor. Theologum.*)

Ita habeto sollicitudinem domus, ut aliquam tamen vacationem animæ tribuas, eligatur tibi opportunus et aliquantum a familiæ strepitu remotus locus, in quem tu velut in portum quasi ex multa tempestate curarum te recipias... et excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas. Tantum ibi sit divinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, tam firma et pressa de

futuris cogitatio, ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses; nec hoc ideo dicimus, quo te retrahamus a tuis, imo id agimus, ut ibi discas, ibique mediteris qualem tuis præbere te debeas. (S. Hier., epist. 44, *Ad Celantiam.*)

Sectio tertia. — *Ob utilitatem ipsiusmet secessus.*

Punctum I. — Utilitas secessus ex ejus prærogativis desumpta.

Prærogativa I. — *Aer purior scilicet, liber a peccatorum lue, a tentationum contagio, a dæmonum halitu pestilenti.*

In solitudine aer purior, cœlum apertius, familiarior Deus. (Orig., hom. 4 *in Exod.*)

Minus voluptatibus stimulatur, qui non est, ubi frequentia voluptatum; et minus avaritiæ molestia patitur, qui divitias non videt. (*De singularit. cleric.*, circa init., inter Op. S. Cypr.)

Tu caminus ille Chaldaicus... ubi et nexus uruntur, et ardorem membra non sentiunt, quia peccata solvuntur, et ad hymnum divinæ laudis anima provocatur. — (Eremus) mors vitiorum, ac fomes procul dubio, et vita virtutum. — Terribile malignis spiritibus habitaculum. (S. Bas., *Orat. de laudibus eremi*, init.)

Qui in te sunt (scilicet solitudine) sub imperatoris sui invicta protectione... de hostium suorum certa jam dejectione triumphant. (S. Basil. *De laudibus eremi*, ante med.)

Loca offerunt quod amemus, tempora subripiunt quod amemus, et relinquunt in anima turbas phantasmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. (S. Aug., *De vera relig.*, cap. 35.)

Ereamum colat, qui vitam cupit, qui amœni paradisi incola mortem paravit. (S. Eucher., *De fuga sæculi*, num. 4, in fin.)

O! laus magna deserti, ut diabolus, qui vicerat in paradiso, in eremo vinceretur. (*Ibid.*, num. 14.)

Fremit frustra tunc circumiens adversarius, tanquam intra caulas ovibus septis lupus. (*Ibid.*, n. 23.)

Joannes præferebat solitudinem sollicitudini, pacem turbationi, quietem tumultui, eremum civitati... sciens quod, quando remotior esset a frequentia hominum, tanto immunior esset a contagio peccatorum. — Jesu desertum per quadraginta dies jejunio consecratum pœnitentiæ dedicavit; ibi tentatus tentatoris malitiam confutavit, ut quicunque in solitudinem fugeret, jam non timeat insidias inimici, sed in loco horroris habeat locum securitatis, et in solitudine inveniat civitatem habitationis. (Petr. Bles., serm. 1 *De adventu*, init.)

Nimia turba vitiorum sine certamine vincitur, quando solitudo gratiæ suffragatur. (S. Bonav., *Pharet.* lib. iv, cap. 18.)

Prærogativa II. — *Cœlum apertius, unde anima virtutibus præfulget, et variis gratiæ muneribus exornatur.*

Pluit illis manna ad manducandum, panem cœli dedit eis. (*Psalm.* lxxvii.)

Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. (*Osc.* ii, 14.)

Cella conscia secreti consilii, quod habet cum hominibus Deus. (S. Eucher., *De fuga sæculi*, num. 25.)

Conciliabulum Dei et hominum. — Fomes et vita virtutum. (S. Basil., *De laud. eremi.*)

Secessus est collactaneus contubernalisque virtutis. (S. Chrysost., *in psal.* l, ante med.)

Tu inhabitantium te vitiis sterilis, tu fecunda virtutibus. (S. Eucher., *De fuga sæculi*, num. 25.)

Semper in deserto suo pane Jesus pascit. (*Ibid.*, num. 14.)

In terra salsuginis, in terra horroris et solitudinis, in terra, quæ non germinavit hactenus nisi spinas et tribulos, germinabit Dominus gratiam et benedictionem, pinguescent animæ speciosa deserti, ponet et Dominus desertum quasi delicias, solitudinem quasi hortum irriguum. (Petr. Bles., sermone 1, *De Adventu*, circa med.)

Prærogativa III. — *Familiarior Deus, facilius invenitur.*

Potentis medici conclave. (S. Basil., *De laud. eremi*, circa med.)

Nuptialis thalamus, in quo sancti Spiritus annulus tribuitur, et cœlesti Sponso felix anima fœderatur. (Id. *ibid.*, post. med.)

Quisquis in amoris tui desiderio perseverare studuerit, ipse quidem inhabitator est tui, sed ejus inhabitator est Deus. (Id. *ibid.*, circa finem.)

Solitaria vita magis tranquilla, ac composita, ac Deo animas copulat. (S. Greg. Naz., orat. 2, num. 90.)

Familiarius Deo gaudet. (S. Hier., epist. 1, *Ad Heliodor.*)

Ferunt quemdam quærenti alii quali in loco esse Deum crederet, respondisse ut, quo se duceret, impiger sequeretur; tum comitante eodem ad late patentis eremi secreta venisse, et ostendens solitudinis vastæ recessum: En, inquit, ubi Deus est. (*Ibid.*, ex S. Eucher., *De laud. eremi*, num. 3, in fin.)

In deserto Moyses glorificato Deum vultu conspicit. (*Ibid.*, num. 3.)

Non immerito ibi esse promptius creditur, ubi facilius invenitur. (*Ibid.*, n. 4.)

Moyses ingressus eremum pastor ovium, pastor ab eremo remittitur populorum. (*Ibid.*, n. 5.)

Plebs Dei ab Ægypto liberata, in eremo appropinquat Deo, a quo fuerat exempta servitio. Eremum ingressus Moyses Deum viderat, en redit rursus ut videat. (*Ibid.*, n. 6.)

Quid quod filii Israel ad illam desiderabilem terram non nisi habitatione eremi pervenerunt. (*Ibid.*, num. 4.)

Dominus in desertum locum ibat, ibique orabat. Locus ergo ille jam vocetur orationis locus, quem orando Deum idoneum Deus auctor ostendit, atque illic orando ipse, cum peteret, demonstravit ubi orare nos vellet, cum peteretur. (*Ibid.*, n. 14, circ. finem.)

In illo, quo meridie (solitudine) Sponsus recubat habitatoresque deserti charitate vulnerati contemplantur eum, dicentes : Invenimus quem diligit anima nostra, tenebimus eum, nec dimittemus. (*Ibid.*, n. 23, circ. fin.)

Tuam quicunque sanctorum quæsivit familiaritatem, Deum reperit ; Christum in te, quisquis te coluit, invenit ; ipse, qui habitat, Domino habitatore lætatur, idemque est et possessor tuus, et divina possessio ; tuum qui non refugit habitaculum, factus est ipse Dei templum. (*Ibid.*, n. 25.)

(Opus est interdum) a tumultu temporalium secessum petere, in quo Deus tanto purius cernitur, quanto cum se solo solus invenitur. (Greg., lib. iv *Moral.*, cap. 28, circa med.)

Cum quo Deus est, nunquam minus solus est, quam cum solus est ; tunc enim libere fruitur gaudio suo ; tunc ipse suus est sibi ad fruendum Deo in se, et se in Deo. — Habitantes in cœlis potius quam in cellis, excluso a vobis toto sæculo, totos vos inclusistis cum Deo. — Cellæ et cœli habitatio cognatæ sunt... et, quod celatur in cœlis, hoc et in cellis ; quod geritur in cœlis, hoc et in cellis : quidnam est hoc ? vacare Deo, frui Deo. (S. Bern., *De vita solitaria, ad Fratres de Monte Dei*, c. 4, n. 10.)

Cella terra sancta et locus sanctus est, in qua Dominus et servus ejus sæpe colloquuntur, sicut vir ad amicum suum ; in qua crebro fidelis anima verbo Dei conjungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cœlestia, humanis divina uniuntur. (*Ibid.*, num. 11.)

Sede solitarius sicut turtur, nihil tibi et turbis, nihil cum multitudine cæterorum ; etiamque ipsum obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet Rex decorem tuum. O sancta anima sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti ! Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos, secede ab amicis et intimis, etiam et ab illo qui tibi ministrat. (S. Bern., serm. 40 *in Cant.*, n. 5.)

Desertum dedicatum est sanctitati, ut esset in eo quasi secretior Dei thalamus in terris, et familiare auditorium Spiritus sancti. (Petr. Bles., serm. 1, *De Adventu*.)

Esto quietus in te, secretum dilige, solitudinem quære, mœroris amicam ; et placido suo illapsu Spiritus sanctus descendens ad te, te elevabit ad se, atque dignanter habitabit in te. Propheticam super hoc attende sententiam ; sedebit, inquit, solitarius, et tacebit, quia se elevabit supra se ; et hoc unde, nisi per orationis exercitium ? optime sibi conveniunt remotio quieta et orationis instantia ; nam sicut publicum corporalis actio, ita solitudinis secretum exigit contemplatio. Cum contra adversarios pugnaret Moyses, ascendit in montem ; cum divino fruebatur eloquio, montis residebat in vertice, nec cœlestium sacramentorum rudimenta percepit, nisi post solitudinis ingressum. Disce igitur solus orare, disce ostio clauso cubiculi Patrem deprecari cœlestem, etc. (S. Laurent. Justin., *Serm. in festum Pentecostes*, n. 3.)

Prærogativa IV. — *In secessu omne bonum in suo fonte gustatur.*

§ I. *Honestum.* — Solitaria vita cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina ; illic Deus est totum, quod dicitur via qua tenditur ; totum, per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur. — Sacræ militiæ tabernaculum. — Castrum Dei. — Campus divini prælii. — Spiritualis arena certaminis. — Spirituale prorsus habitaculum. — Ergastulum, ubi pretiosi lapides reponuntur. (S. Basil., *De laud. eremi*, init.)

O desertum Christi floribus vernans ! — O solitudo ! in qua illi nascuntur lapides, de quibus in *Apocalypsi*, cap. xx, civitas magni Regis exstruitur. — O eremus familiarius Deo gaudens ! (S. Hier., *Epist. ad Heliodorum*, circ. fin.)

Quid eremi amor, nisi Dei amor ? (S. Eucher., *De fuga sæculi*, n. 2.)

Cum Dominus in eremo abjici pedum vincula commoneret, sanctam eremi terram pronuntiavit. (*Ibid.*, n. 5.)

Tutum semper ad veram patriam eremi mansionibus iter panditur. — Habitet inhabitabilem terram, qui vult videre bona Domini in regione vivorum ; sit hospes hujus, qui civis illius esse contendit. (*Ibid.*, n. 11.)

§ II. *Jucundum.* — Paradisus deliciarum. — Sanctarum mentium delectatio. — Intimi gustus inexhausta dulcedo. — Mundi persequentis felix effugium. — Laborantium quies. — Mœrentium consolatio. — Ab æstu sæculi refrigerium. — Exsul mundi hæres et Paradisi. (S. Basil., *De laud. eremi.*)

Hoc me delectat et ab omnibus actionibus necessitatis, quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio ; neque in his omnibus, quæ excurro consulens, te invenio tutum locum animæ meæ, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec a te quidquam ex me recedat. (S. Aug., lib. x *Confess.*, c. 40.)

O quam jucundæ sunt sitientibus Deum etiam de viæ illæ saltibus solitudines ! quam amœna sunt quærentibus Christum illa secreta... silent omnia... nullus interstrepens illic sonus, nulla, nisi forte cum de Deo, vox est. (S. Eucher., *De fuga sæculi*, n. 23.)

Eadem est corporis eremus, animæque paradisus. — Hic interioris hominis pastus et voluptas. (*Ibid.*, n. 24.)

§ III. *Utile.* — Cella spiritalis exercitii mirabilis officina, in qua certe humana anima Creatoris sui imaginem in se restaurat, et ad suæ redit originis puritatem. — Turris David. — Instrumentum, quo pretiosi lapides poliuntur. (S. Basil., *De laud. eremi.*)

Non est infructuosum, non sterile eremi solum, nec infecunda arentis saxa deserti ; illic multiplex germen, et centenos accola fructus recondit ; non facile illic jacta semina secus viam decidunt, quæ volucres absumant, neque in petrosa facile dilabun-

tur, quæ non habentia altitudinem terræ æstuent et arescant, neque in spineta facile fugiunt, quæ jam adultis sentibus obruantur. Uberi messem proventu colonus metet, etc. (S. Eucher., *De fuga sæculi*, n. 24.)

Dum enim per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere. Unde magna divinæ pietatis dignatione provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem aliquot dierum nobis exercitatio mederetur. (S. Leo., serm. 4, *De Quadragesima*.)

Prærogativa V. — *Quasdam alias peculiares secessus utilitates complectens.*

Secessi de populo, imo unicum mihi negotium est, nec aliud curo quam ne curem; vita meliore magis in secessu fruar, quam in promptu. (Tertull., *De pallio*, c. 5.)

Negotiatorum cœlestium apotheca, in qua mercium illarum summa reconditur, quibus terræ viventium possessio comparatur... ubi terrenis cœlestia, transitoriis mutantur æterna. — Angelorum spectaculum.—Palæstra fortiter dimicantium.—Scala Jacob. —Via aurea certa et compendiosa, quæ homines ducit ad patriam. — Balneum animarum. —Ab hujus vitæ turbida vexatione sepulcrum. —Portus tranquillitatis. — Speculum animarum. —Sicut tabernaculum Cedar et pelles Salomonis. — Arcula aromatum. — Libertas animarum. — Debitorem se tibi mundus agnoscat, unde prædicaturum ac mirabilia facturum suscepisse te Deum non ignorat. (S. Basil., *De laud. eremi*, n. 21.)

Solitudinem non nihil complecti oportet, ut animo minime turbido et inquinato Deum alloquamur, ac mentem a rebus vagis aliquantisper reducamus. (S. Greg. Naz., apud S. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 37.)

Eremum circumscriptum Dei veri templum dixerim; etenim, quem certum est habitare in silentio, credendum est gaudere secreto. (S. Eucher., *De fuga sæculi*, n. 3.)

Eremi habitaculum... fidei sedes, virtutis arca, charitatis sacrarium, pietatis thesaurus, justitiæ promptuarium : nam, sicut in magna domo pretiosa quæque claustris obsignata in remotis habentur, ita magnificentia illa sanctorum abditorum eremo deponitur intra quoddam conclave deserti, ne conversationis humanæ usu obsolescat. (*Ibid.*, n. 16.)

Materno eremus sinu continet illos æternitatis rectissime avaros, bene prodigos brevitatis, incuriosos præsentis temporis, certos futuri. (*Ibid.*, n. 21.)

Solitaria vita est cum Lia fecunda, et Rachele formosa. — Vita solitaria uxor illa est, quam duxisti... de qua dicitur, quia manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum ; quia videlicet hujus vitæ idoneus exsecutor sic se per majora opera ex desiderii fervore dilatat, ut etiam cautus, quæ sunt minima non derelinquat. — Hæc utrarumque sororum Lazari sibi vindicat dignitatem, quia et cum Maria sedens ad vestigia Domini ejus verbis intendit, et cum Martha eumdem Dominum diversis sanctarum virtutum epulis reficit. (S. Petr. Dam., opusc. 15, c. 1.)

Postquam ad cellulam perventum est, imo, postquam in me ipse, qui fueram exclusus, intravi, mox æstuantis fervor exstinguitur; contentiosi litigii querela sopitur; tumor, clamor et indignatio præsto deponitur, et omne, quod in meis visceribus amarum fuerat, divinitus obdulcatur. (Id., epist. 93, *Ad Clun.*, al. 5, lib. VI.)

Tanquam, si languidus quilibet aromaticam ingrediens officinam, antequam medicamenta antidoti percipiat, deposita languoris ægritudine convalescat; ita ego protinus ut cellulæ meæ limen attigi, necdum librum quemlibet aperueram (et non bene factum) tanquam virtute loci sanum me atque incolumem compositis animæ meæ vulneribus reperi; sicque ad divinorum librorum, qui adhuc clausi tenebantur, aspectum, velut ante medicinæ poculum salutem hausi, spirantibus duntaxat odoribus fragrantium pigmentorum. (Id., epist. 93, *Ad Clun.*, al. lib. VI, epist. 5, init.)

Ut tutius in cella habites, tres tibi deputati sunt custodes, scilicet Deus, conscientia et spiritualis pater. Deo debes pietatem, ut te totum impendas; conscientiæ tuæ honorem, coram qua peccare erubescas; patri spirituali obedientiam charitatis, ad quem de omnibus recurras. (S. Bern., *De vita solitaria*, *Ad fratres de Monte Dei*, c. 9, n. 27.)

Punctum II. — Secessus utilis ob bona eximia quæ in animarum secum ibi habitantium profectum redundant.

Sectio prima. — *In secessu anima semetipsam cognoscit.*

Ubi sensus obtusi ad subtilitatem sui acuminis redeunt. — Speculum animarum. (S. Basil., *De laud. eremi*, paulo post init.)

Bonum est Deo parumper sese subducere, ut Moyses ille olim, ac postea Jeremias; et rursus ad vocantem prompte atque impigre accurrere, quemadmodum Aaron et Isaias, etc.; ideo paulisper secessi, ut meipsum suspicerem. (S. Greg. Naz., orat. 41.)

Erroris maxima causa est, quod homo sibi ipsi est incognitus, etc. qui tamen, ut se noscat, magna opus habet consuetudine recedendi a sensibus, et in animum seipsum colligendi, atque in seipso retinendi. (S. Aug., lib. 1 *De ordine*, c. 1, in fin.)

Secretum aliquando petiit S. Gregorius. Ubi omne, inquit, quod de mea mihi occupatione displicebat, se patenter ostenderet. (S. Greg., lib. 1 *Dialog.*, in Præf.)

Cogitare se mens non potest, quæ tota apud semetipsam non est. (Id., lib. III *Moral.*, c. 7, circ. med.)

Justorum mens, quia per custodiam disciplinæ a cunctorum visibilium fluxo appetitu constringitur,

collecta apud semetipsam intrinsecus integratur, qualisque Deo vel proximo esse debeat, plane conspicit, qui nihil suum exterius derelinquit, et quanto ab exterioribus abstracta compescitur, tanto aucta in internis inflammatur, et quo intus magis ardet, eo ad deprehendenda vitia amplius lucet: hinc est enim, quod sancti viri, dum se intra semetipsos colligunt, mira ac penetrabili acie occulta etiam aliena delicta deprehendunt. (S. Greg., lib. xxxi *Moral.*, c. 7, al. 9, post med.)

Conferenda posteriora prioribus; profeceris ne in virtute, in sapientia, in intellectu, in suavitate morum, an ab his forte, quod absit, defeceris; patientior sis, an impatientior solito; iracundior, leniorve; insolentior, an humilior; affabilior, an austerior; exorabilior, an difficilior; pusillior animo, an magnanimior; serius magis, an plusculum dissolutus; timoratior, an forte fidentior, quam oportet... qualis in donandis injuriis, qualis in ulciscendis, quam in utroque providus modi, loci, temporis observator. (S. Bern., lib. II *De consider.*, c. 14.)

Præsidentibus necesse est se interdum ab exteriorum fragoribus elongare: nam, quemadmodum, cum turbatum est mare, procellis concitatum et ventis, profundum illius, et quod in ipso movetur, humanus nequaquam valet perlustrare aspectus, ita quoque accidit menti mundialibus negotiis curisque exterioribus immoderatius debito involutæ. Porro frequentissime agitatur, impellitur, disperditur, anxiatur, obtenebratur, captivatur, perturbatur plusquam in rebus honestis ac piis. Equidem in ipsis perturbationibus et sollicitudinibus animæ densatur obtutus, et non valet, prout expedit, se homo agnoscere, motus internos discernere, cohibere passiones, ac errata corrigere; quæ omnia procul dubio, ut fiunt, præsidentibus in promptu et actu sunt necessaria. (S. Laurent. Justin., *De regimin. prælat.*, c. 6, n. 4.)

Sectio secunda. — *Remissum fervorem resarci.*

Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. (*Psal.* xxxviii, 4.) Vid. *Comment.* in hunc loc.

Non malus ignis, qui adurat, sed non exurat. Talis ignis, quem Moyses (*Exod.* iii) in rubo vidit, quando rubus urebatur, sed non exurebatur. Est ergo ignis, qui peccatum minuit, et suo culpam ardore depascit. Est et ignis, qui cœlestium Scripturarum meditationibus excitatur, velut ille, de quo dicit Jeremias (xx, 9): *Et erat ignis flammigerans in ossibus meis;* aut ille, de quo Cleophas et qui simul iter agebat, quando post Resurrectionem eis se Christus adjunxit, sermone mutuo conferebant, dicentes (*Luc.* xxiv, 32): *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis Scripturas?* (S. Ambros., *in psal.* xxxviii, 4.)

Nunquid mittes fulgura et ibunt, etc. Mittuntur, inquit, et vadunt, cum de abscondito speculationis intimæ in activæ latitudinem diffunduntur: sed revertentes dicunt Deo: Adsumus, quia post opera exteriora, quæ peragunt, semper ad sinum contemplationis recurrunt, ut illic ardoris sui flammam reficiant, et quasi ex tactu supernæ claritatis ignescant: citius enim inter ipsa licet bona exteriora opera frigescerent, nisi intentione sollicita ad contemplationis ignem incessanter redirent. (S. Greg., lib. III *Moral.*, c. 2 *in hæc verba Job* c. xxxviii, 35, post med.)

Diligens et attenta meditatio rerum cœlestium ordinaria via est ad accendendum ignem actualis charitatis Dei. (Bellarm., *in psal.* xxxviii, 4.

Sectio tertia. — *Quæ sit voluntas Dei, perspicit.*

Nihil tam optandum cuiquam esse mihi videbatur, quam ut occlusis sensibus, atque extra carnem mundumque positus, ac in seipsum collectus, nec, nisi quantum necessitas exigit, quidquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse et cum Deo colloquens, superiorem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agat, divinasque species puras semper nec terrenis ullis rebus et errantibus formis admistus in seipso circumferat, Deique ac rerum divinarum purum omnino speculum sit, in diesque efficiatur, ac lucem per lucem assumat. (S. Greg. Naz., orat. 1, n. 16.)

Qui a medio communium rerum strepitu non recedit... neque eum, qui otium non agit, Dei cognitionem assequi minime possunt. (Isid. Pelus., lib. I, epist. 402, circa med.)

Sancti viri, qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, et legem quasi in monte percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ vertice supernæ voluntatis sententiam perscrutantur. — *Postquam locutus est de Moyse, qui ad tabernaculum accedebat, ut Dominum consuleret*) relictis, (inquit), turbis ad tabernaculum redire, est postpositis exteriorum tumultibus secretum mentis intrare: ibi enim Dominus consulitur, et quod foris agendum est publice, intus silenter eruditur. — Tu, o charissime, huic voci Dei tui dulciori super mel et favum si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito et vacante interno sensu dicas et tu cum Samuele: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* (*I Reg.* iii, 10.) Vox hæc non sonat in foro, nec auditur in publico. Secretum concilium secretum quærit auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit et lætitiam, si sobria aure perceperis. (S. Greg., *Moral.*, lib. xxiii, c. 12; S. Bern., epist. 107, *Ad Thom. præpos. de Beverla.*)

Sectio quarta. — *Ad clericalis virtutis apicem pervenit.*

Quicunque ad perfectionem pervenerunt, tuum cognovere præconium. — Tibi Moyses dedit bis acceptæ legis Decalogum. Per te Elias novit Domini transeuntis excursum. Per te Elisæus duplicem magistri sortitus est spiritum; et quid amplius dicam?

quandoquidem Salvator mundi in ipso redemptionis humanæ primordio præconem suum tui accolam fecit, quatenus sub ipsa jam sæculi venientis aurora ex te Lucifer veritatis erumperet. — Solitudo scala Jacob, quæ homines vehis ad cœlum, et angelos ad humanum deponis auxilium. — Cella Dominicæ sepulturæ propemodum æmula, quæ peccato mortuos suscipis, et per afflatum sancti Spiritus Deo reviviscere facis. — Tu nosti homines ad perfectionis culmen evehere, atque ad consummatæ sanctitatis fastigium sublimare. (S. Basil., *De laud. eremi.*)

Deum ex homine efficit solitudo, Dominicæ ascensionis socia et administra ac veluti mater. (S. Greg. Naz., orat. 2, n. 1.)

Ad perfectionem adipiscendam ingens in secessu subsidium positum est. (S. Chrysost., apud S. Joan. Damasc., lib. I *Parall.*, c. 37.)

Moyses ingressus eremum pastor ovium, pastor ab eremo remittitur populorum. (S. Eucher., *De fuga sæculi*, n. 5, in fin.)

Ubi, quæso, magis vacare, et quam dulcis sit Dominus videre contingit? Ubi promptior ad perfectionem tendentibus via panditur? ubi major virtutibus campus aperitur? ubi mentis, facilius ut possit circumspicere, custodia? ubi liberior cordis, ut Deo inhæreat, certet intentio, quam in illis utique secretis, in quibus Deum non solum invenire promptum est, verum etiam custodire? (S. Eucher., *De fuga sæculi*, n. 19.)

Et quamvis sæpe in eremo tenuis soli pulvis occurrat, nusquam tamen firmus evangelicæ illius domus fundamenta jaciuntur. (*Ibid.*, n. 20, in fin.)

Intentioni animæ si exterior evagatio clauditur, interior accessus aperitur; nam quo extra se spargi per disciplinam mens non potest, eo super se intendere per provectum potest; quia et in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur; et, cum rivos fontis obstruimus, fluenta surgere ad superiora provocamus. (S. Greg., lib. xxx *Moral.*, c. 2.)

Punctum III. — Secessus utilis propter maxima commoda, quæ inde in populum Christianum totamque Ecclesiam emanant.

Confugisti ad pietatis silentium, ut evaderes iniquitatis tumultum; mutescere voluisti mortalibus, ut ore puro divina loquereris. (S. Paulin., epist. 1, *Ad Severum.*)

Quantum se eorum (in solitudine viventium), introrsum agit vita, tantum se foris proripit gloria, Deo, ut arbitror, ita inter utrumque moderante, ut incola eremi suæ lateat sæculo, et non lateat exemplo. — Incola eremi luçerna est, quæ per universum resplendet orbem, supra eremi candelabrum locata: hinc se flagrantissimum lumen per tenebrosa mundi membra diffundit. — Hæc est civitas, quæ abscondi non potest, in deserti constructa monte, etc. (S. Eucher., *De fug. sæculi*, n. 22.)

Quoniam dies mali sunt, oportet te de malitia temporis in usum animarum aliquid sequestrare, quod componat mores, regat affectus, dirigat actus, ipsumque ordinem tuum ordinet et honestet. (Petr. Bles., part. III, tract. 8, *De institut. episc.*)

ART. III. — *Quando secedendum.*

Sectio prima. — *Cum præterita vita emendanda, novaque instituenda.*

Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici et a tribulatione peccatoris. Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me, et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam; ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine, etc. (*Psal.* liv, 2, 6, 7.)

Redite prævaricatores ad cor. (*Isa.* xlvi, 8.)

A sacerdotibus, ab iisque etiam, qui provectiori ætate sunt, hoc si nunquam per ipsos antea præstitum est, omnino præstari peroptamus, ut cum omnis anteactæ vitæ suæ peccata diligenter riteque confiteantur, cum spiritualium exercitationum, prout iis, qui subdiaconatum, vel diaconatum, vel sacerdotium suscepturi sunt, præscriptum est, studium aliquando suscipiant, quo diligentius in via salutis sibi prospiciant. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, *De vita et honestate cleric.*, in fin.)

Præoccupandus est aditus cunctis insidiis, ne hostilitas prior obrepens occurrat improvidis. Salutare remedium est prævenire potius quam præveniri, et anticipare potius quam anticipari, viribus fortibus congruit. — Ubicunque fuerit providentia, frustantur universa contraria; ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur. Ante famem certamus, ante inopiam laborando satagimus; sic per omnia calamitatibus cunctis tollimus locum, dum gerimus providentiam temporum futurorum. (S. Cypr., *De singular. cleric.*)

Fornax, ubi superni Regis vasa formantur, et ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percussa ac lima salutiferæ correctionis erasa perveniunt, in qua dissolutæ animæ rubigo consumitur, et scabies peccatorum ac scoriæ deponuntur. (S. Basil., *De laud. eremi*, circa init.)

Lavacrum tonsarum. (*Ibid.*, post med.)

Christus elongavit a persequentibus, ut occasionem iracundiæ insanis mentibus abrogaret, mansit in solitudine, ut imperturbati secreti puritate frueretur, tali facto nos commonens, ut, quando iniquitatis alicujus fasce deprimimur, in secreto conscientiæ quiescere debeamus. (Cassiod., *in psal.* liv, 7.)

Sectio secunda. — *Cum suscipiendum, renovandumve est pie vivendi propositum.*

Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. (*II Tim.* I, 6.)

Quotannis quasi de integro videtur incipere sacerdotium, quando temporum renovatur ætate. (S. Ambros., lib. VIII *in Luc.* XVIII, circa med.)

Quantumlibet caste et sobrie mortalis hæc vita ducitur... nulla est, quæ non semper indigeat expoliri. (S. Leo, *Serm. in Quadragesima* inter sermones S. Augustini, in *Appendice*, serm. 36, vel 63, *De tempore.*)

Semper necessaria est omnibus contra rubiginem mortalitatis quotidiana renovatio, et inter profectuum gradus nullus est, qui non semper melior esse debeat. (Id., serm. 6, *De Quadragesimali tempore.*)

Sectio tertia. — *Cum sacris ordinibus quis inaugurandus.*

Subdiaconatum suscepturus (quod idem dicas habita proportione de aliis ordinibus), quo diligentius vitæ perpendat rationem, cui se illum suscipiendo sancte adstrinxit, ac proinde re tota accuratius deliberata puriori mente ardentiorique animi voluntate ad rem tanti momenti accedat, priusquam eo sacro ordine initietur. Aliquem semotum locum adeat, ubi ab omnibus curis et occupationibus liber, cum omnis anteactæ vitæ suæ peccata diligenti conscientiæ discussione rite confiteatur, tum in salutaribus meditationibus aliisque spiritualibus exercitationibus totus versetur, duce et moderatore sibi adhibito religioso viro, earum usu perito, quem episcopus imprimis probarit: in illis autem vel mense, vel longiori breviorive tempore persistat, prout de moderatis consiliis episcopus expedire censuerit. Quas item exercitationes præscripto et modo et tempore diaconi, cum ad sacerdotii gradum accessuri sunt, pie ineant. (*Conc. Mediolan.* iv, *Constitut.* part. ii, tit. *Quæ pertinent ad sacram ordinis*, etc.)

Hortatur hæc synodus omnes, qui ad subdiaconatus, diaconatus aut præsbyteratus ordines promovendi sunt, ut antequam accedant de peccatis omnibus totius anteactæ vitæ generaliter confiteantur, ac spirituales quasdam exercitationes ab episcopo præscribendas obeant sibi, adhibito duce et moderatore viro religioso, quem episcopus præfecerit. (*Synod. Aquensis*, ann. 1583, sub Gregorio XIII, habita, tit. *De iis quæ ad sacrament. ordinis admin. spectant*, n. 15, in med.)

Ac, ut subsequens zelus priori respondeat, exutaque promovendus ad presbyteratum veterem hominem cum actibus suis in anteriora se extendens, sintque illi oculi ante et retro ad munia sacerdotis debite peragenda, admissus vacet exercitiis spiritualibus octo dierum, conscientiam discutiat, et mundatam impleri superna postulet gratia enixe monemus. (*Synod. Burdigal.*, c. 6, *De ordin.* n. 6, ann. 1624, habita Urbano VIII Papa maximo.)

Antiquæ legis sacerdotibus consecrandis præcipiebatur ut de ostio tabernaculi non exirent septem diebus usque ad diem, quo compleretur tempus consecrationis eorum. (*Levit.* viii, 33 et toto illo tempore nec vestes sacras deponebant, ut videtur innuere Josephus, lib. iii *Antiquit.*, cap. 9, al. 12, nec sæcularibus curis distrahebantur, nec familiæ vacabant, nec rei uxoriæ, sed quotidie sacrificiis operam dabant, ut docent Lyranus, Abulensis et alii in *Levit.*, cap. viii.)

S. Carolus subdiaconos presbyterosque designatos certis ante ordinationem diebus in remotum locum venire, ibique, relictis omnibus, apto aliquo sacerdote duce, salutari contemplationi sese exercere jubebat, cujus adjumento ad meliorem sanctioremque vitam, suscipiendique muneris plenam cognitionem adducerentur. (In ejus Vita, lib. vii, c. 31, in fin.; in lib. etiam *Actuum* ejus Ecclesiæ Mediolanensis.)

Sectio quarta. — *Cum ad aliquod munus ecclesiasticum aliquis eligitur.*

S. Gregorius Nazianzenus postquam sacerdos invito animo creatus fuisset, et patre jam ad senectutem provecto ad Nazienzeni gregis curam vocatus esset, noluit Ecclesiæ illius administrationem attingere, priusquam in portum secedens aliquod tempus meditationi et orationi impendisset: sûi autem secessus rationem reddens: Bonúm enim est, inquit, Deo sese parumper subducere, ut Moyses ille olim, ac postea Jeremias, et rursus ad vocantem prompte atque impigre accurrere, quemadmodum Aaron et Isaias. — Mysterium unxit me, mysterio paulisper cessi, ut meipsum inspicerem et explorarem. (S. Greg. Naz., orat. 41 init., et orat. 1, circ. fin.)

Moses aditum divinæ initiationis non est ingressus, nisi post secessum a turbis, superatum montem Sinaï, nubis ingressum et plurium dierum cum Deo colloquium. (S. Greg. Nyss., *De vita Mosis.*)

S. Augustinus, cum a Valerio Hipponensi episcopo urgeretur ut Ecclesiæ suæ gubernationem secum capesseret, gravem ad eum scripsit epistolam, qua enixe petiit ut tempus ipsi Quadragesimæ usque ad Pascha liberum concederetur, quo se, ut ait, petendo, quærendo, pulsando, id est orando, legendo, plangendo ad hoc opus disponeret. (S. Aug., epist. 148, *ad Valerium.*)

Salubri consilio instructioni sanctæ vacas, et intentus studiis spiritalibus, quibus solitudo amica est, formans in te quotidie confirmansque Christum, quo et servus utilior, et magister doctior, digniorem te ea, in qua ex nutu Dei positus es, sede perficias, opere pariter et verbo potens. (S. Paulin., *Ad Aprum Tullensem episc.*, epist. 1, circa fin.)

Priusquam hujuscemodi studiis (scilicet verbi Dei prædicationi) regimini animarum et proximorum lucris se miles Christi tradat, vacet devotioni, orationi intendat, quietem diligat, devitet tumultus et interiori exercitationi mentis suæ componat habitum. (S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 7, num. 2.)

Ante in quietis se agnoscat otio, quam ad exteriorum tumultus foras exeat. (*Ibid.*, n. 3.)

Christus divinæ dispensationis mysteria aggesturus secessit a turbis, quem frequentia populorum

non turbabat; solitudinem petiit, cui in multitudine nota omnia et obvia erant; meditationi vacaturus discessit, qui divinam Dei faciem jugiter intuebatur; oraturus desertum petiit, qui tamen exaudiri merebatur pro sua reverentia, poteratque præstare quod petebat, et largiri quod volebat. Ea ergo omnia fecit Christus, non quod aliquibus egeret vitæ melioris adminiculis, sed perfectum vitæ, quam imitaremur, exemplum tradere volens, ne prius hierarchicum gradum subeamus, vel ecclesiastica ministeria aggrediamur, quam ad nostri ducis imitationem secreti a turbis, terrestrium silente tumultu curarum, oratione et aliis piis operibus totos nos Deo committamus, instruendosque et imbuendos tradamus. — Ad hoc exemplum formati apostoli, priusquam divinitus sibi commissam legationem implerent, aut prædicandi Evangelii munere fungerentur, unanimes in eadem domo precantes, et divinis meditationibus sedulo intenti nobis describuntur, ut se ad divinum illud Verbi divini semen fructuose per totum orbem spargendum præpararent. (Hallier, episc. Cabillon., *De sacris electionibus et ordinationibus*, sect. 4 *De præparat. ad ordin.*, § 2, *De exercitiis spiritualibus ordinationi præmittendis*, post med.)

Usitatum quoque in nostra Gallia refert Fulbertus Carnotensis episcopus, ut per quadraginta dies a sacra ordinatione, qui ordinibus initiati erant, quotidie ab episcopo sacram Eucharistiam perciperent... Quid per istos quadraginta dies agerent ordinandi facile est colligere : ipsos nempe totis istis diebus in episcopio morantes, et de suo officio edoctos, et spiritualibus exercitiis fuisse occupatos. (*Ut supra. Vid.* etiam Fulbert., epist. 2, *Ad Finardum.*)

ART. IV. — *De interiori per totam vitam secessu præcipue clericis injuncto.*

Benedicit Dominus justo : *Intra, tu,* hoc est, intra teipsum, intra tuam mentem, in tuæ animæ principale. Ibi salus est, ibi gubernaculum; foris diluvium, foris periculum. (S. Ambros., *De Noe*, c. 11, *in illud Gen.* vii : « *Intra, tu, et omnis domus tua in arcam.* »)

Difficile est in turba videre Christum. Solitudo quædam necessaria est menti nostræ. Quadam solitudine intentionis videtur Deus. Turba strepitum habet. Visio ista secretum desiderat. (S. Aug., tract. 17 *in Joan.* post med.)

Cogitavi dies antiquos et annos æternos in mente habui. (*Psal.* lxxvi.) Vult ista cogitatio magnum silentium, ab omni forinsecus strepitu, ab omni rerum humanarum tumultu. Intus requiescat, qui cogitare vult istos annos æternos. (S. Aug., *in psal.* lxxvi, circa med.)

Cordis tenebras vel abstrusas in eo inimici latebras videre non possumus, nisi defæcato ab externarum rerum curis animo, et intus ad semetipsum converso. (S. Paulin., epist. 2, *Ad Severum*, quæ sic incipit: « Habeo tibi adhuc aliquid, » circiter ante epist. med.)

Qui ædificant sibi solitudines. (*Job* iii.) Solitudines ædificare, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, et una intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. (S. Greg., lib. iv *Moral.*, c. 28, ante circiter med.)

Qui mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilarescit, ut exstinctus mundo lateat, et a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat. (S. Greg., lib. v *Moral.*, c. 5, circa capitis fin.)

Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis. — Qui corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ, terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. — Si prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. (Id., lib. xxx, c. 12.)

Bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur... ut quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. (S. Greg., lib. xxx *Moral.*, c. 12, circa med.)

Sola indicitur tibi mentis et spiritus solitudo... sede solitarius... secede, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. (S. Bern., serm. 40 *in Cant.*, num. 5; et 6, circa med.)

Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suscipiunt, si fastidias quod omnes desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum; alioquin nec, si solus corpore es, solus es. (Id., serm. 40 *in Cant.*, n. 6.)

Anima, quæ non studet in se consistere... et quæ per oculos et aures aliosque corporis sensus foras egreditur, atque in his exterioribus delectatur... eam Deus dedignabitur visitare. (*De interdomo*, seu *De conscientia ædificanda*, c. 1, n. 3, inter Op. S. Bern.)

Quamdam interiorem solitudinem semper tibi circumferas, ut in se collectus animus ad exteriora non defluat, nec attendat quod appareat foris, aut quod exterius sonat. — Inter multos eris tecum, factus de illorum numero, quos beatus Job insinuat, dicens : *Hi sunt, qui ædificant sibi solitudines, ut vocem exactoris non audiant.* (*Job* iii, 14; Petr. Bles. epist. 134, *Ad Wilhelmum elect. S. Mar. Bles.*, init.)

O vita mea, vita felix, quæ abscondita est ipsi mundo, associata ipsi Christo ! In Deo centro suo quietatur. (S. Bonav., *Instruct. sacerd. ad se præpar. ad Missam celebr.*, in med.)

Vade pacifice in domum tuam, quia, *sicut avis transmigrans de nido suo* variis periculis exposita est, *sic vir, qui relinquit locum suum.* (*Prov.* xxvii, 8.) Maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo. (Gerson., *Collat. Serm. de duabus domibus*, Dominic. xix Pentecost.)

Revertere potius in te, ut sis tibi tu charior, quam tua. (S. Euch., *Epist. Ad Valerum*, n. 11.)

CAPUT VIII.

De frequenti in semetipsum inquisitione et quotidiana omnium actionum discussione.

ART. I. — *Quod in sua dicta, facta et cogitata omnes, sed præcipue clerici, inquirere teneantur.*

Ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. (*Eccli.* XVIII, 20.)

Statue tibi speculum, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in via recta. (*Jerem.* XXXI, 21.)

Scrutemur vias nostras, et quæramus et revertamur ad Dominum [28]. (*Thren.* III, 40.)

Ponite corda vestra super vias vestras. (*Aggæ.* I, 5.)

Quotidie vesperi per quartam horæ partem conscientiam diligenter excutiant. (*Act. Eccles. Mediol.*, tit. *De instit. semin.*, part. III, c. 2.)

Completo jam die, omnique opere tum corporis, tum spiritus etiam absoluto, præclare fiat, si diligenter unusquisque, antequam cubitum eat, cum animo suo conscientiam suam exquirat, ac si quid quis vel cogitaverit, vel etiam locutus fuerit eorum, quæ non decent, vel si inter orandum minus attentus, aut in psalmorum decantatione tædio anxius fuerit, aut communis vitæ desiderio se senserit titillatum, etc. (S. BASIL., hom. 1, *De institut. monach.*, in fin.)

Quid est, quod dictum est? *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini,* (*Psal.* IV, 5.) Post cœnam, inquit, quando is dormitum... excita judicium tuæ conscientiæ, a te ipso rationem exige, etc., et cum improbis cogitationibus conscientiam judicem dederis, eas fodica, dilania, et de eis pœnam sume, etc. (S. CHRYSOST., *in psal.* IV.)

Ecce habes codicem, ubi scribas quotidianum expensum, habeto codicem conscientiam tuam, et scribe quotidiana peccata... antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiam tuam, et reminiscere peccata tua, etc. — Non prius dormieris, o homo, quam mentem versaveris, quæ a te interdiu perperam acta sunt, et die sequenti eris omnino tardior ad ea ipsa rursus aggredienda. (ID., *in hæc verba psal.* L : « *Irascimini et nolite peccare.* »)

Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. (*Psal.* c, 2.) Id est, meipsum considerabam et perscrutabar. (ID., *in psal.* c.)

Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. (*Psal.* LXXVI, 7.) Dicat nobis in ipso interiore cubiculo suo quid egerit, quo pervenerit, quid transilierit, ubi manserit, etc... Scrutabatur iste spiritum suum, et cum ipso spiritu suo loquebatur... Seipsum enim interrogabat... Seipsum examinabat, in se judex erat. (S. AUG., *in psal.* LXXVI.)

Necesse est ut per singulos dies vitam nostram ad judicium vocemus, et quid egimus per diem et noctem examinemus. (S. AUG., *De spiritu et anima*, c. 51.)

De peccatorum nostrorum relaxatione quotidie cogitemus, ne nostra vita peccato obligata remaneat, per quam omnipotens Deus quotidie alios solvit. Consideremus sine cessatione quid sumus. Pensemus negotium nostrum. Pensemus pondus, quod suscepimus. Faciamus nobiscum quotidie rationes, quas cum nostro Judice habebimus. (S. GREG., hom. 17 *in Evang. Lucæ, De cura pastoral.*, circa med.)

Mensæ... super quas ponant vasa, in quibus immolatur holocaustum, et victima, et labia earum... reflexa intrinsecus per circuitum. (*Ezech.* XL, 42, 43.) Tunc mensarum labia intrinsecus reflectuntur, quando doctores ad conscientiam revocant tacita cogitatione omne, quod dicunt, quando semetipsos subtiliter perscrutantur, si faciunt, quod loquuntur... ne, si prædicantes bona facere dissimulant, sui vastatores sint, cultores alieni. O doctor, ecce jam mensa es, jam vasa portas, jam in vasis fidelibus pondus holocausti et victimæ sustines, sed intus reflecte labium, id est ad cor revoca sermonem. (S. GREGOR., hom. 21 *in Ezech.*, post med.)

Nunc quoniam dies mali sunt (*Ephes.* V, 16), sufficit interim admonitum esse non totum te, nec semper dare actioni, sed considerationi aliquid tui et cordis et temporis sequestrare. (S. BERN., lib. I *De considerat.*, c. 7, init.)

Tolle nunc hæreditaria hæc perizomata, ab initio maledicta : dirumpe velamen foliorum celantium ignominiam, non plagam curantium : dele fucum fugacis honoris hujus et male coloratæ nitorem gloriæ, ut unde nudum consideres. (ID., *ibid.*, lib. II, c. 9.)

Inter considerandum qualis sis, etiam qualis fueris ad memoriam revocandum : conferenda posteriora prioribus ; profecerisne in virtute, an forte defeceris, patientior sis, an impatientior solito, etc. (*Ibid.*, c. 11.)

Extra quotidianum orationum sacrificium, vel lectionis studium, quotidianæ conscientiæ discussioni pars sua diei neganda non est. (*De vita solitaria, Ad fratres de Monte Dei*, c. 8, § 22; inter Oper. S. Bern.)

Vespere diei præteritæ rationem exige, et supervenientis noctis fac indictionem. (ID., *De vita solit.*, c. 10, § 19, circa med.)

Redi ad cor tuum, et diligenter discute teipsum, considera quomodo vivis... quid agis, quid amittis, et quantum quotidie proficis, vel quantum deficis. (*De conscientia*, qui habetur inter. Oper. S. Bern., c. 1. — *Vid.* simile quid, *De interdomo*, c. 14 seq.)

Revolve in animo tuo quantum ex honoris assumptione profeceris, et ex quotidiana collatione spirituales virtutum metire profectus, utrum sis insolentior aut humilior, affabilior vel austerior, mansuetior aut gravior, liberalior aut avarior. — Redde conscientiæ tuæ de quotidianis actibus rationem, vide si diem et noctem sine cujuslibet peccati macula transegisti, si minus legisti aut orasti, si in verbo, si in cibo, si in potu, si in somno temperan-

(28) *Vid.* CORNELIUM A LAPIDE, *in Thren.* III, 40.

tiæ modum excessisti. (Petr. Blesensis, *De institut. episc.*, c. 4, p. 13.)

Iis, qui præsunt, singulare documentum regiminis est, seipsos diligenter agnoscere, contra se introrsus dimicare, motus animi inordinatos componere. (S. Laurent. Justin., *De instit. et regim. prælat.*, c. 13, n. 5.)

ART. II. — *Cur clerici quotidianum suæ conscientiæ judicium instituere debeant ?*

Sectio prima. — *Quia id semper præstiterunt sancti ac viri apostolici.*

Scopebam, inquit Propheta (*Psal.* lxxvi, 7), *spiritum meum.* Scrutabatur spiritum suum, seipsum interrogabat, examinabat, in se judex erat. (S. Aug., *in psal.* lxxvi.)

Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ. (Id., hom. ult. ex 50, et nunc serm. 334, c. 4.)

Electorum est actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, et omne, quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare. (S. Greg., lib. xxv *Moral.*, c. 6, circa fin.)

Debet uniuscujusque mens et causas suas apud Dominum, et causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere ; quod electi quotidie facere omnino non cessant. (*Ibid.*, init.)

Hæc sunt studia sancta, exercitia apostolica, in quibus discutit se animus, et invenit, et emendat. (*Ad fratres de Monte Dei*, cap. 15, § 52, inter Oper. S. Bern.)

›Frequens et justa conscientiæ examinatio non solum de peccatis mortalibus, sed etiam de venialibus, signum est roboratæ jam et proficientis charitatis. (S. Bonav., *De septem itineribus æternitatis*, dist. 4, art. 2.)

Sectio secunda. — *Quia nummulariis et mercatoribus incumbit quotidie explorandum quid lucrentur, quidve amittant.*

Negotiatores spirituales sumus... Negotiator sæcularis damna et lucra quotidie computat ; et si damna perpessus fuerit, ea resarcire sollicite studet. Sic etiam tu diebus singulis vesperi et mane diligenter considera quo pacto sese habeat negotiatio tua. (S. Ephrem., *Serm. De vit. religios.*, circa med.)

Quod facis in pecunia, nec sinis ut duo dies prætereant, quin cum famulo rationem ineas, ne confusionem inducat oblivio, hoc etiam fac in actionibus : singulis diebus vesperi ab anima rationem exige. (S. Chrysost., *in psal.* iv, *in hæc verba* ŷ 5 : « *In cubilibus vestris compungimini.* »)

Utique idem facere oportet in peccatis, quod in pecuniarum sumptibus ; statim cum surreximus a lecto... vocato ministro rationem sumptuum petimus, etc... Faciamus hoc et in operibus nostris, vocata conscientia nostra, etc. (Id.) — Servorum mane rationem facere consuevimus, operum autem post cœnam et vesperam ipsam lecto jacentes, nullo interturbante, nullo obstrepente, omnium eorum, quæ per diem facta et dicta : rationes a nobis exigamus, et, si viderimus quid peccatum esse, puniamus nos ipsos, increpemus mentem et conscientiam, compungamus rationem tanto impetu, ut non audeat ultra exsurgere, et in idem peccatorum profundum nos inducere. — Quod tempus hoc huic rationi accommodatius sit, audi Prophetam dicentem (*Psal.* iv, 5) : *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus compungimini.* Multa per diem, non ut volumus, facimus, amici exacerbant, familiares exasperant... sollicitudo negotiorum circumsistit, et non possumus tunc attendere : omnibus autem illis liberati, et apud nos collecti sub vespera multaque fruentes quiete ; judicium in lecto requiramus, ut Deum per tale judicium misericordem faciamus. (Id., *Serm. de pœnit. confess.*)

Salvatoris verba sunt (*Matth.* xxv) : Estote probati nummularii, ut, si quis nummus adulter est, et figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur : qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupio recondatur. (S. Hier., epist. 152, *Ad Minerium et Alex.*)

Optimus trapezita est, qui quotidie vesperi lucrum ac detrimentum omnino computat. (Climac., grad. 7, circa fin.)

Sectio tertia. — *Quia talis discussio est omnibus necessaria.*

§ I. — *Ut in anima tanquam in speculo se ipsam suosque defectus cognoscat*

Cum nulla scientia melior sit illa, qua cognoscit homo semetipsum, discutiamus cogitationes, locutiones atque opera nostra ; quid enim prodest nobis, si rerum omnium naturas subtiliter investigemus, efficaciter comprehendamus, et nosmetipsos non intelligamus ? Examinemus ergo, quæ fecimus nos, si, secundum quod debuimus, ea fecerimus, etc. — Valde necessaria nobis est circumspectio examinationis, quatenus per experientiam eorum, quæ facimus, ad ea, quæ agenda sunt, tutiores reddamur. — Quisquis cor suum in ejusmodi studio exercet, audiat quid sapiens quidam dicat : *Scito teipsum*, etc. (S. Aug., *De spiritu et litter.*, c. 51.)

Sicut non sentimus quomodo crescunt membra, proficit corpus, mutantur species, nigredo capillorum albescit in canis ; hæc enim omnia nobis nescientibus aguntur in nobis ; ita mens nostra per momenta vivendi ipso curarum usu a semetipsa permutatur, et non agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes profectus nostros quotidie defectusque pensemus. (S. Greg., lib. xxv *Moral.*, c. 6, 7.)

Scrutemur vias nostras et studia nostra, et in eo se quisque judicet profecisse, non cum non invenerit, quod reprehendat, sed cum, quod invenerit, reprehendet ; tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio advertisti, et toties non te fefellit inquisitio tua, quoties iterandum putaveris : si autem semper, cum hoc opus est, facis, semper facis. (S. Bern., serm. 58 *in Cant.*, in fin.)

Admove speculum, fœdus se in eo vultus agnoscat... inspice tamen et tu, ne forte et si sit unde merito placeas tibi, etiam in quo debeas displicere non desit. Volo glorieris testimonio conscientiæ, sed non minus ut eodem ipso humilieris. — Cautior in bonis ambulas, si et mala non lateant. (S. Bern., lib. II *De consider.*, c. 7.)

Si me non inspicio, nescio meipsum. (Id., *Medit.*, c. 12.)

Prima prudentiæ regula est propriæ nihilitatis clara confessio, etc... Secunda vero est jugiter habitare secum : qui enim recedit a se, prorsus ignorat quid agatur in se, quidque procedat ex se; horum vero ignorantia est delictorum mater, nutrix vitiorum, virtutum inimica, contemptrix gratiæ, prudentiæ adversaria, omniumque pene malorum origo. (Laurent. Justin., *De regimine prælatorum*, c. 19, num. 4, 5.)

§ II. — *Ut errata præterita corrigat et in melius commutetur.*

Docuerunt nos sæpe majores nostri, quo pacto purgemus nos ipsos per singulos dies, ut scilicet ad vesperam perscrutemur nobiscum quomodo transactam diem exegerimus, et rursum mane quomodo noctem, et sic pœnitentiam agamus. Sane, cum admodum delinquamus, peccemusque, obliviscamurque facile delicta nostra, opus esset nobis in horas cura diligenti et examinatione, etc. (S. Doroth., doctr. 11, *De vita recte et pie instituenda*, ante med.)

Cum anima semetipsam quærit et subtiliter pœnitendo se discutit, a vetustate sua lota lacrymis et mœrore incensa renovatur. — Hoc ipsum in hac vita mortali consistere, quasi ad vetustatem ire est : et, cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur, quia sui negligens et propositum robur insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis, dum nescit, senescit : unde et per prophetam sub Ephraim specie dicitur (*Ose.* VII, 9) : *Comederunt alieni robur ejus et nescivit, sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit.* (S. Greg., lib. XXV *Moral.*, c. 6, in fin.)

Noveris te, ut inter angustias, quæ non desunt, fruaris conscientiæ bono, magis autem ut scias quid desit tibi. (S. Bern., lib. II *De considerat.*, c. 7.)

Prudentiæ itaque virtute decoratus, frequenter ad se rediens, et secum habitans, tanquam judex amator justitiæ tribunal suæ mentis ascendit, diligentique examinatione sui cordis cogitationes discutit, animæ affectus, intentiones mentis et cunctos internos animi sui pensat motus, ut intelligat utrum boni sint an mali, et ad quam declinent partem, utrum ad dexteram, an ad sinistram; sicque erudiente introrsus prudentia superflua resecat, pellit noxia, obliqua dirigit, detegit fraudulenta, obscura discutit, et voluptuosa persequitur. (S. Laurent. Justin., *De regim. prælatorum*, c. 19, n. 5.)

§ III. — *Ut in posterum peccata devitet.*

Ne prius dormieris, o homo, quam mente versaveris, quæ a te interdiu perperam acta sunt; et die sequenti eris omnino tardior ad ea ipsa rursus aggredienda. — Si nunc peccata tua supputaveris, et ab illis cito liberaberis, et in alia non facile incides; anima enim hesternum verita judicium, ne eamdem rursus subeat sententiam, si pungatur et flagelletur, reddetur ad peccatum tardior, et ex ea re tantum erit emolumenti. Quod si uno solo mense fecerimus, in perfecto virtutis habitu nos ipsos constituemus. — Qui hoc judicium hic statuerit, acerbas illic pœnas non dabit; si enim nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur. (S. Chrysost., *in psal.* IV.)

Horrendum tibi tribunal effice, animum leniorem redde, ut postera die ad perpetranda peccata cunctantius accedas. (Id., *in psal.* L, hom. 2.)

Mane præteritæ noctis fac a te exactionem, et venturæ diei tibi indicito cautionem; vespere diei præteritæ rationem exige, et supervenientis noctis fac indictionem. Sic districto nequaquam tibi aliquando lascivire vacabit. (*De vita solit., ad fratres de Monte Dei*, c. 10, § 29, inter Oper. S. Bern.)

§ IV. — *Ut secure judicium Dei exspectet.*

Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. (*I Cor.* XI, 31.)

Bis in idipsum non judicat Deus, sed impœnitentes ipse judicat et damnat; pœnitentes vero, quia a se ipsis suscipit judicatos, absolvit : neque judicio quod pœnitentiæ humanæ severitas protulit, aliquid justitia cœlestis apponit. (*Serm. de Passione Christi*, circa init. inter Op. S. Cypr.)

Si nosmetipsos dijudicaremus, id est, perscrutaremur, non utique judicaremur, id est, condemnationi subjiceremur, (S. Basil., *in psal.* VII, in hæc verba (℣ 9) : *Dominus judicat populos.*)

Id si quotidie diligenter facies, terribili futuri Judicis tribunali lætus assistes... si nosmetipsos judicaverimus, non utique judicaremur. (S. Chrysost., hom. 43 *in Matth.* circa finem.)

Impunitum non potest esse peccatum, impunitum esse non decet, non oportet, non est justum. Ergo, quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo. Peccatum tuum judicem te habeat, non patronum; in tribunali mentis tuæ ascende contra te, et reum te constitue ante te, noli et ponerepost te, ne Deus te ponat ante se. (S. Aug., serm. 3, ex *Addit.* a Syrmondo.)

Iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper. (*Psal.* L, 5.) Tu agnosce, et Deus ignoscit : nam quo pacto Deus dignetur ignoscere, quod in se homo dedignatur agnoscere? (S. Aug., serm. 88, *De tempore.*)

Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ..... constituat se ante faciem suam ne hoc ei postea fiat.... atque ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidem sanguis animi confitentis

per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente sententia proferatur, etc. — Qua fronte impudentiæ tunc volet averti faciem Dei a peccatis suis, qui nunc toto corde non dicit (*Psal.* L, 5) : *Quoniam* facinus meum *ego agnosco, et peccatum meum* ante *me est semper?* quo pacto, quæso, Deus dignatur ignoscere, quod in se ipse homo dedignatur agnocere? — Judicet ergo se homo voluntate, dum potest.... ne, cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur. (S. Aug., lib. L, homil. 5, c. 4.)

Judicare coram Domino, et exspecta eum. (*Job* LV, 14.) Coram Domino scilicet judicatur, qui corde Dominum conspicit, et actus suos sub ejus præsentia sollicita inquisitione discernit : quem tanto quis securius exspectat, quanto quotidie vitam suam suspectus examinat. (S. Greg., lib. XXV *Moral.*, c. 5.)

ART. III. — *Quomodo judicium conscientiæ instituendum.*

Sectio prima. — *Ad se redeat anima.*

Attendat sanctitas vestra, quomodo nolunt intrare domos suas, qui habent uxores malas; exeunt ad forum, et gaudent : cœpit hora esse, qua intraturi sunt in domum suam, contristantur; intraturi sunt enim ad tœdia, ad murmura, ad amaritudines, ad aversiones.... Quanto sunt miseriores, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur. (S. Aug., *in psal.* XXXIII.)

Redi ad cor tuum, et diligenter discute te ipsum; considera unde venis, quo tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis, vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incusaris, quibus affectionibus frequentius tangeris, quibus tentationum machinis a maligno spiritu acrius impugnaris, et, cum totum hominis statum plane cognoveris, et non solum qualis sis, verum etiam qualis esse debueras, de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei. (Hugo a S. Victore, lib. III *De anima*, cap. 6.)

Mirabile dictu! sunt quos citius in alia quavis regione, quam apud seipsos reperies : modo per curias discursant cum adulatione, ambitione, detractione; nunc inter muliercularum greges volutantur cum libidine; frequentissime vero inter auri argentive cumulos incedunt ductrice cupiditate; navigant maria, aera pervolant, humi repunt, prout simulantium curarum varietas præcipitaverit : qui apud se si quærantur, hoc habebitur responsum (*Prov.* VII, 19) : *Non est vir in domo sua.* Horum quilibet ut in domum suam eat, monendus est per vocem Christi salutiferam : *Vade in domum tuam.* (*Matth.* IX, 6.) — *Vade in domum tuam.* Quid aliud est dicere quam : Habita tecum, teque ipsum cognosce? Sunt itaque plurimi qui a semet longe peregrinantur, et, ut histrionum parasitorumque mos est, nullibi rarius, quam in domo propria moram faciunt, nullibi molestius. (Gerson., collat., serm. 19, *De duabus domibus.*)

Sectio secunda. — *Seipsam ante se tanquam ante alium constituat.*

Sedeat mens et cogitatio tua judex in animum et conscientiam tuam; adducas in medium omnia delicta tua; scrutare quæ commisisti. (S. Chrysost., hom. 41 *in Matth.*)

Efficiamur secundum præceptum Domini probabiles trapezitæ, quorum summa peritia est ac disciplina, probare, 1° quodnam sit aurum purissimum, et, ut vulgo dicitur, obrisum, quodve sit minus purgatione ignis excoctum; 2° æreo quoque vilique denario, si pretiosum numisma sub colore auri fulgentis imitetur prudentissima directione non falli; 3° et non solum numismata tyrannorum vultus exprimentia sapienter agnoscere, sed etiam illa, quæ sunt veri quidem Regis imagines, sed non legitime figurata, peritia sagaciore discernere; deinde ne quid illis a legitimo pondere diminutum sit, censura trutinæ diligenter inquirere : quæ omnia nos quoque debere spiritualiter observare Evangelicus sermo sub hujus hominis demonstrat exemplo. (Cassian., collat. 1, cap. 20.)

Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat proprii censura judicii. (S. Leo, serm. *De Quadrages.*)

Statue te ante te tanquam ante alium, et sic temetipsum plange. (*Medit.*, c. 5, inter Oper. S. Bern.)

Vade in domum tuam, hoc est dicere : Teipsum rege, cognosce, atque recogitans jugiter considera. — Quotidie semel et amplius, præcipue hora nocturnæ quietis, cum te lectus susceperit, ponat intellectus cum domesticis suis quasi cum suspectissimis dispensatoribus rationem; nullum hoc præcepto salubrius, nullum viro præsertim Christiano efficacius potest esse. — Interroget intellectus in tribunali mentis sedens a singulis, cur sic aut sic, tali in loco, tali in tempore gesserint, cur sic viderint, sic audierint, tetigerint, locuti sint. (Gerson., *Collat.*, serm. *De duabus domibus*, Dom. XIX post Pentecosten.)

Sectio tertia. — *Errata condemnet, plangat et puniat.*

Irascimini et nolite peccare, etc. (*Psal.* IV, 5.) Suadet, ut suum unusquisque condemnet errorem, seipsum judicem erubescat, et aculeo quodam coerceat amaritudinis et pudoris. — Singulis diebus vesperi ab anima rationem exige, et cogitationem, quæ peccavit, condemna, eam veluti in ligno suspende ac torque, et jube ne ea amplius aggrediatur. (S. Chrysost., *in psal.* IV.)

Adducas omnia delicta tua... scrutare et pone dignas singulorum pœnas, dicas tecum : Quare hoc atque illud ausus es? si balbutiat conscientia tua, atque stupescat... quasi superbam ancillam, et de fornicatione corruptam cæde : hoc judicium tibi quo-

tidie constituatur... non enim morietur percussa, sed mortem effugiet. (S. Chrysost., hom. 43 *in Matth.*)

Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi judex, torqueat te timor, erumpat confessio, dic Deo tuo : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco...* (*Psal.* L, 5) quod erat post te, fiat ante te, et cum factum fuerit ante te, pnniatur a te, nec tu ipse postea a Deo judice fias ante te, et non sit quo fugias. (S. Aug., lib. L, hom. 2.)

Puniendum est peccatum... præveni Deum; non vis ut ipse puniat, tu puni... converte te ad punienda peccata tua, quia impunita esse peccata non possunt : puniendum ergo erit aut a te, aut ab ipso; tu agnosce, ut ille ignoscat. — *Averte faciem tuam a peccatis meis.* (*Psal.* L, 11.) Tu ab ipsis noli faciem avertere, si vis ut Deus ab ipsis avertat faciem suam. (S. Aug., *in psal.* XLIV.)

Peccatum aut a te punitur, aut a Deo; sed a te sine te, a Deo tecum; te ergo habeat punitorem, ut tu Dominum Deum tuum invenias defensorem. (Id., serm. 3, *De mundo corde.*)

Quotiescunque delinquitur, peccata nostra judices nos sentiant, non patronos; accusatores suos, et non defensores esse agnoscant. (Id., serm. 88, *De tempore*, circa fin.)

Conscientia accusat, ratio judicat, timor litigat, dolor excruciat. (S. Greg., lib. XXV *Moral.*, c. 6.)

Disce.... temetipsum judicare, teipsum apud teipsum accusare, sæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere; sedeat judicans justitia, stet rea et seipsam accusans conscientia : nemo te plus diligit, nemo te fidelius judicabit. (*De vita solit., ad fratres de Monte Dei*, cap. 10, § 28, in fin., inter Oper. S. Bern.)

Puniat mala per timorem carnificem, per increpationem errata corrigat. (Gerson., ubi supra.)

Sectio quarta. — *Futura præcaveat.*

Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, et dirige cor tuum in viam rectam. (*Jerem.* XXXI, 21.)

Duorum temporum quam maxime habenda cura, mane et vesperi, id est, eorum, quæ acturi sumus, et eorum, quæ gesserimus. (S. Hier., lib. III *Apol. contra Ruf.*, cap. 10, referens dictum Pythagoræ.)

Consideravit semitas domus suæ. (*Prov.* XXXI, 37.) Semitas domus suæ considerat, qui cunctas conscientiæ suæ cogitationes subtiliter investigat. (S. Greg., lib. XXXV *Moral.*, c. 15.)

CAPUT IX.

Orationi, et præcipue mentali, frequenter vacare.

ART. I. — *Quid sit oratio in genere.*

Bonum scutum oratio, quo omnia adversarii ignita spicula repelluntur. (S. Amb., *in Obitu Valentin.*, n. 32.)

Colloquium cum Deo. — Magnus thesaurus. — Magnus portus. — Refugii locus. (S. Chrysost., hom. 30 *in Gen.*, post med.)

Basis et radix vitæ frugiferæ. (S. Chrysost., lib. I *De adorando Deum*, circiter post libri med.)

Ut enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio. (Id., lib. II, ante med.)

Columna sanctorum virtutum, Deitatis scala. (S. Aug., serm. 22, circa med. dub.)

Oratio... est familiaris conversatio et conjunctio hominis cum Deo. — Peccatorum propitiatio. — Tentationum pons. — Curia, locus judicii, et Domini ante generale judicium tribunal. — Propugnaculum adversus impetum afflictionum. — Bellorum oppressio et exstinctio. — Sempiterna actio. — Virtutum scaturigo. — Gratiarum conciliatrix. (S. Joan. Climac., grad. 38, init.)

Remedium ejus qui vitiorum tentamentis exæstuat. (S. Isidor., lib. III *Sententiarum*, c. 7.)

ART. II. — *Quid sit oratio mentalis.*

Anna Ecclesiæ typum portans... Dominum non clamosa petitione, sed tacite et modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur... loquebatur non voce, sed corde, quia sic Deum sciebat audire. (S. Cypr., *De Oratione Dominica*, num. 8, pag. 264, coll. 2.)

Non indiget Deus ut os vel lingua oret; cultus autem Deo placens hic est, ut cogitationes et tota fortitudo ac vis animæ cum mente tota in Deum absque ulla distractione ferantur. (S. Ephrem., *De vera ac perfecta renuntiatione.*)

Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora, etc. (*Matth.* VI, 6.) Mihi videtur hoc magis esse præceptum, ut inclusa pectoris cogitatione labiisque compressis oremus Dominum; quod et Annam in *Regum* volumine fecisse legimus. (S. Hier., *in Matth.*, in hæc verba (VI, 6) : *Tu autem cum oraveris*, etc.)

Illa potissimum est deprecatio, cum ab intimis voces sursum feruntur : hoc præcipue mentis est exercitatæ, non intentione vocis, sed animi fervore precationem absolvere. — Sic oravit et Moyses, cui, cum nihil voce resonaret, Deus tamen, quid, inquit, clamas ad me? Homines quidem externam hanc vocem tantum audiunt, at Deus et ante hanc intus inclamantes audit. (S. Chrysost., *De fide Annæ.*)

Voce mea ad Dominum clamavi. (*Psal.* CXLI, 1; III, 5.) Sufficeret, voce ad Dominum clamavi; forte non frustra additum est, mea; multi enim clamant ad Dominum non voce sua, sed voce corporis sui : homo ergo interior, in quo cœpit habitare Christus per fidem, voce sua, non in strepitu labiorum, sed in affectu cordis clamet ad Dominum. Non ubi homc audit, ibi Deus audit : nisi voce pulmonum, et laterum, et linguæ clames, homo te non audit. Cogitatio tua clamor est ad Dominum. (S. Aug., *in psal.* CXLI.)

Voce mea ad Dominum clamavi. Id est non corporis voce, quæ cum strepitu verberati aeris promitur, sed voce cordis, quæ hominibus silet, Deo autem, sicut clamor, sonat : qua voce Suzanna exaudita est, et de qua ipse Dominus præcipit, ut in cu-

biculis clausis, id est, in secretis cordis sine strepitu oretur, etc... Neque hoc recte dicitur : *Voce mea ad Dominum clamavi* (S. Aug. *in psal.* cxli), nisi cum sola anima nihil carnis nihilque carnalium intentionum in oratione attrahens loquitur Domino, ubi solus audit. Clamor autem etiam iste dicitur propter vim ipsius intentionis. (Id., *in psal.* iii.)

Intellige clamorem meum. (*Psal.* v, 2.) Bene ostendit quis iste sit clamor, quam interior de cordis cubili sine strepitu corporis perveniat ad Deum : quandoquidem vox corporalis auditur, spiritualis autem intelligitur. (Id., *in psal.* v.)

Et oratio mea in sinum meum convertetur... (*Psal.* xxxiv, 13.) In sinu secretum agnoscitur, et quidem et nos orare sic bene admonemur, orare in sinu nostro, ubi Deus videt, ubi Deus audit, quo nullus oculus humanus penetrat... Ubi oravit Suzanna, et cum ejus vox ab hominibus non audiretur, a Deo tamen audita est. (Id., *in psal.* xxxiv, 2-13.)

Clamor ad Deum non est voce, sed corde. Multi silentes labiis, corde clamaverunt : multi ore strepentes, corde averso nihil impetrare potuerunt ; si ergo clamas, clama intus, ubi audit Deus. (Id., *in psal.* xxx, in hæc verba (ŷ 23) : *Cum clamarem ad te, exaudisti vocem orationis meæ.*)

Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare ; continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis si amare destiteris, etc... frigus charitatis, silentium cordis est ; flagrantia charitatis, clamor cordis est ; si semper manet charitas, semper clamas ; si semper clamas, semper desideras. (Id., *in psal.* xxxvii, 10.)

Qui desiderat, etsi lingua taceat, cantat corde ; qui autem non desiderat, quolibet clamore aures hominum feriat, mutus est Deo. (Id., *in psal.* lxxxvi, init.)

Sive cum voce carnis, quando id opus est, sive cum silentio ad Deum, cum oramus, corde clamandum est ; est autem clamor cordis, magna cogitationis intentio. (Id., *in psal.* cxviii, conc. 29, in hæc verba (ŷ 145) : *Clamavi in toto corde meo,* init.)

Multi clauso ore exaudiuntur, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus. (Id., *in psal.* cxix, circa fin.)

Clauso oramus ostio, cum strictis labiis nostris omni silentio supplicamus non vocum, sed cordium scrutatori. (Cassian., collat. 9, c. 35.)

Nonnunquam tanto silentio mens intra secretum profundæ taciturnitatis absconditur, ut omnem penitus sonum vocis stupor subitæ illuminationis includat, omnesque sensus attonitus spiritus vel contineat intrinsecus, vel emittat, ac desideria sua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum. (Id., cap. 27.)

Clauso ostio petit in cubiculo, qui tacente ore in conspectu supernæ pietatis fundit affectum mentis, et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter clamatur, etc. — Vera postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis : valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. (S. Greg. lib. xxii *Moral.*, c. 13.)

Clamor est alius oris, alius cordis ; clamor oris alta vociferatio, clamor cordis valida et supplex ad Deum intentionis directio. Deus intus, homo foris : ad eos, qui foris sunt, clamor oris ; ad Deum, et qui cum eo intus sunt, clamor cordis. Intus ubi ? in spiritu. Qualiter, inquis ? duobus modis. Quibus ? cogitatione et amore, revelatione ac devotione, acuto et calido. (S. Bern., serm. 2, *Super Salve Regina*, in hæc verba, *Ad te clamamus.*)

Spiritus est Deus, et in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad eum desiderat pervenire : sicut enim in faciem hominis non respicit tanquam homo, sed magis intuetur cor ; sic ad cordis potius vocem, quam corporis, aures ejus ; cui merito dicitur, *Deus cordis mei :* hinc est quod Moyses (*Exod.* xiv, 15) foris tacens intus auditur dicente Domino : *Quid clamas ad me?* (Id., *in psal.* xc : *Qui habitat*, serm. 16, in hæc verba (ŷ 15) : *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum.*)

Oportet semper orare et nunquam deficere. Ubi intelligitur orationem non tantum esse vocis, sed devotionis ; non enim semper clamare possumus motu labiorum, semper autem possumus bono desiderio fervere ; quod ostendit Dominus loquens ad Moysen tacentem : *Quid clamas ad me?* Desiderium viri sancti clamorem appellat, quia lingua profecto tacebat : unde Dominus in psalmo (x, 17) : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* (Id., *De Passione Domini*, c. 6, post med.)

ART. III. — *Quod clericis orationi et præcipue mentali vacandum.*

Orantes omni tempore in spiritu. (*Ephes.* vi, 18.) In omni imprimis sancta oratione vos assidue exercete, tum in meditationis tacitæque piæ orationis studio singulis diebus certo temporis spatio toto castissimi animi sensu incumbite. (*Conc. Mediolan.* iv, part. iii, circa med., tit. *Monitiones.*)

Examinis autem omnium ea ratio instituta sit... an in orationis sanctæ studio usuque versatur, quibus meditationibus instructus Deum tacitus oret, qui orationis modus, qui illius fructus, quæve utilitates, quot quibusve partibus illa constet, quæ regulæ præparationis ad orationem, et cætera multa ejusdem generis. (*Conc. Mediolan.* v, part. iii, tit. *De examinandi ratione.*)

Clamet fides, clamet affectus... clamet sanguis tuus, sicut sancti Abel, etc. Apud Deum non loquuntur verba, sed cogitationes. (S. Ambros., lib. i *De Abel et Cain*, c. 9.)

Semper se proficientem successu in fastigium divinæ contemplationis attollat. (S. Prosper seu Julian. Pom., lib. i *De vita contemplativa sacerdotum*, cap. 8, circa med.)

Qui sufficienter instructus... non dubitabit Ecclesiarum principes vitæ contemplativæ posse et debere

fieri sectatores. (S. Prosper seu Julian. Pom. lib. I *De vita contemplativa sacerdotum*, c. 13.)

Illum (tantum) diem vixisse te computa, qui puritatis et sanctæ meditationis habuit lucem. (Cæsar. Arelat., hom. 31.)

Qui habuerit maculam, non accedet ad ministerium ejus, si cæcus fuerit (*Levit.* XXI, 17), etc. Cæcus quippe est, qui supernæ contemplationis lumen ignorat. (S. Greg., *Pastor.* part. I, c. 11.)

Sit Pastor... præ cunctis oratione aut contemplatione suspensus. — Internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens. (Id., part. II, c. 1 et 5; *Sit Pastor*, c. 1, et : *Sit rector*, c. 5.)

Studiose quotidie sacri eloquii præcepta meditetur. (Id., part. II, cap. ult.)

Invitus avelleris a tuæ Rachelis amplexibus, et, quoties id pati contigerit, toties dolor tuus novetur necesse est. (S. Bern., lib. I *De considerat.*, c. 1.)

Si quod vivis et sapis, totum das actioni, considerationi nihil, laudo te? in hoc non laudo. (*Ibid.*, cap. 5, init.)

Sufficit admonitum esse non totum te, nec semper dare actioni, sed considerationi aliquid tui et cordis et temporis sequestrare, hoc autem dico necessitatem intuens. (*Ibid.*, c. 7, init.)

Vasa contemplationis esse debent sacerdotes. (Petr. Bles., *in Ose.* V, 1, serm. 60, *Ad Sacerdotes*, in syn. pastor., init.)

Egredere frequenter in agrum cum Isaac ad meditandum. (Id., *De institutione episcoporum*, cap. 1.)

Sic orationi meditatio est necessaria, ut omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur, aut præcedat. (S. Bonav., *Specul.*, c. 12, ex Hugone a S. Victore.)

Moyses populi Hebræorum spiritualis pastor et rector frequentissime studio astabat in monte, ibique insistendo precibus et cum Domino tanquam amicus cum amico facie ad faciem loquens sua vota promebat, etc.; et ipsum Dominum sibi colloquentem audiebat, erudientem, etc., secuturis pastoribus transmittens exemplum, ut assuescant et ipsi orationis cacumen ascendere, et in illo coram Deo adstare. (S. Laurent. Justin., *De institut. et regim. prælat.*, c. 11, n. 5.)

Vicissim sibi famulantur actio corporalis et devotio mentis, et pariter ab ecclesiasticis debent pastoribus exhiberi. Sane in Veteri Testamento legimus Jacob geminas germanas habuisse uxores, quarum altera videlicet Lia deformis erat et oculis lyppa, sed fecunda; Rachel vero pulcherrima, sed sterilis; et tamen earum vir, quamvis juniorem diligeret arctius, utrarumque nihilominus amplexibus utebatur. In Novo quoque Testamento sorores fuisse novimus Mariam et Martham sanctitate plurimum commendatas, quarum utique altera fideliter actionis ministerio intendebat, Maria autem devotionis otio inhærebat; et tamen testante Evangelio ambarum opus Dominus Jesus verbo commendavit et facto, ut videlicet sciat Ecclesia nec interiorem exercitationem Mariæ sine Marthæ ministerio plenam, neque Marthæ studium absque spirituali Mariæ gustu esse posse perfectum; non igitur sufficit prælato et curam animarum habenti, neglecto devotionis affectu, plebis ministerio sine intermissione insistere, cum et ipse debeat sabbatizare pro se, etc. (*Ibid.*, c. 11, n. ult.)

Faber ferrarius ignitum ferrum de igne extrahens ictibus mollire satagit, sed, antequam penitus frigescat, ad ignem reducit, ut iterum faciliter ignescat; sic etiam spiritus noster a fervore devotionis extractus et occupationis terrenæ ictibus percussus, ne omnino frigescat atque induretur, ad fornacem devotionis est reducendus : nam, qui studiose curant devotionem nutrire quotidie, facile conservant et tuentur; si vero licet paucissimis diebus ab officio recedant, difficulter ad exercitii interioris fervorem redire solent : quapropter illud maxime curandum est ut orationis assiduitate cor semper Deo pateat. (Bartholom. a Martyribus., *Doctrina spiritualis*, cap. 27.)

ART. IV. — *Cur clericis frequenter orationi vacandum.*

Sectio prima. — *Ne tentationibus et periculis succumbant.*

Continua oratione et prece opus est, ne excidamus a regno cœlesti. (S. Cypr., *De Oratione Dominica*, ante med.)

Si oratio negotium præcesserit, peccatum adversus animam aditum non inveniet. (S. Gregor. Nyss., orat. *De oratione*, post medium.)

Impossibile hominem congruo precantem studio Deoque continue supplicantem unquam peccare. (S. Chrysost., hom. 79, *Ad populum Antioch.*, circa init.)

Sceleratissimi spiritus, si quem deprehenderint nudatum deprecationis præsidio, protinus abripiunt : si nos conspexerint deprecatione communitos, illico resiliunt. (Id., lib. I *De orando Deum*, in fin.)

Sancti viri, qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad secreta cordis refugiunt, etc. — Boni rectores... ut exterioribus officiis inoffense deserviant, ad secreta cordis recurrere incessabiliter curant. (S. Greg., lib. XXIII *Moral.*, c. 12, post. init.)

Hoc est remedium ejus, qui vitiorum tentamentis exæstuat, ut, quoties quolibet vitio tangitur, toties ad orationem se subdat, quia frequens oratio impugnationem vitiorum exstinguit. (S. Isidor., lib. III, *De summo bono*, c. 7, init.)

Consideratio regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, etc., hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, etc. (S. Bern., lib. I *De consider.*, c. 7.)

Quemadmodum oportet jugiter ut præsul judicet, ita expedit et sæpissime oret; oret utique ne circum-

veniatur a proximo, ne seducatur a seipso, et ne subvertatur ab amore privato. (S. Laurent. Justin., *De regim. prælator.*, c. 15, n. 2.)

Sectio secunda. — *Ut labores et onera clericalis ordinis strenue perferant.*

Durat fortis et stabilis religiosis meditationibus fundata mens. (S. Cypr., *De exhort. martyrii*, c. ult., sub. fin.)

Erunt quippe tunc sic confortati in spiritu, constantes ad perferendum nedum proprios, verum etiam aliorum labores, et ad tolerandum quævis adversa, atque ad resistendum diabolo et tentationibus ejus (S. Laurent. Justin., *De institut. et regim. prælat.*, cap. 11, n. 6.)

Fallitur profecto, quisquis opus hoc periculosum et grande absque devotionis pabulo et orationis præsidio, prout decet, consummare se posse putat, lassatur prorsus in opere et in via deficit, si ab interna maneat refectione jejunus (*Ibid.*, num. ult.)

Ex munda oratione ignis accenditur, fugatur tentatio, abscedit tristitia, renovatur sensus, virtus debilitata reparatur, excitatur fervor, fugatur tepor, vitiorum rubigo consumitur, cœlestium desideriorum scintillæ emicant, et divini amoris flamma succrescit. (Id., *De casto connubio*, c. 22, n. 5.)

Decet prorsus eum, qui regimini præest animarum, etc..., diruptis terrenarum actionum vinculis ab exteriorum tumultibus redire ad se, dispersas cogitationes revocare in unum, amissas reparare vires, etc., et sacris meditationibus charitatis ignem accendere. (Id., *De institut. et regim. prælat.*, c. 6, n. 3.)

Ut erudiaris in spiritu, et opere perficias quod discis, intellige quantum oratio conferat, quæ paventem et agonizantem recipiens Dominum, illum exhortantem reddiderit atque intrepidum. Unde aiebat (*Matth* xxvi, 46) : *Surgite, eamus, ecce appropinquavit, qui me tradet.* (Id., *De agone Christi*, cap. 7, n. 2.)

Sectio tertia. — *Ut ad opus se comparent, et virtutem, quam status clericalis postulat, consequantur.*

Omnis profectus spiritualis ex meditatione procedit. (Ruffin., *in psal.* xxxvi.)

Puta tempus putationis adesse, si tamen meditationis præiviť (S. Bern., lib. ii *De considerat.*, c. 6, sub. fin, t. I edit. Mabil.)

Anima orando et contemplando efficiatur serenissimum cœlum. (Petr. Cellens., *Epist.*, lib. iii, epist. 2, init.)

Absque meditationis exercitio nullus, secluso miraculo Dei speciali... ad rectissimam Christianæ religionis normam attingit. (Gerson. *De meditatione*, consid. 7.)

Sectio quarta. — *Ut voluntatem Dei cognoscant.*

Moyses Israelitici populi turbis prælatus, ut Legis præcepta percipiat, in montem ducitur ; atque, ut interna penetret, ab externis tumultibus occultatur. unde et sancti viri, qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, et legem quasi in monte percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum temporalium in contemplationis suæ vertice supernæ voluntatis sententiam perscrutantur. — Hinc est quod idem Moyses crebro de rebus dubiis ad tabernaculum redit, ibique secreto Dominum consulit, et quid certi decernat agnoscit. Relictis quippe turbis ad tabernaculum redire, est, postpositis exteriorum tumultibus, secretum mentis intrare : ibi enim Dominus consulitur, et quod foris agendum est publice, intus silenter auditur. — Hoc quotidie boni rectores faciunt, cum se res dubias discernere non posse cognoscunt, ad secretum mentis velut ad quoddam tabernaculum revertuntur, divinaque lege perspecta, quasi coram posita arca Dominum consulunt, et, quod prius intus tacentes audiunt, hoc foris postmodum agentes innotescunt. — Ut enim exterioribus officiis inoffense deserviant, ad secretum cordis revertere incessabiliter curant, et sic vocem Dei quasi per somnium audiunt, dum in meditatione mentis a carnalibus sensibus (alias, moribus) abstrahuntur. (S. Greg., lib. xxiii *Moral.*, c. 12, post init.)

Sectio quinta. — *Ut ex oratione hauriant, quod in populos refundant, et divina meditari populum edoceant.*

In oratione sit conceptio spiritalis. (S. Paulin., epist. 4, *Ad Severum*, ante med.)

Contemplationis gaudia non penitus operationis nimietate contemnant, sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant. (S. Greg., lib. vi *Moral.*, c. 17, circa init.)

Hauriant sitibundo corde de thesauris sapientiæ orationis instantia disciplinam morum, quam servent, inebrienturque ab ubertate ejus et torrente voluptatis illius, quatenus quadam spiritus sobrietate sic ebrii descendendo ad plana ac proximis ministrando eructent verbum vitæ, verba et documenta salutis. (S. Laurent. Justin., *De institut. et regim. prælat.*, c. 11, n. 6.)

In lege tua die ac nocte meditantes... quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur. (*Pontif. Rom.*, in *Ordinatione presbyteri.*)

Fideles diligenter docete quam assidue orandum sit, quomodo et tacita supplicis mentis meditatione et piis statis orationibus precandum. (*Conc. Mediol.* iv, part. iii, tit. *Monitiones*, longe post med.)

Qui non facit quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat. (Hom. 10 *Operis imperfecti in Matth.*, circiter circa med. hom., inter Oper. S. Chrysost.)

Non facile persuadetur esse possibile, quod docet lingua, si dissentiat a vita. (S. Prosper. seu Julian. Pom., lib. i *De vita contempl. sacerd.*, cap. 17.)

Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat, quia, quod loquendo im-

perat, ostendendo adjuvat, ut fiat. (S. Greg., *Pastor.*, part. II, c. 3.)

Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, prius tibi illud cognosceris persuasisse : validior operis, quam oris vox : fac ut loqueris. (S. Bern., serm. 59 *in Cant.*, post init.)

ART. V. — *Quomodo et quando vacandum orationi.*

In oratione permaneto, donec regulæ satisfeceris... magnam jacturam te facere arbitreris, si ante inde discesseris. (S. Basil., *De abdic. renuntiat.*, longe post med.)

Egredientes de hospitio armet oratio ; regredientibus de platea oratio accurrat, antequam sessio ; nec prius corpusculum quiescat, quam anima pascatur. —Quanquam Apostolus (*I Thes.* v) orare nos semper jubeat, et sanctis etiam ipse sit somnus oratio, tamen divisas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. (S. Hier., epist. 22, *Ad Eustoch.*, c. 16.)

Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare ; continuum desiderium tuum, continua vox tua est : tacebis, si amare destiteris. (S. Aug., *in psal.* xxxvii, 10.)

Perpetua sit vox interiorum. (Id., *in psal.* cii, 1.)

(Accedens ad orationem) rejice omnes curas, exue cogitationes, abdica corpus. — Ad præparandum te ad orationem, accinge te obedientiæ linteo, et exue voluntates tuas, et nudus accede ad Dominum in oratione tua. (S. Joan. Climac., grad. 28, ante med.)

Quatuor tibi consideranda reor : te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te sunt. (S. Bern., lib. II *De consider.*, c. 3.)

Opportunitas... dispositæ affectionis et otii ad orandum non transeat otiosa ; qui enim opportunitatem deserit, opportunitas eum fugit. (S. Bonav., *Specul. discipl.*, c. 12.)

Oratio privatis locis opportunius funditur. — Mane et vespere tempus orationis opportunum ; quod penitus peculiari vacuum oratione si vacat, culpabiliter præteritur. (*Ibid.*, ex S. Isidoro, *De summo bono*, c. 7.)

Priusquam prædicationi, aut regimini animarum, aut proximorum lucris incumbat, et hujuscemodi studiis se miles Christi tradat, vacet devotioni, orationi intendat. (S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 7, n. 3.)

ART. VI. — *Sic divina meditentur clerici, ut ab opere non cessent.*

Nonne sic quisquis debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi ; nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei... otiosum sanctum quærit charitas veritatis ; negotium justum suscipit necessitas charitatis. (S. Aug., *De civit. Dei*, lib. XIX, c. 19.)

Habet (vita) activa profectum, contemplativa fastigium ; hæc facit hominem sanctum, illa perfectum. (S. Prosper. seu Julian. Pom., *De vita contemplativa*, lib. I, c. 12, paulo post init.)

Jacob, Domino desuper innitente, et uncto deorsum lapide, ascendentes ac descendentes angelos vidit. Quia scilicet prædicatores recti non solum sursum sanctum caput Ecclesiæ, videlicet Dominum, contemplando appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Hinc Moyses crebro tabernaculum intrat et exit, et qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur : intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat. (S. Greg., *Pastor.*, part. II, c. 5.)

Sic fecunditatem Liæ gignendis fetibus excolas, ut a venustæ Rachel amplexibus non recedas. (S. Petr. Damian., lib. II, epist. 12, *Ad Desiderium abbatem et cardinal.*, post med.)

Accedat cibo boni operis orationis potus, componens in stomacho conscientiæ quod bene gestum est et commendans Deo. Orando bibitur vinum, quod.... humectat interiora latentis conscientiæ. Escas bonorum actuum dirigit, digerit, et deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansque charitatem, et impinguans mores. Sumpto cibo potuque quid jam restat, nisi ut pauset ægrotus, et quieti contemplationis post sudores actionis incumbat? (S. Bern., serm. 18 *in Cant.*, sub fin.)

Sic in te contemplativa et activa vices suas alternent, ut nullum tempus habeas feriatum. (Petr. Bles., epist. 130, *Ad Wilhelmum abbat. electum S. Mariæ*, paulo post init.)

Bonum est sollicitari cum Martha, sed quietus sedere ad pedes Domini cum Maria. (Id., epist. 102, *Ad H. Radingens. abbat.*, paulo post init.)

Hæc meditare, in his esto : (*I Tim.* IV, 15.) Meditare, id est, versa in corde per jugem memoriam ; in his esto, per operis exsecutionem. Hæc duo necessaria sunt prælato, meditatio et actio, ut habeat utramque sponsam, sicut Jacob, Rachel et Liam. (Hugo cardinal., *in I Epist. ad Tim.*, c. XIV.)

Dei et proximi qui spirituali præest regimini, opus est ut sit charitate succensus, necnon interiori ac exteriori exercitatione ornatus, quatenus contemplationis alis per amorem Dei elevetur ad summa, atque per dilectionem proximi compassione motus prudenter descendat ad ima. (S. Laurent. Justin., *De institut. et regim. prælat.*, c. 11, n. ult., in fin.)

Fit ut alternatis ascendendi in Deum et descendendi ad utilitatem proximorum vicibus nec tepescant in opere, neque a mentis exercitatione deficiant, sed ascendendo transformentur de claritate in claritatem, a desiderio in desiderium ; descendendo autem proficiant de virtute in virtutem. (*Ibid.*, c. 6, n. 6.)

Cum licet, vacat sibi ; cum charitas urget, se exponit proximo, sic tamen ut continue anhelet ad cubile sponsi secreti reditum, de quo fraternæ chari-

tatis accensa zelo egressa est. (S. Laurent. Justin., *De castitate conjugii*, c. 12, num. 7.)

CAPUT X.

Piorum librorum lectioni singulis diebus operam dare.

Pro reverentia Dei sacerdotum id universa sancta constituit synodus, ut, quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali convivio lectio Scripturarum divinarum misceatur; per hoc enim et animæ ædificantur ad bonum, et fabulæ non necessariæ prohibentur. (*Conc. Tolet.* III, can. 7, ann. 1589.)

Lectione librorum spiritualium et clericalium, qui probati sunt, animos mentesque vestras pascite. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones*, longe ante med.)

Non percurrite solum, sed usque adeo studiose legite, ut, quæ legeritis, post etiam taciti vobiscum aliquando mente reputetis, ac videatis simul non solum si quidquam est, quod contra illorum præscriptum egeritis, verum si quid etiam aliud est, quod ex eisdem exsequi præstareve omiseritis, aut neglexeritis. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones*, longe ante med.)

Væ vobis duces cæci, et indocti, atque inconstantes, qui vestium ornatu delectamini, et non lectione sacrorum Librorum; qui, relicto verbo Dei, inservitis ventri. (S. Chrysost., serm. *De pseudoprophetis*, longe post. init.)

Lectione assidua et meditatione diuturna pectus suum bibliothecam fecerat Christi. (S. Hier., epist. 3 *Ad Heliod., De morte Nepotiani*, ante med.)

Nunquam de manu et oculis tuis recedat liber. (Id., epist. 4, *Ad Rusticum*, circa med.)

Semper in manu tua sacra sit lectio. (Id., epist. 13, *Ad Paulinum, De instit. monach.*, circa med.)

Necesse est ut, qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis studio non recedant. (S. Greg., *Pastor.*, part. II, cap. 11, et ult.)

Vaca lectioni divinæ in meditatione Scripturarum : vaca in lege Dei : habeto in divinis lectionibus frequentiam : assiduitas legendi sit tibi; lectio enim docet quod caveas, lectio ostendit quod teneas, quo tendas, quo sensus et intellectus augentur. Multum proficis, cum legis, si tamen facis quod legis. (S. Isidor. Hispal., *De contemptu sæculi*, *De lectione.*)

Sed et si quando a lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi. (Theodulf. Aurelian. episc., *Capitular.*, c. 3. — Florebat Theodulfus tempore Caroli Magni Francorum regis, cui etiam gratus erat.)

Oportet vos (presbyteri) et assiduitatem habere legendi, et instantiam orandi; quia vita viri justi lectione instruitur, ornatur et assiduitate lectionis munitur homo a peccato juxta illum, qui dicebat : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* (*Psal.* CXVIII, 11.) Hæc sunt enim arma lectio videlicet et oratio, quibus diabolus expugnatur : hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur : his armis vitia comprimuntur : his alimentis virtutes nutriuntur. (*Ibid.*, c. 2; item Atto II, episc. Vercell., *Capitular.*, c. 6.)

Per usum lectionis discetis qualiter et vos vivatis, et alios doceatis. (Theodulf., *ibid.*, c. 3.)

Certis horis certæ lectioni vacandum est; fortuita enim, et varia lectio, et quasi casu reperta non ædificat, sed reddit animum instabilem, et leviter admissa levius recedit a memoria. — Quo spiritu Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendæ sunt. — De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ demittendum est, quod fidelius digeratur, et sursum revocatum crebrius ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat. (S. Bern. creditus, *Ad fratres de Monte Dei*, c. 10, paulo ante fin.)

Si es in mortali peccato, quod est mors animæ, sacra lectio vivificabit te. (Petr. Bles., epist. 140, *Ad Petrum clerie. regis Angliæ*, circa med.)

Si non legeris, si non studueris, dormitabit anima tua præ tædio, et hostes tui animæ tuæ Sabbata deridebunt. (Id., *De instit. episc.*, longe post med.)

Lege ergo quod ordini, quod professioni tuæ conveniat, quod ab ambitionis æstibus animum tuum revocet, quod vanitates et insanias falsas procul a cordis tui affectione releget. (Id., epist. 140, *Ad Petr. cleric. regis Angliæ*, paulo post init.)

In his ergo maxime exerce te, scilicet in frequenti et ferventi oratione, et lectione, et servitiis; et per ista tria tota vita tua decurrat, et semper ores, aut legas, aut servias... et factis servitiis non stes cum fratribus otiosus, sed statim vade ad cellam, et ibi ores vel legas. (S. Bonav., *Regulæ novit.*, c. 8.)

Si vis sine macula et sine labe infamiæ conservari in religione, sex tibi mandata recole, et incessanter repone, quæ documentis et exemplis sanctorum Patrum accepimus; primo circa orationem et sanctorum lectionem semper vigila. (*Ibid.*, c. 25.)

His dapibus (cœlestibus) inhians fidelis anima assiduæ lectionis alimento vegetata robur accipiat. (S. Petr. Damian., opusc. 12, *De contemptu sæculi*, c. 33, et ult., circa fin.)

CAPUT XI.

Studium ac frequens meditatio legis divinæ et Scripturæ sacræ.

ART. I. — *Quid sit Scriptura sacra.*

Deus infirmitatem mentis nostræ, et versutiam adversarii sibi exploratam habens sacras nobis donavit Scripturas, veluti armamentaria atque thesauros medicamentorum. (S. Ephrem., serm. *De patientia et compunctione.*)

Liber sacerdotalis. (S. Ambros., lib. III *De fide*, c. 7, post med.)

Liber scriptus intus et foris, signatus sigillis septem... quem nemo dignus inventus est aperire, et solvere signacula ejus, mysteriaque reserare, nisi Christus. (S. Ambros., *in Apoc.* v.)

Cor Dei Scriptura ipsius. (S. Aug., exposit. 2 *psal.* xxi, paulo ante med.)

Et hæ de illa civitate, unde peregrinamur, litteræ nobis venerunt : ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut bene vivamus. (S. Aug., *in psal.* c.)

Quid est Scriptura sacra, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? (S. Greg., lib. iv, *Epist. ad Theodor. medicum*, epist. 84, circa med.)

Litteræ de melle cœli melleæ, et de lumine tuo luminosæ. (S. Aug., lib. ix *Conf.*, c. 4, num. 7.)

In Scriptura sancta sunt deliciæ cordis.—Uberrima pascua. (Id, *De pastoribus*, ç. 11.)

Ubera Ecclesiæ duo Testamenta Scripturarum divinarum : hinc sugatur lac omnium sacramentorum. (Id., tract. 3 *in Epist. Joan.*, circa init.)

Speculum, quod neminem palpat; sed qualis es, talem te tibi demonstrat : intende et vide, etc. (Inter Oper. S. Aug., incert. auctor. *De tempore barbarico*, c. 3.)

Salutis viaticum. (S. Isidor. Pelus., lib. ii, epist. 73, *Paulo presbytero.*)

Scripturæ sacræ scalæ quædam sunt, quibus ad Deum ascenditur. (Id., lib. i *Epist.*, epist. 369.)

Scriptura sacra, cor et anima Dei. (S. Greg., lib. ii *in I Reg.* iii, post med.)

Puteus Jacob, ex quo hauriuntur aquæ, quæ in oratione funduntur. (S. Bern., *Specul. monac.*, § 1, in fin.)

Divinæ incantationes. (S. Bonav., *Pharetr.*, lib, iv, cap. 32, ex S. Chrysost., *in Joan.*)

Verba sanctissima ex ore Altissimi prodita, imo de corde Christi egressa. (S. Bern. Senens., serm. 20, art. 1, c. 6.)

ART. II. — *Quod studium Scripturæ sacræ maxima requiratur in clero.*

Sacerdotes legere sanctas Scripturas admonentur, Paulo apostolo dicente ad Timotheum (*I Tim.* iv, 13) : *Intende lectioni, exhortationi, doctrinæ; semper permane in his.* Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas et canones, ut omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat. (*Conc. Tolet.* iv, can. 25.)

Substantia sacerdotii sunt eloquia divinitus tradita, uti Dionysius ille magnus apposite ait. (*Conc. Colon.* i, ann. 1536, part. i, cap. 20.)

Quidquid temporis a divinis officiis, ab orationis contemplationisque exercitatione, ab ecclesiasticis functionibus et ab aliis necessariis actionibus vacuum habetis, non in otio, neque in desidia, nec vero in rerum novarum curiositatibus illud conterite; sed, cum in sortem Domini vocati sitis, in ejus lege die ac nocte meditemini. — Sacrarum igitur litterarum studia diligentius colite, quæ usque adeo complecti debetis, ut qui aspernetur, contra eum dicat Dominus (*Ose.* iv, 6) : *Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* (*Conc. Mediol.* iv, part. iii, tit. 7, *Monitiones.*)

Hæc sunt duo pontificii officia, ut aut a Deo discat legendo Scripturas divinas et sæpius meditando, aut populum doceat; sed illa doceat, quæ ipse a Deo didicerit, non ex proprio corde vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet. (Origen., hom. 6 *in Levit.*, in fin.)

Da operam ut divinarum Scripturarum lectionem familiarem tibi reddas. (S. Ephrem., *De patientia et compunctione.*)

Discamus ergo et nos in lege Domini meditari, non avocemur sæcularibus illecebris, non occupemur impedimentis, sed semper ad legem simus attenti; scriptum est enim (*Ps.* xxxvi, 30) : *Os justi meditabitur sapientiam*, etc.... Et maxime hanc meditationem sacerdotibus necessariam ostendit ad Titum scribens (*Tit.* i, 9) : Quia debet episcopus amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt arguere : quod utique intentæ atque sollicitæ meditationis est, non perfunctoriæ lectionis, etc. (S. Ambros., *ibid.*, *in psal.* cxviii. Octon. 10, vers. 6.)

Omnis Librorum sanctorum series ad nostram salutem scripta est.... per illos nobis loquitur ipse Deus et Dominus noster, et piæ nobis voluntatis demonstrat affectum. (Apud S. Aug., *De salutaribus docum.* c. 9, t. VI edit. Benedict. in appendice.)

Sint castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ. (Id. *Conf.*, l. xi, c. 2, n. 2.)

Omissis et repudiatis nugis theatricis et poeticis, divinarum Scripturarum consideratione et tractatione pascamus animum, atque potemus vanæ curiositatis fame ac siti fessum et æstuantem, et inanibus phantasmatibus tanquam pictis epulis frustra refici satiari que cupientem. (Id., *De vera religione*, c. 51, t. I.)

In iis, quæ de Deo scripta, oportet indesinenter se oblectare, ac veluti lucernam quamdam sacram Scripturam sibi statuere juxta Psalmistam clamantem ac dicentem : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* (*Psal.* cxviii, 105.) (S. Cyrill. Alex., *Glaphyrorum* lib. i, c. 1, in fine.)

Litterarum divinarum sacris meditationibus vacet, in his se divinitus illuminatus oblectet, ibi se totum velut in speculo quodam refulgente consideret; quod in se pravum deprehenderit, corrigat; quod rectum est, teneat; quod deforme, componat; quod pulchrum, excolat; quod sanum, servet; quod infirmum, assidua lectione corroboret. (S. Prosper. seu Julian. Pom., *De vita contemplativa sacerdot.*, lib. i, c. 8.)

Comede volumen istud. (*Ezech.* iii, 1.) Volumen istud est Scriptura sacra : Scriptura enim sacra et cibus et potus est. (S. Greg., hom. 10 *in Ezech.*)

Mens justi arca est testamenti. (Id., lib. v *Moral.*, c. 10.)

Labrum æneum, in quo sacerdotes lavari debeant,

et Sancta sanctorum ingredi. (S. Greg., hom. 17 *in Evang.*, circa med.)

Oportet nos assiduitatem habere legendi et in stantiam orandi, quia vita viri justi lectioni instrui tur, oratione ornatur, et assiduitate lectionis munitur homo a peccato juxta illum, qui dicebat (*Psal.* cxviii, 4) : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi;* hæc sunt enim arma, videlicet oratio et lectio, quibus diabolus expugnatur. — Hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur; his armis vitia comprimuntur; his alimentis virtutes nutriuntur. (Atto Vercell., *Capitul.*, c. 6.)

Clericus secretorum Dei non debet esse ignarus, quia nuntius ejus est ad populum. (Hugo Victorin., *De sacramentis*, part. iii, lib. ii, c. 2, in fin.)

Speculum pastorum. (S. Bern., *Serm. ad pastores*, in synd., § 1.)

ART. III. — *Quanti facienda sit Scripturæ sacræ lectio, et ejusdem jugis meditatio.*

Sectio prima. — *Ob ejus dignitatem.*

Gloriantur alii de magnatum principumque ac regum familiaritate atque colloquio; at tu coram angelis Dei gloriare, colloquens et cum Spiritu sancto per sacras Scripturas conferens; nam Spiritus sanctus est, qui loquitur per eas. (S. Ephrem., *De patientia et consummatione sæculi.*)

Imperatoris sacramenta nemo sine periculo sui sanguinis contemnit, sed omnes suscipiunt cum tremore et veneratione, et adorant vilissimam chartulam atramento scriptam, et velut divinos adorant apices : Scripturæ divinæ leguntur, verba Dei tonant, ipse Dominus admonendo præsens præsentibus loquitur, et non auditur, ac fastidiose homines audiunt, aut, quod pejus est, sedentes fabulis vacant. (*De arbore scientiæ boni et mali*, incerto au ctore, inter Opera S. Aug.)

Scriptura sacra altitudine sua superbos irridet, profunditate attentos tenet, veritate magnos pascit; affabilitate parvulos nutrit. (S. Aug., lib. v *De Genesi ad litteram*, c. 13; S. Bonav., *De principio Scripturæ sac.*, circa fin.)

Cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. (Id., serm. 112, *De tempore.*)

Scriptura sacra in nocte vitæ præsentis, quasi quædam nobis lucerna posita est. (S. Greg., *Pastor.*, part. iii, admonit. 25.)

Labrum æneum Moyses ponit, in quo sacerdotes lavari debeant, et Sancta sanctorum ingredi. (*Exod.* xxxviii.) Quod labrum de speculis mulierum perhibetur factum... Specula quippe mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper inspiciunt, et, si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, et quasi retinentes vultus velut ex reddita imagine componunt; quia, dum præceptis Dominicis solerter intendunt, in eis procul dubio, vel quid in se cœlesti viro placeat, vel quid displiceat, agnoscunt... Videntes autem maculas in pœnitentiæ dolore compungimur; compuncti vero, quasi in labro de speculis mulierum lavamur. (S. Greg., hom. 17 *in Evang.*, circa med.)

Sectio secunda. — *Ob ejus necessitatem.*

Scrutamini Scripturas, quia illæ testimonium perhibent de me. (*Joan.* i, 39.)

Hic satis est admonuisse omnes pariter ecclesiasticis muniis consecratos, ipsos precibus supplicationibusque publicis Deo persolvendis mancipari, quas ut non tantum ore murmurent, sed et corde persolvant, nunquam a manibus eorum liber legis, hoc est, Biblia, deponatur : nam, ut, quæ legunt et canunt, discant intelligere, tota vita vix suffecerit. (*Conc. Colon.* i, ann. 1536, part. ii, c. 5.)

In thesauris Scripturæ sacræ multa ac varia recondita sunt salutis adminicula. (S. Ephr., *De patientia et compunct.*)

Hanc sapientiam discere et sapere tota mente curetis. Quid potest esse vita sine scientia Scripturarum, per quam ipse Christus cognositur? qui cibi? quæ mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam, qui nunquam solus est? Discamus ergo in terris, quorum scientia perseveret nobiscum in cœlis. (S. Hier., *Epist. Paulin.*)

Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit : unde et Apostolus præcipit : *Sermo vester sit sale conditus* (*Col.* iv, 6) : quod si infatuetur, foras projicitur et perdit nominis dignitatem. (S. Hier., *Reg. monac., De correct. et doctrina præsidentis.*)

Clavicularii regni cœlorum sunt sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi et interpretandi Scripturas. Clavis est verbum scientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus janua veritatis : adapertio autem est interpretatio vera. (S. Chrysost., hom. 44 *Imperfecti operis in Matth.*)

Sectio tertia. — *Ob ejus utilitatem.*

Beatus, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. (*Psal.* i, 2.)

Beatus, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. (*Psal.* cxxiii, 12.)

Ab infantia sacras Litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem. (*II Tim.* iii, 15.)

Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. (*Ibid.*, 16.)

Accipe librum, et devora illum, et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. (*Apoc.* x, 9.)

Sunt vere sacræ Litteræ, quæ sacros faciunt et deificant. (S. Clem. Alex., *Parænes. ad gentes.*)

Fidem nostram semper armans, et Dei servos cœlesti voce corroborans Scriptura divina. (S. Cypr., *De lapsis*, ante med.)

Sacerdos Dei Evangelium tenens et Christi præcepta custodiens occidi potest, vinci non potest.

(S. Cypr., *Epist. ad Cornel., De fortunato et felicissimo,* circa finem.)

Terra, natura est; agricola, voluntas; consiliarii vero ac magistri divinæ sunt Scripturæ : docent enim agricolam, quas consuetudines pravas evellere, et quas virtutes bonas inserere debet. (S. Ephrem., serm. ascet. *De vita relig.*)

Sicut tuba sonans congregat milites, sic et divinæ Scripturæ congregant cogitationes nostras, etc. (Id., *Serm. de patientia.*)

Semper sacræ Scripturæ doctrina summæ consolationis est et utilitatis. (Id., orat. *De morte.*)

Quando prava aliqua supervenerit cogitatio, tunc gladium extrahe, id est, timorem Dei recogita, omnemque fortitudinem confringes inimici timoris Dei; loco autem tubæ, divinas Scripturas adhibe; quemadmodum enim tuba sonans congregat milites, sic et divinæ Scripturæ ad nos clamantes cogitationes nostras congregant ad timorem Dei; sunt enim cogitationes nostræ militum instar, etc. — Quemadmodum tuba belli tempore sonans strenuorum militum alacritatem in adversarios excitat, ita et divinæ Scripturæ te promptiorem ad omne opus bonum reddunt, teque adversus improbas passiones ac vitia magis animant corroborantque. — Sacrarum Scripturarum lectio mentem vagabundam contrahit, et colligit. (Id., *De patientia et consummatione sæculi.*)

Cui lex meditatio est, huic præsto sunt misericordiæ, ut vivat in æternum. — Liber, dum devoraretur, dulcedinem mellis ori exhibuit, quia divina Scriptura, quanto amplius in corde ruminatur, tanto salubriorem dulcedinem menti exhibet. Possumus autem per ventrem, in quo escæ putrescunt, carnem mortalem intelligere. Liber igitur, qui in ore dulcis fuit, amaritudinem ventri generavit, quia sancti viri, quanto amplius in meditatione Scripturarum divinarum dediti sunt, etc., tanto majorem amaritudinem carni suæ exhibent, affligendo scilicet eam jejuniis, etc., cæterisque cruciatibus, quibus caro atteritur. (S. Ambros., *in psal.* cxviii, serm. 10.)

Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. (S. Hier., lib. ii *Epist.*, epist. 13 *Ad Rusticum*, et habetur, *De consecratione*, dist. 5, c. *Nunquam*, 33, circa med.)

Omnis Scriptura divinitus inspirata... a Spiritu sancto conscripta est, ut veluti ex communi quodam sanitatis fonte, omnes nobis ex hac remedia propriis passionibus assumamus (S. Aug., Prolog. *Psal.*)

Omnis morbus animæ habet in Scripturis medicamentum suum. (Id., *in psal.* xxxvi, enarr. 1, ante med.)

In divinis voluminibus ita dispensavit Spiritus sanctus, ut et sanis ornamenta et ægrotis medicamenta deesse non possint spiritalia. (Id., serm. 168, *De tempore.*)

Sacrarum Scripturarum lectionem salutis viaticum esse existima, ut quæ eorum, qui eam studiose atque diligenter audiunt, probitatis amorem ac virile robur præclaris et illustribus exemplis parat. (S. Isidor. Pelus., lib. ii, epist. 73.)

Evangelium exhortatio est, ad philosophiam. (*Ibid.*, epist. 288.)

Rector studiose quotidie sacri eloquii præcepta meditetur, ut in eo vim sollicitudinis, et erga cœlestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent. (S. Greg., *Pastor.*, part. ii, c. 11.)

Ama illam, et exaltabit te : glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus. (S. Isidor., *De summo bono*, sive *Sentent.*, lib. iii, cap. 9.)

Geminum confert bonum lectio sacrarum Scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, sive quia a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. (*Ibid.*, c. 8.)

Sæculares in speculis suis visu cognoscere solent pulchritudinem aut turpitudinem suam. Alterius generis est speculum vestrum, in quo magis auditu quam visu poteris attendere quid deceat, et quid non deceat, quid impediat, quid expediat, quid ex debito vestri officii vobis incumbat. Speculum vestrum sanctum est Evangelium; considerate, obsecro, non vultum vestræ nativitatis, sed statum quotidianæ conversationis. — Considerate et nolite abire negligendo, sed stetis diligentius investigando, et perscrutatis medullitus conscientiis vestris in testimoniis earum, aut gloriemini, aut terreamini. (S. Bern., *Serm. ad pastores*, in Syn. init.)

Vivus et efficax sermo Domini et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* iv, 12) : hic est vomer ille aratorius, quo Samgar sexcentos Philisthæos occidit (*Judic.* iii, 31); mandibula asini, qua Samson mille de suis hostibus interficit (*Judic.* xv, 15; iv, 21); clavus Jahel; pugio Phinees (*Num.* xxv, 8); gladius Gedeonis. (*Judic.* vii, 21.) (Petr. Bles., epist. 10 *ad Gualterum*, post med. et habetur in *Septem tubis*, ordine 19.)

Vobis necessaria sunt Scripturæ sacræ suffragia, cujus lectio frequens conatus hostiles evacuet, atque turbines æstuantium tentationum quadam gratiæ serenitate tranquillet. (Id. *ibid.*, epist. 134, *Ad Wilhelmum*, et habetur in *Septem tubis*, ordine 15.)

ART. IV. — *Quomodo legenda et meditanda Scriptura sacra.*

Sectio prima. — *Qua mentis intentione.*

§ I. — *Ut Deum et veritatem quærat.*

In his omnibus (sacræ Scripturæ) libris timentes Deum et pietate mansueti quærunt voluntatem Dei. (S. Aug., lib. ii *De doct. Christ.*, c. 9.)

Nos sic audiamus Evangelium, tanquam præsentem Dominum, nec dicamus : O illi felices, qui eum videre potuerunt. (Id., tract. 30 *in Joan.*)

Non tam quærat scientiam, quam saporem. (S. Bern., *Specul. mon.*, § 1.)

Veritas in Scripturis sanctis quærenda, non eloquentia. — Amor puræ veritatis te trahat ad le-

gendum. (*De imitatione Christi*, lib. I, cap. 5, num. 1.)

§ II. — *Ut Christum sciat.*

Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, Prophetis et Psalmis de me. (*Luc.* XXIV, 44.)

Omne, quod intelligo in Scriptura, sine Christo nolo intelligere. (S. CHRYSOST., hom. 10 *in Marc.*; RUPERT., Prolog. 12.)

Bona est Lex, si quis ea legitime utatur (*I Tim.* I, 8) : tunc ea legitime utitur quispiam, cum illam transmittit ad Christum ; tota enim Legis intentio, omniaque illa Sacramenta carnalia ac figuræ omnes Christum loquuntur, Christum nobis insinuant. (ID., hom. 2 *in I Epist. ad Tim.*)

Prope omnis pagina nihil aliud sonat, quam Christum et Ecclesiam. (S. AUG., *De pastoribus*, cap. 14.)

Omnia, quæ divinitus scripta sunt, ad Christum referuntur. (ID., *in psal.* LXXI, circa fin.)

Quidquid illarum Scripturarum est, Christum sonat. (ID., tract. 2 *in Epist. Joan.*)

Christum, Domine, quæro in libris tuis. (ID., lib. II *Confess.*, c. 2, n. 4.)

Qui non transierit ad Christum, quamvis legat Moysen, velamen positum est super cor ejus. (ID., serm. 49 *De verbis Domini*, c. 6, in fin.)

Lege libros omnes prophetico : non intellecto Christo, quid tam insipidum et fatuum invenies? Intellige ibi Christum ; non solum sapit, quod legis, sed etiam inebriat. (ID., tract. 9 *in Joan.*, c. II.)

Quidquid dubitationis habet homo in animo, auditis Scripturis Dei a Christo non recedat : cum ei fuerit in illis verbis Christus revelatus, intelligat se intellexisse ; antequam autem perveniat ad Christi intellectum, non se præsumat intellexisse; *finis enim Legis Christus est ad justitiam omni credenti.* (*Rom.* X, 4.) [ID., *Enarr. psal.* XCVI.]

Scrutamini Scripturas (*Joan.* V, 39), etc., veluti thesaurum quemdam effodientes legalem litteram, abditam in ea margaritam, hoc est, Christum pervestigent. (S. CYRILL. Alex., lib. I *Glaphyr.*, init.)

Mysteriis divinarum Scripturarum perscrutandis insistat, Christum promissum legat, repræsentatum videat. (S. PROSP. seu JULIAN. POM., lib. I *De vita activa sacerd.*, c. 8.)

Christus est objectum et substantia totius sacræ Scripturæ. (CASSIOD ; HUGO A S. VICTOR.)

Scrutamini Scripturas (*Joan.* V, 39) ; vos enim non falso in ipsis vitam habere putatis, qui nihil aliud in illis quæritis, quam Christum, cui testimonium perhibent Scripturæ. Beati plane, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. (GUERRICUS abbas, serm. *in verba Cant.*, inter Oper. S. Bern.)

Christus in Scriptura sacra, 1° præfigurabatur in legalibus figuris..; 2° præmonstrabatur in historiis..; 3° prædocebatur in moralibus..; 4° prophetabatur in prophetis. (S. BONAV., *De principio sacræ Scripturæ*, circa fin.)

§ III. — *Ut sacrum Spiritus ignem in corde suo nutriat.*

Ignitum eloquium tuum vehementer. (*Psal.* CXVIII, 140.)

Eloquium Domini inflammavit eum. (*Psal.* CIV, 19.)

Quidquid salubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel de qualibet divina pagina exsculpitur, non habet finem, nisi charitatem. (S. AUG., *in psal.* CXL, Præfat.)

Quas tibi, Deus meus, voces dedi, cum legerem Psalmos David, cantica fidelia, et sonos pietatis excludentes turgidum spiritum... inhorrui timendo, idemque inferbui sperando et exaltando in misericordia tua, Pater. (ID., lib. IX *Confess.*, cap. 4, n. 2 et 3.)

Cum legitis Scripturas divinas, solerter expendite quid ibi dictum sit, ad excitandum in vobis amorem Dei, quid ad contemptum sæculi, quid ad cavendas insidias inimici, quid ad bonos affectus nutriendos, et prava desideria exstinguenda valeat, et quid citius cor per compunctionis ardorem accendat. (HUGO A S. VICTOR, *Instit. novit.*, cap. 8.)

Doctrina Spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. (S. BERN., serm. 18 *in Cant.*)

§ IV. — *Ut discat, unde dicat.*

Comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel. (*Ezech.* III, 1.)

Audiens ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. (*Ezech.* XXXIII, 7.)

Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. (*Tit.* I, 9.)

Hoc dicat sacerdos, quod ex divina lectione didicerit... non quod præsumptione humani sensus invenerit. (S. PROSPER, sive JULIAN. POM., *De vita contempl.*, c. 20.)

Qui Scripturæ librum legunt, ex dono gratiæ cœlestis etiam verbum doctrinæ percipiunt, atque de veritatis pabulo, quod ipsi dulciter intrinsecus ruminant, et proximos suos suaviter pascunt. (HUGO A S. VICTOR., lib. IV *De claust. animæ*, c. 33.)

SECTIO SECUNDA. — *Quo cordis affectu legenda.*

§ I. — *Cum maxima animi demissione.*

Si Scripturæ lectioni incumbas, cave ex ea quæ ad fastum et elegantiam tantum pertinent sermonis, persequaris, et eo usque duntaxat tuum extendatur studium, ne spiritus arrogantiæ cor tuum feriat, verum instar sapientis apiculæ mel ex floribus sibi colligentis, fructum ex iis, quæ legis, pro animi medela desumito. (S. EPHREM., *De recta vivendi ratione.*)

§ II. — *Cum cordis munditia et sanctitate.*

Ad Scripturarum indaginem verumque intellectum opus est vita proba, animo puro et virtute, quæ secundum Christum est, etc. Nam sine pura mente, et vitæ sanctorum imitatione nemo comprehendit sanctorum verba. (S. Athanas., *De incarnat. Verbi*, prope fin.)

Dei scientiam accipit, qui simplici veroque corde divinis vacat Scripturis. (S. Ephrem., *De patient. et consummat. sæculi.*, post. med.)

Accedit huc, quod vitæ quoque puritas requiritur, ut ad moralis virtutis exercitationem pertineat, quod in Scripturis obvolutum est, dijudicare. (S. Basil. Magn., *in Isa.*, in fin. vision. 1.)

(Scriptura sacra) non intrat in cor ejus, in quo non est opus ejus. (S. Aug. *in psal.* cxix, circa fin. exposition.)

Si scientiæ spiritali sacrum in corde vestro vultis tabernaculum præparare, ab omnium vos vitiorum contagione purgate, et curis sæculi præsentis exuite : impossibile namque est animam, quæ mundanis vel tenuiter distentionibus occupatur, donum scientiæ promereri, vel generatricem spiritualium sensuum, aut tenacem sacrarum lectionum fieri. (Cassian., collat. 14, c. 9.)

Impossibile est immundam mentem donum scientiæ spiritalis adipisci. (S. Aug., *in psal.* cxix, in fin.)

Impossibile est immundam animam, quantalibet desudaverit lectionis instantia, adipisci scientiam spiritalem. (Cassian., collat. 14, c. 14.)

Ad Scripturarum notitiam pertingere cupiens, nequaquam debet suos labores erga Commentariorum libros impendere, sed potius omnem mentis industriam et intentionem cordis erga emundationem vitiorum carnalium detinere; quibus expulsis, confestim cordis oculi sublato velamine passionum, sacramenta Scripturarum velut naturaliter incipient contemplari, siquidem nobis, non ut essent incognita vel obscura, sancti Spiritus gratia promulgata sunt, sed nostro vitio, velamine peccatorum cordis oculos obnubente, redduntur obscura.— Ipsa Scripturarum sanctarum lectio ad contemplationem veræ scientiæ abunde sola sufficit; nec mundi corde commentariorum institutionibus indigent. (Abbas Theodor. apud Cassian., lib. v *Institut.*, c. 34.)

Ante carnem disciplinæ studiis edomitam et mancipatam spiritui, ante spretam et abjectam sæculi pompam et sarcinam, indigne ab impuris lectio sacræ Scripturæ præsumitur; quomodo lux incassum circumfundit oculos cæcos vel clausos, ita animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. (S. Bern., serm. 7 *in Cant.*)

§ III. — *Cum amore et charitate.*

Ille tenet et quod patet et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. (S. Aug., serm. 29 *De tempore.*)

Scientia stomacho animæ ingesta, si non fuerit igne charitatis decocta, malos humores generat. (S. Bern., serm. 36 *in Cant.*, § 4.)

Amor ubique loquitur, et, si quis horum, quæ leguntur, notitiam adipisci cupit, amet, alioquin frustra ad audiendum, legendumque amoris carmen, qui non amat, accedit, quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græce loquentem non intelligit, qui Græcum non novit, nec Latine loquentem, qui Latinus non est, ita de cæteris; sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit, sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens. (Id. serm. 79 *in Cant.*, § 1, et habetur inter flores ejusdem, verb., *Amor Dei.*)

Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam latissimamque doctrinam sine ullo errore comprehendit... cujus cor plenum est charitate, dicente Apostolo : *Plenitudo legis est charitas.* (*Rom.* xiii, 10.) [S. Bonav., *Pharetra*, lib. ii, c. 25, circ. fin.; ex S. Aug. *De laude charitatis;* serm. 39 *De tempore.*]

Non propterea datæ sunt Scripturæ, ut in labris solum eas habeamus, sed ut in cordibus conglutinemus eas. (*Ibid.*, lib. iv, c. 32, ex S. Chrysost. *in Joan.*)

§ IV. — *Cum timore et tremore.*

Ante omnia opus est Dei timere. (S. Aug.. lib. ii *De doctr. Christ.*, c. 7.)

Supernæ formidinis spiritu afflatus (rector) studiose sacri Eloquii quotidie præcepta meditetur. (S. Greg., *Pastor.*, part. ii, c. ult.)

In omnibus Scripturis legendis initium debet esse timor Domini, ut in eo primo solidetur intentio legentis, et ex eo ordinetur et exsurgat totius lectionis intellectus et sensus. (Inter Oper. S. Bern. *De vita solit.*, *Ad fratres de Monte Dei*, c. 10, in fin.)

Audi virtutem sacræ Scripturæ, et efficaciam verbi Dei, ad cujus intelligentiam te moneo in timore et tremore accingi. (Petr. Bles., epist. 140 *Ad Petrum cleric. regis Angliæ*, in *Septem tubis*, ord. 22, § 4.)

§ V. — *Cum multa religione.*

Si Evangelium capere oporteat, manibus lotis, et cum multa reverentia et religione, tremens ac timens sumis. (S. Chrys., hom. 7, *Ad populum*, circ. fin.)

Vel singularum etiam syllabarum oportet nos esse scrutatores. (Id., *De terræmotu*, seu hom. 6 *De Lazaro.*)

Stude igitur, o sacerdos, cui legis divinæ summa commissa est, stude non tam lectioni legis, quam operi legis, ut spectantibus te populis fias divinæ legis interpretatio simul et liber. (Id., *in psal.* xcv.)

Honora Scripturam Dei, honora verbum Dei. (S. Aug., *in psal.* cxl, post med.)

Ita Scripturas sacras lege, ut semper memineris Dei illa verba esse, qui legem suam non legi, sed etiam impleri jubet. (Id., *Epist. ad Demetriad.*, quæ est 17 Appendicis 2.)

Ille plus dicit, qui plus facit. (Id., *in psal.* xxii.)

Sint divinæ Scripturæ semper in manibus tuis, et jugiter in mente volvantur, nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, et operibus oblivisci, sed ideo illa cognosce, ut facias quidquid faciendum didiceris ; non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. (S. Paulin., *Epist. ad Celantiam.*)

(Discipuli euntes in Emmaus) audiendo præcepta Dei illuminati non sunt, faciendo illuminati sunt... Quisquis ergo vult audita intelligere, festinet ea, quæ audivit, opere implere. (S. Greg., hom. 23 *in Evangel.*) — (S. Edmundus Cantuariensis anno 1217, priusquam legeret Scripturam, eam osculo honorabat, et de more nocte diuque lectitabat.)

Sanctus Carolus Borromæus illam nonnisi nudo capite et genuflexo legere solebat, eamque instar horti amœni conspiciebat. (In ejus Vita.)

Sectio tertia. — *Sine intermissione.*

Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est. (*Psal.* cxviii, 24.)

Nunquam a manibus eorum liber legis, hoc est, Biblia deponatur. (*Conc. Colon.* i, ann. 1536, sub Paulo III, Carolo V, part. ii, can. 5.)

Quotidie aliquid ex sacris Bibliis legite. (*Conc. Mediol.* iv, part. iii, tit. *Monit.*)

Crebram lectitationem novi præsertim Testamenti ne levi ex causa transmiseris. (S. Basil., epist. 1 *Ad Chilonem*, in med.)

Requiritur præter vitæ puritatem assidua in Scripturis exercitatio, ut majestas atque arcanum divinorum verborum perpetua meditatione animo imprimatur. (Id., *in Isa.*)

Noctibus ac diebus sine ulla cessatione recenseto Scripturas divinas. (S. Ambros., *in psal.* cxviii, oct. 19.)

Cœlestium Scripturarum alloquia diu terere ac polire debemus, toto animo et corde versantes, ut succus ille spiritualis cibi in omnes se venas animæ diffundat. (Id., lib. ii *De Abel*, c. 6.)

Scrutamini Scripturas, inquit Christus. (*Joan.* v, 39.) Non dixit, legite Scripturas, sed, *scrutamini*, id est, cum labore et diligentia effodite arcanos Scripturarum thesauros, perinde ut qui venis metallicis aurum et argentum curiose scrutatur. (S. Chrysost., hom. 40 *in Joan.* v.)

(Origenes quotidie sententias Scripturæ sacræ memoriæ mandabat.)

Crebrius lege... tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat. (S. Hieron., lib. ii *Epist.*, epist. 17 *Ad Eustachium*, *De servanda virgin.*)

Omni studio legendæ nobis Scripturæ sunt, et in lege Domini meditandum die ac nocte : ut probati trapezitæ, sciamus quis nummus probus sit, quis adulter. (Id., *Epist. ad Ephesios*, cap. 4, ỳ ult.)

Si excutias, si caveas, si Spiritus sancti igne excoquas Scripturam, scilicet per meditationem, vertitur in cibum, et, quod putabatur inutile, invenitur mysterium. (Id., serm. 33.)

Lectione assidua, et meditatione diuturna pectus suum fecerat Bibliothecam Christi. (Id., *De Nepotiano*, loquens in ejus *Epitaphio ad Heliodorum*, epist. 22, lib. ii *Famil.*, et iii, in ejus Oper.)

Divinas Scripturas sæpius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur : disce, quod doceas. — Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. (Id., epist. 12, lib. ii *Epist. famil.*)

Sint divinæ Scripturæ semper in manibus tuis : et jugiter in mente volvantur. (Id., epist. 14, *Ad Celantiam.*)

Enitendum tibi omnimodis, ut expulsa omni sollicitudine et cogitatione terrena, assiduum te ac potius jugem sacræ præbeas lectioni, donec continua meditatio imbuat mentem tuam... arcam quodammodo ex ea faciens testamenti. (Cassian., collat. 14, cap. 10.)

Nemo potest sensum Scripturæ sacræ cognoscere nisi legendi familiaritate, sicut scriptum est (*Prov.* iv, 8) : *Ama illam et exaltabit te : glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.* (S. Isidor., *Sentent.* lib. iii, cap. 9.)

Semper sis, quoad potes , in exercitio Scripturarum... adhuc replico, Semper sis in exercitio Scripturarum. (Petr. Bles., *De institut. episc.*, c. 2, n. 5, et 16.)

Adhuc replico, ut ad eruditionem plurium in sacra Scriptura te exerceas... si non legis, dormitabit anima tua præ tædio, et hostes tui animæ tuæ Sabbata deribedunt. (*Ibid.*, c. 4, num. 14.)

(Sanctus Bonifacius martyr sancti Evangelii codicem secum deferebat.)

Sancta Cæcilia semper Evangelium Christi gerebat in pectore. (In ejus Vita.)

Sectio quarta. — *Qua methodo.*

Cum te ad legendum paras, Deum imprimis ora, dicens : Domine Jesu Christe, aperi aures et oculos cordis mei... ad intelligendum sermonem tuum faciendamque voluntatem tuam. — Non studeas duntaxat libri folia evolvere, sed, si opus fuerit, non pigeat bis terve ac sæpius eumdem repetere versum. — Cum leges, studiose et accurate legas magna cum tranquillitate atque industria percurrens versum. — Ad sermonem mysteriorum divinæ Scripturæ ne accedas absque precatione. (S. Ephrem., *De patientia et consum. sæculi*, circa fin.)

Scrutamini Scripturas. (*Joan.* v, 39.) Christus Judæos non ad simplicem et nudam Scripturarum lectionem, sed ad investigationem perquam diligentem relegavit : non enim dixit, legite Scripturas, sed scrutamini ; divina enim humana indigent diligentia. (S. Chrysost., hom. 40 *in Joan.*, c. v.)

Quisquis Christo adhæret, totum bonum, quod etiam in litteris legis non intelligit, habet ; quisquis autem alienus est a Christo, nec intelligit, nec habet. (S. Aug., *in psal.* lxxvii, post init.)

Si quis se locus offert obscurior, etc., aut Patres tibi consulendi sunt, aut scientiarum Deus precibus fatigandus est. (Procop. Gazæus, Præf. *in Gen.*)

Experto crede : aliquid amplius invenies in silvis, quam in libris ; ligna et lapides docebunt te, quod a magistris audire non possis. (S. Bern., *Ad Murdachum*, epist. 106, in fin.)

Quo spiritu Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant ; ipso etiam intelligendæ sunt. (Id., *Ad fratr. de Monte Dei*, cap. 10, § 31.)

De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ demittendum est, quod fidelius digeratur, et sursum revocatum crebrius ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat. (Id., *De vita solitaria*, c. 10, § 31.)

Sanctus Bernardus confessus est aliquando sibi meditanti vel oranti sacram omnem velut subseposita et expositam apparuisse Scripturam. (Godefrid. monach. in ejus Vita, c. 3, lib. 1, § 7. in fin.)

CAPUT XII.

Eucharistiæ cultus et usus frequens.

ART. I. — *Quid sit Eucharistia.*

Effusio divitiarum amoris Christi. (*Conc. Trid.*, sess. 13, c. 2.)

Passio Domini. (S. Cypr., epist. 63.)

Dominica saturitas. (Id. *ibid.*, epist. 54, *Ad Cornelium Papam.*)

Exinanitio Dei. (S. Dionys. Alex., *Epist. ad Paulum Samos.*)

Tutela fidei. (Optatus Milev., *De schism. Donatistarum.*)

Fortitudo Christi. (S. Ambros., *in Luc.* vi.)

Gratia Christi. (Id., lib. v *De sacram.*, c. 15.)

Omnis thesaurus beneficentiæ Dei. (S. Chrysost., hom. 24.)

Mysterium faciens, ut terra nobis cœlum sit. (Id., hom. 24 *in I Epist. ad Cor.*, ante fin.)

Caput divinæ in nos charitatis. (Id., hom. 26 *in Matth.*, longe ante fin.)

Eleemosyna, quam Deus dat hominibus. (Id., hom. 72 *in Matth.*, ante fin.)

Mysterium pacis. (Id., hom. 47 *in Matth.*)

Indumentum regale. — Purpura Dominico sanguine tincta. (Id., *Hom. ad baptizandos*, post init.)

Ultima memoria, quam Christus nobis dereliquit. (S. Hier. *in I Epist. ad Cor.*)

Conviva et convivium. (Id., epist. 150.)

Scabellum pedum Domini. (S. Aug., *in psal.* xcviii.)

Passionis Dominicæ mysteria. (S. Greg., hom. 37 *in Evang.*)

Hostia passionis Christi. (*Ibid.*, longe ante fin.)

Summum Ecclesiæ bonum. (Pasch., *De sacram.*, c. 21, post med.)

Summa Ecclesiæ pulchritudo. (Id., *De Eucharist.*, c. 21, longe post med.)

Vita Ecclesiæ. (Guitmund., lib. 1 *De Eucharist.*, longe ante med.)

Reliquiæ Christi. (Rupert. abbas, *in Cant.*, lib. 4.)

Exsequiæ quotidianæ Salvatoris. (Id., lib. iii *De officiis*, c. 9.)

Umbra Christi, sub qua sedent desiderantes illum. (S. Bern., serm. 48 *in Cant.*)

Initium divinæ in nobis substantiæ. (Guerric., serm. 2 *De resurr.*, in fin.)

Hostia salutis mundi. (Petr. Bles., epist. 86, longe ante med.)

Divitiæ Dei. (Hug. cardin., *in Joan.* vi.)

Præcipuum et insigne memoriale amoris Christi. (Urban. iv, clement. *De reliquiis.*)

Maximum miraculum Christi. — De Christi absentia solatium singulare. (S. Thom., opusc. 57.)

Memoria mirabilium Dei. (*Psal.* cx, et S. Laurent. Justin., *Serm. de Euchar.*, n. 15 et 18.)

Invisibilis imago bonitatis. (Id., *De Euchar.*, n. 13.)

Divinæ miserationis certissimum præsagium. (*Ibid.*, n. 31.)

ART. II. — *Quare religiosissime colenda.*

Sectio unica. — *Quia Christus in ea vere præsens est.*

Ex sacra Scriptura. — Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. (*Joan.* vi, 52.)

Hoc est corpus meum... hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. (*Matth.* xxvi, 26 seq.)

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? (*I Cor.* x, 16.)

Ex conciliis. — Pervenit ad sanctum magnumque concilium, quod in locis quibusdam et civitatibus presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant ; quod nec regula neque consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt Christi corpus, accipiant corpus Christi. (*Conc. Nic.* 1, can. 18.)

Non enim Dominus, neque apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per sacerdotem offertur, sed ipsum corpus et ipsum sanguinem. (*Conc. gener. Nicæn.* vii, act. 6.)

Christi corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina, ut ad percipiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod ipse accepit de nostro. (*Conc. Later.* iv, c. 1.)

Firmissime credendum est, et nullatenus dubitandum integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. (*Conc. Constantiense*, sess. 13.)

Hoc sacro universali approbante Florentino concilio, definivimus ut hæc fidei veritas ab omnibus

Christianis credatur et suscipiatur, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici. (*Conc. Florent.*, sess. 25.)

Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit. (*Conc. Trid.*, sess. 13, can. 1.)

Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva aliqua peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idolatras, anathema sit. (Id. *ibid.*, can. 6.)

Ex SS. Patribus.— Non gaudeo corruptibili nutrimento nec voluptatibus hujus vitæ : panem Dei volo, qui est caro Jesu Christi, qui ex genere Davidis; et potum volo sanguinem illius, qui est charitas incorruptibilis. (S. Ignat., *Epist. ad Rom.*, apud Cotelerium, n. 8.)

Non enim ut communem panem, neque communem potum ista sumimus... sed... incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse docti sumus. (S. Justin., apol. 2.)

Panis percipiens invocationem Dei jam non communis panis est, sed Eucharistia... quod est corpus et sanguis Christi. (S. Iren., lib. v *Adversus hæreses.*)

Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. (Tertull., *De resurrect. carnis*, c. 8.)

Oblatos panes edimus corpus jam per precationem factos sanctum quoddam et sanctificans, utentes eo cum sano proposito. (Origen., l. *Contra Celsum.*)

Præcedit imago sacrificii Christi in pane et vino constituta; quam rem perficiens et adimplex et qui panem et calicem mistum vino obtulit; Dominus est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. (S. Cypr., *Epist. ad Cæcilium.*)

Non morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, et, quod excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus; et, cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. (Id., epist. 64.)

De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus; nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est; et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. (S. Hilar. Pict., *De Trinit.*)

Participa immaculatum corpus et sanguinem Domini tui fide plenissima, certus quod Agnum ipsum integre comedas. (S. Ephræm., *De nat ra Dei curiose non scrutanda.*)

Qui otiose et inutiliter edere audet corpus, et bibere sanguinem Domini nostri Jesu Christi vehementer contristat Spiritum sanctum. (S. Basil. Mag., lib. i *De bapt.*, 3.)

Cum Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane, *Hoc est corpus meum*, quis deinceps audeat dubitare ? ac eodem quoque confirmante et dicente, *Hic est sanguis meus :* quis dubitet et dicat non esse illius sanguinem ? (S. Cyril. Hierosol., catech. 4, *Myst.*)

Sine dubitatione corpus ede, et sanguinem bibe, si modo vitæ desiderio teneris. (S. Greg. Naz., orat. 2 *in S. Pascha.*)

Verbum propterea se admiscuit interitui obnoxiæ hominum naturæ, ut communione divinitatis simul etiam deificetur humanitas : ea de causa per suæ gratiæ dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus, commistus et contemperatus corporibus credentium, quibus substantia est ex pane et vino, ut unione cum eo, quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis. (S. Greg. Nyss., *Orat. catech.*, c. 37.)

Ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi... consecratio autem quibus verbis est, et cujus sermonibus ? Domini Jesu... Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum... Ergo non otiose, cum accipis, tu dicis, Amen ; jam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi : dicit tibi sacerdos, Corpus Christi, et tu dicis, Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus. (S. Ambr., lib. iv *De sacram.*, c. 4 et 5.)

Sicut in regia id, quod est omnium magnificentissimum, non parietes, non tectum aureum, sed corpus regis sedens in solio. Sed hoc tibi nunc licet videre in terra ; non enim angelos, neque archangelos, neque cœlos et cœlos cœlorum, sed ipsum eorum ostendo Dominum... neque solum vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis. (Id., hom. 24 *in I Epist. ad Cor.*)

Quicunque corporis sumus participes, quicunque gustamus sanguinem, cogitemus quod illius sanguinem gustemus, qui supra sedet, qui adoratur ab angelis. (S. Chrys., hom. 3 *in Epist. ad Ephes.*, c. 1.)

Annon carnis cogitationem omnem abjiciens nudo animo, mente pura circumspicis, quæ in cœlo sunt? O miraculum ! O Dei benignitatem ! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere ac complecti. (Id., lib. iii *De sacram.*)

Elias Meloten discipulo reliquit, Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit : sed quidem Elias exutus ; Christus autem et nobis reliquit, et ipsam habens ascendit. (Id., hom. 2 *Ad pop. Antioch.*)

Quid facis, homo ?... mensa mysteriis structa est; et Agnus Dei pro te immolatur ; sacerdos pro te cingitur ; sanguis spiritalis ex sacra mensa refluit ; cherubim adstant, seraphim advolant, et spiritus sex

alas habentes faciem tegunt ; omnes incorporeæ virtutes pro te cum sacerdote intercedunt... Sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est, et non confunderis ? Num vides panem ? num vinum ? absit, nec sic cogites ! (S. Joan. Hierosol., hom. 43.)

Ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur. (S. Hier., epist. 150, *Ad Hebid.*)

Hoc solum habemus in præsenti sæculo bonum, si vescamur carne ejus, cruoreque potemur. (Id., *in Eccles.*, c. III.)

Carnem suam Christus ad manducandum cordi et ori tribuit. (S. Aug., *Ad orat.*)

Nemo carnem istam manducet, nisi prius adoraverit, etc. (Id., *in psal.* LXXXIX.)

Verbum illud, quo pascuntur angeli, quod est æquale Patri, manducavit homo. (Id., conc. 2 *in psal.* XXXIII.)

Mensa potentis, unde sumitur corpus Christi. (Id., tract. 84 *in Joan.*)

Panis ille, quem videtis, in altari sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi ; călix ille, imo quod habet calix sanctificatum, per verbum Dei sanguis Christi est. (S. Aug., serm. 83, *De diversis.*)

Ne horreremus carnem et sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ carnis, ut corpus vitæ quasi quoddam semen vivificativum inveniatur in nobis. (S. Cyril. Alex., epist. *Ad Cœlestrium.*)

Mensa quidem propositionem panum habens incruentam hostiam significat, qua benedicimur, dum panem manducamus illum, qui de cœlo est, Christum scilicet, qui etiam nostri similis factus est. (Id., *De adorat. in spiritu*, lib. XIII.)

Per has preces Spiritus sancti adventum exspectabant, ut ejus divina potentia propositum in sacrificium panem et vinum aqua permistum ipsum illud corpus et sanguinem Servatoris nostri Jesu Christi efficiat. (Proclus Constantinop., *De tradit. div. liturg.*)

Ipse dixit : *Ego sum panis qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41) ; ipse est panis, qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in passione consectatus, in fornace coctus sepulcri, in ecclesiis conditus, iliatus altaribus cœlestem cibum quotidie fidelibus subministrat. (S. Petr. Chrysol., serm. 67, *in Orat. Domin.*)

(Christus) licet in Patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex Virgine, sacramentum propitiationis exsequitur. (S. Leo Mag. Papa, epist. 40, *Ad Anatol. Constantinop.*, c. 2.)

Eranistes. Quid existimas donum altaris, quod per sacerdotis invocationem offertur ? — Orthodoxus. Ego cibum et potum, ut ex sui natura est, judico. — Eranist. Sed quid facta sanctificatione reputas ? — Orthod. Corpus et sanguinem Christi. — Eranist. Credisne quod etiam corporis et sanguinis Christi isthinc particeps reddaris ? — Orthod. Credo. (Theodoret., dial. 2.)

Tu es Deus meus vivus, Christus meus sanctus, Dominus meus pius, Rex meus magnus, Pastor meus bonus, Magister meus verax, Adjutor meus opportunus, Dilectus meus pulcherrimus, Panis meus vivus, Sacerdos meus in æternum, Deus meus ad patriam, Lux mea vera, Dulcedo mea sancta, Vita mea recta, Sapientia mea præclara, Simplicitas mea pura, Concordia mea pacifica, Custodia mea tuta, Portio mea bona, Salus mea sempiterna, Misericordia mea magna, Patientia mea robustissima, Victima mea immaculata, Redemptio mea sancta, Spes mea firma, Charitas mea perfecta, Vita mea æterna. (S. Anselm., medit. 18.)

Tu Deus noster vera lux es... tu Rex regum, et Judex judicum magne et metuende, excelsos insides thronos... Dominator Domine, te Dominationem sublimitas sancta adorat; tua est potentia, potestatum Domine, tua est, o virtus Patris, omnis mirificentia beatarum virtutum. (Id., medit. 13.)

Nullus est in gloria Dei Patris nisi Dominus Jesus Christus, et ad ejus comparationem nullus sanctorum est aliquid, cessantque voces legis et prophetarum, ubi Pater voce propria declarat Unigenitum suum. (Id., homil. 4 *in Matth.*)

Magnus es tu, et magnum nomen tuum, o immarcessibilis decor Dei excelsi, et purissima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam vivificans, lux omne lumen illuminans... o æternum substantiale, et incessabile clarum, et dulce profluvium fontis absconditi ab oculis omnium mortalium, cujus unda sine ortu, cujus profundum sine fundo, cujus altum sine termino, cujus amplitudo incircumscrutabilis, cujus puritas imperturbabilis! Eructavit te cor Dei altissimi de sua impenetrabili abysso, vita vitam, lux lucem, æternus æternum, immensus immensum, et per omnia sibi coæqualem, etc. (S. Bern., *Serm. de vita et pass. Dom.*)

In Christo rerum plenitudo est sine numero et sine modo; nam et sapientiæ ejus non est numerus, et summæ ipsius sicut montis Dei, sicut montis æterni, et sanctitas singularis et redemptio inexplicabilis, etc. (Id., serm. 22, *in Cant.*, n. 9.)

Est Christus Dominus humilium thesaurus pauperumque divitiæ, quas non rapit fur, rubigo non consumit, nec tinea demolitur. (S. Laurent. Justin., *Serm. in Festo S. Martini episc. Turonensis*, n. 2.)

Sectio secunda. — *Ad religiosam hanc pietatem excitant innumera Christi Jesu beneficia.*

Num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, et junxit sibi? (*Num.* xvi, 9.)

Attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. (*Isa.* liii, 5.)

In terris visus est, et cum hominibus conversatus est. (*Baruch.* iii, 38.)

Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam in regno meo. (*Luc.* xxii, 30.)

Ego mitto promissum Patris mei in vos. (*Luc.* xxiv, 49.)

Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. (*Joan.* i, 12.)

Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, etc. (*Ibid.* i, 14.)

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo... qui manducat me, et ipse vivet propter me. (*Joan.* vi, 57, 58.)

Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. (*Joan.* x, 10.)

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. (*Joan.* xiii, 9.)

Jam non dicam vos servos... vos autem dixi amicos; quia omnia, quæ audivi a Patre, nota feci vobis. (*Joan.* xv, 15.)

Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, justus pro injustis. (*Rom.* v, 8.)

Abluti estis, sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi. (*I Cor.* vi, 11.)

Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quod in omnibus divites facti estis in illo in omni verbo, et in omni scientia... ita ut nihil vobis desit in ulla gratia exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi: fidelis Deus, per quem vocati estis filii ejus Jesu Christi Domini nostri; ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. (*I Cor.* i, 4-9, 30.)

Jam non estis vestri, empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro. (*I Cor.* vi, 2.)

Jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. (*II Cor.* v, 15.)

Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. (*II Cor.* viii, 9.)

Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam. (*Galat.* i, 4.)

Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. (*Galat.* ii, 20.)

In Christo habemus redemptionem per sanguinem ejus in remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia (*Ephes.* i, 7.)

Nunc in Christo Jesu vos, qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi; ipse enim est pax nostra. (*Ephes.* ii, 14.)

Mortuus est pro nobis, ut simul cum illo vivamus. (*I Thess.* v, 10.)

Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. (*I Tim.* i, 15.)

Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius

hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. (*Tit.* III, 5-7.)

Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. (*Hebr.* V, 9.)

Jesus introivit in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundo sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem. (*Hebr.* IX, 28.)

Non contemptibilibus auro et argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati. (*I Petr.* II, 19.)

Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus. (*Ibid.* 24.)

Per Christum maxima et pretiosa vobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. (*II Petr.* I, 4.)

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum... ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris... nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. (*I Joan.* IV, 9, 10, 19.)

Tanquam optimus medicus, et doctor compatiens accommodat se ad infirmitates nostras. (S. Cyril. Hier., catech. 1.)

Perfectus infantium magister parvulus factus est parvulis, imprudentes ut erudiret : cœlestis panis venit super terram, ut alat esurientes. (Id., catech. 12.)

Omnia habemus in Christo. (S. Ambros., lib. III *De virginitate.*)

Unus enim Christus est nobis spes, fides, charitas; spes in resurrectione, fides in lavacro, charitas in sacramento. (Id. *ibid.*, c. 5.)

Via est, quia per ipsum ascensus est; veritas est, quia mendacium nescit; vita est, quia ipse universa vivificat. (Id., lib. I *De Spiritu sancto*, c. 7.)

Christi beneficia, et incentiva virtutis et præmia sunt. (Id., epist. 42.)

Sine Christo vanum est omne, quod vivimus. (S. Hier., epist. 3, *Ad Heliod.*)

De plenitudine Filii quasi jugi fonte gratiarum donum scaturiens in singulas animas, quæ dignæ sunt, defluit. (S. Cyril. Alex., lib. I *in Joan.* c. II.)

Magnum mysterium, dilectissimi fratres, magnum divinæ dilectionis judicium. Homo Deum contemnens a Deo discessit; Deus hominem diligens ad homines venit; delevit impium, ut faceret justum; dilexit infirmum, ut faceret sanum; dilexit perversum, ut faceret rectum; dilexit mortuum, ut faceret vivum. (S. Fulg., serm. 2, *De duplici natura Christi.*)

Hunc thesaurum, Christum videlicet Deum et Dominum nostrum, qui nobis factus est Redemptor et pretium, ipse promissor et præmium, qui et vita est hominum et perennitas angelorum; hunc, inquam, in exedra tui pectoris diligenti eum reconde, in illum omnem cujuscunque necessitatis sollicitudinem projice, in ipso perassiduæ orationis colloquio delectare, in ipso te vigilibus sanctarum cogitationum epulis refice, ipse tibi sit cibus, ipse nihilominus indumentum. (S. Petr. Dam., opusc. 12, *De contemptu sæculi*, c. 8.)

Utrumque es mihi, Domine Jesu, et speculum patiendi, et præmium patientis : utrumque fortiter provocat, ac vehementer accendit. (S. Bern., serm. 47 *in Cant.*, n. 6.)

Frustra hujus sæculi sapientes de quatuor virtutibus tam multa disputaverunt, quas tamen apprehendere nequierunt, cum illum nescierint, qui factus est nobis a Deo sapientia docens prudentiam, et justitia delicta donans et sanctificatio in exemplum temperantiæ continenter vivens, et redemptio in exemplum patientiæ fortiter moriens; quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? ubinam, quæso, vera prudentia, nisi in Christi doctrina? unde vera justitia, nisi de Christi misericordia? ubi vera temperantia, nisi in Christi vita? ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione? (Id., serm. 22, n. 10 et 11.)

Quis sufficiat cogitare qualiter rerum Dominus prævenerit nos, venerit ad nos, subvenerit nobis, et singularis illa majestas voluerit mori ut viveremus, servire ut regnaremus, exsulare ut repatriaremur, et usque ad servilissima opera declinari, ut constitueret nos super omnia opera sua? (Id., serm. 3, *De Ascensione Domini.*)

Sic ergo omne, quod erat angelis, factus est nobis; quid? sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio : sapientia in prædicatione; justitia in absolutione peccatorum; sanctificatio in conversatione, quam habuit cum peccatoribus; redemptio in Passione, quam sustinuit pro peccatoribus. (Id., serm 22, *in Cant.*)

Ille optimus medicus, dux non seducens, Rex suos corrigens, Athleta fortissimus in suis pro suis pugnans et vincens, et inde victores coronans Dominus Jesus : quid quæris in illo quod non invenias? Si ægrotus es, medicus est; si exsulas, dux est; si desolatus es, vox est; si impugnaris, pugil est; si sitis, potus est; si alges, vestimentum est; si tristaris, gaudium est; si obtenebraris, lux est; si orphanus es, pater est; sponsus est; amicus est; frater est, summus, optimus, misericordissimus, fortissimus, pulcherrimus, sapientissimus est; omnia sine fine gubernans. Quid autem laboro? omnia, quæ velle potes et debes, est Dominus Jesus Christus. (*Vita mystica*, seu *De passione Domini*, cap. 22, inter Oper. S. Bern.)

Sectio tertia. — *Ad eam provocant sanctorum exempla.*

Dico vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt. (*Luc.* X, 24.)

Abraham exsultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est. (*Joan.* VIII, 56.)

S. Joan. Baptista. — Amicus sponsi, qui stat et audit, gaudio gaudet propter vocem sponsi. — Illum

oportet crescere, me autem minui. (*Joan.* III, 29, 30.)

Exempl. S. Petri. — *Domine, tu scis quia amo te.* (*Joan.* XXI, 15.)

Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. (*Joan.* VI, 69.)

Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. (*Matth.* XXVI, 35.)

Exempl. S. Pauli. — *Ego non solum alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Domini nostri Jesu Christi.* (*Act.* XXI, 13.)

Si quis non amat Dominum Jesum, sit anathema. (*I Cor.* XVI, 22.)

Certus sum quia neque mors, neque vita, etc., *poterunt nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* (*Rom.* VIII, 38.)

Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi! etc. (*Gal.* VI, 14.);

Mihi vivere Christus est. (*Philip.* I, 21.)

Vivit in me Christus. (*Galat.* II, 2.)

In fide vivo Filii Dei. (*Ibid.*)

Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. (*Philip.* I, 23.)

S. Thom.; S. Barn. — *Eamus et moriamur cum illo.* (*Joan.* XI, 16.)

Barnabas et Paulus tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. (*Act.* XV, 26.)

Exempl. S. Ign. martyr. — Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de iis, quæ videntur, desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant, ut Christo fruar... Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar... (*Epist. ad Roman.*)

Exempl. S. Polycarp. — Aiente proconsule : Jura et dimitto te, convicium fac Christo; Polycarpus respondit : Octoginta et sex anni sunt, ex quo servio ei, nec me ulla affecit injuria, et quomodo possum convicia dicere adversus Regem meum, qui salvum me fecit. (Ex *Epist. Ecclesiæ Smyrnensis ad Ecclesias Ponti.*)

S. Mariæ Magdal. — *Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.* (*Joan.* XX, 13.)

Dilexit multum. (*Luc.* VII, 47.)

S. Agnetæ. — Cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, ipsi soli servo fidem, etc. — Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam. (In ejus *Officio.*)

Nihil non, tyranne, pati parata sum pro amore et honore Christi Jesu Domini ac Sponsi mei. (S. Doroth., in ejus Act., 6 Febr.)

Jam cœpi videre Christum amatorem meum, in quem totus amor meus defixus est. (S. Felicula, apud Surium in Actibus SS. Neræi et Achillæi, die 12 Maii.)

Non dubia sed certa conscientia, Domine, amo te. (S. Aug., lib. X *Confess.*, cap. 24; *Manual.*, cap. 10.)

Divitiæ meæ Christus est. (S. Ludovic. Tolosan. episc., apud Surium, 19 Augusti.)

S. Franciscus Assisius. — Excreverat in eo insuperabile amoris incendium boni Jesu, in lampades ignis atque flammarum, ut aquæ multæ charitatem ejus tam validam exstinguere non valerent. (S. Bonav., in ejus Vita.)

Sectio quarta. — *Quanta sit pietatis hujus ac devotionis suavitas, quantusque fructus.*

In viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam... qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino... mecum divitiæ, opes superbæ et gloria. (*Prov.* VIII, 20, 21, 18, 35.)

Sapientia filiis suis vitam inspirat... qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus; qui intuetur illam, permanebit confidens... in tentatione ambulat cum eo... firmabit illum... lætificabit illum, denudabit absconsa sua illi... et thesaurizabit super illum scientiam et intellectum justitiæ. (*Eccli.* IV, 12, 13, 16, 18, 20, 21.)

Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum... in me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis... transite ad me omnes, qui concupiscitis me. (*Eccli.* XXIV, 27, 25, 26.)

Si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia?... Si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes; sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam et virtutem quibus utilius nihil est in via hominibus; et, si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præire et ita de futuris æstimat... proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. Habebo propter hanc claritatem ad turbas... præterea habebo per hanc immortalitatem... intrans in domum meam conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium... in amicitia illius delectatio bona... et præclaritas in communicatione sermonum ipsius circuibam quærens, ut mihi illam assumerem. (*Sap.* VIII, 5-18.)

In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. (*Joan.* XIV, 21.)

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. (*Ibid.*, 23.)

Ego sum vitis vera, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo; hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere... si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis... manete in dilectione mea : sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. (*Joan.* XV, 5-10.)

Videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis... si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis... Ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis. (*Joan.* XVI, 22, 23, 26, 27.)

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his,

quos dedisti mihi, quia tui sunt... et clarificatus sum in eis... Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos, etc. *Non rogo ut tollas eos de mundo : sed ut serves eos a malo... Sanctifica eos in veritate... ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum*, etc. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum... ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* (*Joan.* XVII, 9-23.)

Lectus sanctorum Christus est, in quo universorum fessa sæcularibus prælliis corda requiescunt. (S. AMBROS., *De Isaac et anima*, c. 5.)

Quod severum in aliis, in Christo dulce est, in Christo suave est : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XCIX, 5) ; suavitatis fructus percipere elaboremus. (ID., *in Psal.* CXVIII, serm. 5.)

Qui Christum timet, non timori est subjectus, sed devotioni... nihil deest timentibus eum. (ID., *ibid.*, serm. 6.)

Non laborat, qui Christum sequitur, cum laborantes ad se, ut requiescant, evocet. Ergo ipsum sequamur ; quandiu ipsum sequimur, non laboramus... qui exspectant Dominum, current, et non laborabunt. (S. AMBROS., *De virginitate*, c. 16.)

Ubi Christus, ibi omnia. (ID., *Epistolarum* class. 1, epist. 4.)

Ipse est ergo Dominus Jesus summum bonum, quod nobis annuntiatum est a prophetis, prædicatum ab angelis, promissum a Patre, evangelizatum est ab apostolis... Ad illum itaque properemus, in quo summum est bonum, quoniam ipse bonitas, ipse patientia Israel... ipse est, qui nullius indiget, et abundat omnibus ; facile abundat, *in quo plenitudo divinitatis habitat corporaliter* (*Coloss.* II, 9), facile abundat, de cujus plenitudine omnes accepimus, et in illo repleti sumus... Vitæ igitur fons est summum illud bonum, ex quo vivendi substantia ministratur omnibus ; ipsum autem in se habet vitam manentem... quid ergo pulchrius, quam ei appropinquare? Ei adhærere, quæ major voluptas est? quod is qui viderit, et de fonte aquæ vivæ gratis gustaverit, quid potest aliud desiderare? quæ regna? quas potestates? quam pecuniam? (ID., epist. 29.)

Si in mari naviganti gravis fluctus insurgat, tempestas atra desæviat, tibi dicat Jesus : Ego sum, noli turbari. (ID., *in psal.* CXVIII, serm. 8.)

Christus nobis factus est turris a facie inimici... caves, ne feriaris a diabolo ; fuge ad turrim ; nunquam te ad illam turrim diabolica jacula secutura sunt, ibi stabis munitus et fixus. (S. AUG. *in psal.* LX.)

Primo dicis, Domine, discipulis : *Venite et videte :* postea dicis : *Venite post me*, ut, quod in te viderunt, imitentur ; deinde dicis : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28), ut jugum tuum suave, et onus tuum leve.... hilariter possint gustare et portare ad gloriam Patris ; tandem dicis : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV, 34)... ibi absterges, Domine, omnem lacrymam ab oculis electorum tuorum. (S. ANSELM., *De mensuratione crucis*, cap. 3.)

Glorificate itaque, dilectissimi, et portate Christum in corpore vestro, onus delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem. (S. BERN., serm. 7 *in psal.* XC.)

Spiritus Jesu spiritus bonus, spiritus sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus principalis, quidquid in hoc sæculo nequam videtur difficile et angustum, leve facit et lætum ; opprobrium gaudium judicat, despectionem exaltationem esse persuadet. (ID., serm. 3, *De Ascensione Domini.*)

O quam bonus, quam suavis es, Domine Jesu, animæ quærenti te! Jesu redemptor perditorum, Salvator redemptorum, spes exsulum, fortitudo laborantium, animi anxiati latitudo, animæ post te currentis in sudore solatium et suave refrigerium, corona triumphantium, unica merces et lætitia omnium supernorum civium, uberrimus fons omnium gratiarum! (*Serm. de vita et passione Domini*, inter Oper. S. Bern.)

O quam beata ab amantibus illa hora censetur, in qua personaliter sponsus Christus cordis ingreditur thalamum; nam, et si non manifeste descendit, tamen et sine ambiguitate sentitur, eo efficacius ac dulcius, quo ardentius diligitur, magisque cum devotione percipitur. (S. LAURENT. JUSTIN., serm. *De Euch.*)

Esse cum Jesu, dulcis paradisus ; si fuerit tecum Deus, nullus poterit nocere inimicus ; qui invenit Jesum, invenit thesaurum bonum, imo bonum super omne bonum ; et qui perdit Jesum, perdit nimis multum, et plus quam totum mundum. (*De imit. Christi*, lib. II, cap. 8, n. 2.)

ART. III. — *Quomodo exercenda erga Christum pietas?*

SECTIO PRIMA. — *Illum summopere diligendo.*

Diligam te, Domine, fortitudo mea. (*Psal.* XVII, 2.)

Super salutem et speciem dilexi sapientiam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inexstinguibile est lumen illius... est speciosior sole.... luci comparata invenitur prior. (*Sap.* VII.)

Diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. (*Sap.* VI, 22.)

Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi eam sponsam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius. (*Sap.* VIII, 2.)

Qui diligit sapientiam, diligit vitam... qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt. (*Eccle.* IV, 13.)

Qui serviunt ei, obsequentes erunt Sancto, et eos, qui diligunt illam, diligit Deus. (*Ibid.*, 15.)

Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me ; qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. (*Joan.* XIV, 21.)

Quis nos separabit a charitate Christi? etc., *in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos ; certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque in-*

stantia. neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. (*Rom.* VIII, 35-39.)

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha. (*I Cor.* XVI, 22.)

Charitas Christi urget nos. (*II Cor.* V, 14.)

Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. (*Ephes.* VI, 24.)

Nudemus membra nostra bono vulnere, nudemus sagittæ electæ : sagitta hæc Christus est... bonum est hac vulnerari sagitta... Non omnes possunt dicere, quia vulnerati sunt dilectionis ; dicebant apostoli, cum pro Christo lapidarentur, et Christum prædicarent ; dicebat Paulus, cum ter virgis cæderetur, et die ac nocte Christum adorandum gentibus disputaret : dicunt hoc martyres, qui vulnerantur pro Christo, et quia vulnerari pro ejus meruerunt nomine, plus diligunt. (S. AMBROS., *in psal.* CXVIII.)

Etsi Christus pro omnibus passus est, pro nobis tamen specialius passus est... itaque non est dubium quod plus debeat, qui plus accepit... Et ideo, quoniam nihil est, quod digne Deo referre possimus, (Quid enim referamus pro susceptæ carnis injuria ? quid pro verberibus? quid pro cruce, obitu, sepultura ?) Væ mihi, si non dilexero... reddamus licet crucem pro cruce, funus pro funere, nunquid reddimus, quod ex ipso et per ipsum et in ipso habemus omnia ? Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis pretio ; plus enim diligit, cui donatur amplius. (ID., lib. VI *in Luc.*)

Dilige, quem Pater diligit ; honorifica, quem honorificat Pater. (ID., lib III *De virginitate*, cap. 1.)

De Christo intelligendum est, quod Deus Pater idcirco aperuerit cœlos virtute sua, et terram repleverit laude, et splendorem suum fecerit esse, et lumen et regnum posuerit in manu Filii sui, ut faceret dilectum suum ab hominibus diligi et diligi non leviter, sed vehementer et fortiter, ut, qui eum fortiter dilexissent et hærerent in dilectione ejus, nemo tolleret eos de manu ejus. (S. HIER., *in Habacuc*, c. III.)

Cur amavi, quare concupivi in omni vita mea quidquam præter te Deum meum Jesum ?... Ubi eram, quando tecum mente non eram ?... Jam ex hoc nunc omnia desideria mea incalescite, et effluite in Dominum Jesum ; currite, satis hactenus tardastis ; properate quo pergitis ; quærite, quem quæritis. Jesu, qui non amat te, anathema sit, qui te non amat, amaritudinibus repleatur... Deus cordis mei, et pars mea, Christe Jesu, deficiat cor meum spiritu tuo, et vivas tu in me, et concalescat in spiritu meo vivus carbo amoris tui, et excrescat in ignem perfectum, ardeat jugiter in ara cordis mei, flagret in absconditis animæ, in die consummationis meæ consummatus inveniatur apud te, ignem alienum dilectionis tuæ fervor elonget a me. (S. ANSELM., ex lib. X *Meditat.*, c. 13.)

Omnia calcanda sunt, ne impediant tuum amorem ; minus enim amat te, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat, ut dicit Augustinus ; valde deberet homo indignari diligere modica, quem tantæ dignitatis fecisti, ut ei liceat te amare... totum cor nostrum tuo debemus amori. (ID., *De mensura crucis*, c. 4.)

Si aliquid gratis amare volumus, ubi melius, quam in te amorem nostrum locabimus ? Si pro muneribus, quanto plura dabis ? sed quanto plus promittis, tanto magis gratis amari mereris. Si amare volumus eos, qui nos amant, quanto æquius nos te amabimus? Et si exspectamus et desideramus, ut quis extorqueat a nobis amari, nonne tu es, Deus meus, qui tam crebro pulsas, et mendicas ad ostium nostrum, dicens : *Præbe, fili, cor tuum mihi* (*Prov.* XXII, 26) : imo et sæpe repulsus, te iterum ingeris, etc... Infinita sunt, Domine, quæ nos te amare compellunt, etc. (*Ibid.*, c. 5.)

Diligendus ergo es toto corde, tota anima, tota mente, tota virtute... qui mori dignatus es pro me.. adhæreat anima mea post te, quia tota virtus ejus pendet ex te. (ID., medit. 9.)

Quid mihi est in cœlo ? Quis est thesaurus meus in illa cœlica cella ? Quæ est hæreditas mea in terra viventium ? Nonne Christus Dominus meus, unica salus mea, totum bonum meum ? Et quomodo poterò continere cor meum, Domine, ut non amet te ? Si non amavero te, quid amabo ? Si transtulero amorem meum a te, ubi ipsum digne collocabo ? Desiderabilis Domine, ubi extra te requiescerent desideria mea ? Si uspiam extra te pedem extendat amor meus, pollutus erit : si a te declinaverint desideria mea, vana erunt : nonne tu amabilis et desiderabilis es super omnia, quæ amari possunt et desiderari ? abs te habet, quidquid habet omnis creatura decoris et pretii, etc. (ID., medit. 13.)

Quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi, ut sis socia mensæ, socia regni, socia denique thalami ; ut introducat te rex in cubiculum suum ? Vide jam quid de Deo tuo sentias, vide quantum de eo præsumas, vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus et amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, imo qui tanti te fecit, etc. (S. BERN., serm. 2, *Dominic.* II *post Epiph.*)

Disce, o Christiane, a Christo, quemadmodum diligas Christum : disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter : dulciter, ne illecti ; prudenter, ne decepti ; fortiter, ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus ; ne seducaris spiritu mendacii et erroris, lucescat tibi veritas Christus ; ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus, etc. (ID., serm. 20 *in Cant.*)

Quidni ametur amor ? et quid tam cordium vita, quam Deus meus Jesus ? valde omnino mihi amandus est, per quem vivo, sum, sapio, si ingratus non sum, et indignus. Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere... sed est quod me plus

movet, plus urget, plus accendit, super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis ; hoc omnino amorem meum facile vindicat totum tibi ; hoc est, quod nostram devotionem blandius illicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. (Inter Oper. S. Bern. ascripta, tract. *De charitate.*)

Totus desiderabilis (Christus) et quasi charitate constratus, quid enim videbis in Christo, quod non ejus nobis et charitatem exhibeat et nostram exigat? totus nobis est charitatis illecebra, incitamentum amoris... totus amari vult, qui totus meretur amari. (Gilbert. abbas, serm. 19 *in Cant.* inter Oper. S. Bern.)

Affectum tuum cujus alliciat species, si non ejus, qui speciosus est forma præ filiis hominum ? Gaudens gaude in Domino, et exsultet anima tua in sponso tuo, in Deo tuo, qui, si Deus non esset, et homo purus esset, quantas tamen haberet in se amoris illecebras homo talis, in gratiarum abundans muneribus... homo innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, ut interim sileam, quod excelsior cœlis factus est, infirmitatibus nostris potens compati... Diffusa est gratia in labiis, misericordia in visceribus, virtus in manibus... O me ingratum, si non talem diligam? (Id., serm. 20 *in Cant.*)

Illum dilige, et amicum tibi retine, qui omnibus recedentibus te non relinquet, nec patietur in fine perire. (*De imitatione Christi,* lib. II, cap. 7, num. 1.)

Sectio secunda. — *Illius beneficia recolendo.*

Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? (*Job* VII, 17.)

Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia visitas eum ? (*Psal.* VIII, 5.)

Venite, audite, narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. (*Psal.* LXV, 16.)

Gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi, et anima mea, quam redemisti; sed et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. (*Psal.* LXX, 23, 24.)

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori... Non est similis tui ; magnus es tu, et faciens mirabilia... tu, Domine Deus, miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax. (*Psal.* LXXXV, 12, 13, 8, 15.)

Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.. benedic, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus, etc. (*Psal.* CII, 1.)

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? (*Psal.* CXV, 12.)

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus... fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem... dextera Domini exaltavit me... vivam et narrabo opera Domini, etc. (*Psal.* CXVII, 1, 14, 16, 17.)

Si oblitus fuero tui,.. oblivioni detur dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. (*Psal.* CXXXVI, 5.)

Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. (*Psal.* CXLVII, 20.)

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius. (*Sap.* VII, 11.)

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in illa die : Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus ; cantate Domino, quoniam magnifice fecit ; annuntiate hoc in universa terra ; exsulta, et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel. (*Isa.* XII, 3-6.)

Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. (*I Cor.* XV, 57.)

Gratias Deo, qui triumphat nos in Christo Jesu. (*II Cor.* II, 14.)

Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. (*II Cor.* IX, 15.)

Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, et conressuscitavit, et considere nos fecit in cœlestibus in Christo Jesu. (*Ephes.* II, 3-5.)

Memores estote quod aliquando vos, gentes, in carne.. alienati a conversatione Israel... facti estis prope in sanguine Christi. (*Ibid.*, 9, 13.)

Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, qui fidelem me existimavit ponens in ministerio. (*I Tim.* I, 12.)

Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. (*Ibid.*, 15.)

Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. (*Hebr.* II, 16.)

Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes... aspicite in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. (*Hebr.* XII, 3, 2.)

Accepisti pignus Christi charitatis, quoniam, qui pro te mortuus est, advocatus est tibi, et sanguinis sui mercedem reservat, et qui peccatorem reconciliavit Patri, multo magis commendat innocentem, et tuetur subditum, qui ascivit noxium. Tanti igitur beneficii debitor non rependes obsequium? Hæredem te fecit, cohæredem te fecit, hæredem Dei, cohæredem Christi, spiritum tibi adoptionis infudit. Numera hæc et adjunge non tam ad debiti nexum, quam ad muneris accepti conservationem.... Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, ut propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur, ille propter te dispendia nostra suscepit, ut te divinis insereret, cœlestibus consecraret. (S. Ambros., lib. I *De Jacob et vita beata,* c. 6.)

Gratias Domino Jesu Unigenito Dei Filio, Redemptori nostro, qui nobis peccata omnia remissurus descendit e cœlo, ut nos de lacu ac limo istius mundi... de corpore quoque mortis hujus eriperet, atque in carne statueret animi vestri interiora vestigia, etc. (S. Ambros., *in psal.* xxxix.)

Agamus, dilectissimi, gratias Deo Patri per Filium ejus in Spiritu sancto, qui propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, misertus est nostri, et, cum essemus mortui peccatores, convivificavit nos Christo, ut essemus in ipso nova creatura novumque figmentum. (S. Leo, serm. 1 *De Nativitate Domini.*)

Unde hoc merebamur, Domine, ut ad nos descenderes, et humanitatem nostram tam mirabiliter unires, et in ea tam humiliter cum homine conversareris, nisi quod nos ad perfectionem tui amoris sic provocare volebas, ut cum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur? Quis ergo homo dignus erat, ut Filius Dei mortem pro eo pateretur? aut quis unquam meruit tuo corpore et sanguine refici, nisi quod tu, Deus meus, in hoc ostendisti aviditatem amoris tui circa nos, ut saltem ex multitudine et magnitudine tam mirabilium beneficiorum tuorum ad mutuam dilectionem accenderes cor nostrum, et in captivitatem amoris tui redigeres? Innumerabilia nimis sunt beneficia tua, Domine, quibus voluntatem nostram excitas. (S. Anselm., *De mensuratione crucis*, c. 2.)

Domine, quid dignum poterit esse tantis beneficiis tuis, qui das quotidie te nobis in cibum, et tandem dabis te nobis in præmium et in mercedem magnam nimis?... quid ad hoc dignum poterimus dare? Si unus homo esset, quanti omnes creaturæ, quantus esset, si daret se totum tibi, qui dedisti te totum nobis, cujus bonitas in infinitum præponderat, qui se putat meliorem quam te, tantum de se reservet, quantum meliorem se putat, quam te. (*Ibid.*, c. 4.)

Perieram, et ad mortalem descendit; immortalis mortalitatem suscepit, passionem sustinuit, mortem vicit, et sic me restauravit; sic gratia ejus et misericordia ejus prævenerunt me; de multis etiam periculis liberavit me liberator meus; quando errabam, reduxit me; quando ignorabam, docuit me; quando peccabam, corripuit me; quando contristabar, consolatus est me; quando desperabam, confortavit me; quando cecidi, erexit me; quando steti, tenuit me; quando ivi, duxit me; quando ad eum veni, suscepit me; hæc et alia multa fecit mihi Dominus meus Jesus Christus, de quibus erit mihi dulce semper loqui, semper gratias agere, ut pro omnibus beneficiis suis possim eum amare, et semper laudare; pro his enim omnibus quid illi rependam? Non habeo, nisi tantum ut diligam eum ex toto corde meo. (Id., medit. 7, § 2.)

O ineffabilis misericordia!..... Deus carne induitur; qui est, concipitur; Verbum incorporatur; æternus nascitur, pannis involvitur, in præsepio ponitur, circumciditur, baptizatur, esurit, tristatur; Deus ut homo venditur, capitur, tenetur, ligatur, conviciatur, opprobriis saturatur, aceto et felle potatur, spinis coronatur, inter latrones computatur, morte turpissima condemnatur, cruci affigitur. Ecce quomodo proprio Filio non pepercit Deus, sed pro nobis illum tradidit. O gratia tradentis! O pietas morientis! O pie Jesu, quid tribuam tibi? Quid sustinebo pro te, qui tot et tanta sustinuisti pro me? Exhibitio operis probatio est dilectionis... Accipe quod tuum est, fac de servo tuo quod tibi placet... Totum te dedisti pro me, emisti tibi spiritum meum, emisti tibi corpus meum, utrumque servum tuum, etc. (Id., Serm. *De Passione*, in Suppl.)

Quid commisisti, dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti, amantissime juvenis, ut sic tractareris? Quod scelus tuum? Quæ noxa tua? Quæ causa mortis? Quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis; ego tuæ livor Passionis, tui cruciatus labor; ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium..... Peccat iniquus, et punitur justus; deliquit reus, et vapulat innocens; offendit impius, et damnatur pius; quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus, exsolvit Dominus; quod committit homo, sustinet Deus. Quo, nate Dei, quo tua descendit humilitas! Quo tua flagravit charitas! quo processit pietas! quo excrevit benignitas! quo tuus attigit amor! quo pervenit compassio! etc. (Id., orat. 2.)

Quid ergo ego, qui Deum meum teneo vitæ meæ non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem, sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem, dilatorem, glorificatorem.... quid retribuam Domino pro omnibus his? etc. (S. Bern., *De diligendo Deo*, c. 5.)

Sectio tertia. — *Illius mysteriis communicando, intimamque cum ipso unionem exoptando.*

Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. (*Joan.* vi, 69.)

Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo; hic fert fructum multum.... Manete in me, et ego in vobis; si manseritis in me..... quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis.... manete in dilectione mea. (*Joan.* xv, 5, 4, 7, 9.)

Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. (*Rom.* viii, 9.)

Induimini Dominum nostrum Jesum Christum. (*Rom.* xiii, 14.)

Vocati estis in societatem Jesu Christi Domini nostri. (*I Cor.* i, 9.)

Vos estis corpus Christi, et membra de membro. (*I Cor.* xii, 27.)

Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus; si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur

corpus peccati, etc. *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo.* (*Rom.* XI, 4, 5, 6, 8.)

Si autem filii et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur. (*Rom.* VIII, 17.)

Christus in vobis est (*II Cor.* XIII, 5.)

Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis; in persecutionibus, in angustiis pro Christo. (*II Cor.* XII, 10.)

Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. (*Galat.* III, 27.)

Formetur Christus in vobis. (*Galat.* IV, 19.)

Crescamus in Christo per omnia, etc. (*Ephes.* IV, 5.)

Mihi vivere Christus est. (*Philip.* I, 20.)

Christo confixus sum cruci; vivo jam non ego, vivit vero in me Christus. (*Galat.* II, 19.)

Estis in illo repleti. (*Col.* II, 10.)

Mortui estis cum Christo. (*Ibid.*, 20.)

Vita vestra abscondita est cum Christo. (*Col.* III, 3.)

Christus mortuus est pro nobis, ut, sive vigilemus, sive dormiamus, cum illo vivamus. (*I Thess.* V, 10.)

Participes Christi effecti estis. (*Hebr.* III, 14.)

Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. (*Jac.* I, 18.)

Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, ad cognoscendum illum, et virtutem Resurrectionis ejus, et societatem Passionum illius, configuratus morti ejus. (*Philipp.* III, 8, 10.)

Quæ major salus, quam esse cum Christo, et ei unitate quadam corporis adhærere? (S. Ambros., *in psal.* XXXIX.)

In morte ipsius baptizati sumus; si igitur in illius morte dimittuntur nobis peccata, etiam peccatorum nobis passiones in illius morte moriantur, illius crucis clavis affixæ teneantur; si in illius morte mortui sumus, quid iterum tanquam viventes ad ea, quæ sunt mundana, revocamur? quid nobis cum elementis hujus mundi? quid cum cupiditatibus? quid cum luxuria atque lascivia, quibus cum Christo mortui sumus? quod si simus in Christo mortui, cum Christo resurreximus; cum Christo igitur versemur; cum Christo superiora, quæ sunt, non quæ corruptibilia et terrena, quæramus. Christus resurgens a mortuis veterem hominem affixum cruci reliquit, novum resuscitavit; Christus ideo mortuus est, ut et nos peccato moreremur, Deo resurgeremus. Mortua est caro nostra, quid iterum peccato reviviscit? etc. (Id., lib. I *De Jacob et vita beata*, c. 5.)

Cohæres Christi es, si compatiare, si commoriare, si consepeliare cum Christo. Suscipe passiones, ut supra passiones cum eodem esse merearis. (*Ibid.*, c. 6.)

Intellige in vulnus ejus, ut vulnera tua curet; intellige in mortem, ut acquiras vitam æternam; intellige in sepulturam ejus, ut invenias resurrectionem. (Id., *in psal.* XL.)

Nos vitia nostra transfundamus in Christum, ut crucifigamur cum Christo. (Id., lib. X *in Lucam.*)

Clamat Apostolus, quoniam quicunque baptizatur, in morte Jesu baptizatur. Quid est in morte? ut, quomodo Christus mortuus est, sic et tu mortem degustes; quomodo Christus mortuus est peccato et vivit Deo, ita et tu superioribus illecebris peccatorum mortuus sis per baptismatis sacramentum, et scruteris per gratiam Christi; mors ergo est, sed non in mortis corporalis veritate, sed in similitudine; cum enim mergeris, mortis suscipis et sepulturæ similitudinem, crucis illius accipis sacramentum, quod in cruce Christus pependit, et clavis confixum est ejus corpus; tu ergo, cum crucifigeris, Christo adhæres, clavis Domini nostri Jesu Christi adhæres: ne te diabolus possit abstrahere, teneat te clavus Christi, quem revocat humanæ conditionis infirmitas. (Id., lib. II *De sacram.*, c. 8.)

Adhæream tibi inseparabiliter, adorem te infatigabiliter, serviam tibi perseveranter, quæram te fideliter, inveniam te feliciter, possideam te æternaliter. — Trahe me post te, non trahat dulcedo sæculi, sed trahat me suavitas beatissimi amoris tui; traxit me aliquando vanitas mea, sed jam trahat me... post se veritas tua... traxisti redimendo, trahe beatificando... trahe jam potenter exaltatus, quem attraxisti misericorditer humiliatus... liga tecum indissolubilibus amoris vinculis desideria cordis mei... societ nos unitas charitatis, quos copulavit charitas redemptionis. (S. Anselm., medit. 1, § 6.)

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite... ac si manifestius dicat, si consurrexistis, et conscendite; si convivitis, et conregnate. Sequamur, fratres, sequamur Agnum quocunque ierit, sequamur patientem, sequamur resurgentem, sequamur multo libentius ascendentem; crucifigatur vetus homo noster cum illo simul, ut destruatur corpus peccati. (S. Bern., serm. 6 *De ascensione.*)

Quomodo capient somnum oculi mei, aut quietem cor meum, donec veniam ad diu desideratum sponsum meum et Dominum meum Jesum Christum? currant ergo undique opprobria et flagella, et me nequissimum introducant ad benignissimum Dominum meum Jesum: omne honorificum et delectabile sit procul a me, nec audiatur in finibus meis: solus honor divinus in omnibus nobis requiratur, et abjectio nostra... scio etiam quid faciam; Domini mei Jesu vulnera introibo, et in ejus dolores et opprobria, quantum potero, transibo, vel transformabor, et ejus opprobrissimam Passionem induam vestimentum regale, et nihil requiram nisi quæ sunt conformia huic Passioni; cæteraque abjiciam sicut stercus. Quæ creatura audebit de cætero post me clamitare, si fuero hac vigilia indutus? (S. Bonav., *Stim. amor.*, c. 7.)

SECTIO QUARTA. — *Illius virtutes imitando.*

Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. (*Exod.* XXV, 1.)

Post Dominum Deum tuum ambulabis, et ipsi adhærebis, quia ipse te ducet. (*Deut.* XIII, 4.)

Magna gloria est sequi Dominum. (*Eccl.* XXIII, 38.)

Hæc est via, ambulate in ea. (*Isa.* XXX, 21.)

Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. (*Matth.* XI, 29.)

Vos vocatis me, Magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim... Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. (*Joan.* XIII, 13, 15.)

Ego sum via. (*Joan.* XIV, 6.)

Induimini Dominum Deum. (*Rom.* XIII, 14.)

Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis; qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes; igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. (*I Cor.* XV, 47, 49.)

Crescamus in illo per omnia. (*Ephes.* IV, 15.)

Induite novum hominem. (*Ibid.*, 24.)

Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. (*Ephes.* V, 1, 2.)

Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. (*Philipp.* II, 5.)

Christus Jesus humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis. (*Ibid.*, 8.)

Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, etc. (*Col.* I, 24.)

Sicut accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate. (*Col.* II, 6.)

Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est; exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. (*Hebr.* XIII, 13.)

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. (*I Petr.* II, 21.)

Communicantes Christi passionibus gaudete, et ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes. (*I Petr.* IV, 13.)

Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. (*I Joan.* II, 6.)

Si quis mihi ministrat, me sequatur. (*Joan.* XII, 26.)

Sceptrum majestatis Dei Dominus noster Jesus Christus, non venit in jactantia arrogantiæ neque superbiæ... sed in humilitate... cernitis, viri clari, quod exemplar nobis datum sit; nam, si Dominus adeo humiliter se gessit, quid faciemus nos, qui sub jugum gratiæ ejus venimus? (S. CLEM. Papa, epist. 1 *Ad Cor.*)

Luceat imago Christi in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus et factis, ut, si fieri potest, tota ejus species exprimatur a nobis. (S. AMBROS., *De Isaac et anima.*)

Si, quæ sunt Christi, sequeris; noli, quas non habebas, affectare divitias; augere, quas habebas, et divitem te sibi sentiat pauper. (ID., *in psal.* XXXVIII.)

Post Dominum Deum tuum ambulabis, et ipsi adhærebis, quia ipse te ducet. (*Deut.* XIII, 4.) Quomodo te dicat audi, *Nisi qui tulerit crucem*; nam et post: *Me secutus fuerit, non est me dignus.* (*Matth.* X, 38.) Præcedit ergo Christus, ut nos sequamur; primus viam novi ingressus est testamenti, ut in hac via devotionis iter nobis sterneret; si pro nomine Domini sustinemus injurias, prius ille statuit pro nostra redemptione; cervices suas posuit in flagella, maxillas suas in palmas; ascendit crucem, ut doceret mortem non esse metuendam; denique quasi præcedens ait Petro: tu me sequere; et ideo Petrus consummavit cursum, quia secutus est Christum. (ID., *in psal.* CXVIII.)

Qui conversationem illius (Christi) imitari potest, et universas in se exprimere virtutes, ut sit mansuetus, sicut ille fuit mansuetus et humilis corde, et ponat animam suam pro amicis, ut ille posuit pro ovibus suis, verberatus non respondeat, maledictus non maledicat, sed vincat in humilitate superbiam; iste indutus est novum hominem, et dicere cum Apostolo potest (*Galat.* II, 20): *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* (S. HIER., *in epist. ad Ephes.*)

Ergo impletæ erant omnes passiones, sed in capite; restabant adhuc Christi passiones in corpore; vos autem estis corpus Christi et membra; in iis ergo membris cum esset Apostolus, dixit: *Adimpleo ea, quæ desunt pressurarum Christi in carne mea.* (S. AUG., *in psal.* LXXXVI.)

Quid est, me sequatur? nisi, me imitetur. (ID., tract. 21 *in Joan.*)

Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu (*Philipp.* II, 5) cujus humilitas nulli aspernenda divitum, nulli est erubescenda nobilium, non enim in tantum provehi potest quælibet felicitas humana fastigium, ut æstimet sibi pudendum, quod manens in forma Dei, Deus non est arbitratus indignum. (S. LEO, serm. 2 *De resurr.*)

Pauper ita fuit, ut veniens in mundum non in sua, sed in aliena domo nasceretur; et natus propter inopiam loci in præsepio brutorum animalium poneretur; et vivens in mundo non haberet, ubi caput suum reclinaret; nec moriens, unde nuditatem suam tegeret; nec mortuus, unde involveretur; nec sepulcrum aut locum, ubi corpus suum collocaretur: quæ omnia magis sunt vivendo per effectum imitanda, etc. (S. ANSELM., *Resp. ad Walaroni querelas*, c. 3.)

Quid magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum quam ut videns Deum cœli parvulum factum ultra apponat homo magnificare se super terram? intolerabilis impudentia est, ut, ubi se exinanivit Majestas, vermi-

culus inflctur et intumescat. (S. Bern., serm. 1 *De Nativit.*)

Homines bonæ voluntatis, qui Christiana voluntate divitias paupertate commutaverunt, vel etiam non habitas tanquam habitas contempserunt, relinquentes omnia propter ipsum, sicut et ipse reliquit omnia propter ipsos, sequuntur eum quocunque ierit. (Id., serm. 4 *Hebdomadæ sanctæ*, Serm. *De Passione Domini.*)

Imitemur, quod possumus, eum, qui sic dilexit paupertatem, ut, quamvis in ejus manu essent fines terræ, tamen non habuit, ubi caput reclinaret... qui tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum, quem et super Lazarum et super civitatem flevisse, et in orationibus pernoctasse legimus; risisse vero aut jocasse nunquam; qui sic esurivit justitiam, ut, cum propria non haberet, tantam pro peccatis nostris a seipso exegit satisfactionem, etc. (Id., serm. 4 *in Adventu Domini.*)

Tria sunt, quæ in Christo nobis expressa plenis viribus exercere debemus, videlicet improbare vivaciter sæculi vanitatem, quia et Jesus, ne rex constitueretur, a turbis aufugit; exercere viriliter pœnitentiam, quia Jesus sicut agnus occisus est; et habere veraciter geminam charitatem, quia Deus Jesus pro inimicis oravit. (S. Bern. *Sentent.*)

Sinite me imitari magistrum meum; sine causa sum Christianus, si Christum non sequor. (S. Malach. referente S. Bern.)

Sacerdotem hoc sentire oportet, quod et in Christo Jesu, non solum ut se per humilitatem exinaniat, sed ut crucifixionem Domini repræsentans stigmata ejus portet in corpore suo, et in ara cordis sui seipsum Domino crucifigat. — Tunc sacerdoti hostia proderit, si seipsum hostiam faciens velit humiliter et efficaciter imitari, quod agit. (Petr. Bles., epist. 123.)

Imitamini quod tractatis. (*Pontif. Rom.*, in *Ordinatione presbyteri.*)

Sectio quinta. — *Spem omnem in eo, fiduciamque collocando.*

Pone me, Domine, juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. (*Job* xvii, § 3.)

Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. (*Psal.* ix, 11.)

Ego autem in misericordia tua speravi. (*Psal.* xii, 6.)

Non timebo mala, quoniam tu mecum es. (*Psal.* xxii, 4.)

In Domino sperans non infirmabor. (*Psal.* xxv, 1.)

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. (*Psal.* xxvi, 3.)

In te inimicos nostros ventilabimus cornu. (*Psal.* xliii, 6.)

Tu es, Domine, spes mea. (*Psal.* xc, 9.)

Confidite; ego vici mundum. (*Joan.* xvi, 33.)

Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat; quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est. (*Rom.* viii, 33, 34.)

Fiduciam habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. (*II Cor.* iii, 4.)

Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur, (*Ibid.* 12.)

Omnia possum in eo qui me confortat. (*Philipp.* vi, 13.)

Nolite itaque amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem... adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet et non tardabit. (*Hebr.* x, 35, 37.)

Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei; teneamus confessionem: non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris... adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. (*Hebr.* iv, 14-16.)

Habentes... fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei... (*Hebr.* x, 19-22.)

Ipse dixit: Non te deseram, neque derelinquam. (*Hebr.* xiii, 5.)

Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis. (*I Petr.* v, 7.)

Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum; ipse interpellat pro nobis. (*I Joan.* ii, 1.)

Considera quem judicem habeas... nempe Christo dedit Pater omne judicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit a morte, pro quo se obtulit, cujus vitam suæ mortis mercedem esse cognoscit? nonne dicet: Quæ utilitas in sanguine meo, si damno, quem ipse salvavi? deinde consideras judicem, non consideras advocatum? Potest iste leviorem ferre sententiam, qui interpellare non desinit, ut paternæ reconciliationis in nos conferatur gratia. (S. Ambros., lib. i *De Jacob. et vita beata*, c. 6.)

Spes et patientia nostra Christus est; ipse factus est redemptio nostra; ipse est exspectatio nostra, ut dicamus singuli: *Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me* (*Psal.* xxxix, 1); respice ergo nos in judicio tuo, respiciat super nos misericordia tua, ut, qui de merito diffidimus nostro, per tuam misericordiam liberemur, in cujus potestate est animæ nostræ vitæque substantia. (Id., *in psal.* xxxviii.)

Neminem vereamur, qui Christum habemus; quoniam, si Christus pro nobis, quis contra nos? (Id., *in psal.* xliii.)

Quid est ventilare cornu? Dedit Deus cornua pluribus animantibus, ut possint se a ferarum incursione defendere... cornu nostrum es tu, Domine Jesu; et ideo, sicut non in brachio nostro præsumimus, ita nec in cornibus nostris ventilandi habemus præsidium, sed in Christo; habet enim fides cornua sua, quæ mutuatur a Christo. — Qui in Christum credit, non in arcu suo, nec in gladio suo sperat, sed in nomine ejus spem victoriæ locat. (Id., *in psal.* XLIII.)

Solum te sequor, Domine Jesu, qui sanas vulnera mea... hic solus potest sanare vulnera mea, qui sua nescit; hic auferre cordis dolorem pallorem que animæ, qui novit occulta. (Id., lib. V *in Luc.*)

Ibi est præsidium nostræ salutis, ubi Christus. (Id., lib. II *De virginitate*, c. 4.)

Non debebant desperare, pro quibus in cruce pendens Dominus dignatus est orare; dixerat enim: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.... illis jam petebat veniam, a quibus accipiebat injuriam; non enim attendebat, quod ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur. (S. Aug., tract. 31 *in Joan.*)

In sola Christi morte totam fiduciam tuam constitue; in nulla alia re fiduciam habeas; huic morti te totum committe; hac sola te totum contege; hac morte te totum involve; et, si Dominus Deus voluerit te judicare, dic, Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me et judicium tuum, aliter non contendo tecum; et si tibi dixerit, quia peccator es, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi obtendo inter te et peccata mea, etc. (S. Anselm., *Admonit. morienti.*)

Præsente te, Domine Jesu, quantumlibet irruant hostes, imo non irruant, sed ruant, confluant undique, sed ut fluant et pereant a conspectu Domini, quemadmodum fluit cera a facie ignis; quid enim metuam deficientes? Quid trementes paveam? Quid verear cadentes? et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, dummodo tu mecum sis, Domine Deus meus; siquidem protinus aspirabit dies, et inclinabuntur umbræ, cadent hinc et inde principes tenebrarum. (S. Bern., serm. 7 *in psal.* XC: « *Qui habitat.* »)

Sectio sexta. — *Gratiam ejus et opem in omnibus efflagitando.*

Dominus petra mea, et robur meum, et Salvator meus? Deus fortis meus, scutum meum et cornu salutis meæ, elevator meus et refugium meum... laudabilem invocabo Dominum; et ab inimicis meis salvus ero, etc. (*II Reg.* XXII, 2-4.)

Oculi mei semper ad Dominum, ut ipse evellat de laqueo pedes meos. (*Psal.* XXIV, 15.)

Os meum aperui et attraxi spiritum. (*Psal.* CXVIII, 131.)

Optavi, et datus est mihi sensus; invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ. (*Sap.* VII, 7.)

Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam:... ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.... scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in tua sapientia, et erunt accepta opera mea. (*Sap.* IX, 4, 9-12.)

Ipsum gentes deprecabuntur. (*Isa.* XI, 10.)

Domine, miserere nostri; te enim exspectavimus; esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. (*Isa.* XXXIII, 2.)

Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. (*Joan.* XIV, 13.)

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo, etc. (*Joan.* XVI, 24.)

Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. (*Ibid.*)

Si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua non superas, si mergi incipis, exclama ad Jesum, Domine salvum me fac.... porriget ille manum, et eruet te de profundo. (S. Anselm., hom. 3 *in Matth.*)

Necessaria hominibus præsentia Christi, atque utinam sic veniat, ut copiosissima dignatione sua et in nobis per fidem habitans illuminet cæcitatem nostram, et nobiscum manens adjuvet infirmitatem nostram, et pro nobis stans fragilitatem nostram protegat et propugnet. Si ille in nobis, quis jam decipiat nos? si ille nobiscum, quid de cætero non possumus in eo, qui confortat nos? si ille pro nobis, quis contra nos? Fidelis consiliarius est, qui neque falli omnino, nec fallere queat: fortis auxiliator, qui non lassescat: patronus efficax, qui et ipsum Satanam sub pedibus nostris velociter conterat, et omnia ejus machinamenta confringat. Nimirum ipse est Dei sapientia, cui sit in promptu instruere ignorantes; ipse Dei virtus, cui facile sit et deficientes reficere, et eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorem, fratres mei, in omni deliberatione curramus; hunc tam strenuum adjutorem in omni operatione invocemus; huic tam fido propugnatori in omni colluctatione committamus animas nostras, qui ad hoc ipsum venit in mundum, ut habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, et tenebras nostras illuminaret, labores levaret, et pericula propulsaret. (S. Bern., serm. 7, *De adventu Domini.*)

Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor Jesus, et inde saliat in os, et ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? (Id., serm. 15 *in Cant.*)

Sectio septima. — *Pro eo pati gloriosum arbitrando.*

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. (*Matth.* V, 10.)

Ego non solum alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Domini Jesu. (*Act.* XXI, 13.)

Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. (*II Cor.* XII, 9.)

Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. (*Ibid.*, 10.)

Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. (*Galat.* VI, 14.)

Vobis datum est pro Christo non solum ut credatis in eum, sed ut etiam pro illo patiamini. (*Philipp.* I, 29.)

Paulus vinctus Jesu Christi. (*Philem.* 1.)

Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. (*Hebr.* XI, 26.)

Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. (*I Petr.* III, 24.)

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam, quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et, qui est ejus spiritus, super vos requiescit... nemo vestrum patiatur, ut homicida, etc... *Si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* (*I Petr.* IV, 14-16.)

Noli vulnera formidare, quæ sequentibus Christum nocere non possunt ; etiamsi corpus tuum, hoc est, vitam corporis tui auferant ; vicinus est Christus. (S. Ambr., *De virginitate*, c. 12.)

Bonas triumphalium vulnerum cicatrices, quibus victores hujus terreni prælii gloriantur, quanto illustriora vulnera, quæ pro fide et nominis tui gloria videntur excepta ; ista est cicatrix, quæ cœlum aperit, regnum acquirit, immortalitatem invenit. (Id., *in psal.* XXXVII.)

Quam bonus est Dominus, pro quo dulces et injuriæ sunt, grata mors, et bene grata, quæ acquirit immortalitatem. (Id., *Exhort. ad virginit.*, cap. 9.)

Vinctum esse propter Christum illustrius est, quam sive apostolum, sive doctorem, sive evangelistam esse. Magna dignitas hæc, et regno quovis ac consulatu major. Qui diligit et ardet Christum, eligit potius vincula ferre propter Christum, quam cœlos inhabitare ; non enim caput ita splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, ut catena ferrea, quæ propter Christum fertur. Quod si quis mihi vel universi cœli, vel hujus catenæ copiam et opinionem largitus esset, catenam hanc ego plane elegissem... Si mihi cum angelis et iis, qui prope thronum Dei sunt, standum fuisset sursum, aut cum populo vincto, carcerem utique præoptassem ; nihil hac catena beatius. Non ita beatum dico Paulum, quod in paradisum raptus, atque quod vincula sustinuit : potius mihi habetur male affici pro Christo, quam honorari a Christo. O beata vincula ! O beatas manus, quas catena illa exornavit. (S. Chrysost., hom. 8 *in Epist. ad Ephes.*)

Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non est. — Nihil sibi gloriosius proinde putat, quam Christi portare opprobrium : unde vox illa prorsus exsultationis et salutis, absit mihi gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi. (S. Bern., serm. 25 *in Cant.*)

Sectio octava. — *Solum illum in omnibus intuendo, et ad ipsum omnia referendo, ipsumque semper meditando.*

In omnibus viis tuis cogita illum. (*Prov.* III, 6.)

Sapientis oculi in capite ejus. (*Eccl.* II, 14.)

Dominus non faciet avolare a te ultra doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. (*Isai.* XXX, 20.)

Levantes oculos suos neminem viderunt, nisi solum Jesum. (*Matth.* XVII, 8.)

Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. (*Matth.* XXV, 40.)

Qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit. (*Luc.* X, 16.)

Christus Jesu in vobis est. (*II Cor.* XIII, 15.)

Omnia et in omnibus Christus. (*Col.* III, 11.)

Recesserunt servuli, ut solus Dominus, qui solus designabatur Filius, videretur. (S. Ambr., lib. I *De fide*, c. 13.)

Pone me ut signaculum in cor tuum, ut signaculum in brachium tuum. (*Cant.* VIII, 6.) Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde ; in fronte, ut semper confiteamur ; in corde, ut semper diligamus ; signaculum in brachio, ut semper operemur... ipse sit caput nostrum... ipse sit oculus noster... ipse dextera... ipse quoque signaculum nostrum. (Id., *De Isaac et anima.*)

Ita conferas pauperi, ut deferas Christo. (Id., lib. VI *in Luc.*)

In hospite Christus, in paupere Christus. (Id., lib. II *Offic.*, c. 21.)

Ipsum semper loquamur : cum de sapientia loquimur, ipse est ; cum de virtute loquimur, ipse est ; cum de pace loquimur, ipse est ; cum de veritate et vita et redemptione loquimur, ipse est. (Id., *in psal.* XXXVI.)

Ad ipsum studia nostra dirigimus, ad ipsum vota nostra conferimus ; quia ipse est plenitudo, ipse est consummatio universorum. (Id., *in psal.* XL.)

Omnia plena sunt Christi. — Ad ipsum ergo omnia referenda sunt, ipsi Moyses, ipsi Aaron, ipsi etiam Patres sacrabant universa, quæ gesserant, ut de hostibus triumpharent. (Id., *in psal.* XLIII.)

Ante nos est Christus, ante nos bravium ejus... ad hunc dirige oculos tuos, averte ab omni sæculari pompa. (Id., *in psal.* CXVIII.)

Et cum Petrum legimus, Christus illuminat, et cum Paulum legimus, Christus illuminat : curavit Paulus, Christus illuminavit... Suscitavit mortuos Petrus, Christus illuminavit. — Semper meditare Christum, ejus adventum in omnibus sperato momentis, primitias actuum tuorum Christo immola. (*Ibid.*, serm. 6.)

Christum require in bonis cogitationibus, in bonis operibus, quære in noctibus, quære in cubiculo... vult enim te omnibus invigilare momentis. (Id., *Exhort. ad virginit.*)

Nos, quantum possumus, intendamus illi animum, et in illo simus ; illud animo teneamus, quod est pulchrum, decorum, bonum, ut fiat illuminatione ejus et fulgore speciosa anima nostra, et mens dilucida. (Id., epist. 29, classe 1 *Epist.*)

Sit (Christus) in medio vestrum, ut videatis eum,

ne dicatur et vobis, Medius autem vestrum stetit, quem vos non videtis... nos illum devotione conspicimus, fide cernimus. (Id., epist. 63, classe 1 *Epist.*

Qui in perfectum virum pervenerit, et meruerit ut caput ipsius Christus sit, oculos suos semper habebit ad Christum, et eos in sublime elevans nunquam de inferioribus cogitabit. (S. Hier. *in hæc verba* (*Eccle.* II, 14) : « *Oculi in capite ejus.* »)

Qui Dominum Jesum quærit, cruci indesinenter intendit, quæ occurrunt scandala, omnia præteriens, donec ad crucifixum perveniat. (In *Vitis Patrum*, lib. v, cap. 7, *De patientia.*)

Sectio nona. — *Illum in se glorificando*, etc.

Corpora vestra membra sunt Christi. (*I Cor.* VI, 1.)

Auferens membra Christi, faciam membra meretricis? absit. (*I Cor.* VI, 15.)

Glorificate et portate Deum in corpore vestro. (*Ibid.*, 20.)

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. (*II Cor.* IV, 10.)

Sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. (*Philipp.* I, 20.)

Dominum Jesum sanctificate in cordibus vestris. (*I Petr.* III, 15.)

Luceat in operibus tuis Christus. (S. Ambros., epist. 30, classe 4 *Epist.*)

Serva igitur corpus et membra Christi dignitate, qua decet... Oculi tui, oculi Christi sunt; non igitur licet tibi oculos Christi ad aliquas vanitates conspiciendas dirigere, quia Christus est veritas, cui omnis vanitas contraria est; os tuum, os Christi est; non debes, non dico, ad detractiones, non dico ad mendacia, sed nec ad otiosos sermones os aperire, quod ad solas laudes Dei et ad ædificationem proximi debes patulum habere; sic de cæteris Christi membris tuæ custodiæ commissis intellige. (S. Anselm., medit. 1, § 5.)

Sectio decima. — *Ad illius amorem omnes invitando.*

Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. (*Psal.* XXI, 23.)

Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. (*Psal.* XXXIII, 12.)

Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. (*Psal.* L, 15.)

Dixi iniquis, Nolite inique agere. (*Psal.* LXXIV, 5.)

Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? (*Luc.* XII, 49.)

Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. (*Luc.* XXII, 32.)

Confirmabant animas discipulorum, exhortantes ut permanerent in fide. (*Act.* XIV, 21.)

Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. (*Rom.* IX, 3.)

Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. (*I Cor.* IX, 22.)

Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. (*I Cor.* X, 33.)

Libentissime impendam et super impendar ipse pro animabus vestris. (*II Cor.* XII, 15.)

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. (*Galat.* IV, 19.)

Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. (*Jac.* V, 20.)

Quæ major gloria est, quam pectoribus cognitionem divinitatis infundere? (S. Ambros., *in psal.* LXIII.)

Rape ad amorem, quos potes, et dic eis : Amemus, redamemus, in quantum possumus, non inveniemus meliorem. (S. Aug.)

Sectio undecima. — *Sanctissimum ejus nomen invocando, et omnia ad ipsum pertinentia summe venerando.*

Confiteamur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est. (*Psal.* XCVIII, 3.)

Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, etc. (*Eccli.* LI, 2.)

Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat non salvos fieri. (*Act.* IV, 12.)

Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen. (*Philipp.* II, 9.)

In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et inferorum. (*Ibid.*, 10.)

Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. (*Col.* III, 17.)

Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum, quia solus pius es? (*Apoc.* XV, 4.)

Jesu nomen inferis et vitiis terrori est; ex eo itaque ornatum nobis, viresque vindicemus. (S. Chrysost., *Serm. de laude Dei.*)

Cui non aliquando stetit ante faciem salutaris nominis duritia cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem; si quidem, cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem, humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanet, et roboret adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Jesus; semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus. (S. Bern., serm. 15 *in Cant.*)

Sectio duodecima. — *Terrena omnia propter Christum arbitrando ut stercora.*

Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum?.. mihi autem adhærere Deo bonum est,

et ponere in Domino Deo spem meam. (*Psal.* LXXII, 25, 26, 28.)

Præposui sapientiam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. (*Sap.* VII, 8.)

Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. (*Matth.* XI, 27.)

Christo confixus sum cruci. (*Galat.* II, 19.)

Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. (*Galat.* VI, 14.)

Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. (*Philipp.* III, 7.)

Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo. (*Ibid.*, 8.)

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, etc. (*Col.* III, 2.)

Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo. (*Ibid.*, 3.)

Apparuit gratia Salvatoris, etc... *erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo.* (*Tit.* II, 12.)

Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. (*Hebr.* II, 26.)

Cui propter Christum totus mundus crucifixus est, et ipse Christo, quomodo potest particeps esse amplius eorum, quæ in mundo sunt? — Qui vehementer Christum sequi desiderat, is de nulla omnino vitæ hujus curare amplius potest. (S. Basil., *in Reg.* VIII, *Fusa disput.*)

Qui in via est Dei, vanitates non aspicit: via perfecta Christus est: qui igitur in Christo est, quomodo potest vanitates aspicere, cum Christus in carne sua omnes mundi hujus crucifixerit vanitates? Avertamus igitur oculos nostros a vanitatibus, ne, quod oculus viderit, animus concupiscat. (S. Ambros., *in psal.* CXVIII.)

Omnium detrimentum passus est, qui volebat Christum lucrari: Christus autem dixit: *Qui vult post me venire, abneget seipsum sibi* (*Matth.* XVI, 24), ut ipse suum detrimentum sit, quo fiat lucrum Christi. (Id., *Epist.* classe 1, epist. 2.)

Affatim dives est, qui cum Christo pauper est: perfectus servus Christi nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est. (S. Hier., *Epist. ad Heliodorum.*)

Illum attendamus Patrem, qui nunquam moritur, aut qui pro nobis moritur, et qui ideo vivens mortuus est, ut nos mortuos vivificaret. Si quid habemus de Ægypto, quod princeps mundi suum possit agnoscere, tenenti Ægyptiæ cum pallio relinquamus. (Id., *Epist. ad Fabiolam, De veste sacerdotali.*)

Horum vocem Psalmista expresserat, cum dicebat: *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 3); concupiscunt enim et non deficiunt, qui jam quidem cœlestia appetunt, sed adhuc tamen a terrenorum delectationibus minime lassantur; concupiscit vero, et in atria Dei deficit, qui, cum æterna desiderat, in amore temporalium non perdurat. (S. Greg., lib. VIII Moral., c. 19.)

Præoccupatum sæcularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias, quæ sursum sunt, et quæ super terram. Felices illi, qui soli jam Deo vivunt, soli vacant, intelligendo, diligendo, fruendo! (S. Bern., serm. 6, *De ascensione.*)

Sectio decima tertia. — *In omnibus Christo conformando se, seque penitus abnegando.*

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum... et sequatur me. (*Matth.* XVI, 24.)

Prædestinavit nos Deus conformes fieri imaginis Filii sui, ut ipse primogenitus in multis fratribus. (*Rom.* VIII, 29.)

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis. (*Galat.* V, 24.)

In ipso edocti estis, si tamen illum audistis, deponere vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: renovamini autem spiritu mentis vestræ, induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. (*Ephes.* IV, 21-24.)

Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. (*Philipp.* II, 5.)

Exspoliantes veterem hominem... et induentes novum. (*Col.* III, 9, 10.)

Si quis in Christo est, nova creatura est, non naturæ novitate formatus, sed gratiæ; vetera, quæ secundum carnem erant, transierunt; facta sunt omnia nova. (S. Ambros., *Epist.*, classe 1, epist. 39.)

Omnia ergo, dulcissime Deus, hoc mihi tecum pactum erit; plane moriar mihi ipsi, ut tu solus in me vivas, totus intra me silebo, ut tu loquaris in me; totus quiescam, ut tu solus opereris in me. (S. Aug., serm. 112, *De tempore.*)

Quia Christus nova creatura est secundum Scripturas, eam ob causam nos quoque illum in nobis ipsis accepimus, ut per sanctam ejus carnem et sanguinem in vitæ novitatem per ipsum et in ipso reformati deponamus veterem hominem. (S. Cyril. Alex., lib. XII *De adoratione in spiritu et veritate.*)

Qui... vult sequi Christum Jesum, laboret primo, ut abneget semetipsum. Merito ergo debemus nos abnegare, cum nihil juris habeamus in nobis... cur non abnegaremus nos, qui nostri non sumus?... sicut omnes et totos redemisti (Domine) sic et omnes et toti tui sint. Qui vult salvus esse, restituat tibi illum pretiosissimum sanguinem, quem pro eo fudisti... Cur ibi non vivemus nos penitus abnegando, a quo habemus quod æternaliter mortui non

sumus ? si tu es vita nostra, nulli alii vivere debemus, sicut nullo alio subsistere valemus... Qui se totum abnegat, ut Deum habeat... qui sibi nihil est, ut tibi aliquid sit... nihil tui amittere timet, sed semper securus est te, quod tuum est, conservare. (S. Anselm., *De mensuratione crucis*, c. 4.)

CAPUT XIV.

Singularis erga beatam Mariam Virginem amor.

ART. I. — *Quid sit Maria Virgo.*

Sectio prima. — *Quid sit respectu sanctissimæ Trinitatis.*

§ I. — *Æterni Patris filia.*

Thesaurus dilectionis Dei ac Patris. (*Method. orat.* in Hypapant. apud P. Combefis, Bibl. PP. tom. VI.)

Unigenita ac primogenita. (S. Damasc. orat. 1, *De Nativ. Virg.*)

Æterni Patris filia nobilissima. (S. Bonav., in *Speculo*, lect. 10, circa init.)

Filia prædilecta Patris æterni. (S. Laurent. Justin., *Serm. de Nativ. Virg.*, n. 6.)

§ II. — *Verbi incarnati parens.*

Mater Dei, Christi, misericordiæ, vitæ. (SS. PP., passim.)

Tabernaculum Regis pacis, qui factus est Sacerdos Pacis. (Dionys. Alex., *Epist. contra Paulum Samosat.*)

Cubiculum incarnationis Verbi. (S. Greg. Neocæsar., orat. 3, *De Annunt.* circa med.)

Domicilium Verbo dignum. (Id., orat. 3, *De Annunt.*, circa med.)

Thronus regalis, Sanctum sanctorum. (S. Greg. Thaumat., serm. 1, *De Annunt.*)

Virga florens Aaronis. (S. Ephrem. *De laudibus Virg.*; S. Hildefons., serm. 6, *De Annunt.*, circa init. : S. Bonav., *Spect. B. M.*, lect. 9, ante med.)

Domus Sapientiæ æternæ. (S. Hier., *in Isa. ad illud* (ỳ 14) : « *Propterea dabit Dominus ipse vobis signum,* » etc.)

Thalamus, in quo sibi Verbum carnem desponsavit. (Proclus Constantinop., orat. 1 *in S. Deip.*, post init.)

Armarium vitæ. (Chrysipp. presbyt., *Orat. Deip.*, post init.)

Spiritualis novi Adami paradisus, in quo consitum est lignum vitæ. (*Gen.* II; Joan. Damasc., orat. 2, *De Assumpt. Virg.*, post init.)

Fons lucis. (Id., orat. 1, *De Nativ. Virg.*)

Scala cœlestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit; et homo, qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit. (S. Petr. Dam., serm. 3, *De Nativ.*, ante med. edit.)

Lignum vitæ. — Via, per quam Salvator advenit. (S. Bernard., serm. 2, *De Adventu*, ante fin.)

Officina, in qua Verbum caro factum est. (Arnold. Carnot., *De tertio verbo Dei in cruce.*)

Arbor salutis. (S. Bonav., in *Spec.*, lect. 16, circa med.

§ III. — *Spiritus sancti Sponsa.*

Sponsa cœlestis. (S. Epiphan., *De laud. Virg.*; S. Germ. Constantinop., *in Annunt. B. M. V.*, circa init.)

Aula Spiritus sancti. (S. Hildefons., serm. 8, *De Assumpt.*, circa med.)

Nova gloriæ arca, in qua descendens Spiritus Dei requievit. (And. Cret., *Orat. in salut. angel.*)

Sacrarium Spiritus sancti. (S. Bern., serm. 4, *De Assumpt., post med.*; S. Hildefons., serm. 3, post med., et serm. 6, *De Assumpt.*, circa init.)

§ IV. — *Totius Trinitatis deliciæ.*

Divitiæ Deitatis. (Origen., hom. 1 *in Matth.*, *at.* in diversos.)

Sanctuarium Dei. (S. Greg. Thaumat., serm. 3, *De Annunt.*, circa med.)

Tabernaculum Altissimi. (*Method. orat.*, de Hypapante, apud P. Combefis in *Bibl.* concion., tom. VI; Dionys. Alex., *Epist. contra Paulum Samosat.*)

Cœlum Divinitatis. (S. Epiphan., serm. *De laud. Mariæ.* — Templum Divinitatis, S. Epiphan., *Orat. de Deip.*, in fin.; S. Hildefons. serm. 3, *De Assumpt.*, post init.)

Thronus divinitatis. (Id., *Orat. de laud. Deip.*,

Sponsa individuæ Trinitatis. (Id., *De laud. Mariæ.*)

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. (*Psal.* LXVII; S. Athanas., *De interpret. parabolar. Script.*, q. 85.)

Vas Dei præclarum et electum. (S. Ephrem., *De laud. Virg.*, circa med.)

Templum Deo dignum. (S. Basil. Seleuc., orat. 39; S. Damasc., lib. IV *De fide*, c. 15, circa med.)

Fons signatus sigillo totius Trinitatis. (Sophron., *Serm. de Assumpt. ad Paulam et Eustoch.*)

Requies Dei. (Chrysipp., *Serm. de sancta Maria*, ante med.; Bonav., in *Spec.*)

Receptaculum Dei. (Sergius Hieropolit., *hom. De Nativit. Theoph.*, hymn. *De Annuntiat.* in fin.)

Consecrans sibi (Deus) in ea reclinatorium aureum, in qua sola se post tumultum angelorum et hominum reclinaret, et requiem inveniret. (S. Petr. Damian., *Serm. de Annunt.*, circa init.)

Solium Divinitatis. (Id., serm. 2, *De Nativ. Virg.*, longe ante fin.)

Domus Majestatis Dei. (Richard. a S. Laurent., lib. II, *De laud. Virg.*; *Isa.* LX, 7.)

Gloria Domini. (S. Bonav., in *Spec.*, lect. 14, post med.)

Totus Dei et Angelorum thesaurus erat in Maria. (*Ibid.*, c. 7.)

Aula summæ Trinitatis. (Id., in *Psalterio minori*, in 1 quinquagena, longe post init.)

Palatium Dei. (S. Taulerus, *Serm. de Annunt.*, ante med.)

SECTIO SECUNDA. — *Quid sit respectu Ecclesiæ, cleri et fidelium.*

§ I. — *Ecclesiæ decus et præsidium.*

Præclarissimum cœlestis hierarchiæ ornamentum. (S. EPHREM., *De laud. Deip.*)

Typus Ecclesiæ sanctæ. (S. AUG., serm. 5, *De Natali Domini.*)

Diadema Ecclesiæ. (PROCLUS, orat. 6, *De Virg.*, in fin.)

Nutrix Ecclesiæ. (SALVIAN., lib. IV, *De Ecclesia cathol.*)

Cor Ecclesiæ. (HESYCH., in *Catena Græca*, supra *psal.* XLIV, apud. Lorin., *in psal.* XLIV.)

In ea erat forma omnium Ecclesiarum Dei. (S. HILDEFONS., serm. 3, *De Assumpt.*, ante fin.)

Sicut Deus sua potentia parando cuncta Pater est et Dominus omnium ; ita B. Virgo suis meritis cuncta reparando Mater, Domina rerum. (S. ANSELM., vel potius juxta monachos Bened. LADMERUS monach., *De excell. V. M.*, c. 11, sub fin.)

Dux prævia Ecclesiæ. (HONOR. Augustod., in *Sigillo Mariæ*, c. 4.)

Collum Ecclesiæ jungens Christo capiti aureo corpus suum, quod est Ecclesia, (RICHARD., lib. II, c. 2, longe ante fin. ; S. LAURENT., lib. II ; et apud Raynaud. in suo *Nomencl. mar.*)

Lucerna Ecclesiæ. (S. BONAV., in *Spec.*, lect. 3, circa med.)

§ II. — *Sacerdotum et totius cleri Regina.*

Magistra religionis. (S. IGNATIUS, epist. 1 ; RUPERT., lib. V, *in Cant.*, init.)

Velut sacerdos pariter et altare. (S. EPIPHAN., *Serm. de laud. Deip. dub.*)

Apostolorum præconium. (S. EPHREM., *De laud. Deip.* circa init.)

Gloria et lætitia omnium sacerdotum. (ID., *Serm. de laud. B. Virg.*)

Templum, in quo Deus sacerdos effectus est. (S. PROCLUS., arch. Constans., orat. 1, *in S. Deip.*, ante med.)

Ephod sacerdotale. (PROCLUS, orat. 6, *De S. M.*, ante fin.)

Virga sacerdotalis. (ANDREAS Cret., orat. 2, *in Nativ. B. M.*) ; S. GERM. CP. (*Orat. in Nativit. B. Mariæ*, alio interprete nempe Scoto, Soc. J.)

Cornu, in quo unguentum unctionis. (IBID. ; S. GERM. C. P., *Orat. de præsent.*)

Gloria sacerdotum. (S. DAMASC., orat. 1, *De nativ. Virg.*, sub fin. ; S. EPHREM., orat. 1, *De laud. B. Virg.* ; ANDREAS Cretens.)

Per illam regnum sacerdotii opibus auctum est. (ID., serm. 1 *in Nativ. B. M. V.*)

Magistra magistrorum, id est apostolorum. (RUPERT., lib. 1, *in cant.* longe ante med., *ad illa verba* (I, 6) : « *Indica mihi, quem diligit anima mea.* »)

Doctrix apostolorum. (S. BONAV., hymn. : *Te matrem Dei laudamus*, etc., in fin. *Psalter. B. V.*)

Doctrix doctorum. (RAYMOND. JORDAN. in *Contempl.*, c. 3.)

§ III. — *Vita justorum, dulcedo pœnitentium, spes peccatorum.*

Domina omnium Christianorum. (*Synod.* 7, act. 4, in fin. ; S. GREG. *Epist. ad Germ. CP.* ; *Conc. Later.*)

Firmamentum fidelium. (S. GREG. Thaum., serm. 2, *De Annunt.*, ante med.

Viventium mater. (S. EPIPHAN., hæres. 78, n. 18.

Fons gratiæ et totius consolationis. (S. EPHREM., *De laud. Deip.*, ante fin.)

Omnium Christianorum præsidium. (ID., *Orat. ad B. V.*)

Salus firma universorum Christianorum sincere ad ipsam récurrentium. (ID., *De laud. Deip.*)

Unica spes desperantium. (ID., *Orat. ad B. V.*, circa init.)

Tutissimus naufragantium portus. (ID., *De laude Mariæ.*)

Captivorum redemptio. — Peccatorum et auxilio destitutorum unica advocata atque adjutrix, ac refugium et diversorium. — Spes sæcularium. — Animarum medela. (ID., *De laud. Deip.*)

Propugnatrix omnium Christianorum Domina. (S. GREG., *Epist. ad Germ.*)

Propugnaculum fidei Christianæ eorumque propugnatrix, qui in te spem posuerunt. (ANDR. Cret., *Orat. de dormit.*, orat. 3, sub. fin.)

Spes fidelium (S. HILEPHONS., serm. 9, *De Assumpt.* post init.)

Solatium Christianorum. — Spiritus et vita Christianorum. (S. GERM. C. P., in *Encomio zonæ Virg.*, post med.)

Civitas refugii. (S. DAMASC., orat. 2, *De dormit. Virg.*, longe ante fin.)

Non timebo.... solam habens ut thoracem protectionem tuam et omnipotens auxilium tuum. (COSMAS Hier. *Hym. in feria* 5.

Pons securus Christianorum. (THEOD. Studita, in *Canone*, ode 7.)

Et justis et peccatoribus fideliter invocantibus se præsto est, et nunquam eis opitulari desistit. — Data est tibi omnis potestas in cœlo et in terra.... accedis non solum rogans, sed imperans ; Domina, non ancilla. (FULBERT., serm. 1, *De nativit. M. B. V.*, sub. fin.)

Quis scit quoties refrigeras iram judicis ? in manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini. — Quomodo illa potestas tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum reconciliationis altare non solum rogans sed imperans, domina, non ancilla. (S. PETR. DAMIAN., serm. 1 *in Nativ. B. M. Virg.*)

Ut impossibile est quod illi, a quibus Virgo Maria oculos suæ misericordiæ avertit, salventur ; ita necessarium quod hi, ad quos convertit oculos suos pro

eis advocans, justificentur et glorificentur. (S. Anselm. apud. S. Anton., in p. IV, tit. 15, c. 14, § 7, init.)

Hoc procul dubio teneas quia, quanto altior et melior ac sanctior est omni matre, tanto clementior et dulcior est circa conversos peccatores et peccatrices. (S. Greg. VII Pap., lib. I, epist. 47, *Ad Methild.*)

Mater Christianorum. (Rupert., lib. VII *in Cant.*)

Ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujuscunque modi necessitatem aperta est nobis urbs confugii; sinus matris expansus est. (S. Bern., serm. 9 *in psal.* XC : *Qui habitat.*, ante fin.)

Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suavis est. (Id., serm. *in illud : Apoc.* XII, 1) : « *Signum Magnum.* »

Dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transiisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas novem mensibus corporaliter requievit? (Id., serm. 1, *De Assumpt.*, circa med. S. Bonav., *Spec. Virg.*, c. 14.)

Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi memi nerit defuisse. (Id., serm. 4, *De Assumpt.*, ante fin.)

Maria omnibus omnia facta sapientibus et insipientibus copiosissima, charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, etc. (Id. *Serm. in sign. magn.*)

Quia indignus eras, cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes quidquid haberes. (Id., serm. 3 *in Vigil. Nativ. Domini*, sub. fin.)

Omnium salutem desideravit, quæsivit et obtinuit; imo salus omnium per ipsam facta est : unde et mundi salus dicta est. (Richard. a S. Vict., c. 26 *in Cant.*, ante med.)

Duo ubera tua sicut duo hinnuli. (*Cant.* IV, 5.) Adeo pietate replentur ubera tua, ut, alicujus miseriæ notitia facta, lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire et non subvenire. (*Ibid.*, c. 23, ante fin.)

Communem in salute mundi cum Christo effectum obtinuit. (Arnold. Carnot., *De laudib. M.*, post init.)

Securum accessum jam habet homo ad Deum, ubi mediatorem causæ suæ filium habet ante Patrem, et ante Filium Matrem : Christus, nudato latere Patri ostendit latus et vulnera; Maria Christo pectus et ubera : nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt et orant omni lingua disertius hæc clementiæ monimenta et charitatis insignia. (Id., *De laud. Deip.*, circa init.)

Ipsa Virgo est aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol : luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die; nox autem est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergo jacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam... Quis enim de nocte invocavit eam, et non est exauditus ab ea ?... qui vere ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam; quis enim, etc. (Innoc. III, serm. 2, *De Assumpt.*, sub fin.)

Mamilla parvulorum. (S. Bonav., in *Litaniis.*)

Non solum mater, sed etiam medicina facta est miserorum. (Id., *Stim. amor.*, p. III, c. 19, ante med.)

Reis suis te Dominam Dei nostri benignitas tribuit advocatam, ut a filio tuo inter nos et ipsum judicem constituta, quid volueris pro nobis, valeas impetrare. (*Ibid.*, p. III, c. 19, ante fin.)

Certe Domina, cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno; nam pro miseris Mater Dei facta, misericordiam insuper genuisti, et demum tibi officium miserendi commissum. — Undique misericordia vallaris : solum misereri tu videris appetere. (Id., *Spec. amor.*, p. III, c. 19.)

O incogitabilis virtus Virginis Matris ! Una mulier Hebræa fecit invasionem in domo Regis æterni; una puella, nescio quibus blanditiis, nescio quibus violentiis, decepit, et, ut ita dicam, vulneravit et rapuit divinum cor, et divinam sapientiam. (S. Bern., serm. 5, art. unic., c. 4.)

Divino imperio omnia famulantur et Virgo, et imperio Virginis omnia famulantur et Deus. (*Ibid.*, c. 6.)

Caput fidelium. (Tostat., *Paradis.* lib. I, c. 31.)

Auxilium Christianorum. (Pius V, in *Litaniis.*)

Sectio tertia. — *Quid sit respectu sui.*

§ I. — *Purarum creaturarum perfectissima.*

Virginum corona. — Præstantissimum universi orbis terræ miraculum. (S. Ephrem., *De laud. Deip.*)

Templum pudoris. (S. Ambros., *De instit. virg.*, c. 5.)

Civitas animata Regis Christi. (S. Germ. CP., *Encom. in zonam Deip.*)

Tuæ magnitudinis non est finis (*Psal.* CXLIV, 3; *orat. in Dormit. Deip.*)

Viva Dei imago. (Joan. Damasc., *Orat. de nat. Virg.*)

Dei ac Verbi spirans ac purissima pars. (S. Germ., CP., *Orat. in nativ. B. M. V.*)

Tota Deifica. (Rich. a S. Laur., lib. V *De laud. B. V.*)

Miraculorum officina. (S. Damasc., *Orat.* 1, *De nativ. Virg.*, ante med.)

Sacrarium plenitudinis totius divinitatis. — Non est factum simile opus in universis regnis. (S. Petr. Damian., serm. 3, *De Nativ.*)

Veræ primitiæ mirandorum operum Christi. (S. Anselm., hymn. p. 2, *De festis B. Virg.*)

Negotium omnium sæculorum. (S. Bern., serm. 2, *De Pentec.*, ante med.)

Illum Deus tanquam mundum specialissimum sibi creavit. (Id., *Serm. de B. Virg., in illud Luc.* I, 28 : « *Ave Maria,* » etc.)

Tota miraculum. (Guerric., serm. 3, *De Annunt.*, circa med., apud S. Bern.)

Radius Deitatis. (S. Bern. creditus, *Med. in Salve Reg.* post. med.; S. Bonav., *in « Salve Regina, » Stimul. amoris*, p. III, c. 19, longe ante fin.)

Opus Domini. — Mirabile Dei opus. (S. Bonav. in *Specul.* lect. 7, ante fin.)

Plusquam martyr. (Id., *Spec. B. Mariæ*, lect. 4, circa med.)

Soli Deo cognoscenda reservatur (illius scilicet perfectio) juxta illud : (*Eccli.* I, 9) *Ipse creavit illam in Spiritu sancto*, vidit, dinumeravit et mensus est, scilicet ipse solus Deus. (S. Bern., serm. 4, *De Concept. B. M.* art. 3, c. 1, sub fin.)

§ II. — *Apud Deum mediatrix potentissima.*

Propitiatorium. (*Method. in Hypapante*, post init., apud P. Combefis in *Bibl. PP., Concion.*, t. VI.)

Non nobis est alia, quam in te fiducia, Virgo sincerissima. (S. Ephrem., *De laud. B. M.* circa med.)

Officina divinorum cum hominibus contractuum. (And. Cret., orat. 1, *in Dormit. Deip.*, ante fin.)

Mediatrix legis et gratiæ. (S. Guer. Constant., *Orat. de nativ. B. M.*)

Solatium nobis unicum in terra. (S. Damasc., in *Hymno Assumpt.*)

Mediatrix ad meditatorem. (S. Bern., *Serm. in signum magnum*, circa init.)

Mater summæ misericordiæ. (Curric. abb., serm. I, *in Purific. Virg.*, apud S. Bern.)

Adjutorium Altissimi. (Hugo, *in psal.* XC.)

Solium divinæ misericordiæ, (*Isa.* XVI; S. Bonav., *Specul. Mariæ*, lect. 9, ante med.)

Fidelissima inter Deum et mundum mediatrix. (S. Bonav., *Specul. Mariæ*, lect. 9, post med.)

Abyssus in bonitate et misericordia. (Id., *Spec. Virg.*, lect. 5.)

Omnium fidelium piissima advocatrix. (Thom. a Kempis, *Soliloq. animæ*, c. 24, n. 1, in fin.)

ART. II. — *Quantum cultus Deiparæ clerum deceat.*

Sectio prima. — *Quia in gloriam Dei redundat.*

Considero te in cruce de Matre sollicitum... maternos moveris affectu, et thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendans, et provides sedulo benedictæ inter mulieres, apostolicam clientelam et obsequium Virginis virgini discipulo tradis. (*De Pass. Christi*, post med., inter Oper. S. Cypr.)

Nulli dubium quin totum ad gloriam laudis ejus pertineat, quidquid digne Genitrici suæ impensum fuerit atque solemniter attributum. (Sophron., *Serm. de Assumpt.* longe ante med., inter Oper. S. Hieron.)

Beatæ Virginis honor et gloria, laus et gratiarum actio est Redemptoris. (S. Hildephons. Toletan., serm. 3, *De Assumpt.* paulo post init.)

Totus honor impensus Matri sine dubio redundat in gloriam Filii. (Rupert., lib. VI *in Cant.*, ante med.)

Filii gloriam cum Matre non tam communem judico, quam eamdem. (Arnold. Carnot., *De laud. Deip.*, circa med.)

Illius debitæ venerationis summa ad Christum respicit. (*Ibid.* init.)

Totum ad gloriam et laudem Dei pertinet, quidquid digne Genitrici suæ fuerit impensum. (S. Bonav., *Spec. B. M.*, in Prol., init.)

Sectio secunda. — *Quia clero et Ecclesiæ multorum bonorum fons est.*

Cum ipsa totus gratiæ thesaurus reconditus erat. (Serm. I, *De Annunt.*, circa med., inter Oper. S. Greg. Thaumat.)

Sacrosancta Virgo. (S. Epiphan., hæres. 78, n. 11.)

In Christo fuit plenitudo gratiæ tanquam in capite influente ; in Maria vero sicut in collo transfundente. (S. Hier. apud S. Bern., serm. 3, a. 3, c. 2.)

Congregationes aquarum appellavit Maria. (S. Petr. Chrysol., serm. 146.)

Singulis gratia se est largita per partes ; Mariæ vero se totam dedit gratiæ plenitudo. (Id., serm. 143 ; Hier., *Serm. de Assumpt.*, ante med.)

Cæteris electis ex parte gratia datur, huic vero Virgini tota se infundit plenitudo gratiæ. (S. Hildephons., serm. 6, *De Assumpt.*, post med.)

Nemo donum per misericordiam consecutus est nisi per te. (S. Germ. CP., orat. 2 *in Dormit. Deip.*, ante med.)

Munus omnium Dei donorum præstantissimum simul et charissimum. (S. Damasc., orat. I, *De B. V. dormit.*, longe post init.)

Pelagus gratiarum. (Id., orat. 1, *De nativit. Virg.*, longe ante fin.)

In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini. (S. Petr. Dam., serm. 1, *De nativ. Virg.*)

Deus nos totum habere voluit per Mariam. (S. Bern., *Serm. de nativ. M. V.*)

Si quid gratiæ, si quid spei in nobis est, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. (Id., *Serm. de aquæductu.*)

(In) omnium gratiarum fluxus quamdam jurisdictionem habuit Virgo Maria, de cujus humero quasi de quodam divinitatis Oceano rivi et flumina emanabant omnium gratiarum. (Id. serm. 5, *De Nativ.*, c. 8.)

Omnibus omnia facta cunctis charitate copiosissima se debitricem fecit : omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, etc., ut non sit, qui se abscondat a calore ejus. (*Psal.* XVIII, 7.) (Id., *De verbis Apoc.* XII, 1 : *Sign. mag.*)

Huic distillantibus cœlis tota se infundit plenitudo divinitatis, adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui vere sine ipsa non aliud, quam terra arida sumus. Huic quoque Gedeonico facto propheticum dictum pulchre satis convenire videtur ubi dicitur : *Descendet sicut pluvia in vellus ;* nam per hoc, quod sequitur: *Et sicut stillicidia stillantia super terram* (*Psal.* LXXI, 6), etc. (Id., serm. 2, *super « Missus est, »* ante med.

Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, agnosce consilium pietatis... redempturus humanum genus pretium universum contulit in Mariam (Id., *Serm. in nativ. Mariæ*, post init.)

Nihil nos habere voluit, quod per *Mariæ manus non* transiret. (Id., serm. 3, *in vigil. Nativ. Domini*, in fin.)

Deus redempturus humanum genus pretium universum contulit in Maria. (Id., *Serm. de aquæductu*, longe post med.)

Quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria est, hoc Mariæ, hoc in Maria, hoc per Mariam est. (S. Bonav., *Specul. B. V.* lect. 6.)

Maria fuit plena perfectione universalis Ecclesiæ. (*Ibid.*, c. 7, post med.)

Maria dicitur mare propter affluentiam et copiam gratiarum : unde scriptum est in *Ecclesiaste* (I, 7) : *Omnia flumina intrant in mare.* Flumina sunt charismata Spiritus sancti : unde Joannes dicit (VII, 38) : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ :* hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia charismata sanctorum intrant in Mariam ; flumen enim gratiæ angelorum intrat in Mariam, et flumen gratiæ patriarcharum... flumen gratiæ apostolorum, etc. — *Omnia flumina intrant in mare*, id est, omnes gratiæ intrant in Mariam : unde ipsa optime dicere potest illud (*Eccl.* XIV, 25) : *In me omnis gratia viæ et veritatis, et in me omnis spes vitæ et virtutis.* (S. Bonav., *Spec. Mariæ*, lect. 3, post init.)

De ejus plenitudine omnis creatura virescit. (*Ibid.*, c. 7, in fine.)

Omnia in Filio possidet. (S. Bernardin., serm. 3, a 1, c. 3.)

Thesauraria gratiarum. (Raym. Jordan., in Prolog. *Contemplat. B. M.*)

Adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum et cœlestium donorum. (Idiot., *Contempl. de B. V.*, c. 2.)

§ I. — *Peccata destruit.*

Credidit Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli : quidquid illa crédendo deliquit, hæc credendo delevit. (Tertull., *De Incarn. Christi*, c. 17.)

Per te speramus delictorum veniam. (S. Aug., serm. 18, *De sanctis*, sub fin.)

Titulus nostræ libertatis nobilissimus. (S. Hildef., *De virg. Mariæ*, c. 12, post init.)

Solutio vinculorum. (S. Germ. Const., *Encom. in Præsent.* sub fin.)

Insanabilium vulnerum medicina. (Id., *Encom. in Deip.*, sub fin.)

Ad hunc beatitudinis cumulum Virgo sancta devenit, ut communem cum Christo in salute mundi effectum obtineat. (Arnold. Carnot., *De laud. Deip.* post init.)

Arbor salutis. (S. Bonav., *Specul.*, lect. 16, circa med.)

O Virginis amor, virgineum facis jam multa sorde pollutum! (Id., *Stimul. amor.*, p. III, c. 16.)

Quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariæ. (Id., *Spec. Virg.*, lect. 14, circa init.)

Gaude, quæ abtersisti vitii commenta nefandi. Humens humani spongia ut ingenii. (Joan. Geometra, hymno 3.)

§ II. — *Hæreses debellat.*

Sceptrum rectæ doctrinæ. (S. Cyril. Alex., *Hom. contra Nestorium*, in *Conc. Ephes.*)

Virgo sola interemit universam hæreticam pravitatem. (Sophron., *Serm. de Assumpt.*, longe post init., inter Opera S. Hieron.)

Ipsa est quondam a Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura. (*Gen.* III.) Sola enim contrivit hæreticam pravitatem. (S. Bern., *serm. in Sign. mag.*, longe post init.)

Per eam, tanquam per mare, transeunt veri Israelitæ ad portum felicitatis æternæ, Ægyptiis submersis, quia ipsa universas hæreses interemit. (Richard. a S. Laurent., lib. I, c. 3, longe post med., inter Opera Alberti Magn.)

Sola interemit universam hæreticam pravitatem. (S. Bonav., *Spec. amor.*, p. III, c. 19, ante med. ; S. Bern., *Serm. in Sign. magn.* ; Rupert., lib. I *in Cant.*, circa med.)

Cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. (*Breviar. Rom.*, in *Offic. B. V.*)

§ III. — *Diaboli regnum exscindit.*

Ipsa conteret caput tuum. (*Gen.* III, v. 15.)

Per illam dæmones fugantur, diabolus tentator e cœlo decidit. (S. Cyrill. Alex., *Hom.* in *Conc. Ephes.*, act. 1.)

Tu nequissimi hostis contra servos tuos invasiones, sola tui nominis invocatione sanctissima repellens, totos atque incolumes servas. (S. Germ. CP., *Orat. in zonam Virginis.*)

Deipara profligatio dæmonum. (S. Damasc., orat. 2, *De Assumpt. B. M.*, longe ante fin.)

Reparatrix perditi orbis. (S. Anselm., *De excellent. Virg.*, c. 9, init.)

Per te cœlum repletum, infernus evacuatus est. (S. Bern., serm. 4, *De Assumpt.*, sub fin.)

Tenebrarum principibus terribilis. (Richard. a S. Victor., c. 26, *in Cant.*, post med.)

Defensatrix contra dæmones. (S. Bonav., *Specul.*, c. 11, longe post med.)

Gloriosum et admirabile est nomen tuum. Qui illud amant, non expavescent in puncto mortis. Ab invocatione nominis tui trepidat spiritus malignus. Pax multa invocantibus nomen tuum, mater Dei. (Id., *in psal.* CX et CXVIII.)

Benedixit te Dominus in virtute tua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Inimici nostri sunt dæmones, quos B. Virgo ad nihilum redegit ;

dum et in se et in multis aliis vires eorum confregit, sicut B. Bernard. testatur, dum ait : Tu Bellatrix egregia. Et infra. : Omnis ante faciem tuam militia nequitiarum spiritualium in fugam conversa est. (Id., *Spec. B. M.*, lect. 14, post med.)

Dæmones, audito nomine Mariæ, statim relinquunt animam quasi territi. (*Revel. S. Brigit.* lib. I, c. 9, sub fin.)

Fuga dæmonum. (S. Laurent. Justin., *Serm. de Annunt.*, n. 2.)

Pavor spiritualibus nequitiis. (Id., *De casto connubio*, c. 9, n. 4.)

§ IV. — *Ad Christum peccatores attrahit, et ipsi reconciliat.*

Hæc suos accersens infantulos sancto lacte, nempe verbo infantili, enutrit. (S. Clem. Alex., *Pædag.*, lib. I, c. 6, longe post med.)

Quisquis perfectus est, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus. De eo dici potest Mariæ : *Ecce Filius tuus.* (Origen., Præfat. *in Joan.*, ante med.)

Ave, esca spiritualis hami ; in te si quidem hamus divinitas. (S. Epiphan., *De laud. Deip.*, ante med.)

Optima totius orbis reconciliatrix efficacissima. (S. Ephrem., *De laud. Deip.*)

Commune propitiatorium. (And. Cret., orat. 2, *De dormit. Virg.*, ante fin.)

Filioli mei, peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ : quid enim? Potestne filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. *Invenisti*, ait Angelus, *gratiam apud Deum.* Feliciter semper hæc inveniet gratiam. (S. Bern., *Serm. de nativ. Virg., de aquæductu*, ante med.)

Altare placationis. (Richard a S. Laurent., lib. II, c. 5, longe post med.)

Raptrix cordium, obserptrix mentium. — Amatrix animarum. — Venatrix animarum. — Non ingravidat suo affectu, et Deo nostro nos imprægnat. — Per te, Domina, franguntur vincula, animus inflammatur, liquescit pectus, dulcescit gustus, decoratur aspectus, desponsatur peregrina, traducitur sponsa, resolvitur anima. (S. Bonav., *Stimul. amor.*, part. III, c. 16.)

§ V. — *Virtutum omnium amorem æternæque salutis desiderium inspirat.*

Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. (*Prov.* VIII, 35.)

Domicilium castitatis. (S. Zeno Veron., martyr., serm. 3, *De Nativ.*)

Rectæ fidei expressa forma. (Proclus. CP., hom. 6, in fin.)

Rubus ardens igne spiritali. — Radix bonorum omnium. (Chrysip., presb. Hieros., *Serm. de B. V.*, post init.)

Nemo salvus nisi per te. — Nisi tu iter aperires, nemo spiritalis evaderet. (S. Germ. CP. *Orat. in dormit.*)

Sicut, o Beatissima, omnis a te aversus et a te despectus, necesse est ut intereat ; ita ad te omnis conversus et a te respectus, impossibile est ut pereat. (S. Anselm. apud Bonav., *Pharet.* lib. I, c. 5, in fin.)

Vis amoris, torrens voluptatis. (Rupert., lib. I *in Cant.*, init.)

Virtutum operatrix, ac totius sanctæ magistra religionis. (Id., lib. IV *in Cant.*, ante fin.)

Turris Libani cum propugnaculis. (*Cant.* IV, 4.) Creditus Bern., serm. 4, *in « Salve Regina, »* ante med.

Adjutorium Altissimi ad salvandas animas. (Hugo Card., *in psal.* XC.)

Te orthodoxi omnis Christiani flatus ac respiratio ore profert ac enuntiat. (Id.)

Fons amoris. (S. Bonav., *in prosa « Stabat Mater. »*)

O Virginis amor, divinum reddis amantem! (Id., *stimul. amor.* p. III, c. 16, post med.)

Quem vis, salvus erit ; et, a quo avertis vultum tuum, vadit in interitum. (Id., *Cant. ad Virg. Mariam*, cant. 5.)

Qui digne coluerit eam, justificabitur ; qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis. (*Ibid., Psalt. V. M.*, psal. CXVI.)

O Maria, o Sara nostra! Dic quod sis soror nostra, ut propter te bene nobis sit a Deo, et ob gratiam tui vivant animæ nostræ in Deo. (Id., *Spec. Mariæ*, lect. 6, post med.)

Ad ipsam igitur Virginem tanquam ad speculum et exemplar Christianæ vitæ semper respicere debent. (S. Bernardin., serm. 4 *De concept. B. Virg.*, a. 2, c. 4.)

ART. III. — *Quis Deiparæ cultus debeatur?*

Sectio prima. — *Justo et rationabili obsequio colenda est.*

Quia laudare digne nequimus, quia ea inferior est nostra laus, veneremur et amemus, quantum possumus. (S. Hildefons., serm. 1 *De Assumpt.*, ante fin.)

Oportebat Dei Matrem ea, quæ Filii erant, possidere, atque ab omnibus rebus conditis ut Matrem Dei adorari. (S. Damasc., *Orat. de nativ. B. V.* ; serm. 2 *De Assumpt.*, ante fin.)

Honor Reginæ judicium diligit. Virgo regia falso non gaudet honore, veris cumulata honorum titulis infulis dignatum. (S. Bern., epist. 174.)

Ipsa tales quærit, qui ad eam devote et reverenter accedant ; hos diligit, hos nutrit, hos in filios suscipit. — Accedat ut salutet, qui vult catenari amore. (S. Bonav., *Stim. amor.*, p. III, cap. 16.)

Sectio secunda. — *Tenero cordis affectu diligenda.*

Ego diligentes me diligo. (*Prov.* VIII, 17.)

Curemus ut mentem memoriamque nostram Dei genitricis promptuarium efficiamus. (S. Damasc., orat. 2, *De Assumpt.* in fin.)

Qui in dilectionis (erga Mariam) suavitatem trans-

it, non diffitendum quin et in retributionis ejus participium transiturus sit. (S. Anselm., *De excell. Virg.*, c. 4, ante fin. Eadmero tribuitur hic liber a monach. Bened. Habetur ad calcem Operum S. Anselm.)

Agnoscit certe (Virgo), et diligit diligentes se (S. Bern., serm. 1, *in « Salve Regina, »* circa init.)

O beatus, qui de tam nobili matre lætatur, ipsam corde amplectitur. (S. Bonav., *Stim. amor.*, p. III, c. 16, post init.)

Revereri nescit amor : mihi parce, Domina, quod me amare dicam te; etenim, si non sum dignus, non es indigna amari. — Quis, o Domina, te amare desistet, cujus beneficiis gratiam et gloriam impetramus? (*Ibid.*, post med.)

Sectio tertia. — *Omnibus laudibus ornanda.*

Ut non in facili est Deum nosse aut eloqui, imo eorum numero, quæ fieri minime possunt; sic magnum Dei genitricis sacramentum omni ratione celsius est et oratione. (S. Basil. Seleuc.)

Jucundus homo, qui non satiatur laude tua. (S. Hildephons., *De Virg.*; S. Bonav., in *Psalt. Virg.*, psal. CXI.)

Beata Virgo omnium encomiorum legem excedit. (S. Joan. Damasc., *Orat. de Assumpt.*, fere init.)

Major est omni laude; hanc enim gloriam (scilicet dignis laudibus Mariam extollendi), sibi retinuit supremus Artifex. — Cujus (Artificis supremi) Virgo Mater opus est speciale, nec alteri daturus est eam (gloriam digne laudandi); quare de Maria per prophetam dixit : *Secretum meum mihi...* (*Isa.* XXIV, 16) quod intrinsecus latet, soli pervium Creatori, sed nulli cognitum creaturæ. (Richar. a S. Laurent., *De laud. B. M.*, lib. I, in Prolog. inter Opera Alberti Magn.)

Jucundus homo, qui a relatu virtutum tuarum non fatigatur. (S. Bonav., in *Psalt. Virg.*, psal. CXI.)

Quidquid humanis potest dici verbis, minus est a laude Virginis. (Gerson., serm. 3; *De concept. Virg.*, pag. 1341, versus med., edit. Antuerp., 1706.)

Sectio sexta. — *Ejus auxilium votis, precibus, et præcipue assidua ejus virtutum imitatione efficaciter exposcendum.*

Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum; sit in singulis Mariæ spiritus, ut exsultet in Deo. (S. Ambros., *in Luc.* I, 44, lib. II.)

Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium sit disciplina. — Quicunque sibi Mariæ exoptat præmium, ejus imitetur exemplum. (Id., lib. II *De Virg.*, c. 2, ante fin.)

Quid nobis prodest hanc interpellare vocibus, nisi etiam humilitatis ejus exempla teneamus? (S. Aug., serm. 35, *De sanctis*, sub fin., incerti auct.)

Exemplum perfectionis. — Forma disciplinæ Christi. (Sophron., serm. *De Assumpt.*, longe post init., inter Oper. S. Hier.)

Norma omnium virtutum. (S. Petr. Dam., opusc. 35, c. 4, sub fin.)

Prope est B. Virgo in veritate invocantibus se, præsertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate et humilitate, si tamen charitatem adjecerint, et totam spem suam post Filium suum in ea posuerint, et toto corde quæsierint. (S. Bern., serm. 1 *in « Salve Regina, »* circa init.)

Maria est speculum totius et exemplar justitiæ. (Guerric., serm. 4, *De Purif.*, circa init.)

In reparatione hominis nulli angelo, nulli homini cum eo (nempe Christo) fuit aut esse potuit communis auctoritas : cooperabatur tamen plurimum secundum modum suum ad propitiandum Deum ille Matris affectus (nempe dum stabat juxta crucem), cum tam propria, quam Matris vota charitas Christi præferret ad Patrem : cum, quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret. (Arnold. Carnot., *De verbo Christi in cruce*, post init.)

Exemplum omnium virtutum. (D. Thom., opusc. 8, ante med.)

Virgo formæ raræ. (S. Bonav., in *Psalt. minori*, in fine 1 quinqua.)

O felix, qui Matri Dei secundum posse suum nititur conformari! (S. Bonav. *Stim. amor.*, p. III, c. 16, paulo post init.)

Magistra virtutum. (S. Laur. Justin., *Serm. de nativ. Virg.*, sub fin.)

ART. IV. — *Auctoritates et exempla SS. PP. aut aliorum, qui B. M. Virginem summopere coluerunt, et sanctissimum ejus cultum toto orbe disseminarunt.*

Accepit eam discipulus in sua. (*Joan.* XIX, 27.)

Patrum præconium et decus prophetarum. (S. Ephrem., Serm. *De laud. Deip.*, post med.)

S. Ephrem tanquam sub tutela et protectione B. Mariæ totus exsistens ad illam unicam confugiebat; crebris illam lacrymis implorabat; illi procidens suppliciter deprecabatur, ut ad Christum securus pervenire posset; nec illi erat alia, quam in B. Virgine fiducia (ut ipsemet testatur iisdem verbis *Serm. De laud. Deip.*).

Quidquid dixero de te, minor laus est, quam dignitas tua meretur, etc... has laudes sileat lingua carnis, quas semper ardenter intus profert animus. (S. Aug. serm. 35, *De sanctis*, longe post init.)

Non tantum dolet anima, cum a corpore avellitur quantus dolor est te immaculata privari (29). (S. Germ. CP., *Orat. in dormit. Virg.*, sub fin.)

Nos Christiani te Christiana fide venerantes. (*Ibid.*, post med.) — Quemadmodum siticulosus ad fontem properat, sic omnis animo fidelis ad te accurrit, tuo ut auxilio impleatur (30).

Summa gloria, o Maria, post Dominum te videre. (S. Bern. apud S. Bonav., in *Spec. Virg.*, lect. 6, post med.)

(29) In Auctu P. Combefis., t. I, legitur : « Te privari non immaculatissima. »

(30) Ex interpr. P. Comb. in Bibl. Lugd. et auct. t. I, legitur : « Sic et fidelis anima tota æstuans accurrit tuo implenda auxilio. »

S. Joannes ad hoc electus, ut ministret ei, et obsequatur ea dilectione, qua filius ; ea obedientia qua discipulus ; ea subjectione, qua minister et famulus. (Arnold. Carnot., *De septem verbis Christi in cruce, De tertio verbo*, scilicet (*Joan.* xix, 26) : *Mulier, ecce filius tuus*, post. med.)

Unde vocatur jucundissima apostolorum laus. (S.-Bonav., *Hymn. supra « Salve Regina, »* ad illud : *O pia.*)

O mira Domina, mirum videtur quomodo non tantum delectamur in te salutando quod vel propter te et fructum tuum cætera ignoremus. (Id., *stim. amor.*, p. iii, c. 16, ante med.)

Si es stella maris, semper volo in hac vita esse in mari, ut sis semper mea stella ; semper in mari sim perfectæ amaritudinis, de peccatis meis gemendo, Christo crucifixo intime compatiendo, proximorum miseriis et vitiis condolendo. — Me impugnet et stimulet, obsecro, tota mundi machina, ut mecum sit hæc stella maris Maria. O felix, cum fuero ab omnibus exprobratus et conculcatus et ab hac stella susceptus. (*Ibid.*, paulo ante fin.)

In prædicatione Apostolorum in omnem terram exivit sonus tui nominis. (Idiota, *Contempl.*, B. Virginem alloquens, c. 5, circa med.)

CAPUT XV.

Specialis erga SS. sacerdotes affectus, eorumque cultus assiduus.

Honora Deum et honorifica sacerdotes. (*Eccli.* viii, 33.)

Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua. (*Eccli.* xliv, 1.)

Homines magni virtute et prudentia sua præditi. (*Ibid.*, 3.)

Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes : pacificantes in domibus suis. (*Ibid.*, 6.)

Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. (*Ibid.*, 7.)

Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt. (*Ibid.*, 10.)

Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudes eorum nuntiet Ecclesia. (*Ibid.*, 15.)

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem. (*Hebr.* xiii, 17.)

Cuncti honoremus, cuncti hac venerandi sacerdotii sublimitate decoratos prædicemus beatos, certo scientes quod si quis amicum regis amat, hunc ipsum multo amplius a rege amari : quocirca amemus sacerdotes Dei, si quidem amici ipsius sunt boni, et pro nobis ac mundo deprecantur. (S. Ephrem., *De sacerdotio.*)

Tunc vere aliis recta prædicamus, si dicta rebus ostendimus, si nos ipsi divino amore compungimur... tunc autem vere compungimur, si studiose Patrum præcedentium facta pensamus, ut ex conspecta illorum gloria in nostris nobis oculis nostra vita sordescat : tunc vere compungimur, cum præcepta Domini studiose perscrutamur, et per hæc proficere ipsi contendimus, per quæ jam profecisse novimus, quos veneramur. (S. Greg., lib. i, hom. 17, *Ad episc. in fontes Lateranensium*, n. 10.)

PARS QUINTA.

DE QUIBUSDAM IMPEDIMENTIS, QUÆ VEL OMNEM CLERICORUM PROFECTUM RETARDANT VEL POTISSIMUM PROHIBENT.

CAPUT PRIMUM.

Mundus.

ART. I. — *Mundus clericis contemnendus.*

De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo. (*Joan.* xv, 19.)

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. (*I Joan.* ii, 15.)

Quid enim hæc minima, quæ tu vocas magna, ex mundo polliceris, cum mundus universus a nobis despiciatur. (S. Basil., *Hom. in 40 mart.*, p. 4.)

Nec potest quisquam meritum Regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus, emergendi non habet facultatem. (S. Ambros., in *Luc.* vi, 20.)

Abnegantes impietatem et sæcularia desideria. Quæ in hoc sæculo deficiunt, atque dilabuntur ; sæcularia desideria sunt : nihil igitur nobis sit commune cum sæculo. (S. Chrysost., hom. 4, *in Epist. ad Tit.*, c. ii.)

Quid agis, frater, in sæculo, qui major es mundo? (S. Hier., epist. 1 *Ad Heliodor.*, sub fin.)

Abrenuntio, nihil est aliud, quam crucis ac mortificationis indicium : ideoque noveris hodierno die te huic mundo et actibus ejus ac desideriis esse defunctum, teque secundum Apostolum mundo huic esse crucifixum, tibique hunc mundum. — Considera ergo conditiones crucis, sub cujus te deinceps sacramento oportet in hac luce versari, quia jam tu non vivis, sed ille vivit in te, qui est crucifixus pro te : eo ergo habitu et figura, qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est in hac vita degere, etc. (Cass., lib. iv *Instit.*, c. 34.)

Mortuum sibi deputet mundum, ac se mundi blandientis illecebris exhibeat crucifixum. (S. Prosp., lib. i *De vita contempl. sacerdot.*, c. 8, seu Julian. Pomer.)

Qui crucem portat, debet et mundo mori ; nam ferre crucem et mori, mortificare seipsum est ; ferre

et non mori, simulatio hypocritarum est. (S. Isidor., Hispal., lib. II *Sentent.; De summo bono*, c. 2, *De fide.*)

Oportet ut, qui Deum hæreditate possident, absque ullo impedimento sæculi Deo servire studeant. (Id., lib. II *De offic.*, c. 1.)

Cui (scilicet sacerdoti) præcipitur ut caput suum non discooperiat, id est, ut cor suum hujus mundi desideriis non expendat, sed occultum semper in adipiscendi regni cœlestis intentione custodiat. (S. Petr. Dam., *De dignit. sacerdot.*, c. 1.)

Quisquis ergo in procinctu cœlestis militiæ positus ad supernæ patriæ municipium properat, studeat male blandientis mundi promissa respuere, abhorreat se sub qualibet specie actionum sæcularium laqueis irretire. (Id., opusc. 12 *De contemptu sæculi*, c. 27, init.)

Sed quod admirandum est et dolendum, plus eis quam cæteris gravis et austera videtur disciplinæ regula; quare hoc? nisi quia sæcularem magis diligunt vitam. (Inter Opera S. Bern., *De ordine vitæ seu morum institut.*, p. 1.)

Ad hoc enim a Deo dati estis præsules, ut depravatos mores ac leges mundi verbis et exemplis viriliter impugnetis. (S. Barthol. a Martyribus, p. II, c. 6, *Stim. pastor.*)

ART. II. — *Cur mundus clericis contemnenaus.*

Sectio prima. — *Quia amor mundi amori Dei contrarius.*

Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. (*Jac.* VI, 4.)

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. (*I Joan.* II, 15.)

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. (*Ibid.*, 16.)

Quomodo pro Christo suum dabit sanguinem, qui pro eo non vult abjicere mundi vanitatem, cum nos minus quam nostra diligamus. (*De contemptu mundi*, inter Opera S. Aug.)

Deus, lumen cordis mei... amicitia hujus mundi fornicatio est abs te. (S. Aug., *Confess.*, c. 15, n. 2.)

Amor Dei, amor proximi, charitas dicitur. Amor mundi, amor hujus sæculi, cupiditas dicitur. Cupiditas refrenetur, charitas excitetur. (Id., enarr. 2 *in psal.* XXI, longe post init.)

Quo nobis gratiam mundi, quæ est odium Christi? Gratulemur iisdem nos displicere, quibus et Deus displicet. (S. Paulin., *Epist. ad Severin.*, epist. 6.)

Ergo, qui vult Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio. (S. Prosp., lib. II; seu Jul. Pomer., *De vit. contempl. sacerdot.*, c. 16.)

Quisquis Sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur; nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest Deum simul amplecti et sæculum: qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatur; unde adhuc ad eumdem Moysen dicitur (*Exod.* XXXIII, 20): *Non enim videbit me homo, et vivet*; ac si aperte diceretur: Nullus unquam Deum spiritualiter videt, et mundo carnaliter vivit. (S. Greg., *in illud Job* [XXVIII, 21]: *Abscondita est ab oculis viventium.*)

Sciebat Apostolus, quæ Dei, et quæ mundi sunt neminem simul posse diligere... alteri subtrahitur, quod uni plus, quam ratio exigit, præbetur. (B. Isa., orat. 81.)

Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI, 24), id est, mundo et sæculo. (S. Anselm. *in II Evist. ad Tim.* c. II.)

Verum tu, sacerdos Dei altissimi, cui ex his placere gestis, mundo, an Deo? Si mundo, cur sacerdos? Si Deo, cur, qualis populus, talis et sacerdos? nam, si placere vis mundo, quid tibi prodest sacerdotium; nec enim potes duobus dominis servire... Volens itaque placere hominibus, Deo non places; si non places, non placas. (S. Bern., epist. 42, *Ad Henric. Senon. archiep.*, c. 2, n. 5.)

Concupiscentiam carnis universam accipe corporalium sensuum delectationem, qua quidem ne ipsa curiositas caret; ac deinceps concupiscentiam oculorum, quæcunque ad humanum diem (quem Propheta minime concupivit) et sæcularem gloriam, et extrinsecam pertinent vanitatem. Porro in superbia vitæ elationem cordis intellige. Hæc tria qui diligit, mundum diligit, et Dei constitutus est inimicus. (S. Bern., *ibid.*)

Amatores sæculi inimici crucis Crucifixi, cujus in vanum accepto nomine dicuntur Christiani. (Id., serm. 1, *De resurrect.*)

Qui mundum diligit, Dei constitutus est inimicus; suscipiat autem, qui ejusmodi est, reconciliationis officium, non mediatoris, qui etiam proditoris scelere inimicitias cumulavit, ut merito jam non ut hostis, sed ut traditor judicetur, ut Judas utique, non ut Saulus: nam impudentia et frontositas cum obduruerit, ut non paveat, non horreat, non contremiscat, ea jam demum desperatio est. Quid enim horum sibi conscius homo, tanquam qui justitiam fecerit, divino sese vultui sistere non veretur, tanquam domesticus intrat et exit, magistrum salutat, genua flectit, osculator ore sacrilego, dolose agit, sed in conspectu Dei, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium? Odibilis plane Deo frontosa temeritas, et impudentia exsecranda. (Id., *Declam.*, c. 8.)

Leva, quæso, oculos tuos, et vide, et suscipe lumen cœli: cogita quia de terra exempti sunt amici Dei, quorum conversatio in cœlis est. (Petr. Bles., epist. 91, *Ad Radulph. Lexov. episc.*)

Sectio secunda. — *Quia mundi amor sanctitatis clericalis professioni adversatur.*

De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo. (*Joan.* XV, 19.)

In mundo et per oculos et per aures irritamenta ad peccatum suscipiuntur, et latenter ipsi assuescimus. —Cui propter mundum Christus crucifixus est, quomodo potest esse servus partium mundi? (S. Basil., *Quæst. fus. disp.*, q. 6.)

Interdum lumen ipsum cor illustrans aperit interius et profundius latens lumen; ita ut totus homo absorptus ab illa suavitate et contemplatione, non sit ultra sui compos, sed sit tanquam stultus et barbarus huic mundo. Propter immensam dilectionem ac suavitatem, atque recondita mysteria. (S. Machar., senior, hom. 8, *De his quæ contingunt Christianis inter orandum.*)

Quid agis, frater, in sæculo, qui major es mundo? (S. Hier., epist. 1, *Ad Heliod.*)

Homo Dei nomine consecratus, et Deo votus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est. (S. Aug., *De civit. Dei*, c. 6.)

Christus pro nobis et in nobis sustinet mundum, ut perferendo destruat, et virtutem in infirmitate perficiat. (S. Paulin., epist. *Ad Aprum*, epist. 1.)

Quid amplius habent commune cum mundo, qui mundo renuntiaverunt? (S. Nil., *Lib. ascet.*, sub fin.)

Dominus pars hæreditatis meæ. (*Psal.* xv, 5.) Quid ultra quærit, cui omnia suus conditor fit? Aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? etc. (S. Prosp. seu Julian. Pomer., lib. II *De vita contempl. sacerdot.*, c. 16.)

Qui mundum deseruisti, quæ mundi sunt ne contigeris : amant enim sopita desideria reviviscere. (Climac., grad. 3, paulo post init.)

Vos jam non estis de mundo. (*Joan.* xv, 19.) Videte tamen quia Deus non irridetur : recolite quid in vestra conversione promiseritis Deo : cavete ne ædificetis excelsa Tophet et Jerusalem in sanguinibus. Qui semel egressus est de Ægypto, si appetit allia et pepones Ægypti; si ad mundum, quem evomuit, revertitur, reædificat suam Jericho, et moritur suus primogenitus, quia meritum suæ primæ conversionis exstinguitur. (Petr. Bles., serm. 55, *Ad sacerdotes.*)

Sectio tertia. — *Quia clerici amatores mundi populis sunt offensioni.*

Digne non possunt subditis prædicare, ut ab his abstineant, cum ipsi his, quod valde dedecus, imo periculosum est, se mancipaverint. (*Conc. Paris.* VI, ann. 828, lib. I, c. 13.)

Si mundum prædicas contemnendum, contemne tu prius, et ad illud efficacius alios invitabis. Da voci tuæ vocem virtutis.. et statim erit in ore tuo vivus et efficax sermo Dei. — Unigenitus, qui est in sinu Patris, nonne de secreto suo prodiit ad publicum nostrum ? Nonne de cœlo descendit ad terras, ut prædicatione et conversatione sua persuaderet hominibus contemptum mundi? Nonne vos estis vicarii ejus? Nonne, quod prædicavit, et vos debetis prædicare ; quod dissuasit, dissuadere, quod persuasit, persuadere? A Christo dicti estis Christiani; nonne ea via, qua Christus ambulavit, et vos debetis ambulare? Nonne, sicut conversatus est, et vos vicarii ejus debetis conversari? Ita plane, nisi forte doctiores eo fueritis vel sanctiores. (S. Bern., *Ad past.*, in synod.)

Ex contemptu si quidem mundi et humilitatis forma Christi ædificatur Ecclesia. (S. Laur. Justin., *De regim. prælat.*, c. ult.)

Habens spiritum mundi, non potest ab aliis expellere eumdem spiritum mundi. — Ad hoc a Deo dati estis, præsules, ut depravatos mores ac leges mundi verbis et exemplis viriliter impugnetis, quas David vocat vanitates et insanias falsas. (*Stimul. past. archiep. Bracchar.*, part. II, c. 6, *De humil. et modest. prælatorum.*)

Sectio quarta. — *Quia mundi amor clericos in multa pericula conjicit.*

Totus mundus in malo situs est; ergo, qui extra malum esse vult, necessario sese a mundo segregabit; non enim locum haberet tentatio animam attingendi, nisi tanquam escam quamdam hanc mundanam occupationem pravo hamo aviditoribus porrigeret. (S. Greg. Nyss., orat. 3, *De Orat. Dom.*, in fin.)

Quis ergo non fugiat malitiæ locum, officinam improbitatis, quæ interire nesciat? (S. Ambros., *De fuga sæculi*, c. 7, n. 39.)

Hoc autem absolute dicimus, quod tantis insidiarum tendiculis hoc tempore mundus iste densatus est, ut quisquis hujus sacri ordinis desiderat innocenter vivere, ab illius processu cautissime se expediat abstinere : cujus videlicet iter si sæpe terit, procuratos insidiarum laqueos non evadit. (S. Petr. Dam., opusc. 12, *De contemptu sæculi*, c. 12, init.)

Tot criminum magis ac magis in dies mundus contaminatione polluitur, ut quælibet sancta mens sola ejus consideratione fœdetur. (*Ibid.*, c. 32, init.)

Mundus enim in maligno positus est, plenus periculis, plenus laqueis, plenus scandalis, plenus colloquiis pravis, exemplis malis, proditoriis verbis, iniquis consiliis. (Petr. Bles., epist. 1.)

ART. III. — *Quomodo mundus a clericis contemnendus.*

Sectio prima. — *Mundus a clericis despiciendus et odio habendus.*

Prima est virtus, atque adeo universa virtus, esse hujus mundi hospitem atque peregrinum, et cum iis, quæ hic sunt, rebus et negotiis nihil habere commune, sed ab iis pendere tanquam ab externis. (S. Chrysost., hom. 24, *in Epist. ad. Hebr.*, c. XI.)

Mortuus vivas crucifigens te mundo et tibi mundum; quotidie moriens per fidem verbi, et vivens in verbo fidei. (S. Paulin., *Epist. ad Severum*, c. 5, paulo ante fin.)

Mundialium sensus aut parvi æstimandi sunt, aut nihil omnino faciendi. (Salvian., lib. IV *Ad Eccles. cathol.*, vel *Adv. avaritiam*, init.)

Amatores mundi pugnant aliquando pro fide, et aliis proficiunt; ipsi vero amore terreno implicati

cœlestia non requirunt, sed verbo tantum fidem defendunt. (S. Isidor. Hispal., lib. II *Sentent.*, c. 2, sub fin.)

Quidquid in sæculo arridet, tanquam ludificatoriæ imaginationis somnium deputa. (S. Petr. Dam., opusc. 21, *De fuga dignit. eccles.*, c. 1.)

Si mundum prædicas contemnendum, contemne tu prius; et ad ipsum efficacius alios invitabis, da voci tuæ vocem virtutis; consonet vita verbis, et statim in ore tuo vivus et efficax sermo Dei et penetrabilior omni gladio ancipiti. (S. Bern., *Serm. ad past.*, in synod.)

Nihil habet mundus, quod jure clamat in eo vel de eo, quia nec mundus ei placuit, nec ipse mundo. (Id., *Serm. in obitu Humberti*, post init.)

Sectio secunda. — *Fugiendus, et oblivioni dandus.*

Unica fuga est separatio ab omni mundo. — Recessus a mundo non est corporaliter extra ipsum esse, sed animam a consensu ad corpus avellere, et esse extorrem sine domo, sine re privata, sine amicorum sodalitate, inopem, vitæ negligentem, a negotiis alienum, ab omnibus vitæ commerciis separatum. (S. Basil., epist. 1.)

Qui salvus esse vult, supra mundum ascendat, quærat verbum apud Deum, fugiat hunc mundum, terras relinquat. (S. Ambros., lib. *De fuga sæculi*, c. 1, in fin., n. 4.)

Considera quemadmodum eos, qui ad officia Ecclesiæ accedunt, despicientiam rerum humanarum habere debere deceat. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc velut viventes decernitis, ne tetigeritis, etc. (Id., lib. I *Offic.*, c. 3, sub fin.)

Debet esse mundo corde (sacerdos), ut non solum non se immisceat circa negotia sæcularia, sed ne cogitet de mundo; sicut enim oculus, quanto mundior fuerit, tanto longius videt : sic et anima, quanto longius fuerit a sollicitudine mundiali, tanto amplius Deo proximior est. (Hom. 10, *Oper. imperf. in Matth.*, inter Oper. S. Chrysost.)

Patriæ tuæ peregrinus et exsul, istius mundi ut si incola paradisi, et patriæ civis antiquæ. (S. Paulin., *Epist. ad Sever.*, epist. 2.)

Ipse, inquam (Christus), nunc quoque pro nobis sustinens mundum, ut perferendo destruat, et virtutem in infirmitate perficiat. (Id.,epist. 1, *Ad Aprum*, paulo ante med.)

Sicut is, qui patibulo crucis affigitur, non jam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat; non pro die crastino sollicitudine curaque distenditur; nulla possidendi concupiscentia promovetur; nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur; non de præsentibus dolet injuriis; non præteritarum jam recordatur; seque, cum adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum, illuc promittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat illico transiturum; ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est, non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis migraturos. (Cassian., lib. IV *Instit.*, c. 35.

Nihil obest scientibus Deum ignorantia mundi; perfecte autem scit, qui potius Deum et ista non pro se, sed pro Deo scit. (S. Isidor. Hispal., lib. II *Sentent.*, c. 1, n. 14.)

CAPUT II.

Terrena bona.

ART. I. — *Terrena bona spernere præ cæteris debent clerici.*

Joseph cum tunica Ægyptiam effugere non potuit. Adolescens ille, qui opertus sindone sequebatur Jesum, quia tentatus fuerat a ministris, terrenum abjiciens operimentum nudus evasit. Elias igneo curru raptus ad cœlum meloten reliquit in terris. Eliseus boves et juga prioris operis vertit in vota. Loquitur sapientissimus vir : *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* (*Eccli.* XIII, 1.) Quandiu versamur in rebus sæculi, et anima nostra possessionum ac redituum procuratione devincta est, de Deo libere cogitare non possumus. (S. Hier., epist. 28, *Ad Lucinium*, circa medium.)

Qui habuerit maculam, non offeret panes Domino Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus... si gibbus... gibbus (Christo) est, quem terrenæ sollicitudinis pondus deprimit, ne unquam ad superna respiciat; sed solis his, quæ in infimis calcantur, intendat. (S. Greg., *Pastor.* part. I, c. ult., post init.)

Unde arbitror illum sermonem, quem dixit de se Unigenitus, videlicet, si exaltaretur a terra omnia traheret ad seipsum, cunctis quoque ejus fratribus posse esse communem. His utique, quos Pater præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus. *Et ego* igitur, *si exaltatus fuero a terra*, audacter dico, *omnia traham ad meipsum* (*Joan.* XII, 32); nec enim temerarie usurpo mihi, fratres mei, vocem, cujus me induo similitudinem. (S. Bern., serm. 21 *in Cant.*)

ART. II. — *Cur spernenda clericis terrena bona.*

Sectio prima. — *Quia noxia.*

Ut spina ubicunque tangitur, tangentem pungit; ita sæcularia, ubicunque comprehenderis, lædunt. (S. Chrysost., hom. 87 *in Joan.*, paulo ante fin.)

Qui aliqua rerum temporalium concupiscentia detinetur, ejusmodi vitio ebrius, nequaquam de veritate (*aliter*, injustitia) integrum atque illibatum valet proferre judicium. (Id., hom. 2 *in I Epist. ad Tim.*, post init.)

Præclare res ex materia concretas, ut strangulantes, fugis. (S. Isidor. Pelus., lib. I, epist. 101.)

Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, etc. (*Luc.* XIV, 33) : Vidit peritus Magister suos discipulos

luctaturos cum mundo; qui si haberent, unde tenerentur, levius dejicerentur. Tulit igitur arma suis et nostris hostibus, dum nos privavit terrenis possessionibus. Nudus namque latrones non solet timere; qui vero se mundani simplicat, tela parat, quibus confodiatur. Qui ergo non vult confodi, nudus procedat per viam hujus exsilii. (*De contemptu mundi*, c. 5, inter Opera S. August., c. 5.)

Veri luminis damnum est, ad usum tenebrarum uti luminibus, et oculos in terrena defixos cæcare cœlestibus. (S. Paulin., *Epist. ad Sever.*, epist. 4, longe ante med.)

Fieri quidem potest, ut is, qui sæculi negotiis et ferreis curis se devinxit, incidat, sed tamen ægre; nam et hi, quorum pedes ferro compediti sunt, sæpe incidunt, sed semper offendunt, vulneraque suscipiunt. (S. Climac., grad. 1, n. 20.)

Curis enim sæcularibus intenti tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea, quæ foris sunt, studiosiores videmur; usu quippe curæ terrenæ a cœlesti desiderio obdurescit animus, et, dum ipso suo usu durus efficitur per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei. (S. Greg., hom. 17 *in Evang.*, post med.)

Quemadmodum, qui vinculis astricti sunt, ægre incedunt; sic qui huic vitæ impliciti tenentur, virtutibus curriculum pure ac plene perficere nequeunt. (S. Damas., *Parall.*, lib. III, c. 74, in fin.)

Vis in tuo loculo recondere Christum? excute prius nummum; neque enim in uno receptaculo congrue sociantur; nam, si utrumque simul incluseris, alterum sine altero vacuus possessor invenies; quanto quippe in egenis mundi lucris copiosior fueris, tanto a veris divitiis ærumnosius inanescis. (S. Petr. Dam., opusc. 12, *De contemptu sæculi*, c. 4.)

Si instar mei, qui ovis sum, Pastor meus et ipse incurvus graditur vultum gerens deorsum, et terram semper respiciens, et soli ventri mente jejunus pabula quæritans; in quo discernimur? Væ si venerit lupus; non erit qui prævideat, qui occurrat, qui eripiat. Decetne pastorem more pecorum sensibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis: et non potius erectum stare ut hominem, cœlum mente suspicere, quæ sursum sunt et quærere et sapere, non quæ super terram? (S. Bern., epist. 42, *Ad Henric. Senon. arch.*)

Lucrosum omnino commercium, contemnere ea, quæ te deterunt et polluunt, ut lucrifacias Christum. (Guerric. abb., serm. 2, *De resurrect.*, circa med.)

Non solummodo habitatio terrena hanc animam deprimit, sed ipsa ad terrenorum inquietudinem se diffundit; ut cum Jeremia dicat: *Effusa sunt in terram viscera mea* (31). (Petr. Bles., epist. 16, *Ad episcop. quemdam*, circa init.)

Tu nihil nisi terrenum vis sapere aut amare. Qui de terra est, de terra loquitur. Terram vides, terram diligis, ac, sicut talpa capta oculis, liberioris aeris beneficium non admittis. Mundi lumen esse debueras; sed, si lumen tuum tenebræ factæ sunt, tuæ tenebræ quantæ erunt. Lumen cœli videre non potes, quia infixus es in limo profundi et conglutinatus est in terra venter tuus. (Id., epist. 91 *Ad Radulph. Lexoviensem episcop.*, edit. Paris.)

(Divitiæ hujus mundi) hæ sunt muscæ (*Eccle.* x, 1), quæ exterminant suavitatem unguenti; aves (*Gen.* xv, 11), quas abigebat Abraham; mures (*I Reg.* v, 6), qui de terra, id est de affectione terrena ebulliunt, qui extales, id est, interiora eorum corrodunt, qui arcam Domini ponunt juxta Dagon. (Id., epist. 102, *Ad H. Radingensem abb.*)

Sunt terrena omnia minus caute eis utentibus spirituales laquei, et seductoria quædam oblectamenta fidelium, quæ separant a Deo et copulant mundo. (S. Laur. Justin., *De obed.*, c. 17, n. 2.)

Sectio secunda. — *Quia ærumnis plena.*

Nunquam in carnalibus affectionibus ita requiescit animus, ut cruciatu careat, dum necessitudines suas aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto: in utroque miseriis sustinendis semper obnoxius. — Tribulationem carnis habebunt hujusmodi, quia necessitudines nostræ carnis, quanto chariores nobis sunt, tanto magis nos discruciant et fatigant. (S. Paulin., epist. 39, *Ad militem*, circa fin.)

Muscæ morientes, quæ perdunt suavitatem unguenti, eam suavitatem qua unusquisque intrinsecus per Spiritum unctus est, perdunt, quoniam integritate ejus perfrui non permittunt. (S. Greg., lib. XVIII *Moral.*, c. 25.)

Revertentes autem quasi quodam negotiorum sæcularium temeto ebrii in immane præcipitium devolvuntur. — Actionum quippe sæcularium suffusi oculis redeunt, atque idcirco propriis luminibus redditi, ubi pedem operis ponere debeant non attendunt. (S. Petr. Dam., opusc. 22, *Apol. de contemptu sæculi*, c. 21, ante fin.)

Cujus (nempe mortis) licet laquei dulcedine sint pleni, caveat anima nostra ne laqueorum istorum dulcedine relaxetur; sollicitudo quippe rerum terrenarum ac pecuniarum, nec non pravarum cogitationum atque actionum laquei sunt diaboli. Cave dulcedine laqueorum mortis capiaris. (S. Ephrem., *Beatitud. secunda.*)

(Divitiæ hujus mundi) hæ sunt aquæ de puteo Samariæ, quæ plus potæ plus accendunt concupiscentiæ sitim. (Petr. Bles., epist. 102, *Ad H. Rading. abbat.*, circa med.)

In hac habitatione terrena nihil est nisi labor et dolor, et quædam imago miseriæ infernalis. (Id., *Epist. ad Radulph. Lexov. episc.*, circa initium.)

Sectio tertia. — *Quia periculosa.*

In cœlestem scientiam eruditus es; quid tibi cum terrenis operibus et gestis est? Avis effectus es, cur

(31) Petrus Blesensis alludit textui Job qui sic se habet: *Effudit in terra viscera mea* (xvi, 14) et Jeremiæ vocibus: *Effusum est in terra jecur meum.* (*Thren.* II, 11.)

non in naturæ tuæ elemento moraris? Volucres enim cœli noncupantur. Non juste ergo illis in possessione terrenæ habitationis insidiæ sunt. Sæculo renuntiasti; quid tibi cum sæculi rebus? Quid quereris captus in sæculo? Quid quereris injuriam laquei in regione non tua? Dic potius, et utere ipse tu voce Psalmistæ dicentis ista : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam.* (*Psal.* LIV, 7.) Natura avium est, ut non nisi (*al.*, ut non, cum volent, requiescant. *Edit. Bened.*) cum volant, requiescant, etc. (S. HILAR., *in psal.* CXVI.)

Sed et tota hujus mundi figura, quæ præterit, et per oculos corda prolectat, zabulicis prætenta retibus in qualibet sui specie laqueus mentis et gladius est. (S. PAULIN., *Epist. ad Sever.*, epist. 2, circa med.)

Viscosa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum, ubi periclitantur animæ. (S. BERN., serm. 5, *De Ascens. Domini*, init.)

Quæ sunt in mundo, jacula sunt diaboli. (S. BONAV., *De contemptu sæculi*, post med.)

SECTIO QUARTA. — *Quia vilia.*

Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est. (S. CYPR., epist. 1, *Ad Donatum*, longe ante fin.)

Nugæ nugarum, et vanitates vanitatum. (S. AUG., *Confess.* lib. III, c. 11.)

Omnia sub sole vanitas : proinde supra solem veritas; ita et qui in veritate consistunt, etsi intra mundum vivant habitatione corporis, tamen supra mundum sunt conversatione cœlesti, etc. (S. PAULIN., *Epist. ad Sever.*, epist. 4.)

Omnes hujus mundi res oculos tantum attingere, oculorumque pabulum esse, atque superficiem quamdam fluxam. (THEODORET., in *I Epist. ad Cor.*, c. VII.)

Nemo, inquit Apostolus, *militans Deo, hujus vitæ negotiis implicetur* (*II Tim.* II, 4); etenim, qui hisce implicitus affectiones superare voluerit, similis est ei, qui paleis conatur incendium restinguere. (S. MARCUS Eremita, part. II, *De lege spir.*)

Locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur. (S. GREG., hom. 17 *in Evang.*, ante fin.)

Hoc namque esse specimen electorum solet, quod sic sciunt præsentis vitæ iter carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta pervenisse, quatenus cuncta, quæ præterfluunt, sub se esse videant, atque omne, quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcant. (S. GREG., *Moral.*, lib. XXXI, c. 19, circa med.)

Tanquam ludificatoriæ artis somnia. (S. Petr. DAMIAN., *De fuga dignit. eccles.*, in fin.)

Pudeat ergo te, o miles Christi, peritura in hoc sæculo facultate ditescere. (ID., opusc. 12, *De contemptu sæculi*, c. 5.)

Quæ in croceis es nutrita, quare stercora amplexaris? (S. BERN., *Serm. de septem. gradibus confess.*, n. 3.)

Quis sustineat patienter, ut tam nobilis anima spiritualibus doctrinis imbuta sub quodam velamine libertatis in opus servile degeneret? Animam siquidem, quæ tot labyrinthis intricata est, necesse est ancillari, etc... Sic cœlum mutatur in terram, aurum in scoriam, spiritus in carnem : carnalis homo deprimit spiritualem, et draconem Moysis dracones Pharaonis absorbent. (PETR. BLES., epist. 16 *Ad episcop. quemdam*, init.)

Labora ut bonus miles Christi (*II Tim.* II, 3) pro cœlestibus, non pro temporalibus; non enim honorabile est militem accingere ensem pro musca capienda, etc. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* (*Ibid.*, 4.) (HUGO cardin., *in II Epist. ad Tim.* c. II.)

ART. III. — *Quomodo spernenda.*

SECTIO PRIMA.— *Relinquendo.*

Cum ad universi orbis magisterium discipulos missurus esset, ad angelicam, ut ita dicam, disciplinam ex humana vita traducit, ab omni cupiditate sæcularium rerum liberos reddens, ut prædicationi Evangelii solummodo vacarent. (S. CHRYSOST., *in Matth.*, hom. 33.)

Nos vero, charissimi, qui studio virtutis invitati vitæ mundique cupiditatibus renuntiavimus, nobisque Christum sequendum proposuimus, quid rursum sæculi negotiis implicamur? Cur, quæ bene destruximus, reædificamus? Cur ea, quæ non decent, exercentes malis consiliis utimur, et vanitatum studio animos infirmiorum incendimus, et simpliciori-bus viam ad avaritiam patefacimus? (S. NILUS, in *Ascetico*, longe post init.)

Festinemus transire a sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad sacerdotes Dei, quibus in terra pars non est. (S. EUCH. Ludg., l. III *Comm. in Gen.*, c. XLVII.)

Quidquid in sæculo arridet, tanquam ludificatoriæ imaginationis somnium deputa. (S. Petr. DAMIAN., opusc. 21, *De fuga dignit. eccles.*, c. 3, sub fin.)

SECTIO SECUNDA. — *Relicta non requirendo.*

Cave ergo ne quid aliquando eorum resumas, quæ renuntians abjecisti, et contra Domini interdictum de agro evangelicæ operationis reversus inveniaris tunica tua, qua te spoliaveras, revestiri. — Cave ne ad humiles terrenasque mundi hujus concupiscentias ac studia revolvaris, et contra Christi mandatum de perfectionis tecto descendens tollere aliquid præsumas ex his quæ abrenuntians abdicasti. — Cave ne parentum, ne affectionis pristinæ recorderis, et ad curas hujus sæculi sollicitudinesque revocatus, secundum Salvatoris sententiam ponens manum tuam super aratrum, et aspiciens retro, regno cœlorum aptus esse non possis. — Cave ne secundum Apostoli sententiam, quæ destruxisti, iterum reædificans prævaricatorem constituas temetipsum;

sed potius ut in hac nuditate, quam coram Deo et angelis ejus professus es, ad finem usque perdures. (Cassian., lib. IV *Institut.*, c. 30.)

Qui vero ad ea, quæ reliquit terrena quælibet congerendo revertitur, sicut alienus est a sæculo, quo se decrevit exuere; ita etiam regno Dei aptus ultra non est, quod indubitanter acceptum noluit possidere. (S. Petr. Damian., opusc. 12, *De contemptu sæculi*, c. 4.)

Difficile, qui divitias habent, intrabunt in regnum cœlorum. (*Matth.* XIX, 23.) Et hæc quidem sententia de iis, qui divitias juxta morem sæculi possident : cæterum hi, qui rejectis omnibus denuo ad vomitum sunt relapsi, nisi resipiscant, regnum cœlorum nulla vel cum difficultate possunt fiducia promereri. (*Ibid.*, c. 6, in fin.)

CAPUT III.

Sæcularia negotia.

ART. I. — *Sæcularibus negotiis implicare se non debent clerici.*

Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. (*II Tim.* II, 4.)

Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant. (Innoc. III, in *Conc. gener.*, c. 16.)

Ministri autem altaris Domini nobis placuit ut a negotiis sæcularibus omnino abstineant. (*Conc. Mogunt.*, ann. 813, c. 14.)

Sæcularibus relinquatur sæcularia jura componere; satis sit servis Dei perituro huic mundo se mortuos exhibere. (S. Petr. Damian., opusc. 12, *De contemptu sæculi*, c. 27, circa init.)

In his perdis tempus, in his stulto labore consumeris, quæ non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ; nam fructus illarum quid, nisi aranearum telæ? (S. Bern., lib. I *De consid.*, c. 2, sub fin.)

A turbatione sæcularium sabbatizes. — Ab omni... sæcularitate sis liber. (Petr. Bles., epist. 16, *ad episc. quemdam*, sub fin.)

Sciebam... damnabile esse in clerico se curialibus aut sæcularibus negotiis immiscere. (Id., epist. 14, *Ad sacellanos regis Anglorum.*)

Abstineant ab omnibus, quæ distrahunt a Deo; hæc autem sunt negotia sæcularia. (S. Thom., *in II Epist. ad Tim.* II, 4.)

ART. II. — *Cur sæcularibus negotiis non se debent implicare clerici?*

Sanctus non vacat sæculi rebus. (S. Hilar., *in psal.* CXVIII.)

Circumcirca detonde palmam, et in altum excrescet; ab anima autem mundanas sollicitudines reseca, et ad virtutem se convertet. (S. Ephrem., *De timore Dei ad imit. prov.*, longe post init.)

Ejicienda est de corde sæcularium curarum multitudo, ut anima mortua resurgat. (S. Greg., lib. VIII *Moral.*, c. 28.)

A subditis ergo inferiora gerenda sunt, a rectoribus summa cogitanda, ut scientiæ oculum, qui providendis gressibus præeminet, cura pulveris non obscuret. — Sicque fit ut, dum urgeri se mundanis tumultibus gaudent, interna, quæ alios docere debuerant, ignorent. — Caput namque subjectorum sunt cuncti, qui præsunt, et, ut recta pedes itinera valeant carpere, hæc procul dubio caput debet ex alto providere, ne a profectus sui itinere pedes torpeant, cum curvata rectitudine corporis, caput sese ad terram inclinat. — *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?..* (*Thren.* IV, 1.) Quid per sanctuarii lapides, nisi sacrorum ordinum personæ figurantur?.. Aurum igitur obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur : color optimus commutatur, cum quorumdam, qui degere religiose credebantur, æstimatio ante acta minuitur; nam, cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos ejus reverentia despecta pallescit.—*Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* (*Thren.* IV, 1.) Sanctuarii lapides dispersi per plateas jacent, cum personæ sacrorum ordinum terrenis negotiis inhærent. (Id., *Pastor.*, part. II, c. 7, post init.)

Filii sacerdotum, Hobia, Accos, etc., *quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, et non invenerunt, et ejecti sunt de sacerdotio.* (*I Esdr.* II, 62.) Plane, qui genealogiæ suæ scripturam non inveniunt, de sacerdotio suo repelluntur; quia, qui se per ignobilitatem sæcularis vitæ ab ingenuo præcedentium patrum stemmate degenerasse considerant, dignum profecto est ut eos a sacerdotio censuræ canonicæ vigor expellat. (S. Petr. Damian., opusc. 25, *De dignitate sacerd.*, c. 2.)

Transitoria ista, quæ stare tibi nullo pacto queunt, fac ut a te transeant, non per te. Rivus qua fluit, cavat terram; sic discursus temporalium conscientiam radit. — Si potest torrens in agros excurrere sine læsione satorum, et tu te ista sine vulnere mentis posse tractare confidito. (S. Bern., lib. IV *De consid.*, c. 6, post med.)

Vacuum a sæcularibus oportet esse animum divinæ servitutis obsequio consecratum. (Petr. Bles., *De instit. episc.*, c. 45.)

Modis omnibus cave ne sæcularibus te involvas; nulla enim consonantia est Spiritus Dei ad spiritum hujus mundi; permane in vocatione tua : *Mundus in maligno positus est.* (*I Joan.* V, 18.) [*Ibid.*, c. 4.)

Animabus prælatus es, non corporibus : nihil prælato commune est cum Pilato. (*Ibid.*, c. 5.)

Ero autem transgressor Dominicæ legis, si sustineam quod nemus juxta altare Domini crescat, quod circa Ecclesiæ rectorem sollicitudinum multitudo sylvescat. (Id., epist. 16, *Ad quemdam episc.*)

SECTIO PRIMA. — *Quia rerum sæcularium cura sanctitati cleri contraria.*

Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia; illos constituite ad judicandum (*I Cor.* VI, 4) ; ut videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos dona spiritualia non exornant. (S. GREG., *Pastor.* part. II, c. 7, post init.)

Holocausta medullata offeram tibi. (*Psal.* LXV, 15.) Quisquis autem se per negotiorum sæcularium exercitia delectabiliter fundit, holocausti sui medullas cum visceribus subtrahit, et solam victimæ pelliem Deo, quæ offerri prohibetur, adolere contendit. (S. Petr. DAMIAN., *Apolog.*, c. 12, circa med.)

Ubi aliquando quispiam apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum ? — Stetisse denique lego apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego. — Quidni contemnant judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus et angelos judicabunt? — Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. (S. BERN., lib. I *De considerat.*, c. 8.)

Magnis addictus es, noli minimis occupari : minima et vilia sunt, quæcunque ad sæculi quæstus et non ad lucra pertinent animarum. (PETR. Bles., *De instit. episc.*, circa med.)

Quid tibi ad fiscales redditus, ut vel horula brevi curam posthabeas animarum ? (*Ibid.*, cap. 4.)

Propheta dicit (*Psal.* XXXVIII, 12) : *Sicut araneam tabescere fecisti animam meam.* Aranea si quidem de suis visceribus telam texit, et texendo tabescit, ut muscam vilissimam capiat ; quid aliud facit homo, qui se eviscerat in expensis et in curis ? (ID., epist. 16, *Ad episc. quemdam.*)

Nescio quid amplius laboramus, cur quotidie nos affligimus circa nihil, cum possidere Creatorem omnium valeamus. Quid ergo amplius laboramus et quærimus ? (S. BONAV., *Stimul.*, part. IX, cap. 2.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia sæcularibus curis mens sacerdotis misere distrahitur.*

§ I. *Distrahitur a Deo et ejus amore.*

Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus ut ei placeat, cui se probavit. (*II Tim.* II, 5.)

Nihil extra Deum amans dicat : Et ego semper tecum. Quare totus labor et plenum opus in observantia et exspoliatione nostri est, cujus tenebras vel abstrusas in eo inimici latebras videre non possumus, nisi defæcato ab externarum rerum curis animo, et intus ad semetipsum converso. (S. PAULIN., *Epist. ad Sever.*, epist. 2, ante medium.)

Est et aliud, fratres charissimi, quod me de vita pastorum vehementer affligit, etc... Curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea, quæ foris sunt, studiosiores videmur; usu quippe curæ terrenæ a cœlesti desiderio animus obdurescit, et, dum ipso suo usu durus efficitur, per actionem sæculi ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei. (S. GREG., hom. 17 *in Evang.*)

Quid est, quod per somnium nobis locutio divinitatis innotescit ? nisi quod Dei secreta non cognoscimus, si in terrenis desideriis vigilemus; in somnio enim exteriores sensus dormiunt. Si ergo interna contemplari volumus, ab externa implicatione dormiamus. — Tunc verba Dei mens vivacius penetrat, cum ad se admittere curarum sæcularium tumultus recusat. — Aurem quippe cordis terrenarum cogitationum turba, dum perstrepit, claudit; atque in secretario mentis, quanto minus curarum tumultuantium sonus compescitur, tanto amplius vox præsidentis judicis non impletur. — Moyses admistus Ægyptiis quasi vigilabat, et idcirco vocem Domini in Ægypto non audiebat. (ID., lib. XXIII *Moral.*, c. 12 init.)

Hi, qui pro amore Dei sæculo renuntiant, et tamen curis rerum familiarium implicantur, quanto se rerum studiis occupant, tanto a charitate divina seipsos separant. Qui simul et terrenis parere curis, et divinis exercere student, utrumque complecti simul non valent; nam duas curas pariter inesse pectori humano non posse, et duobus servientem dominis utrique placere difficile est. (S. ISIDOR. Hisp., lib. III *Sentent.*, c. 21, n. 1.)

Qui enim se negotiis sæcularibus implicant, ab internis et æternis semetipsos alienant, nec valent de invisibilibus magna considerare, qui a visibilibus animum nesciunt revocare. (RICHARD. A S. VICTOR., lib. I *in Apoc.* c. 1, ante med.)

Ponunt arcam Domini, id est administrationem ecclesiasticam juxta Dagon, qui temporalia non minus, quam spiritualia, et forte diligentius administrant. (PETR. Bles., epist. 16, *Ad episc. quemdam.*)

Abstineant ab omnibus quæ distrahunt a Deo ; hæc sunt autem negotia sæcularia. (S. THOM., *in II Epist. ad Tim.* c. II.)

§ II. — *A religione, et divino cultu.*

Cui Deus portio est, nihil debet curare, nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere; quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. (S. AMBROS., *De fuga sæculi*, c. 2, post init.)

Latro est, et templum Dei convertit in latronum specum, qui lucra de religione sectatur ; cultusque ejus non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. (ID. *ibid.* ; item S. CHRYS., hom. 38, *in Matth.*, c. XXI.)

Electis autem viris, et qui optimi judicati sunt, fugiendam esse profanam consuetudinem et curam sæcularem, quæ animum quoque bene firmum ebrium reddere potest, et ad absurdas voluptates propemodum deturbare perspicuum facit in *Levitico*, dicens (x, 9) : *Vinum et siceram non bibetis, tu et filii tui*, etc. Vide igitur illis vigilandum esse ; nam tenebris offusa mente, et corde curis oppresso, ex ebrietate sæculari laborante, (sunt enim, qui sine vino sint

ebrii) ministerium sacrum attingere, mortis causam affert. (S. Cyril. Alex., *De adorat. in spiritu et veritate*, lib. xii, qui est *De sacerd.*, sub fin.)

Domus Dei domus orationis et esse debet et dici, ne per officia negotiationis potius sit latronum spelunca. (Gelas., *Epist. ad episc. Lucaniæ*, refert. dist. 88, c. 2.)

Super patre et matre non contaminabitur (*Levit.* xxi, 11), id est, neque mundi negotiis, neque mortalis hujus vitæ desiderio polluatur. — Unde bene subjungitur : *De sanctis non egredietur, ne polluat sanctuarium meum* (*Ibid.*, 12); de sanctis enim sacerdos egreditur, cum neglectis animarum curis per desideria terrena vagatur; de sanctis egreditur, cum ecclesiastica disciplina postposita transeuntium causarum negotiis immoderatius implicatur. Ubi mox apte subjungitur : *Ne polluat sanctuarium meum.* Sanctuarium quippe polluitur, cum sacerdos quilibet per desideria terrena sparsus, causisque sæcularibus dissolutus sacrosanctis altaribus audacter assistere non veretur, cum videlicet sit, quod per prophetam dicitur (*Isa.* xxiv, 2) : *Et erit, sicut populus, sic sacerdos.* (Petr. Damian., opusc. 25 *De dignit. sacerdot.*, c. 1.)

Nimis impossibile est ut is, qui rerum familiarium curis opprimitur, qui simul habitando et colloquendo turbis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde sanctis valeat interesse mysteriis, in quibus videlicet terribilibus sacramentis cœlum aperitur, et virtutes angelicæ simul cum hominibus diversantur. Quantæ ergo munditiæ debent esse clerici, quam nitidi, quam denique a cunctis negotiorum sæcularium fœtoribus alieni! (Id., opusc. 27 c. 3, in fin.)

§ III. — *A debito ministerio.*

(Origenes agens de Achab, qui clam aliqua ex præda Jerichontina seponens in exercitum et castra intulit anathema;) Videte, ait, ne quid in vobis sæculare habeatis; ne sæculares mores, ne vitia, ne tergiversationem de sæculo vobiscum ad Ecclesiam deferatis... nolite divinis mundana miscere, nolite negotia sæculi Ecclesiæ secretis inserere. Qui hæc faciunt, accipiunt de anathemate. (Origen., hom. 7 *in Josue.*)

Ergo, cui Deus portio est, nihil debet curare, nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere; quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. (S. Ambros., *De fuga sæculi*, cap. 2, n. 7, p. 42.)

Sacerdotes in corpore Christi oculorum tenere vices, obscuratisque oculis totum corpus fieri tenebrosum, quis dubitet? Ex quo ingenti periculo sacerdotes, qui Ecclesiæ oculi sunt, negotiis sæculi, curis pecuniæ, et familiarium rerum incrementis et conviviorum luxibus occupantur. (S. Hilar., *in psal.* cxxxviii, ad ℣ 16.)

Sæcularia itaque negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam vero ex amore requirenda. (S. Greg., *Pastor.* part. ii, c. 7, post med.)

Ne, dum mens occupatur ad temporalia, minus, aliis provideat æterna. (Id., hom. 17 *in Evang.*)

Erunt Levitæ mei, etc. (*Num.* iii, 12.) Ac si manifestius dicat : Sicut eos mihi in proprium jus specialiter vindico, sic mihi jugiter deservire absque omni terrenæ conversationis subjectione decerno, nec eos velut servos jugo negotiorum sæcularium patior ignobiliter subjici, qui meis obsequiis dediti libertatis ingenuæ sunt titulo decorati. (S. Petr. Damian., opusc. 27, *De comm. vita canonic.*, init.)

In criminibus, non in possessionibus potestas vestra; quoniam propter illa et non propter has accepistis claves regni cœlorum, prævaricatores utique exclusuri, non possessores. (S. Bern., lib. i *De consid.*, c. 6.)

(S. Bern. multis negotiis occupatus, inquit,) Clamat ad vos mea monstruosa vita, mea ærumnosa conscientia; ego enimquædam chimæra mei sæculi, nec clericum gero, nec laicum. (S. Bern. epist. 250, *Ad priorem Portarum.*

ART. III. — *Quænam sint in genere sæcularia illa negotia?*

(Negotia sæcularia enumerantur in *Concil.* i *Mediol.*, part. ii, § *De negot sæcul.*) Actio causarum advocati aut procuratoris nomine coram judice sæculari. Officium tabellionatus in profanis negotiis. Ars medendi. Interpres seu mediator in negotiationibus et mercaturis. Negotiatio omnis generis. Conductio prædiorum alienorum lucri causa. Susceptio curæ aut tutelæ aliorum. Fidejussio pro aliis. Procurator negotiorum principis aut alterius. Famulatus laicorum etiam principum. Præcursor aut assecla feminarum.

Ad negotia sæcularia pertinet omnis carnalis concupiscentia. (*Ibid.*, c. *Multa*, lib. iii, *Decret.*, tit. 50, c. 1.)

Quidquid plus justo accipit homo, turpe lucrum est; munera injusta accipere, vel etiam dare pro aliquo sæculari quæstu; pretio aliquem conducere; contentiones vel lites, vel rixas amare; in plateis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum aut viduarum; conductores sæcularium rerum, aut procuratores esse; turpis verbi vel facti esse joculatorem, vel jocum sæcularem diligere; aleas amare; ornamentum inconveniens proposito suo quærere; in deliciis vivere velle; gulam et ebrietatem sequi; pondera injusta, vel mensuras habere; negotium injustum exercere, etc., canes et aves sequi ad venandum; et omnibus quibuslibet causis superfluis interesse. Ecce talia et his similia ministris altaris Domini, nec non et monachis omnino contra dicimus; de quibus ait Apostolus : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* ii, 4.) Ne clerici, etc. (*Concil. Mediol.* ii, *ibid.*)

Negotia contaminant, sed sæcularia, non spiritualia. (Hug. card., *in II Epist. ad Tim.*, c. ii, longe ante med.)

Hæc negotia sæcularia clericis interdicta opponuntur negotiis ecclesiasticis, quæ sant propria cleri,

et pastorum animarum, quæque cultum Dei respiciunt, virtutem religionis et salutem animarum. (Cajetan., 2-2, q. 187, art. 2.)

CAPUT IV.

Sæcularium quorumque clericorum, præsertim mundi amatorum societas.

ART. I. — *Clerici amatores mundi fugiendi sunt.*

Qui tetigerit... quodlibet immundum... immundus erit usque ad vesperum. (*Levit.* xxii, 5.)

Recedite a tabernaculis impiorum, et nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. (*Num.* xvi, 26.)

Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. (*Psal.* xvii, 27.)

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur. (*Prov.* xxiii, 20.)

Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. (*Eccli.* vii, 2.)

Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea; et qui communicaverit superbo, induet superbiam. (*Eccli.* xiii, 1.)

Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. (*II Thess.* iii, 6.)

Sicut omnis sacerdos et clericus ab hominibus segregatur et assumitur in his, quæ sunt ad Deum, ita debet eximi et separari ab hominibus sæculo et mundo servientibus, sive in sermone, sive in exteriore quocunque habitu et gestu, ut internoscatur servire Deo et non mundo. (*Synod. Ebroic.*, ann. 1576.)

Devovisti animam tuam ad destruenda omnia, quæ sunt hujus sæculi; quomodo autem quæris sæculum, cui renuntiasti? (*Tract. ad Virg. devot.*, inter Oper. S. Ambros., c. 1.)

Agito, quæ clerici sunt, et inter ipsos sectare meliores. (S. Hier., epist. 4, *Ad Rustic.*, longe post med.)

Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. (Id., epist. 2, *Ad Nepotian.*, ante med.)

Annuntia mihi, quem dilexit anima mea... ubi pascis, ubi cubas in meridie. (*Cant.* i, 6). Quid significat meridies? Magnum fervorem, magnumque splendorem. Ergo notum fac mihi, qui sint sapientes tui, spiritu ferventes et doctrina fulgentes... Ipsis inhæream in corpore tuo, ipsis socier, cum ipsis te fruar. Dic mihi ergo, *Annuntia mihi ubi pascis, ubi cubas in meridie*, ne incurram in eos, qui alia de te dicunt, alia de te sentiunt, alia de te credunt, alia de te prædicant, et greges suos habent, et sodales tui sunt. — *Annuntia mihi... ubi pascis, ubi cubas in meridie;* qui sunt sapientes et fideles, in quibus maxime requiescis; ne forte sicut latens incurram in greges non tuos. (S. Aug., hom. *De verbis Domini*, cap. 7, nunc est serm. 138.)

Morum uniuscujusque ac vitæ perspicuum argumentum est, eorum, qui cum ipso degunt, vitæ ratio. (S. Isidor. Pelus., lib. iii, epist. 29, *Hermogeni episc.*)

Nonne sacro illo atque electo genere dignissimum esse ducis, neque in ejusmodi vitiis esse, neque cum iis versari, qui illis laborant? — Prohibet morticinio et a bestia capto animante vesci, tanquam is cibus inquinare possit... ex quibus morticinium quidem hominem plane mortuum et in operibus secundum carnem exstinctum; captam vero a bestia animam, quæ in diaboli potestatem venerit, aperte significat. Rem porro salutarem esse, refugere ab homine, qui mortalia sapere sit assuetus, et cujus animus sit exstinctus, et tanquam de se ipso sanatam pascat; quomodo dubium esse poterit? — A mortuis operibus abscedere, et quam longissime disjunctos esse sanctorum hominum dignitas postulat, expeditque cum illis minime congredi, qui ejusmodi morbis affecti sunt; scriptum est enim, qui tangit picem, inquinabitur. (S. Cyril. Alex., *De ador. Dei in spiritu et veritate*, lib. xii, qui est *De sacerd.*)

Ut distinguas, inquit Deus (*Levit.* x, 10) *inter sanctum et profanum, inter mundum et immundum*, etc. Hoc autem est aperte dicere convenire sacerdotibus, ut... ab hominibus sanctis, sed profanis atque impuris recedant; id autem perfacile, ut opinor, quivis efficiet, si sacer ac mundus fuerit. *Omne enim animal*, inquit, *diligit simile sibi, et simili sibi sociabitur homo.* (*Eccli.* xiii, 19.) [*Ibid.*, in fin.]

Qui ignis cœlestis seu divini amoris odorem olfecit, is, velut apicula fumum, ita hominum cœtus odit. (S. Joan. Climac., grad. 11, circa fin.)

Ne te dixeris sanum dolentem latera, hoc est, ne te dixeris bonum malis innitentem. (S. Bern., *De consid.* lib. iv, cap. 4, circa init.)

Bonos in consilio, bonos in obsequio, bonos habeas contubernales, qui vitæ et honestatis tuæ et custodes sint et testes; in hoc etenim te bonum probabis, si testimonium a bonis habueris. (Id., epist. 28, *Ad Ardutionem Gebenn. episcop.*, circa finem.)

Quam multos stultorum societas decipit! (*De ordine vit.* inter Oper. S. Bern., cap. 3.)

Modis omnibus cave ne sæcularibus te involvas; nulla enim consonantia est Spiritus Dei ad spiritum hujus mundi: permane in vocatione: mundus in maligno positus est. (Petr. Bles., *De institut. episc.*, longe post med.)

ART. II. — *Cur fugiendi.*

Sectio prima. — *Ad mundi amorem alliciunt.*

Qui autem majorem in modum sæcularium hominum amicitia delectatur, eaque re assidue cum illis esse in colloquiis cupit, is ex frequenti cum illis sermone pravas eorum affectiones in animum facile insinuaverit, et mente rursum cogitationibus mundanis completa a præclara illa quam erat aggressus, instantia operis desciscet, et a se deinceps proscripta vitæ spiritualis stabilitate, quem ex animo effuderat, vitæ prioris vomitum resorbebit, atque adeo saucius tandem concidet, etc. (S. Basil., *Constitut. monastic.*, c. 20.)

Non audistis ? vitate canes, vitate malos operarios. Qui sunt isti ? Homines hujus sæculi, qui non sequuntur vestigia Christi. Rogo te, quid tibi demonstrant ? Dic mihi castitatem, quam non habent ; jejunium, quod odiunt ; humilitatem, quam opprimunt ; sobrietatem, quam negligunt, etc. Nescio autem quid vis studere cum ipsis. (*Tract. ad Virg. devot.*, c. 1.)

Facili negotio ex usu et familiaritate externorum ad ea, quæ sprevimus, revertimur. (S. Joan. Climac., grad. 2, n. 4.)

Relinque mortuos sæculares mortuos suos corpore sepelire. (Id., grad. 2, n. 7, ex *Luc.* ix.)

Ad vetustatem vitæ per societatem sæcularium ducitur. (S. Greg., *Pastor.* part. ii, c. ult.)

Mox ut verba conserimus, paulatim quædam lenocinia confabulationis alternæ subrepunt, quæ omnem animi rigorem indecenter emolliant, et severitatis robur in excelsum risum et turpia joca dissolvant. (S. Petr. Dam., opusc. 20, c. 7, ante med.)

Efficaciora remedia contra omnia vitia sunt ista ; etc... Quartum est elongatio a consortio sæcularium; quia, sicut aqua turbata, si ponatur seorsum a frequentia transeuntium, purificatur magis ; ita mens religiosi a sæculo sequestrata minus afficitur circa terrena, et cœlestia magis desiderare nititur, et prius intelligere, et facilius inhærere de eis cogitando. (S. Bonav., *De profectu religios.*, lib. i, c. 25.)

Sectio secunda. — *A Deo avocant.*

Frequens exitus, et conversatio cum sæculo, et occupatio nimia exteriorum devotionem mentis exstinguit, fervorem spiritus tepefacit, forte propositum virtutis emollit, cor dissolvit, studium proficiendi debilitat, delicias docet amare, sine fructu tempus expendere, orationes negligere. Horas canonicas desidiose et in cursu dicere ; tandem subintrant aquæ tentationum, etc. (Vide S. Bonav., *De instit. novit.*, part. i, cap. 34.)

Multum deorsum ducimur, dum locutione continua sæcularibus admiscemur. (S. Greg., lib. iii *Dialog.*, cap. 15, post med.)

Laquei et pedicæ sunt aspirantibus ad salutem sæcularium congressus, ac prolixæ eorum confabulationes mentem prorsus avocant a Dei glorificatione et spirituali lætitia. (S. Antioch., hom. 102, post med. Floruit circa init. vii sæculi.)

Hinc est, quod mens extra se sparsa confunditur, auris cordis obtunditur, lux divini amoris exstinguitur, terror in alios et reverentia sacerdotalis amittitur, et, quod periculosius est, recte vivendi linea, quæ aliis ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. (S. Petr. Damian. opusc. 20, c. 7, ante med.)

Corrumpunt bonos mores colloquia mala (*I Cor.* xv, 33) : propterea, quantum poteris, fili, confabulationes hos pitum declinato, quæ, dum aurem implent, evacuant mentem. (S. Bern., epist. 351, et nunc 322, *Hugoni novitio*, n. 2.)

Sectio tertia. — *Ad peccatum adducunt.*

Ovis scabiosa in alias oves transfundit scabiem, nisi separetur a sanis : et homo peste laborans multis cavendus ; canis etiam rabiosus, quidquid attigerit, in eo periculum offert. (S. Clem., *Constit. apost.*, lib. ii, c. 17.)

Aquæ augent fenum, et conversatio sæcularium passionem superbiæ. (S. Ephrem., *De timore Dei, ad imitat. Prov.*)

Qui virtute exciderunt, nituntur supplantare cæteros, ne soli in dedecore versentur : loquuntur humilia, dulciterque respondent, etc. Scandalum multis, et lapsum et interitum afferunt ; et, quasi esca in hamo, iis utitur diabolus. (Id., adhort. 2.)

Sicut, qui ignem excitat, flammam suscitat ; ita et mundana colloquia, passiones atque affectiones pravas in corde commovent. (Id., parænes. 46, init.)

Dum multi revererentur amicitiam, in ebrietatis fluctus devoluti sunt. (S. Chrysost., *Hom., in psal.* cxl, longe ante fin., ad hæc verba (ỳ 4) : *Et non communicabo cum electis eorum.*)

Nihil ita pestiferum ac perniciosum, ut consuetudo pravorum hominum et conversatio ; quippe cum amicitia atque necessitudo et ad nocendum et ad adjuvandum plus nonnunquam efficit, quam necessitas potuisset. (Id., hom. 60 *in Matth.* xviii, ante med.)

Nullum, precor, habeas cum homine sæculari commercium ; qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea, bonosque mores prava colloquia corrumpunt, et vita reproba trahitur a convictu. (Petr. Bles., epist. 134, longe ante fin.)

Providendum igitur sub hoc exemplo (Isaiæ scilicet) non solum ut ipsi simus justi, sed ne cum peccatoribus moremur, quia hoc in peccati et miseriæ parte ducit propheta. (S. Hier., epist. 142, *Ad Damasum*, post med.)

Valde difficile est, ut lingua sæcularium mentem non inquinet, quam tangit ; quia, dum plerumque eis ad quædam loquenda condescendimus, paulisper assueti hanc ipsam locutionem, quæ nobis indigna est, etiam delectabiliter tenemus, ut ex ea jam redire non libeat, ad quem velut ex condescensione deducti venimus inviti ; sicque fit ut ab odiosis ad noxia, a levioribus ad graviora verba veniamus, et os nostrum ab omnipotenti Domino tanto jam minus exaudiatur in prece, quanto amplius inquinatur stulta locutione. (S. Greg., lib. iii *Dialog.*, cap. 15, paulo ante fin.)

Periculosum est vitam cum malis ducere, et greges his, qui prave vivunt, sociari : melius est habere odium malorum, quam eorum societatem. (S. Isidor. Hispal., *De contemptu sæculi, de bonorum consortio.*)

Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, quoniam in medio populi polluta labia habentis ego habito. (*Isa.* vi, 5.) Qui nimirum idcirco se pollutum labiis asserebat, quia inter eos qui polluti erant labiis, habitabat. — Etiamsi mundus sit quis in se, malorum

nonnunquam societate polluitur. (Petr. Damian., opusc, 27, cap. 4.)

Inter bonos bonum esse tantæ felicitatis est, quantæ est securitatis; inter malos vero bonum esse tantæ est virtutis, quantæ est difficultatis : quale nempe est istud, tangere picem, et non inquinari ex ea, in igne sine læsione versari. (S. Bern., epist. 25, *Ad Hug. Rothomag. arch.*)

Si in intemperantium incidamus consortia, qui sub specie jucunditatis venenum infundunt bonis ; hi si assidui sunt maxime in convivio, ludo, risu ac joco, enervant gravitatem illam virilem, et animos pueriles corrumpunt, atque suis malis assuefaciunt... usus enim cito inflectit naturam. Quam multos stultorum societas decipit! (*De ordine vitæ*, inter Oper. S. Bern., cap. 3.)

Nemo bonus secure cum malis habitat : *corrumpunt* utique *bonas mores colloquia mala*. (*I Cor.* xv, 33.) Crede mihi quoniam minime eorum, cum quibus es, devitare poteris laqueos, si non secesseris cito, et ab hoc te subduxeris lethali consortio ; nunquid ignoras diabolum caput esse malignantium, atque semper in eorum residere collegio ? (S. Laur. Justin., *De triumphali Christi agone*, cap. 8, n. 6.)

Sectio quarta. — *Famam sibi adhærentium imminuunt.*

Subtrahere nos debemus ab omni fratre ambulante inordinate, ne forte suspicionem demus his, qui nos vident. (S. Ephrem., parænes. 46, circa med.)

Quamobrem te non oportet ipsum vulgus contemnere, quin potius suspiciones pravas, statim atque exortæ illæ fuerint, intercidere... ac nihil prorsus omittere rerum earum, quæ pravam de te opinionem delere possint. (S. Chrysost., lib. v *De sacerd.*, c. 4.)

Providendum est, ut... ne eos, qui turpia faciunt, in familiarium et necessariorum numero habeamus : metuendæ sunt enim vituperationes, etiamsi falsæ sint ; quandoquidem multi veritatis ignari ad famam oculos conjiciunt, atque unumquemque talem esse judicant, quales eos esse conspiciunt, qui cum eo versantur. (S. Isid. Pelus., lib. III, epist. 124.)

Si collaterales tui, aut alii, qui tuæ familiaritatis auctoritate utuntur, offenderint, scis quia in te culpa refundetur. (Petr. Bles., *De instit. episcop.*, longe post init.)

ART. III. — *Quomodo fugiendi.*

Sectio prima. — *Nunquam cum eis ineundo familiaritatem.*

Ab illorum autem, qui in vitiorum luto volutati se maleficiis pascunt, familiaritate abstinere, cum eos omnes jubemus, tum præcipue minorum ordinum clericos, qui nondum ætate confirmati sunt, neque firmo virtutum robore muniti proclivius ad vitia prolabuntur. (*Conc. Mediol.* IV, part. III. tit. *De vit. et hon. cleric.*, post med.)

Illud non modo prohibemur, sed divina contestatione obsecramus ecclesiastici ordinis homines, eos præsertim, qui in sacerdotis gradu constituti sunt, quive animarum curam gerunt, ut, quos in vitiorum fæce versari animadverterint, caute et sapienter studeant a peccatis flagitiisque deterrere, et ad virtutem cohortari ; eisdemque in scelerum gurgite laborantibus opem ferre verbis, consiliis, exemplis, atque ita quidem, ut, dum illos juvare conantur, ne se familiaritate inquinent. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *De vit. et hon. cleric.*, post med.)

Nimiam laicorum familiaritatem, multarum offensionum et scandalorum originem, debent clerici in quocunque gradu constituti declinare ac fugere. — Meminisse debent (clerici) non aliunde clericalis ordinis dignitatem gravius fuisse offensam, quam a nimia laicorum familiaritate ; illi enim, ut honeste de iis, quæ honesti speciem præ se ferunt, sentire solent ; ita, si honestum illud, quod opinione comprehenderunt, assidua tractatione non reperiunt, parvipendere, et, quos imperfectiores norunt, contemnere omnino solent. (*Conc. Aquileiense*, ann. 1596, cap. 11, *De vit. et hon. cleric.*, post med.)

Timendus est amor talium, quibus sine Christo placetur. (S. Paulin., epist. 30 et epist. 1, *Ad Aprum*, longe post init.)

Si virtutem colis, inquiunt, cur cum improbissimis societatem inis? (S. Isidor. Pelus., lib. III, epist. 124.)

Malorum namque, cum incaute amicitiis jungimur, culpis ligamur : unde Josaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur (*II Paral.* XIX), de Achab regis amicitiis pene periturus increpatur. (S. Greg., *Pastor.*, part. III, c. 1, admon. 23.)

Agnoscite, dilectissimi, et expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. (S. Bern., serm. 1, *De convers. S. Pauli*, n. 3.)

Fugienda est nobis familiaritas et confabulatio eorum, qui turpiter et indisciplinate vivunt. (*De ordine vitæ*, inter Oper. S. Bern., cap. 3.)

Teste experientia didicimus, quod sæcularium assidua conversatio... occasionem maximam tribuit delinquendi, eoque vehementius impellit ad malum quo ardentius diligitur. (S. Laurent. Justin., *De obed.*, c. 17, n. 2.)

Sectio secunda. — *Illorum fugiendo conversationem.*

Qui conversationibus gaudet mundanis, sæculum nondum se odisse ostendit. (S. Ephrem., parænes. 46, init.)

Quemadmodum in pestilentibus locis sensim tractus aer latentem corporibus morbum injicit, sic etiam in prava consuetudine et conversatione maxima nobis mala oriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur. (S. Basil.)

Negotiatorem clericum, et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge, corrumpunt bonos mores confabulationes pessimæ. Tu aurum contemnis, alius diligit : tu calcas opes, ille sectatur : tibi cordi est silentium, mansuetudo, secretum ; illi verbositas, attrita frons, cui nundinæ,

fora placent et plateæ, ac medicorum tabernæ. In tanta morum discordia, quæ potest esse concordia? (S. Hier., epist. 2, *Ad nepot., De vita cleric.*, ante med.; S. Bonav., *De instit. novit.*, c. 34.)

Nonne, qui oderunt te, oderam et perfecto odio oderam illos? Quod nobis cum horum societate commercium sit, cum quorum sorte discretio est? (S. Paulin., epist. 30, et epist. 1, *Ad Aprum*, post init.)

Sic verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aerem trahimus corpore; et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, ita perversa locutio assidue audita infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis, et assidui iniquitate sermonis. (S. Greg., hom. 9, *in Ezech.*, post. med.)

Est aliud, quod mihi de sacerdotibus sæcularis ordinis displicet, quia, sicut sæcularibus mista regionariæ civilitatis habitatione colliminant, ita nihilominus plerique ab eorum conversatione et inconditis moribus non discordant, curis sæcularibus indifferenter inserviunt, ac otiosi se sermonis ineptiis non compescunt, imo per lites et jurgia, etc. (S. Petr. Damian., opusc. 26, c. 1, paulo post init.)

Si te de Spiritu sancto concepisse nova cœlestis vitæ desideria sentias, fuge malorum consortia; ascende cum Maria; quære virorum spiritualium consilia; fuge perversorum venenosa consilia. (S. Bonav., *De quinque festivit. pueri Jesu*, fest. 1, *De concep.*, ante med.)

Sectio tertia. — *Eorum tectum, quoad fieri potest, sibi interdicendo.*

Nullus presbyterorum sine permissione episcopi sui cum sæcularibus habitare præsumat; quod si fecerit, ab officii communione pellatur. (*Conc. Aurelian.* II, c. 9, ann. 533.)

Parum interest an cum dæmone quis habitet, an cum viro apostata et desertore iniquo : adjuratus enim dæmon, præ timore aufugiet, etc. Adjurari autem magis possunt impuri dæmones, quam persuaderi iniquitatis filii. (S. Ephrem., *Testament.* longe post med.)

Nimis impossibile est, ut is, qui simul habitando et colloquendo turbis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde sanctis valeat interesse mysteriis. (S. Petr. Damian., opusc. 4, *De communi vita canonic.*, c. 3, in fin.)

Sed hoc faciunt, inquis, cum quibus habito : si non facio quod cæteri, de singularitate notabor. Propterea, inquam, exi de medio eorum, ne aut in urbe notabiliter vivas, aut exemplo pereas aliorum. (S. Bern., epist. 2, *Ad Fulconem*, ante fin., n. 11.)

Sectio quarta. — *Eorum consilia respuendo.*

Semper pervertere quærunt, impedire appetunt, lacerare non desistunt; nova sancti Spiritus inspirata desideria, et sæpe sub specie et boni et pietatis virus infundunt impiæ tepiditatis, dicentes : Nimis magnum est quod incipis, nimis arduum quod proponis, intolerabile quod facis, vires tibi non suppetunt, virtutes naturales deficiunt, caput confunditur; oculi destruuntur, infirmitates diversimode nutriuntur; pthysis, calculus et vertigo capitis, oculorum caligo, sensuum hebetudo, rationis obnubilatio, et virium destructio; his omnibus subjacebis, nisi ab inceptis abstineas, et commodo corporali amplius intendas; statum tuum non decent talia; per hæc diminuitur honor tuus et reverentia, etc. — Heu, heu, quot et quantos maledicta mundialium consilia supplantaverunt, et conceptum in eis per Spiritum sanctum Dei Filium exstinxerunt! Hæc est illa potio misera et mortifera, quæ in multis spiritualem conceptum impedit, in plerisque conceptum jam per propositum formatum, vel per votum jam perfectum interficit et exstinguit. (*De quinque festivit. pueri Jesu*, fest. 1, *De concept.*, circa med.)

CAPUT V.

Aula.

ART. I. — *Aula a clericis non frequentanda.*

Nullum oportet episcopum ad castra accedere præter eos, quos pius imperator noster suis litteris accersit. (*Concil. Sardic.*, can. 7, ann. 347.)

Palatii secreta nec quæro, nec novi. (S. Ambros., epist. 32, *Ad Valentin. imp.*, in fine., nunc epist. 21, n. 20.)

Dum non erubescunt templo Dei mutare palatium, de religione canonica in ordinem transeunt laicorum; virtutum arma deponunt; procinctum spiritalis militiæ deserunt; castra transfugiunt, militare cingulum solvunt. (S. Petr. Damian., opusc. 22, *Contra cleric. aulicos*, init.)

Cum et forensibus legibus cautum sit, ut curialis quisque funditus arceatur a clero, iste de ecclesia migravit ad curiam, et, heu! prodigiosa vesania! ut præferatur clericis, qui de clerico efficitur curialis; factus est servus mundi, ut jus Domini, imo cathedram pestilentiæ usurpet in domo Dei. (*Ibid.*, c. 2, in fin.)

Curia bonos facilius recipere, quam facere, consuevit; quod si plures in ea defecisse bonos, quam malos profecisse probavimus, quærendi sane, quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, utpote jam perfectis. (S. Bern., *De consid.* lib. IV, circa med.)

Damnabile est in clerico se curialibus negotiis immiscere. (Petr. Bles., epist. 14, circa init.)

In sacris ordinibus constitutus, et sacro eloquio pollens, etc., omnino inexcusabilis est, si curialibus vinculis se innectit. (*Ibid.*, ante med.)

ART. II. — *Quare clericis non frequentanda.*

Sectio prima. — *Ne iisdem, quibus aulici, vanis sollicitudinibus premantur.*

(In principum curiis) per pericula ad grandius periculum pervenitur. (S. Aug., libr. VIII *Confess.*, c. 6, paulo ante fin.)

Curiales in labore et ærumna, in vigiliis multis, in periculis magnis, etc., in quibus gloriam martyrii mererentur, si hæc pro Christi nomine sustinerent; nunc autem sunt martyres sæculi, mundi professores, discipuli curiæ. — Per multas tribulationes intrant justi in regnum cœlorum; hi autem per multas tribulationes promerentur infernum. (Petr. Bles., epist. 14, *Ad Sacellanos aulicos regis Anglor.*, longe post init.)

Curia laboriosa et *operta mortis caligine, ubi umbra mortis, et nullus ordo.* (*Job* x, 22.) (*Ibid.*, longe post med.)

Apud curiales in accipiendo cibo, in equitatu, in vigiliis, non est ordo, non est ratio, non est modus. (*Ibid.*, paulo post med.)

Se laboribus torquent, cruciant curis, expensis eviscerant. Nonne figuram araneæ gerunt, quæ de suis visceribus telam texit, ut capiat muscam vilissimam? quid est inanis gloria, quam venantur, nisi musca vilissima, murmurosa, sordida, pungitiva (*Ibid.*, circa med.)

Homines in curia sabbatizare non vidi; unde et in ea parte melior est conditio jumentorum. — Tædium frequenter afficit curiales. (*Ibid.*, circa init.)

Sectio secunda. — *Ne aulæ laqueis et vitiis implicentur.*

Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. (*Matth.* xi, 8.)

In prætorio difficilis innocentia. (S. Ambros., *in Luc.* xxii, 57.)

Aula regia, est locus repletus hydropicis; omnes enim sunt inflati et tumidi; qui autem non sunt, studium ponunt ut fiant. (S. Chrysost., hom. 21 in *Epist. ad Ephes.*, c. vi, paulo ante morale.)

Vita curialis mors animæ. (Petr. Bles., epist. 14, *Ad Sacellanos aulicos regis Angl.*, paulo post initium.)

Audite, quod de talibus dicat Dominus per Prophetam (*Ose.* ii, 8) : *Dedi eis*, inquit, *argentum et aurum meum; ipsi vero de auro et argento meo operati sunt Baal*, etc. (*Ibid.*, ante med.)

Omnium curialium oculus ambitio. (*Ibid.*, circa med.)

Curia plena est laqueis mortis. — Ad correctionem et eruditionem regum, inquiunt, missi sunt Moyses ad Pharaonem, Jeremias ad Sedeciam, Elias ad Achab, Osea ad Josiam. O clerice curialis! nunquid Dominus misit te ad regem? In obsequium ejus te misit aut potius intrusit ambitio. — *Milita*, inquit Apostolus, *militiam bonam.* (*I Tim.* i, 18.) Ubi dicit militiam bonam, patenter excludit militiam curialem, tanquam male sibi consciam, inhonestam, reprobam, perditam et damnatam. (*Ibid.*, sub fin.)

Quidquid in curiis agitur, fere peremptorium est salutis, ambitiosum, adulatorium, fictum, detractorium, subdolum, invidum, crudele et impium, et generaliter temporalis quæstus et inanis gloriæ vernativum. (Id., epist. 139, *Ad R. abbatem et conventum Cicestrens.*, post med.)

Sane periculosum est in curia mori; nec leviter ascendet ad eminentiam perfectiorum, qui se castrensibus alligavit vinculis, et curialem incidit labyrinthum. (Id., epist. 150, *Ad clericos aulæ regiæ*, paulo post init.)

Si te curialium labyrinthis immerseris, magna spiritualis exercitii detrimenta patieris. (Id., *De instit. episc.*)

Adire curias et palatia propter pias causas licitum fatemur; sed timeamus damnum ac ruinam; nam Petrus, ut Bernardus prænotavit, semel palatium intravit, et ter Dominum negavit... Curiam Diogenes definivit, quod est locus ad decipiendum et prævalendum; qui sunt actus diabolo permissi a Deo. (Cajetan., 2-2, q. 187, act. 2, in fin.)

CAPUT VI.

Convivia.

ART. I. — *Convivia, quantum fieri potest, a clericis vitanda.*

Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur. (*Prov.* xxiii, 20, 21.)

Clericus inter epulas constans degradetur ab officio. (Atto II, episc. Vercel., *Capitul.* cap. 46, ex *Conc. Carth.* iv, c. 61.)

Caveat ne in nuptialibus laicalibusve conviviis aut mensis canendo operam suam navet, ulla quidem vel amicitiæ, familiaritatis, obsequii alteriusve rei causa, cum præsertim clericalem hominem inter epulas canere veteri canone plane interdictum sit. (*Conc. Mediol.* iv, part. iii, tit. *De vit. et honest. cleric.*, ante med.)

Comessationes, compotationes, convivia publica laicaliave, tum maxime, in quibus mulieres intersunt, evitate. (*Ibid.*, tit. *Monitiones*, ante med.)

Convivia et nimiam laicorum familiaritatem multarum offensionum et scandalorum originem debent clerici in quocunque gradu constituti declinare ac fugere, honestatem vero, quæ inter clericos tutius servatur amare. (*Conc. Aquileiæ*, c, 1, *De vit. et honest. cler.* ann. 1598.)

Nefas est pugilem Dei vacare deliciis; non licet epulari luctantem, (S. Chrysost., hom. 8, *in II Epist. ad Tim.*, c. iii, ante med.)

Convivia tibi vitanda sunt sæcularium; et maxime eorum qui honoribus tument... consolatores potius nos in mœroribus suis, quam convivas in prosperis noverint. (S. Hier., epist. 2, *Ad Nepotian.*, post. med.)

Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. (*Ibid.*, paulo ante fin.)

Summe cavere debet clericus, ne extra domum suam vel episcopi prandere audeat, vel in eadem

ctiam audeat sæcularibus præparare. (Serm, 36, *Ad fratres erem.*, inter Oper. S. Aug., ante med.)

ART. II. — *Cur a clericis vitanda.*

Lege Patrum cavetur, ut (clerici) convivia inhonesta et turpia fugiant... privata non tantum pudica, sed et sobria colant. (*Conc. Mogunt.*, ann. 813, c. 10, ex S. Isid., lib. II *De offic.*, c. 2.)

Clerici laicorum convivia non frequentent. (*Conc. Raven.* III, ann. 1314, rubric. 10.)

Omnis sacerdos clericusve publica convivia et comessationes ejusmodi vitet, quibus sæpe fit ut contemptui sit ecclesiastici ministerii dignitas. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. 2, *De vita honest. cleric.*, ante. med.)

Quam prudenter factis convenire ecclesiasticis et maxime ministrorum officiis arbitror, declinare extraneorum convivia, vel ut ipsi hospitales sitis peregrinantibus, vel ut ea cautione nullus sit opprobrio locus : convivia quippe extraneorum occupationes habent ; tum etiam epulandi produnt cupiditatem ; subrepunt etiam fabulæ frequenter de sæculo, ac voluptatibus claudere aures non potes ; prohibere, putatur superbiæ. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 20.)

Multi capti sunt a fornicatione, et ignem voluptatis accenderunt, dum secuti sunt convivia. (S. Chrysost., *hom. in Psal.* CXL, longe ante fin., ad hæc verba ℣ 4) : *Non communicabo cum electis eorum.*)

Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium ire non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati ; nescio enim quomodo etiam ipse, qui deprecatur ut tribuat, cum acceperis, viliorem te judicat ; et mirum in modum, si, cum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur, etc. (S. Hier., epist. 2, *Ad Nepotian.*, sub fin.)

Nam valde despicitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium non recusat, etiam necessitate aliqua compulsus. (*Ad frat. in erem.* serm. 36, ante med., inter Oper. S. Aug.)

CAPUT VII.

Profana oblectamenta.

ART. I. — *Animi relaxatio quandoque necessaria.*

Quidam venator vidit abbatem, (magnum scilicet Antonium) gaudentem cum fratribus suis, et displicuit ei. Volens autem senex ei ostendere, quia oportet aliquando condescendere fratribus, dicit ei : Pone sagittam in arcu tuo, et trahe, etc. (ut de sancto Joanne relatum est) dicit ei venator : Si supra mensuram traxero, frangetur arcus. Dicit ei abbas Antonius : Ita est in opere Dei ; si plus a mensura tendimus, fratres cito deficiunt, expedit ergo una et una relaxare rigorem eorum. (*Vit. Patr.*, lib. V ; lib. X *De discr.*, n. 2, edit. Rosvic.)

Locus, in quo spatiabar, maris ripa erat ; soleo enim fere hujusmodi oblectamentis labores dissolvere ac relaxare ; quandoquidem nec perpetuam contentionem nervus ferre potest, sed laxari nonnunquam oportet arcus... Siquidem rursus intendendus sit, ac non inutilis sagittario tum futurus, cum eo utendum erit. (S. Greg. Naz., orat. 28, n. 21.)

Quod velis prolixe facere, aliquando ne feceris. (S. Ambros., lib. III *De Virgin.*, c. 4, n. 17.)

Cum recreare animum volueris, poteris hortos petere, fluentes rivos conspicere, ingentes lacus considerare, amœna cernere loca, cicadas audire canentes, in templis martyrum conversari ; unde præcipua tibi corporis sanitas tribuetur, ac ad animam tuam eximia perveniet utilitas ; unde singularem capies voluptatem. (S. Chrysost., hom. 38 *in Matth.*, sub fin.)

Sicut corpus jejunio maceratum non nulla indiget refocillatione, ut rursus vigescenti alacritate ad ferendos jejunii labores redeat ; ita et anima nostra remissione indiget et quiete. (Id., hom. 11 *in Gen.*, init.)

Volo tandem tibi parcas, et apertum ire per auras animum permittas ; nam sapienter remittere interdum aciem rebus agendis decenter intentam. (S. Aug., lib. II *De musica*, c. 14.)

Semper æquanimius quælibet fatigatio sustinetur, et sine fastidio labor impenditur, si interjecta ei vicissitudo quædam succedat. (Cassian., lib. III *Instit.*, c. 11.)

Sæpe accidit, non dicam, novitiis et infirmis, sed etiam experientissimis atque perfectis, ut, nisi mentis eorum directio atque censura quibusdam mollita fuerit vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritus, aut certe in perniciosam corporis valetudinem collabatur. (Id., collat. 24, c. 20.)

Fertur beatissimus evangelista Joannes, cum perdicem manibus molliter demulceret, quemdam ad se habitu venatorio venientem subito conspexisse, qui miratus quod vir tantæ opinionis et famæ ad tam parva et humilia se oblectamenta submitteret ; tu ne es, inquit, ille Joannes, cujus fama insignis atque celeberrima me quoque summo desiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergo oblectamentis tam vilibus occuparis ! Cui sanctus Joannes : Quid est quod manus tua gestat ? At ille, Arcus, inquit ; et cur, ait, non eum tensum ubique semper circumfers? Cui ille respondit : Non oportet, ne jugi curvamine rigoris fortitudo laxata mollescat atque depereat, et, cum oportuerit ut fortiora in aliquam feram spicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ tensionis amisso violentior ictus non possit emitti. Nec nostri, inquit sanctus Joannes, animi te offendat, o juvenis, tam parva hæc brevisque laxatio, quæ nisi remissione quadam vigorem intentionis suæ interdum relevet, ac relaxet, irremisso rigore lentescens virtutis spiritus, cum necessitas poscit, obsecundare non poterit. (*Ibid.*, cap. 21.)

Macarius Alexandrinus in colloquiis hilaris et jucundus, urbanus, salibus utens, juvenes ad studium

et exercitationem pietatis adducebat. (P. Cantor., lib. IX, c. 14 ; Suidas, in *Macario*.)

Plerumque virtus, cum indiscrete tenetur, amittitur ; cumque discrete intermittitur, plus tenetur. Nec mirum, si in incorporeis id intelligimus, quod agi et in corporeis videmus. Ex studio namque arcus distenditur, ut in suo tempore cum utilitate tendatur, qui si otium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipso usu tensionis perdit. Sic aliquando in exercitatione virtus, cum per discretionem prætermittitur, reservatur, ut tanto post vitia valenter feriat, quanto a percussione interim prudenter cessat. (S. Greg., lib. XXVIII *Moral.*, c. 6, longe post med.)

Sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continue laborare, propter hoc quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur ; ita etiam est ex parte animæ, cujus etiam est virtus finita ad determinatas operationes proportionata ; sicut autem fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem ; ita etiam oportet quod fatigatio animalis solvatur per animæ quietem ; quia autem animæ est delectatio, et ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi, per aliquam delectionem intermissa intentione ad insistendum studio rationis. (S. Thom., 2-2, q. 168, art. 2, in C.)

In collationibus Patrum legitur, quod beatus Joannes evangelista, cum quidam scandalizarentur quod eum cum discipulis suis ludentem invenirent, dicitur mandasse uni eorum, qui arcum gerebat, ut sagittam traheret ; quod cum pluries fecisset, quæsivit utrum hoc continue facere posset ; qui respondit : Quod si hoc continue faceret, arcus frangeretur. Unde beatus Joannes subintulit quod similiter animus hominis frangeretur, si nunquam a sua intentione relaxaretur. — Dicta vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocantur ludicra vel jocosa, et ideo necesse est talibus interdum uti, quasi ad quamdam animæ quietem. (*Ibid.*)

Amici Dei quandoque possunt consolari consolatione temporali, sicut de verbis ædificatoriis, de ludo honesto, etc. (S. Brigit., *Revelat.* lib. IV, c. 12.)

ART. II. — *Quomodo relaxandus animus?*

Initium eversionis atque interitus animæ monachi est risus et impunitas, atque licentia... Risus et licentia monachum in turpes animi passiones conjicit, neque solum juvenes, sed et senes. — Hilari itaque atque amœno simus aspectu, gloriantes in Spiritu sancto, super donis Domini, cogitatione autem et animo plorantes atque gementes. (S. Ephrem., *Non esse ridendum*, etc., init.)

Licet interdum honesta joca ac suavia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula, quoniam in Scripturis sanctis non reperimus ea, quemadmodum usurpare possimus. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, cap. 23 ; apud D. Thom., 2-1, quæst. 168, art. 2, ad 1.)

Risus quidem peccatum non est ; fit autem peccatum, si ultra modum effundatur ; nam ex risu facetiæ, ex facetiis verborum obscenitas, ex obscenitate verborum turpia facta oriuntur. (S. Chrysost., serm. 34, *De resurrect.*, paulo ante fin.)

Risus est corruptio disciplinæ, et ideo dicebat (Christus) : *Væ vobis qui ridetis.* (*Luc.* VI, 25.) (Salvian., lib. VI *De gubernat. Dei*, longe ante med.)

Recreatio, mihi credite, et relaxatio, et inanis gloria omnem monachi fructum excutiunt. (S. Isaias abbas, orat. 1, in fin.)

Caveamus ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam quasi concentum quemdam bonorum operum ; usus enim cito inflectit naturam. — Cavenda sunt omnia, quæ inflectere possunt gravitatem propositi nostri nostræque professionis : *Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis vos.* (*Luc.* VI, 25.) (*De ordine vitæ*, inter Oper. S. Bern., cap. 3, post med., ex S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 20, dub.)

Non tam quod animum delectando ad horam detineat, quam quod spiritualibus studiis delectatione conservet et nutriat, in quo remittatur ad horam animus, non resolvatur ; unde se facile mox, ut sibi ad seipsum redeundum esse visum fuerit, expediat sine controversia inhibentis voluntatis, absque contagione contractæ delectationis vel memoriæ imaginantis. (*De vita solit.*, *Ad fratres de Monte Dei*, inter Opera S. Bern., cap. 8.)

Circa jocosa tria videntur esse præcipue cavenda, quorum primum et principale est, quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus vel nocivis.... Aliud autem attendendum est, ne totaliter gravitas animæ resolvatur. Unde Ambros. (lib. I *De offic.*, c. 20) : Caveamus ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam quasi concentum quemdam bonorum operum. Tertium, attendendum est, sicut et in omnibus aliis humanis actionibus, ut congruat personæ, et tempori, et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinetur, ut scilicet sit et tempore et homine dignus. (S. Thom., 2-2, q. 168, art. 2, in corpore.)

Ludo et joco uti quidem licet, sed, sicut somno et quietibus cæteris, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. (*Ibid.*, ad 3.)

ART. III. — *Quænam oblectamenta clericis vetita?*

Sectio prima. — *Saltationes et choreæ.*

A chorearum spectatione clerici abstineant. Saltationem vero privatam et publicam, quod est intemperantissimæ temeritatis genus, nulla ratione committant, nisi gravioris correctionis virgam experiri affectent. (*Conc. Aquileiens.*, ann. 1596, cap. 11, *De vita et honest. cleric.*, post med.)

Multi nobiles, multi docti ac scribæ, et legisperiti, et reges, et principes..., doctores et monachi, etc. Quis horum omnium poterit affirmare aut ostendere

Christiano homini licere citharœdorum more ludere, aut tripudiare, aut cymbala pulsare, aut choreas ducere? etc. Quis ista Christianorum esse ostenderit? Quod Evangelium? Qui apostolorum libri? Quis et qualis propheta? Ecce enim per universos fines orbis terrarum divina Scriptura in ecclesiis legitur, Lex, Prophetæ, apostoli, ipseque universorum Dominus, et nusquam reperitur Christiano ista licere. — Qui Pauli vult esse imitator, in terris non tripudiat, non lætatur, non deliciatur... nunquid choreis, nunquid cythararum lusu delectatus est Paulus? Nunquid diabolica cantica cecinit? absit. (S. Ephrem., interrog. et respons. 2.)

Quis talia Christianos edocuit? Non sane hæc eos docuit Petrus, non Joannes, nec quis alius divino Numine afflatus; verum ista draco antiquus docuit... magister omnis impuritatis. — Qui docuit fornicari, docuit etiam cymbalis canere; qui docuit idola colere, docuit etiam ludere; idcirco Apostolus idololatras ludentes denominavit, dicens (*I Cor.* x, 7): *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est* (*Exod.* xxxii, 6): *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* — Desinite ab ethnica hac rabie atque insania: Paulus ista non edocuit, neque mater nostra Ecclesia. — Quicunque sanctorum apostolorum fieri cupitis discipuli, ab hac idololatria recedite. Nolite seduci, fratres; non enim sunt ista priorum ac religiosorum hominum, non sunt ista discipulorum Christi, non sunt ista Christianorum, non sunt ista salvari cupientium, etc. (*Ibid.*)

Abrenuntio Satanæ et cunctis operibus ejus. Quibus operibus? Audi... Abrenuntio risibus, cytharum lusibus, canticis diabolicis, etc. (S. Ephrem., *De abrenunt. in bapt.*, interrog. et respons. 1.)

Ubi cytharæ ac chori et plausus manuum... ibi angelorum tristitia, et diaboli festum. (Id., *De ludicris rebus abstinendum*, circa med.)

Moves pedes et insanus saltas, choreas ducis illicitas, cum genua ad Dei et Domini nostri Jesu Christi cultum flectere oporteat. (S. Basil., hom. 14, *in ebriet. et lux.*, paulo ante fin.)

Sectio secunda. — *Alea.*

Nunquam cum ludentibus miscui me. (*Job* iii, 17.)

Non sedi in consilio ludentium. (*Jerem.* xv, 17.)

Episcopus, aut presbyter, aut diaconus aleis vacans... vel cesset vel deponatur. — Subdiaconus, vel lector, vel cantor similia faciens, vel cesset, vel segregetur. (*Conc. Quinisextum*, sed *Trullana synodus.*)

Turpis verbi vel facti joculatorem esse, vel jocum secularem diligere, aleas amare... ministris altaris Domini... omnino contradicimus. (*Conc. Mogunt.*, ann. 813, c. 14.)

A ludis, spectaculis, circulatorumque atque id genus vilium hominum præstigiis procul estote. (*Conc. Mediol.* iv, part. iii, tit. *Monit.*, ante medium.)

Alearum et taxillorum usum, quo tempus misera jucunditate teritur, clericis omnibus inhibemus; multo vero gravius, si non modo luserint ipsi, sed aliis ludendi potestatem fecerint parato loco, et domestico diverticulo. — Episcoporum vero vigilantia et prudentia, edictis ac pœnis propositis, opportunum erit remedium adhibendum, ut pestis avertatur, qua miserorum facultates suavi morbo exhauriuntur, blasphemiæ et rerum desperationes excitantur; cupiditatum intemperantiorum et fraudium oblectamenta aluntur, denique ipsa Dei clementia assidue offenditur: qui tanto periculosior morbus est, quanto ardentius interdum animos clericorum occupat, et ecclesiasticas opes pervadit. (*Concil. Aquileiens.*, ann. 1596, c. 11, *De vit. et honest. cleric.*, circa med.)

Abrenuntio alearum otio, et tabularum lusui, sicut etiam sancti apostoli hisce operam dantes atque vacantes excommunicatos esse ordinarunt in suis canonibus, si laici fuerint; at, si clerici, ut deponantur. (S. Ephrem., *De abrenunt. in bapt.*, interrog. et resp. 1.)

Væ iis, qui tempus pœnitentiæ perdunt in jocis et in risibus; quærent namque hoc ipsum pœnitentiæ tempus, quod perperam consumpserunt et non invenient. — Væ alearum lusoribus; quandoquidem se a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi alienos reddunt, sicut Spiritus sanctus admonuit apostolos. (Id., *De variis tormentis inferni.*)

Non solum profusos, sed et omnes etiam jocos declinandos arbitror. (S. Ambros. lib. i, *De offic.*, c. 23; S. Bernard. creditus, *De ordine vitæ*, c. 3.)

Non dat Deus ludere, sed diabolus. Audi quid aliquando ludentes passi sunt (*Exod.* xxxii, 6): *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* (S. Chrysost., hom. 6 *in Matth.*, apud D. Thom. 2-2, quæst. 168, art. 2 ad 2.)

Dominet nobis grande certamen adversus invisibiles virtutes, adversus spiritualia nequitiæ... Quod si rideamus atque ludamus jugem desidiam confoventes, facillime ante pugnam quoque proprio torpore vincemur. — Diabolus est, qui etiam in artem jocos ludosque digessit, ut per hæc ad se traheret milites Christi, virtutisque eorum nervos faceret molliores. (*Ibid.*, longe post. med.)

Rectene tuique erat officii.... manum Dominici corporis oblatricem, linguam inter Deum et populum mediatricem sacrilegi ludibrii contaminatione fœdare? — Quam inhonestum, quam absurdum, quam denique fœdum sit hoc (alcæ sc.) in sacerdote ludibrium? (S. Petr. Damian., opusc. 20, *Apologet. ob dimiss. episcop.*, c. 7, post medium.)

CAPUT VIII.

Spectacula et mundi pompæ

ART. I. — *Quid sint juxta sanctos Patres spectacula.*

Theatrum proprie sacrarium Veneris est. — Ars omnium turpitudinum. — Theatrum Veneris, Liberi quoque domus est. — Est plane in artibus scenicis

Liberi et Veneris patrocinium. — Quod ad artes (scenicas) pertinet, altius præscripsisse debemus dæmones ab initio prospicientes sibi inter cætera idololatriæ etiam spectaculorum inquinamenta, quibus hominem a Deo avocarent, et suo honori obligarent, ejusmodi quoque artium ingenia inspirasse ; neque enim ab aliis procuratum fuisset, quod ad illos perventurum esset. — Amphitheatrum omnium dæmonum templum est, tot illic immundi spiritus confidunt, quot homines capit. (Tertull., *De spectaculis*, n. 10.)

Vanitatis et levitatis monstra. — Inventa dæmoniorum sunt, non Dei. — Amovendus est animus ab istis. — Pudoris publici lupanarium, obscenitatis magisterium. (*De spectac.*, ante med., inter Oper. S. Cypr.)

Vanitas theatrum est. (S. Ambros., *De fuga sæculi*, c. 1.)

Communis luxuriæ schola. (S. Chrysost., hom. 56, *Ad pop. Antioch.*)

Publicum incontinentiæ gymnasium. — Omnis impudicitiæ orchestra. — Babylonica fornax. (*Ibid.*, *De theatris* loquens.)

Ridicula ac perniciosa voluptas. — Diabolica officina. (Id., hom. 6, *in Matth.*, longe ante fin.) — Miserabilis insania. — Perniciosa voluptas. — Misera felicitas. (S. Aug., lib. III *Confess.*, c. 2.)

Fugite spectacula, fugite caveas turpissimas diaboli, ne vos vincula teneant maligni. (Id., lib. II, *De Symbolo ad catechum.*, c. 2, init.)

Et non respexit, inquit David, *in vanitates et insanias falsas.* (*Psal.* XXXIX, 5.) Quomodo beatus David falsas insanias dicit?... proprie naturam impiæ falsitatis expressit, quia insana sunt omnia, quæcunque diaboli fallente mendacio Dei in se non habent veritatem. (S. Maxim. Taurin., *Hom. in circumcis. Domini*, circa med.)

Quidquid immunditiarum est, hoc exercetur in theatris, etc. Alibi est impudicitia, alibi lascivia, alibi intemperantia, alibi insania, ubique dæmon, imo per singulas ludicrorum loca universa dæmonum monstra. (Salvian., *De gubernat.*, lib. VI, paulo post med.)

ART. II. — *Spectacula et mundi pompas fugere debent clerici.*

Prohibet omnino hæc sancta synodus universalis eos, qui dicuntur, mimos, et eorum spectacula, deinde venationum quoque spectationes, atque in scena saltationes fieri ; si quis autem præsentem canonem contempserit, et se alicui eorum, quæ sunt vetita, dederit, si sit quidem clericus, deponatur ; si laicus, segregetur. (*Synod. Constantinop. in Trull.*, c. 51.)

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis aut scenis exhibentur, interesse ; sed, antequam thymelici ingrediantur, surgere eos de convivio et abire. (*Concil. Laodicens.*, ann. 314, c. 54, *De consecr.*, dist. 5, c. 37, *Non oportet.*)

Placuit ut eas prorsus mundanas voluptates, quas sæculares viri exercere solent, in venationibus scilicet, vel in canticis sæcularibus, aut in resoluta et immoderata lætitia, in lyris, in tibiis, et his similibus lusibus, nullus sub ecclesiastico canone constitutus ob inanis lætitiæ fluxum audeat... præsumendo abuti. (*Conc. Forojuliens.*, can. 6, ann. 791.)

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus, quæ, etc. (Ut supra ex *Conc. Laodic.* ; Atto II, episc. Vercell., *Capitular.*, c. 42, ex *Conc. Laodic.*)

Sic cor vestrum corroborate, ut inania spectacula non appetat ; a mundi ludis atque ineptiis abhorreat. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones*, ante med.)

Ad spectacula comœdiarum, sive ad bancos circulatorum et buffonum in plateis, qui aliis exemplum esse debent maturitatis et prudentiæ, accedere et assistere clericos non decet. (*Conc. Aquileiens.*, ann. 1596, c. 11, *De vita et honest. cleric.*, post med.)

Felix, qui non abiit in concilium impiorum, etc., contrario infelix qui abierit... Omne spectaculum concilium vocat impiorum. (Tertull., *De spectaculis*, n. 3.)

Spectaculorum abstinentia præscripta est, cum concupiscentiæ sæculi damnantur. Nam, sicut pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ ; ita et voluptatis concupiscentia est ; species autem voluptatis etiam spectacula. (*Ibid.*, n. 14.)

Fugienda sunt ista Christianis fidelibus tam varia, tam perniciosa, tam sacrilega spectacula. — Hæc, etsi non haberent crimen, habent in se et maximam et parum congruentem fidelibus vanitatem. (*Ibid.*, longe ante fin.)

Delectant oculos spectacula ista magna naturæ, sed delectant oculos etiam spectacula theatrorum : hæc illicita, illa licita, etc. (S. Aug., serm. 17, *De verb. Apost.*, et nunc serm. 159, n. 2.)

Unusquisque vestrum, qui jam pie vivit, contemnit sæcularia, et non vult ire ad spectacula. (Id., tract. 4 *in I Epist. Joan.*)

Absit, ut dicamus vobis : Si spectaculis volueritis oblectare animos vestros, ite ; quid mali est?... non (ista) verba Dei, non verba Christi. (Id., *De pastorib.*, c. 3, vel serm. 165, *De temp.*, et nunc serm. 46, c. 3, n. 8.)

Non licet sacerdotibus et clericis aliqua spectacula in nuptiis vel conviviis spectare ; sed oportet, antequam ingrediantur ipsa spectacula, surgere et redire inde. (Martin. Papa, secundum Ivonem.)

ART. III. — *Cur spectacula et mundi pompas fugere debent clerici.*

Sectio prima. — *Quia mentem inquinant.*

Nec his cœtibus admisceantur, ubi amatoria cantantur, et turpia, aut obsceni motus corporum cho-

ris et saltationibus efferuntur; ne auditus aut obtutus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur. (*Conc. Agath.*, c. 29, ann. 506, dist. 34, c. *Presbyteri.*)

Monomachias spectare nobis interdictum est... nec cætera spectacula spectare audemus; ne oculi nostri inquinentur, et aures nostræ hauriant profana, quæ ibi decantantur carmina. (Theophil. Antioch., lib. III, *Ad Autolycum*, ante med.)

Nec majestati divinæ nec evangelicæ disciplinæ congruit ut pudor et honor Ecclesiæ tam turpi et infami contagione fœdetur. (S. Cypr., lib. I, epist. 10.)

Nihil obscenius illo oculo, nihilque lascivius, qui spectare talia patienter potest, ne dicam, libenter. (S. Chrysost., hom. 6, *in Matth.*, paulo ante fin.)

Alia crimina singulas sibi ferme in nobis vindicant portiones, ut cogitationes sordidæ animum, ut impudici aspectus oculos, ut auditus improbi aures; ita ut cum ex his unum aliquod erraverit, reliqua possint carere peccatis; in theatris vero nihil horum reatu vacat, quia et concupiscentiis animus, et auditu aures, et aspectu oculi polluuntur. — Qui forte ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur. (Salvian., *De gubernat. Dei*, lib. VI, longe ab init.)

Sectio secunda. — *Quia virtutem emolliunt.*

Ab omnibus, quæcunque ad aurium et ad oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, quod de aliquibus generibus musicorum aliisque nonnullis rebus sentiri potest, Dei sacerdotes abstinere debent; quia per aurium oculorumque illecebras vitiorum turba ad animam ingredi solet. (*Conc. Turon.* III, sub Carolo Magno, c. 7, ann. 813.)

Diabolus etiam in artem ludos digessit, ut per hæc ad se traheret milites Christi, virtutisque eorum nervos faceret molliores. (S. Chrysost., hom. 9 *in Matth.*, longe ante fin. Idem jam habetur supra c. 7, art. 3, sect. 2, ubi ludus et aleæ.)

Hoc maxime hominis interiora consumit, quod exteriora delectat. (S. Leo, serm. 1, *De jejunio Pentec.*, c. 1.)

Sectio tertia. — *Quia sine peccato et scandalo ea frequentare clerici nequeunt.*

Mundi voluptates, quæ a divinis præceptis detorquent, declinate. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monit.*)

Morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, histrionicis gestibus inquinari! (S. Cypr., epist. 1, *Ad Donat.*, circa med., part. IV.)

Non tam ille delinquit, qui illa simulat, quam tu præ illo, qui hoc fieri jubes; nec solum jubes, sed etiam exsultatione, risu, plausu adjuvas, quæ geruntur, omnibusque prorsus modis hanc diabolicam confoves officinam. — Si nullus esset talium spectator ac fautor, nec essent quidem, qui aut dicere illa, aut agere curarent. (S. Chrysost., hom. 6 *in Matth.*, longe ante fin.)

Id maxime nocet, quod frustra et incassum tempus consumis, et scandalum aliis offers; et si enim tu nihil inde mali contraxisti, attamen, quoniam alios imbecilliores exemplo tui, spectaculorum studiosos effecisti; quomodo non ipse malum tibi contraxisti, qui causam mali committendi aliis dedisti? (Id., hom. 38 *in Matth.*, sub fin.)

Quomodo, si non essent qui spectarent, nec essent etiam qui luderent; sic quoniam uterque sunt causa peccatorum, quæ committuntur, ignem etiam patientur. (*Ibid.*, sub fine.)

Theatrum ex ovibus lupos facit. (Id., hom. 56, *Ad pop. Antioch.*, paulo post med.)

Alia mala omnia agentes polluunt, non videntes vel audientes; siquidem, etsi blasphemum quempiam audias, sacrilegio non pollueris, quia mente dissentis, etc. Solæ spectaculorum impuritates sunt, quæ unum admodum faciunt et agentium et aspicientium crimen, quia digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. — Sicut in his est pastus diaboli, ita offensio Dei. (Salvian., *De gubern. Dei*, lib. IV, longe ab init.)

In spectaculis voluptas non est, sed mors. (*Ibid.*, circa med.)

Sectio quarta. — *Quia ab iis in baptismo et tonsura alienos se professi sunt.*

Circa voluptates spectaculorum (intellige) omnia a diabolo esse mutuata. (Tertull., *De coron. milit.*, n. 6.)

Pompa diaboli est, in theatris spectacula; in hippodromo cursus equorum, et venationes, et reliqua omnia ejusmodi vanitas, a qua postulans liberari sanctus ille Dei : *Averte*, inquit, *oculos meos, ne videant vanitatem.* (*Psal.* CXVIII, 37.) Non ergo sis curiosus in frequentia spectaculorum, ubi conspicias mimorum petulantias omni contumelia et impudicitia refertas, et virorum effeminatorum choreas secteris. (S. Cyril. Hierosol. *Catech. mystag.*, Catech. 1, circa med.)

Quæ est in baptismo salutari Christianorum secunda confessio? quæ scilicet? nisi ut renuntiare se diabolo ac pompis ejus, atque spectaculis, et operibus protestentur. Ergo spectacula et pompæ etiam juxta nostram professionem opera sunt diaboli. — Quomodo, o Christiane, spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse diaboli confiteris?—Renuntiasti semel diabolo et spectaculis ejus; ac per hoc necesse est ut prudens et sciens, dum ad spectacula remeas, ad diabolum te redire cognoscas.—In spectaculis quædam apostasia fidei est, et a symbolis ipsius, et cœlestibus sacramentis lethalis prævaricatio. (Salvian., *De gubern. Dei*, lib. VI, longe ante med.)

ART. IV. — *Quænam spectacula clericis permittenda.*

Habet Christianus spectacula meliora, si velit; habet

veras et profuturas voluptates, si se recollegerit ; et, ut omittam illa, quæ nondum contemplari potest, habet istam mundi pulchritudinem, quam videat atque miretur, etc. Hæc et alia opera divina sunt Christianis fidelibus spectacula. Quod theatrum humanis manibus exstructum istis operibus poterit comparari ? (*De spectaculis*, inter Oper. S. Cypr., paulo ante fin.)

Scripturis sacris incumbat Christianus ; ibi inveniet condigna fidei spectacula ; videbit instituentem Deum mundum suum, etc. In his omnibus jam majus videbit spectaculum, diabolum illum, qui totum detriumphaverat mundum sub pedibus Christi jacentem. Quam hoc decorum spectaculum ! quam jucundum ! quam necessarium, intueri semper spem suam et oculos aperire ad salutem suam ! etc. (*Ibid.*)

Ne putetis, fratres, quod sine spectaculis nos dimisit Dominus Deus noster ; magnum est hoc, spectare per totum orbem terrarum victum leonem sanguine Agni. (S. Aug., tract. 7 *in Joan.*, n. 6.)

Fugite, dilectissimi, spectacula ; sed, si oblectandus est animus et spectare delectat, exhibet vobis sancta mater Ecclesia veneranda ac salubria spectacula, quæ et mentes vestras oblectent sua delectatione, et in vobis non corrumpant, sed custodiant fidem, etc. (Id., *De Symb. ad catech.*, lib. II, c. 2.)

CAPUT IX.

Forum, nundinæ, publici hominum mundo addictorum cœtus.

Clericus per plateas et andronas, nisi certa et maxima officii sui necessitate, non ambulet. (*Conc. Carthag.* IV, can. 47, ann. 398.)

Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis vel in foro ambulat, ab officio suo degradetur. (*Ibid.*, can. 48, ann. 398, refert. dist. 91, c. *Clericus quilibet.*)

Ut episcopus ad forum, neque, ubi publice negotia judiciaria exercentur, non pergat suæ causæ suffragaturus, nisi forte ut aut parentibus oppressis succurrat, aut viduis et orphanis tuitionem conferat, aut de verbo Dei judices admoneat ; ut juxta Domini præceptum justa judicent judicia. Hoc et de abbatibus, et de presbyteris, et diaconibus, et maxime monachis observandum est ; si vero eorum, qui in clero sunt, propria causa agenda est, cum licentia episcopi et advocato pergat, et suæ causæ cum justitia suffragetur. (*Conc. Cabil.* II, ann. 813, can. 11.)

Si avertero manus a turpi et fraudulenta nundinatione, a cauponaria institoriaque arte... castæ sunt manus et dicatæ Deo. (S. Method., Tyr. episc., *Conviv. virg.*, orat. 5, circa med.)

In foro aut in plateis Christus non reperitur. Denique nec illa eum in foro et in plateis potuit reperire, quæ dixit : *Exsurgam, ibo, et circumibo civitatem* (*Cant.* III, 2), etc. Nequaquam igitur ibi quæramus Christum, ubi invenire non possimus ; non est Christus circumforaneus. Christus justitia est ; in foro iniquitas. Christus operator est ; in foro inane otium. Christus charitas est ; in foro obtrectatio. Christus fides est ; in foro fraus atque perfidia. Christus in Ecclesia est ; in foro idola, etc. Fugiamos ergo forum, fugiamus plateas. (S. Ambros., *De virgin.*, cap. 8, n. 46.)

Non enim injuria tantummodo est, non invenisse, quem quæris ; sed etiam plerumque, ubi non oportet, quæsiisse vulnus est. (*Ibid.*, n. 47.)

Christus fugit plateas ; fugit conventus et strepitus fori. (*Ibid.*, cap. 9, num. 49.)

Fuge ergo forum, ut nec patiaris fraudem, nec facias ; si autem passus fueris, ipsa res te compellit et facere ; nam, si injuriam passus fueris, difficile est ut et tu ad invicem non noceas. Prima ergo laus est Christiano, alienum esse a foro, nullam causam habere cum illo. (Hom. 34, *Oper. imperfect.*, circa med. inter Oper. S. Chrysostomi.)

Non debet, qui animarum curam gerit... frequentare forum cum rusticis. (Serm. 56, *Ad Fratr. in erem.*, paulo post init., inter Oper. S. Aug.)

Qui vult nosse quid actum sit apud forense negotium, non prætoria judicum, sed diversoria potius perquirat abbatum. Quidquid in sæculo agitur, ab eis velut a magistris negotiorum sæcularium requiratur. (S. Petr. Dam., opusc. 21, c. 1.)

Qui debueram plangere dies, quos perdidi, quia perdite vixi, favorabilis factus auræ venator, sequor curias, intersum magnatum consiliis, inferiores judico, majores quasi meæ salutis auctores veneror et adoro. (Petr. Bles., epist. 102, *Ad Rading. abbat.*, ante med.)

CAPUT X.

Venatio et aucupium.

ART. I. — *Venatio et aucupium clericis prohibentur.*

Venationem et aucupationem clericis interdicimus ; unde nec canes nec aves ad aucupandum habere præsumant. (*Concil. Later.* IV, sub Innoc. III, c. 15, ann. 1215.)

Episcopis, presbyteris, diaconibus canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat : quod, si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit, si episcopus est, tribus mensibus se a communione suspendat ; presbyter duobus mensibus se abstineat, diaconus vero uno ab omni officio vel communione cessabit. (*Conc. Agath.*, can. 55, ann. 506.)

Omnibus servis Dei venationes (id est, clericis) et silvaticas vagationes cum canibus, et ut accipitres aut falcones habeant interdicimus. (Dist. 34, ex (*Conc. Aurel.* IV, ann. 541, *De cleric. venat.*, c. 3. *Omnibus.*)

Clerici nec apud canes venationem faciant, nec accipitres portent. (*Conc. Suession.*, ann. 744, c. 3 : *Apud canes.*)

Canes et aves sequi ad venandum, in omnibus quibuslibet sit causis superfluum esse... ministris

altaris Domini... omnino contradicimus. (*Conc. Mogunt.*, ann. 813, c. 14.)

Venationes quoque ferarum vel avium minime sectentur (sacerdotes). (*Conc. Turon.* III, can. 8, ann. 803 sur Carolo Magn.)

Qui in canone continetur nullum venatorem invenimus sanctum ; statuimus ut prælati solliciti sint et intenti in puniendo clericos venatores, et præcipue presbyteros et religiosos, de quibus majus scandalum generatur. (*Conc. Nannet.*, 1264. Ita refertur a Laurentio Bochello, lib. VI, tit. 18, *De clerico venat.*)

Prohibemus presbyteris, diaconis, subdiaconis, tam regularibus quam religiosis nobis subditis, ne cum cornibus, canibus, vel alio clamore ad aliquas bestias venationem eant, vel per agros seu nemora, vineas, vel loca alia causa venationis incedant, vel, ubi cum clamore venetur, intersint, et hoc idem prioribus inhibemus. (*Synod. Andegav.*, ann. 1264. Ita Bochell., *ibid.*)

Ex dictis sanctorum et ex scriptis conciliorum omnibus servis Dei, venationes cum canibus et avibus sunt interdictæ. (*Conc. Ravennat.* IV, ann. 1317, rubrica 17.)

Volentes igitur prædictorum (monachorum venantium) statui periculoso et detestabili salubriter occurrere, hoc sacro approbante concilio districtius inhibemus religiosis omnibus cujuscunque status, conditionis, religionis vel ordinationis exsistant, ne de cætero venari seu ad venandum exire præsumant. (*Conc. Raven.* IV, rubrica 17, ann. 1317, *ibid.*, decernuntur gravissimæ pœnæ contra hujus statuti infractores.)

Cum solatia et arma clericorum sint orationes et lacrymæ, omnino prohibemus ne venationi aut aucupationi clamosæ cum falconibus, accipitribus, seu aliis avibus prædatoriis, vel canibus venaticis intendant ; nec accipitres seu alias prædatorias aves deferant, aut canes venaticos teneant et nutriant. (*Syn. Senon.*, ann. 1524 ; Bochel., *ibid.*)

Venationes clamosas cum falconibus seu aliis avibus prædatoriis vel canibus venaticis improbamus. (*Syn. Carnot.*, ann. 1526 ; Bochel., *ibid.*)

Contra clericos venatores, si a venandi consuetudine moniti non desistant, ad pœnam Aurelian. concilii et alterius Lateran. procedetur. (*Conc. Senon.*, ann. 1528, can. 26.)

Ab alea, venatione, etc. abstineant. (*Conc. Rhem.*, 1583, a Greg. XIII approb., tit. *De clericis in genere.*)

Ne ullum venationis genus exerceant, aut canes accipitresve, aut aliud alent venaticum animal. (*Syn. Aquens.*, ann. 1585.)

Sacerdos Christi mortis cruciatus præeligere debuisset, antequam ad talia posset cogi. (Petr. Bles., *Epist. ad Rassensem episc.*, post med.)

Legimus quia Nicolaus Papa suspensionis et excommunicationis sententiam in Lanfredum episcopum ferri censuit, quia venaticam artem exercebat, licet ille excusabilior esset beneficio juventutis. (Id., *Ad Gualterum Roffens. episcop.*, ante med. Id refertur dist. 35, c. 1, *Quorumdam.*)

ART. II. — *Cur venatio et aucupium clericis prohibentur.*

Sectio prima. — *Quia aliena sunt a pietate clericis præscripta.*

Esau venator erat, quia peccator erat. Quam vero sit modestia clericali indignum, qui paulo ante breviarium manibus tractabat, et sacræ lectionis studio intendebat, eum publice accipitrem deferre, et sua in eo studia profiteri : quippe cum angelis in Ecclesia gratiarum actiones et laudes Deo persolvebat, cum inter canum latratus et multitudinem versari et incomptis obstrepere vocibus sacri canones declarant ; omnes vero facile intelligunt. Consequitur autem, ut panis, qui miserorum pauperum victui sufficeret, panis, inquam, de redditibus ecclesiasticis collectus, quod est patrimonium Christi, ad bestiarum cibum indigne transferatur : cujus criminis ratio districte in die Domini redditur. Quod ut longe a clericorum vita et honestate removeamus, omnibus clericis, cujuscunque conditionis et gradus sint, venatorium studium interdicimus et districte prohibemus, ac in eos gravius per illorum ordinarios procedendum statuimus. (*Conc. Aquileiens.*, ann. 1596, can. 11, *De vita et honest. cleric.*)

Nullum invenimus in divinarum serie Scripturarum de venatoribus justum. (S. Ambros., *in psal.* CXVIII, serm. 8, n. 42.)

Pessimi venatores. (*Ibid.*, n. 43.)

Esau venator erat, quoniam peccator erat, et penitus non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem. (S. Hier. creditus *in psal.* XC, *ad hæc verba*, ℣ 3 : *Liberavit de laqueo venantium*, refertur dist. 8, 86, can. 11.)

O miseram vitam hominum, et maxime sacerdotum, qui, dum lucrandis fidelibus debent insistere, venandis feris incumbunt, et, quos capere oportet homines, capiunt aves et bestias ; qui, dum mortibus student animantium, vitam suarum amittunt animarum ! O infelicem vitam ! Nam in quo magis quisque carnalis apparet, quam in tali vita... Ut beatus Hieron. dixit : Venatorem nunquam legimus sanctum. (Yvo Carnot., *Decret.*, part. V, *De sublimitate episc.*, c. 353.)

Esau, dum officium venationis exsequitur, gratia primogenituræ et paterna benedictione fraudatus est. — Vos, qui jam induistis arma pœnitentiæ et arripuistis propositum sanctitatis, affectare non licet vanitates, et insanias falsas. — Nemo scientiam Dei pertinacius a se potest repellere, quam occupatione illiciti amoris vel aucupii voluptate. (Petr. Bles., epist. 56, *Ad Gualterum Roffens.* episc., circa med.)

Sectio secunda. — *Quia clericos non decent.*

Ab exordio mundi percurrite sanctorum Patrum seriem ; venite ad patriarchas ; accedite ad duces ; descendite ad judices : vitam sanctorum regum et

prophetarum, atque sacerdotum inspicite : nullum eorum invenietis venationi studium impendisse. (Petr. Bles., epist. 56, *Ad Gualter. Roffens. episc.*)

Non bene conveniunt cilicium et accipiter, affectio carnis et exercitium voluptatis. (Id., epist. 61, *Ad Reginal. Saresberiens. archid.*)

Reges gentium, et qui dominantur eorum (*Luc.* xxii, 25), quia litteralis scientiæ solatio uti aut nesciunt aut non possunt, per avium volatus, de immanium sollicitudinum mole sibi aliquid quandoque furantur; nam testimonio prophetæ. (*Baruch.* iii, 17.) *Hi sunt, qui in avibus cœli ludunt.* (*Ibid.*, paulo post init.)

Quorum mentes avium delectatio totas occupando consumit; nonne isti imaginem gerunt Titii, cujus jecur poetæ referunt jugiter ab avibus devorari? (*Ibid.*, post med.)

Volucres cœli, sicut et pisces maris, non ad voluptatem concessæ sunt homini, sed ad usum; si tamen hæ volucres deprædatoriæ et rapaces aves cœli merito censeantur, quarum exercitio cœlum clauditur, aperitur infernus. (*Ibid.*, paulo ante fin.)

Sectio tertia. — *Quia ad excellentius venationis genus clerici vocati sunt.*

Primo piscatores misit (Deus), postea venatores mittit. Quare piscatores? Quare venatores? De abysso et profundo maris superstitionis, idololatriæ credentes piscati sunt retibus fidei; venatores autem quo missi sunt? Cum illi vagarentur per montes et colles, id est, per superbias hominum, per tumores terrarum, mons unus Donatus, et alius mons Arius, etc., per istos montes errabant, venatoribus indigebat error ipsorum..... venator autem sylvas cingit, sentes excutit, terroribus undique multiplicatis cogit in retia; ne hac eat, ne illac eat (hæreticus) inde occurre, inde cæde, inde terre; non exeat, non effugiat, sed retia nostra vita est, tantum dilectio conservetur; nec attendas quam illi sis molestus, sed quam tibi sit ille dilectus. (S. Aug., *Serm. de utilitate jejunii*, c. 9.)

Sane aliud venationis genus ex officio incumbebat, in qua subjectorum est salus et gloria præsidentis : dicit enim Dominus per prophetam : *Ecce ego mittam venatores, et venabuntur in omni monte* (*Jerem.* xvi, 16); prælati si quidem Ecclesiæ venantur in omni monte, dum animas aberrantes quasi in prædam ad obsequium Christi rapiunt in eminentia scientiæ et doctrinæ. (Petr. Bles., epist. 56, *Ad Gualter. Roffens. episc.*, post med.)

Apostoli missi in orbem terrarum increpabant feras arundinis, etc. Utinam huic venationi velitis operam dare! (*Ibid.*, paulo ante fin.)

Si igitur Christi discipulus et professor estis, desinite, quæso, currere, et clamare post voluptuosas aves; currite et clamate post eum, qui bene currentes dirigit, qui devote clamantes exaudit. (Id., epist. 61, *Ad Reginal. Saresberiens. archid.*, circa med.)

Curam non avium, sed ovium suscepistis, in die tremenda computandus in sinistra cum hœdis, et extra gregem Domini faciendus, si non oves avibus antefertis. (*Ibid.*, post medium.)

Avium temeritatem et malitiam hujus vitæ convertatis in Christi militiam et exercitium honestatis. (*Ibid.*, in fin.)

CAPUT XI.

Mulieres.

ART. I. — *Mulieres clericis vitandæ.*

Longe sit pestis illa, et lues, et clandestina pernicies. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr., post. init.)

Conversatio pluralitatis nonnisi corruptionem seminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, ripas eripit, præcipitia instruit, periculis navigat, naufragiis velificat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflammat, et catervatim semel in fascem glomerans numerosas indagines captionum per infinita dedecorum multiplices mortes invenit in perniciem perditorum. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr.)

Magnum Sapientiæ divinæ consilium inventum est, ubi timoris auxilio liberemur. Magna compendia Providentiæ, ut aliquando fiat virtus et victoria per timorem. Magna remedia Dominus contulit ad salutem, ut habeat et timidus laudem..... Inæstimabilis Domini misericordia, quæ unicuique homini suam contulit gloriam; et incomprehensibilis pietas, quæ secundum pugnas dedit et palmas, ut confitendo masculorum sævitiam superemus, et timendo feminarum blandimenta vincamus, etc. — Ama feminas inter sacra solemnia, et odio habe in communione privata. Si vis Salomonis tenere doctrinam (*Eccle.* iii, 8) : *Tempus*, inquit, *amandi, et tempus odio habendi.* (*Ibid.*, post. init.)

Hospitiolum tuum aut raro aut nunquam mulierum pedes terant. — Omnes puellas et virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. (S. Hier., epist. 2, *Ad Nepotian.*, ante med.)

Omnes quidem, si fieri posset, mulierum cœtus atque colloquia defugere oporteret, ut quæ ad emolliendum animum vim quamdam ac facultatem habeant. (S. Isidor. Pelus., lib. i, epist. 89.)

Mulierum congressus, vir optime, quantum fieri potest, fuge... nam eos, qui sacerdotum munere funguntur, sanctiores ac puriores illis esse oportet, qui ad montes se contulerunt..... quod si etiam, ut cum ipsis congrediaris, necessitas aliqua te obstringat, oculos humi dejectos habe. (Id., lib. ii, epist. 284, *Ad Pallad. episc.*)

ART. II. — *Cur mulieres clericis vitandæ?*

Sectio prima. — *Ob præceptum Ecclesiæ.*

Illud quoque non minus periculosum esse dicici-

mus, quod in quorumdam episcoporum parochiis quosdam presbyteros contra interdicta sanctorum canonum feminas in domibus suis non solum habitare, sed etiam ministrare sibi faciunt, quas et laqueum sacerdotibus persæpe exstitisse, et multos hac occasione in scandalum et in detractionem corruisse cognovimus..... unde in commune censuimus, ut hi, qui tantæ transgressionis incorrectores hactenus exstiterint, si abhinc hujus rei correctores esse neglexerint, juxta Apostoli sententiam quasi consentientes malorum coerceantur. (*Conc. Aquisgran.* II, ann. 836, sub Greg. IV, et Ludov. Pio, cap. 2, *De vita et doctrin. cleric.*, can. 7.)

Decernimus etiam ut nulla presbyteris omnino cohabitet feminarum : contemnentes autem hanc constitutionem, periculum proprii sustinere gradus. (*Ibid.*, can. 11.)

Sectio secunda. — *Ob feminei sexus nequitiam.*

Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio nocivumque genus est femina. (S. Hier., *Epist. ad Ocean. De vit. et honest. cleric.*, apud *Conc. Aquisgran.*, ann. 816, cap. 98, lib. I.)

Mulier gravis atque efficax orator ad dementandum eos, qui non sibi cavent, et antiquum diaboli instrumentum, per quod multos fortes viros dejecit. (S. Isidor. Pelus., lib. IV, epist. 71. Cassian.)

Mulier sæcularis, organum est Satanæ (S. Bern. creditus, *Ad sororem, de modo bene vivendi*, c. 57.)

Arma diaboli sunt mulieres. — Balistæ diaboli de longe infigentes. — Gladius diaboli. — Castra, in quibus diabolus ponit vexilla. (S. Bonav. Diæt. salut., tit. 1, *De peccat.*, cap. 9 paulo post init.)

Sexus muliebris semper suspectus est; illo frequentissime abutitur diabolus. (S. Laur. Justin., *De triumphali agone Christi*, c. 8, n. 7.)

(Satanæ) consueta muliebria arma. (*Ibid.*, c. 13, n. 5.)

Sectio tertia. — *Ob tentationes inde emergentes.*

Separamini, deprecor, separamini a contagione pestifera ; quantumcunque fuerit unusquisque longius ab adversis, tantum non sentit adversa : minus voluptatibus stimulatur, qui non est, ubi est frequentia voluptatum; et minus avaritiæ molestias patitur, qui divitias non videt, etc... Non aliter tentationibus subjacet, qui junctus est feminæ, in qua nihil aliud est, nisi quod feriat proximantem ; aculeus peccati facta est forma feminea : et mortis conditio non aliunde surrexit nisi de muliebri substantia. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr., longe post init.)

De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam. Quam Salomon sic comparat, dicens : *De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* (*Eccli.* XLII, 13.) (*Ibid.*, longe ante med.)

Ab earum rerum congressu longissime fugiendum est, cum primis quæcunque in conspectu nobis adductæ, refricata libidinum memoria, rationis vim in nobis perturbant, atque confundunt, bellaque et sollicitos angores in animo creant. — Quocirca fugiendæ in primis cum mulieribus collocutiones, neque ad eas unquam accedendum, nisi cum gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellat, et aliter facere non possimus. Atque, ipsa etiam ubi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus atque ab igne cavendum est, adeo ut quam ocissime nulla mora ab ipsis nos extricemus. (S. Basil., *Constit. monast.*, c. 3.)

Intemperantiæ alimenta sunt, assidui mulierum congressus. (S. Chrysost., lib. VI *De sacerdot.*, cap. 12, ante med.)

Cum proximat stipula, incendit ignem ; flammigero igne percutit femina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. (S. Hier., *Epist. ad Ocean.* apud *Conc. Aquisgr.*, c. 98, lib. I, ann. 816.)

Cum femina semper esse, et non cognoscere feminam, nonne plus est, quam mortuum suscitare ? (32) Quod minus est, non potes ; et quod majus est, vis credam tibi ? (S. Bern., serm. 65 *in Cant.*, n. 4.)

Sectio quarta. — *Ob periculum peccati.*

§ I. — *Occasio peccati fugienda.*

Ante famem certamus, ante inopiam laborando satagimus : sic per omnia calamitatibus cunctis tollimus locum, dum gerimus providentiam temporum futurorum : quanto magis ante prævenienda est omni prævisione calamitas feminarum, cujus cupido, si admittitur incipere, nusquam prorsus accipit finem : *Infernus*, inquit Salomon (*Prov.* XXX, 16), *et amor mulieris, et terra, quæ non satiatur aqua, et ignis non dicit : sufficit.* — Pro certo implanator proprius suam animam decipit, qui non cavendo contraria noxiis rebus semetipse commiserit ; ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus species quascunque noxias extimescit. — Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra unam caveam habitans cum lupo tutus est agnus. (*De singularit. cleric.*, inter Oper. S. Cypr., sub fin.)

Si quis profectione cogente apud fratres vel apud extraneos hospitatur, ubi mulieres intersunt, omnino se arctet, ne possibilitate aliqua vitietur semotus, ac secretus Deo vacet et sibi, ne intus capiatur a diabolo, et, qui foris capi non potuit, apud suos cadat. — Nec in præterita castitate confidas : nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. (S. Hier., *Epist. ad Nepot.*, epist. 2, ante med.)

Ne forte diuturna consuetudo vires tuas emolliat et infringat, etc.... quid rupe durius fingi potest? Quid aqua mollius, et quidem aquæ guttula ? Et ta-

(32) *Vid.* S. Basil., *Const. monast.*, c. 3.

men assiduitas naturam vincit. (S. Isid. Pelus., lib. II, epist 284, *Ad Pallad. episc.*)

§ II. — *In mulierum consortio periclitatur castitas.*

Ipsi nos fallimus, quoties inordinaliter credimus æstimantes per fidem nostram legis præcepta mutari, ut inter masculos et feminas speremus passim castitatem immobilem custodiri. Difficile quis venenum bibet, et vivet: verendum est dormienti in ripa, ne cadat. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr., paulo post init.)

Sæpe familiaritas vincit, quos vitium superare non potuit; sæpe occasio peccandi voluntatem fecit et facit... quid ergo in unum facit ignis et stupa? (*De modo bene vivendi ad soror.*, c. 58.)

§ III. — *In mulierum consortio perit castitas.*

Ut quid sibi adhibuit mulierem, qui ducere contempsit uxorem? Omnis, qui non manducaverit carnem, ut quid habitationem suam carnis apparatibus replet? Et qui non biberit vinum, quid videndi oblectatione perfruitur? Quasi non aliquoties videndo nec gustando copia esculentorum animus pascitur, et vini odoriferi sola fragrantia suscitatur sæpius animus. (*De sing. cleric.* inter Oper. S. Cypr., longe post init.)

O quam inordinabilis feminæ propinquitas jaculatur, cujus vicinia est delictorum latrocinium. — Si illi, qui duo sunt in carne una concreti, tentationibus mutuis invicem pungunt, quid faciunt hi, qui in una carne nec nati nec juncti sunt, etc.? — Cui (femina) adhæserit contra fas, insanabilem ingerit plagam. — Fœdere suo magnas molestias præstat. (*Ibid.*, longe post initium.)

Si inter farta sancta potest communis conventio scandalizari, ubi tentator ipse diabolus fremit; quis illic stabilem se esse promittit, ubi tentator audenter occurrit? et si illic periclitamur, ubi Dei præcepta nos congregant; quid agimus, ubi Dei jussa nos separant? Et si turbamur illic, ubi Dei voluntate munimur; quanto magis, ubi non solum diabolum, sed etiam Dominum habemus adversum. (*Ibid.*, longe ante med.)

Quare (hoc)? ne visitandi familiaritate utriusque pereat castitas. (*De modo bene viv. ad soror.*, cap. 58.)

§ IV. — *In sola fuga spes victoriæ.*

Accipimus quidem fortitudinem spiritualem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboretur; sed ita nobis spiritualis fortitudo collata est, ut providos, non ut præcipites tueatur; ut illos muniat, qui renuntiant importunitatibus delictorum; non eos, qui se magis importunis delictis immergunt. — Custos nobis datus est spiritus, sed ut contraria declinantibus assistendo subveniat, non ut contraria eligentibus foveat; nec ut voluntarios et pravos in adversa confortet, sed ut ab adversis nitentes separari confirmet. — Nam quicunque perniciosis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet Spiritus sancti, qui neminem vult ultraneum virum fortem ad fraudulentas victorias coarctari, nec protegit eum; quin imo, sed deserit, cum periculis irruentem per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit, sicut ipse jam tunc per Salomonem locutus est dicens (*Eccli.* III, 27): *Amans periculum in ipso peribit.* — Ordine suo, non nostro arbitrio virtus sancti Spiritus ministratur, et secundum institutum ejus prælia prosperantur. — Nunquam nisi præcipitatus exercitus cecidit, qui avidus fortiter facere ducis vel imperatoris sui dispositiones irrupit; multo magis perperam erogat fortitudinem, qui sine armis doctrinæ magistri Spiritus præsumpserit triumphare. — In hac parte expedit plus bene timere, quam male fidere; at utilius est infirmum se homo cognoscat, ut fortis exsistat, quam fortis videri velit, et infirmus emergat. — Contemplamini, quæ sint modo arma sumenda, si vultis habere legis auxilia. Estote timidi, ut sitis intrepidi, et, licet timor in certamine infirmitas esse videatur, tamen secundum verbum Apostoli (*II Cor.* XII, 9): *Virtus in infirmitate perficitur.* — Non fides nobis data est victrix, quæ nos timiditatis remedio liberet. (*De sing. cleric.*, inter Oper. S. Cypr.)

Tolle occasionem peccati, aufer materiam delinquendi, si vis esse a fornicatione tutus; esto corpore et visione discretus; corpore quippe sejunctus a peccati intentione discedes; contra serpentem positus, non eris diu illæsus. (S. Isidor. Hispal., *De contemptu mundi, de consortio mulierum.*)

Sectio quinta. — *Ob infamiam, quæ ex mulierum consuetudine clero aspergitur.*

Quale præmium sanctitatis exspectat, qui non solum blasphemiam sanctitatis ab infidelibus provocat, sed etiam fidelibus perniciosum præbet exemplar, ut infirmi sub prætextu dilectionis subtiliter fornicentur, et pudicus impudentissimæ castitatis præbeat magisterium, destruens quod Paulus apostolus comminatur: *Peribit frater infirmus in tua conscientia* (*I Cor.* VIII, 11), etc. (*De singul. cleric.*, int. Oper. S. Cypr., longe post init.)

Cum hoc etiam laicos deceat, ne aut extrancis occasionem blasphemandi, aut fraternitati opportunitatem fornicationis opponant, tum maxime, clericos vehementer necessitas ista constringit, quibus aut religio blasphemata, aut fraternitas perdita pœnas duplices irrogabit. Nec invenient in judicio Domini ullum omnino solatium, qui alienigenis et fratribus peccandi fomitem ministrarunt. (*Ibid.*, longe ante med.)

Rogo vos, quantum valeo, et ultra quam valeo, hæc sint studia omnium clericorum, ut singularitatis inaccusabilis secessione fungantur; ne aut ipsi per feminas, aut feminæ per illos ad ignominiosa ludibria provocentur. (*Ibid.*, in fin.)

Prima tentamenta sunt clericorum, feminarum frequentes accessus. Iste sexus reprehensibiles exhibet clericos. Quid tibi revera cum feminis, qui

ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro rustici, aratores ac vinitores quotidie graviter lacerabunt, si contra dispositum fidei cum feminis habitare contendis. (S. Hier., *Epist. ad Ocean. Conc.* apud *Aquisg.*, ann. 816, lib. I, c. 98.)

O quam vilis! o quam miser et pusillanimis reputatur clericus, qui frequenter cum mulieribus conversatur! (Serm. 37, *Ad frat. erem.*, post med., inter Oper. S. Aug.)

Sectio sexta. — *Ob suspiciones malas, quæ inde oriuntur.*

Occasiones amputandæ sunt peccatorum, et tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas diaboli sub prætextu charitatis et dilectionis incautas animas vel ignaras irretire consuevit. (*Concil. Carthag.* I, can. 3, sub Julio I, ann. 348.)

Et ut castitas servari queat in muliebri consortio, raro tamen bonum nomen retineri potest. (*Conc. Camer.*, tit. 8, *De vita et honestat. cleric.*, cap. 3, ann. 1565.)

Consentio non esse castitatis pudicitiam violatam, suspicionis tamen malam porrigit famam, et pudicitiæ bonum frustra intrinsecus laborioso agone custodit, qui illud forinsecus efficit infamari.—Pejus est, quam mœchia, continentiam ducere criminosam, et infamem facere sanctimoniam. Blasphemiam ingerit religioni, quam colit, qui, quod confitetur, non ante omnes impleverit, ne Christianitas credatur esse fallacia, et mœchatio videatur esse sanctitatis velamento vestita. (*De singul. cleric.* inter Oper. S. Cyprian.)

Tantum certe oportet, imo vero longe majus studium adhibere, ut malas opiniones, non solum, dum erumpunt, divellamus arceamusque, sed et procul, unde erumpere possint, prospiciamus; atque adeo causas, e quibus enascantur, longo ante tempore interimamus : non etiam, dum coalescant et in vulgi ore versentur ac divulgentur, exspectemus; tum enim haud proclive furit illas delere, sed admodum difficile : fortasse etiam nulla eas arte tum exstinguere valeas; neque vero tum res noxa careat, propterea quod hoc ipsum fiat, quo tempore multorum conscientiam jam læseris. (S. Chrysost., lib. VI *De sacerdot.*, cap. 9, post med.)

Oportet episcopum et juvenculas alloqui cum omni castitate. (*I Tim.* v, 1 seq.) Si ista Timotheo præcipit, consideret jam quisque cujusmodi debeat esse, ut scilicet nullum suspicioni præbeat locum, ne umbram quidem occasionis calumniari volentibus det. (Id., hom. 18, *in Epist. I ad Tim.*, c. v, ante med.)

Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest; ne fingatur ante devita. (S. Hier., epist. 2, *Ad Nepot.*, ante med.)

Non decet clericum cum mulieribus sedere vel fabulari, vel domum frequentare, ne suspicio mala inde progrediatur. (Serm. 37, *Ad frat. erem.*, post. med. Append. inter Oper. S. Aug.)

Impudenter se assuunt virginibus sacris ac viduis, quibus tanto agglutinantur affectu, ut facilius ab ecclesiæ, quod dictu quoque nefas est, quam ab earum communione discedant. Qui, etsi cum illis forte non peccant, tamen malæ suspicionis de se præbendo materiam, vitam suam maculis sinistræ opinionis infamant. (S. Prosp., seu Julian. Pom., lib. II *De vit. contempl. sacerdot.*, c. 4, post med.)

Quod si te frequenter cum ipsis (feminis) versari, nec ullo inde detrimento affici dixeris, id quidem fortasse mihi persuaderi sinam; at illud item velim omnibus fidem adhiberi, a quibus lapides extenuari ac rupem aquæ guttis continenter cadentibus excavari dicuntur. (S. Isid. Pelusiot., lib. II, epist. 284; Pallad. episc., sub fin.)

Quotidie latus tuum ad latus juvenculæ est in mensa... oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere : et continens vis putari? Esto, ut sis; sed ego suspicione non careo; scandalo mihi es; scandalizas Ecclesiam. (S. Bern., serm. 63 *in Cant.*, n. 4.)

Sectio septima. — *Ob exemplum sanctorum.*

§ I. — *Alii occasiones non fugiendo a sanctitate excîderunt.*

Metuite, quantum potestis, ejusmodi casus exitia; et in ista subversione labentium vos experimenta perterreant. Nimium præceps est, qui transire contendit, ubi alium conspexerit cecidisse, et vehementer infrenis est, cui non incutitur timor, alio pereunte. — Amator est salutis suæ, qui evitat alienæ mortis incursum; et ipse est providus, qui sollicitus sit cladibus cæterorum; sicut Salomon approbat dicens (*Prov.* XXVIII, 28) : *Cadentibus impiis justi vehementer terrebuntur.* (*De sing. cleric.*, inter Oper. S. Cypr., post init.)

Nos jam non valent (angelorum exempla) flectere, qui novimus et angelos cum feminis cecidisse. — Quanti et quales episcopi et clerici simul et laici post confessionem victoriarumque calcata certamina, post magnalia et signa vel mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare; quantos leones domuit una muliebris infirmitas delicata, quæ, cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam. (*Ibid.*, post med.)

Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. (S. Hier., epist. 2, *Ad Nepot.*, longe ante med.)

Crede mihi, episcopus sum, veritatem loquor in Christo, non mentior; cedros Libani et gregum arietes sub hac specie (amicitiæ spiritualis) corruisse vidi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Gregor. Naz. aut Ambrosii. (S. Aug., apud S. Bonav. *Reg. novit.*, c. 11.)

Cedros Libani, id est altissimæ contemplationis homines, gregum arietes, id est magnos prælatos Ecclesiæ. (S. Thom., *De modo confit.*, opusc. 64,

art. 23, referens locum sup. dict. S. Aug. in fine, *De periculo familiaritatis mulierum.*)

Quantos robustissimos telis femineis prostravit (diabolus) viros! quot ab initio sæculi damnavit fraudibus mulierum! non armatos advocavit milites, ut debellaret apostolum (Petrum); unius mulierculæ lingua Christianæ militiæ devicit ducem. (S. Laurent. Justin., *De triumph. agone Christi*, c. 8, n. 7.)

§ II. — *Alii fugiendo perstiterunt.*

Presbyter quidam ex tempore ordinationis acceptæ presbyteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens ad se propius accedere nunquam sinebat... ab ea sibi communionem funditus familiaritatis absciderat. Habent quippe sancti viri hoc proprium; nam, ut semper ab illicitis longe sint, a se plerumque etiam licita abscindunt. (S. Greg., lib. iv *Dialog.*, c. 11, circa init.)

Venerabilis presbyter, cum longam vitæ implesset ætatem,... ad extrema deductus est. Sed cum eum presbytera sua conspiceret solutis jam membris quasi in morte distentum, si quod adhuc ei vitale spiramen inesset, naribus ejus curavit aure dignoscere; quod ille sentiens, cui tenuissimus erat flatus, quantulo adnisu valuit, ut loqui potuisset, infervescente spiritu collegit vocem, atque erupit, dicens : Recede a me, mulier, adhuc igniculus vivit, palleam tolle. (*Ibid.*, de eodem sancto presbytero.)

ART. III. — *Quomodo vitandæ mulieres.*

Sectio prima. — *Vitanda cohabitatio.*

Consortium mulierum sacerdoti non convenit, quem castitas et continentia ornare perpetuo debent. (*Conc. Camer.*, tit. 8, c. 3, *De vit. et honest. cleric.*, ann. 1565.)

Omnis inconveniens sodalitas mulierum, gluten est delictorum, et viscum toxicatum, quo diabolus aucupatur. — Ipse se voluit superari, qui hostem proprium in suas portas induxit; et intestinum gladium sibi ipse supposuit, qui locum habitationis suæ adversari ingressibus reseravit. — Contubernium, etsi nulla in ipso contubernio turpis consuetudo noscatur, accendit, quia impossibile est integritatem ad victoriam pervenire, quæ contendit contra Dei jussa pugnare. — Sic integritas emoritur, ubi omnis commoratio, sive convivendo, sive commanendo, corruptis affectionibus inquinatur. — Ille potest suis oculis obnoxius non teneri, cui nolenti, repentinus occursus mulieris scandalum moverit, quod protinus mens, quod nolebat, expellit; ille autem commotionem sui visus non meretur evadere, qui apud se scandali materiam tenet; qui vult intentionis suæ affectibus frui; qui affectat habere, quod oculis offensio ingerat. (*De sing. cleric.*, inter Oper. S. Cypr.)

Episcopo non licet virginum contubernio uti. (S. Chrys., lib. iii *De sacerdot.*, c. 17, circa med.)

Ne sub eodem tecto mansites. (S. Hier., epist. 2, *Ad Nepot.*, longe post init.)

Quid tibi necesse est in ea versari domo in qua necesse habeas quotidie aut perire aut vincere? (Id., *De vitand. susp. contub.*)

Ego judico, si cum viris feminæ habitent, viscarium non deerit diaboli, qui ex eis aucupatus est ab initio peccatum. (S. Hier., cred., *Epist. ad Ocean.*, apud *Conc. Aquisgran.*, cap. 98, lib. i, ann. 816.)

Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum feminis non præsumant; ne ruina menti tanto ruina subripiat, quanto ad hoc, quod male concupiscitur, etiam præsentia concupitæ formæ famulant. (S. Greg., *Dialog.*, lib. iii, cap. 7, *ibid.* Narrat historiam de Andrea Fundanæ civitatis episcopo sanctissimo, qui ob cohabitationem fere ceciderat.)

Legitur quod beatus Augustinus nec cum sorore sua habitare consenserit, dicens : Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela magna nobis esse debent instructio : nam incautæ præsumptionis est, quod fortis pavet, minus validum non timere. (Id., epist. 39, lib. vii, indict. 2.)

Obsecramus per sanguinem illum, qui pro animabus fusus est, ne tanti emptarum parvipendatur periculum, quod maxime ex virorum et feminarum cohabitatione non immerito timetur ab his, qui in schola Dei diu jam contra diaboli tentamenta luctati, propria experientia docti dicere possunt cum Apostolo : *Non enim ignoramus astutias ejus.* (*II Cor.* ii, 11.) (S. Bern, epist. 79, *Ad Lucam abb.*, n. 1.)

Est aliud apud vos, de quo ea præsumptione, qua soleo, non cunctabor dicere quod sentio, de molendino illo dico quod conversi custodientes feminarum pati coguntur frequentiam; si mihi creditur, unum e tribus fiet, aut videlicet feminarum accessus omnimodis a molendino prohibebitur; aut molendinum cuicunque extraneo, et non conversis custodiendum committetur; aut idem omnino molendinum relinquetur. (*Ibid.*, in fin.)

§ I. — *Etiamsi propinquæ sint.*

Prohibe virgines tecum commorari, etiam quæ de genere tuo sunt. (S. Hier., *Epist. ad Ocean.*, apud *Conc. Aquisgran.*, ann. 816, c. 98, lib. i.)

Cum mulieribus... quamvis vel arctissimo consanguinitatis vel affinitatis vinculo vobis illæ conjunctæ sint, ne in eisdem domiciliis ædibusve simul habitate, nisi cum ex causa alicui vestrum aliquando episcopalibus litteris permissum sit. (*Conc. Mediol.* iv, part. iii, tit. *Monitiones*, longe ante med.)

Si quis habet matrem, vel filiam, vel sororem, vel conjugem, vel cognatam, sic habeat ut nulla ancilla intersit, neque aliqua ingrediatur extranea, ne ad hoc videatur tenere proximas suas, ut ipsarum causa libere sibi adhibeat alienas. Quod si non possint ipsæ, quæ sunt proximæ, sine famularum ministerio, vel sine amicarum esse solatio, expedit ut migrent ad aliud domicilium, quam propter illas personæ contrariæ teneantur; humanum est enim,

ut nec clericus illas necessariis feminis fraudet, nec ipsæ clericum per importunas feminas sordident. — Cum clerico femina nulla commaneat, non despecta, non vetula, sine affinitate, peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium, quia magis illicito delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum; maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidii vel vilis exsistit; sed diabolus pingens speciosum efficit, quidquid fœdum vel horridum fuerit. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr., sub fin.)

§ II. — *Etiamsi sint in ministerio utiles.*

Tunc ergo cavenda sunt feminæ participia, quando geritur carnalium curarum continua unanimiter frequentia, quoniam inter curas suas caro semper incitamenta cupidinis provocat, et illic parit fomenta peccandi, ubi pertractans commoda sua temporalis vitæ cogitationibus senserit paululum relaxari, sicut Salomon asserit, dicens: *Deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem.* (*Sap.* IX, 15.)—Etsi femina utilior existimetur, non oportebat carnalia emolumenta præponere utilitatibus spiritualium commodorum.—Expediebat qualemcunque virum inutilem sustinere pro existimatione munienda, quam bonos effectus mulieris cum existimatione turpissima. Quod Salomon comparat, dicens: *Melior est*, inquit, *iniquitas viri, quam bene faciens mulier.* (*Eccli.* XLII, 13.) — Artificialia sunt semper diaboli veneficia, quibus ingenium suæ calliditatis exercens sanctimoniæ deditos commoditatibus juvat ut perdat; et inter continentes quasi necessaria emolumenta mutuis adjuvaminibus subministrans agit prius masculum et feminam pariter conversari, ut, postquam inseparabiles fecerit, per alterutra solatia possit occidere, etc. (*De singul. cleric.*, int. Oper. S. Cypr.)

Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. (S. Hier., epist. 2, *Ad Nepotian.*, ante med.)

Sectio secunda. — *Vitanda frequentatio.*

Adversaria est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat, et lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare. — Impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere. Quod Salomon non negat, dicens. *Quis abscondet in sinu suo ignem, vestimenta autem sua non comburet? aut quis ambulabit super carbones ignis, pedes vero non comburet?* (*Prov.* VI, 27, 28.) — Necesse est caducis lapsibus elidantur, qui viam lubricam tenuerunt. — Perditionis meditatio est, frequentativum inter mulieres celebrare processum. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr., paulo post init.)

Inter epulas cum feminis versari, item est ac se in ignem projicere. (S. Ephrem., *Doctr. variæ*, c. 82.)

Adolescentulas in omni castitate. (*II Tim.* II, 2.) Non modo (ait Paulus) obsceni congressus vitium cave, verum omnem suspicionis vel obscuræ aditum claude, quia adolescentularum colloquia turpi suspicione difficile carent. (S. Chrysost., hom. 13, *in II Epist. ad Tim.* II, ante med.)

Sunt alii, qui ideo presbyterium et diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant. (S. Hier., epist. 22, *Ad Eustoch, de custodia virginitatis*, c. 12.)

§ I. — *Etiam sub prætextu dilectionis.*

Nec recto cursu moliuntur continentiæ scalas ascendere. quos, ut de alto præcipitet, elaborat ad culmen adversarius protelare; sed necesse est caducis lapsibus elidantur, qui viam lubricam tenuerunt, de qua Salomon sic prædicat, dicens (*Prov.* XVI, 25): *Est via, quæ videtur apud homines recta esse, novissima autem ejus veniunt in profundum inferorum.* — Secundum verbum Isaiæ (*Isa.* V, 20), amaritudinem pro dulcedine devorantes, nudam fœditatem velamento boni nominis tegunt, dum apud eos falsa dilectione vera dilectio violatur. — Exclamat charitas et appellat: Tales ego non junxi, falsa altera est, quæ me simulando confinxit, nunquam Dei præceptis obsisto, nunquam fluxis faveo, per me sanctitatem non opto culpari. — Dilectio deputabitur, per quam sanctitatis injuria criminationibus appetitur... et filiæ matris Ecclesiæ perducuntur in culpam. — Parricidalis hæc dilectio... dilectio proximi malum non operatur. — O dilectio, quæ invidet sibi! etc. Ecce vera dilectio, quæ in conjugalitate dividit, ut in castitate conjungat. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr.)

§ II. — *Quantumvis sanctæ sint.*

Nec, quia sanctiores sunt, ideo minus cavendæ; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt, et sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus libidinis. (S. Thom., *De modo confit. et parit. consc.*, art. 23, ex S. Aug. in fin., *De periculo familiarit. mulier.*)

Licet carnalis affectio sit omnibus periculosa et damnosa, spiritualibus tamen viris perniciosa est magis, maxime quando conversantur cum persona, quæ spiritualis videtur: nam, quamvis eorum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, et malum occultum bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motivum, et utriusque puritas maculatur. (*Ibid.*, et S. Bonav., *De modo confit.*, c. 14. Hunc tractatum *De modo confit.* alii S. Thom., alii S. Bonav. ascribunt.)

§ III. — *Etiamsi conversatio earum sanctissima.*

Diabolus impugnationis suæ arma subducens interim, quasi placidus fautor suggerit sanctitatis argumenta, donec diutius inter ambos inimicam nutriat concordiam. — Facit affabiles sibi invicem, et deservire, et assentator infestus impedimenta removens universa, commodis eorum gaudet efficaciam commodare, ut tota eos sibimetipsis necessitate

commendans exhibere eos possit in alterutrum solita consolatione pendere. — Diabolus non vult eos in aliquo impedire, ne separet tam spiritaliter, quam carnaliter; inconcussos efficit vivere, ne ipsa societatis initia immaturo tempore fœdera cœpta conturbent. — Usque adeo illos videntibus cunctis ad perfectum sanctitatis invitat, fovet, sublevat, ut Dei esse computent beneficia ipsa contraria, quibus inducuntur ut pereant, nescientes nunquam Deum juvare, quod vetat. Quibus in tantum diabolus blandiens securitatem præparat sanctimoniæ, ut conjunctos se magis æstiment quam disjunctos, immobiles circa libidinem perdurare, quos cum omni tranquillitate nullis procellis aut fluctibus inquietat, et velut in medio mari minus cautos inducit, relaxare vela, nec quærere gubernacula, ut subita tempestate concitatos, naufragos ex insperata commotione submergat. — Hanc 1° diabolus exhibet lenitatem, ut duas naves oblectet ad invicem convenire : quas, cum fecerit junctas, repentinis turbinibus in semetipsas elidere possit et frangere. — 2° His utitur blandimentis (diabolus) ut subtractis omnibus jaculis compescens adversa, suggerens prospera, tandiu sopitum ignem sine ullis flammis occultet, donec duas faculas jungens simul ambas accendat. — 3° Tandiu cessat sævitiæ suæ tela supponere, donec, sicut peritus venator, quos occisurus est, laquei sui vinculis alliget. — Sic de simplici charitate amorem conflat illicitum ; sic per sanctitatem sibi inducit interitum, dum contentus est cedere ; sic valet fortius occupare, et dum submissus patitur semetipsum præbere devictum, sic plenius devincere gloriatur... non enim ignoramus astutias ejus. — Male in hac participatione pacati sunt, qui ad bella pacificante diabolo perducuntur. — Et non bene in sanctitate proficiunt, quibus ad detrimentum profectus ipse inimici artificio subornatur. (*De singul. cleric.*, longe ante med., inter Oper. S. Cypr.)

§ IV. — *Frustra jactantur exempla sanctorum.*

Si hac de conjunctione clerici denotantur, notandi sunt etiam sancti plerique nobiscum; sicut Elias, qui mansit apud viduam ; sive apostoli, qui mulieres secum comites circumducebant..... aut ipse Dominus, cui de suis facultatibus alimenta præstabant aliquæ mulieres religiosæ ; cui etiam Martha ministrabat ad mensam ; et qui singulariter locutus est ad puteum sedens cum alienigena muliere Samaritana, vel cui recumbenti femina lacrymis pedes lavit, et capillis extersit. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr., circa med.)

R. 1° Callidi argumentatores, et jurisperiti fallaces, qui, dum cupiunt prævaricari, controversias actionesque causarum transvertunt, etiam ipsa jura; et, cum nolunt competentibus coerceri jussionibus legum, ad illudendos judices inconvenientibus exemplis velut similes conjecturas juris objiciunt : qui per Salomonem ipsius legis sagacitate produntur (*Eccli.* XXXII, 21) : *Peccator*, inquit, *homo evitat correptionem, et ad voluntatem suam invenit comparationem.* (*Ibid.*)

2° Tales non per orationem, sed per correptionem potius revincendi sunt, etc. Sicut nos adversus hujusmodi homines Salomon edocet, dicens (*Eccli.* XXII, 14) : *Noli*, inquit, *respondere insipienti ad ipsius insipientiam, ne similis fias illi*, etc. (*Ibid.*)

3° Revera magni homines, qui se comparant sanctis, et eximia conversatio nostra, quæ prophetis vel apostolis videatur æqualis. Ad occasionem luxuriæ nostræ in perversum sanctos volumus imitari; et in cæteros actus vestigia justorum nolumus sequi. In quibusdam infirmos nos excusamus ad imitanda facta majorum; et in aliis nos æquales majoribus protestamur. (*Ibid.*)

4° Nunquid similes agones frequentamus contra luctamina vitiorum, et sic agimus rigore, auctoritate, vigiliis, passionibus, labore, necessitate, afflictione, abstinentia, quibus peccata calcantur, ut nemo de nobis mali aliquid suspicetur? per quæ Paulus apostolus conscientiam suam innotuisse omnibus gloriatur. (*II Cor.* VI, 3.) (*Ibid.*)

5° Ad has imitationes infirmi sumus, et ad mulieres circumducendas possibilitatem nobis comparandæ imitationis asciscimus. Quod si etiam cuncta illorum quispiam se implere jactasset, etc. *Nunquid omnes apostoli? Nunquid omnes prophetæ?* (*I Cor.* XII, 29.) (*Ibid.*)

6° Si Christus seipsum comparare ausus est Deo, qui ait : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28) ; aut si apostoli coæquare semetipsos ausi sunt Deo, nos hodie apostolis æquales facit consimilis fortitudo ; misera humanitas! in hac æqualitate non times fulminari, etc., cum superbiæ sit elata jactantia etiam minimis Ecclesiæ quemquam comparabilem velle conscribi ; cum Paulus moneat et dicat (*Philip.* II, 3) : *Alter alterum superiorem sibi exsistimantes.* (*Ibid.*)

7° Minus de nostris viribus sentiendum est, nec sicut nobis apostolus Paulus de semetipso magisterium proponit et dicit : *Non enim audemus comparare nos, aut conferre quibusdam*, etc. (*II Cor.* X, 12, 13.) Certe plus omnibus laboravit, et tamen ad mulieres circumducendas collegas suos imitari contremuit, ne se ad interitum subjiceret tentationi carnali. (*Ibid.*)

Noluit (Paulus) de mulieribus circumducendis habere fiduciam, qui non ignorabat aliam (esse) claritatem solis, et aliam lunæ, aliam vero stellarum, etc. (*I Cor.* IX, 16 ; II.) Unus securus in lubrico graditur, et alius, qui impar est, labitur. Unus per rupes cursu montes ascendit ; alius, si se coarctavit, cadit. Uni contingit per tempestates navigia feliciter explicare ; et alteri talis felicitas non potest evenire. Quod Paulus apostolus decernit, dicens : *Unusquisque*, inquit, *proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius vero sic.* (*I Cor.* VII.) (*Ibid.*)

8° Qui apostolis coæquari contendit, quare non

magis presbyteros adulteros apud Danielem, ad formidinem sibimetipso proponit? (*De sing. cleric.* inter Oper. S. Cyprian., circa med.)

9° Omnes, qui perire festinant sub obtentu sanctorum, dedecora sua volunt esse celata. (*Ibid.*)

Per sanctos cavillationis anfractus contendunt exquirere. (*Ibid.*)

10° Ne maritatæ mulieres accedere vetarentur ad Christum (sicut faciunt hæretici, qui nuptias auferunt) Christo in præsentia servierunt, sed non sine moderamine; nam sic allocutus Dominus Samaritanam ad horam docuit et recessit, nec defensionem continuandis excessibus fecit. Ad horam quoque Martham passus est ministrantem; sed quid erat aliud Domino, nisi regni cœlestis prandia ministrare? etc. (*Ibid.*)

11° Ut de apostolis breviter probem, quantum iliis fluxa familiaritas potuit displicere, qui compulsi sunt et de ipso Domino loquente cum femina dubitare, nisi eos majestatis notitia probata compesceret.... *Mirabantur*, inquit Evangelista (*Joan.* IV, 27), *quod cum muliere loqueretur.* (*Ibid.*)

12° Elias jussus est a Domino relinquere solitudinem, et ingredi tabernaculum viduæ : 1° Pro imperio Domini laboravit, ut in domo mansisset. 2° Illi solitudo solatium præstabat et requiem. 3° Occasionem illi Dominus obtulit ad magnalia facienda. 4° Nulla fuit importunitas scandali, ubi transeunter, quod pejus est, egestuosam habuerit mansionem, quam quicunque hospes effugeret. 5° Quisquis es, qui te vis Eliæ de commoratione viduæ vocari discipulum, prius solitudinis afflictiones et quadraginta dierum tolera jejunii exitum, et aut non quæres feminam, aut non erit qui cum femina commoretur. (*Ibid.*)

SECTIO TERTIA. — *In necessaria conversatione quid observandum.*

§ I. — *Mulierem non tangat clericus.*

Stuppa, si ignem odorata fuerit, protinus inflammata succenditur; neque opus est ullo adminiculo ullove foris insufflante, ut ex ea ignis effulgeat; sed, simul atque illum attigit, mox in apertas flammas erumpit; ita et femineum corpus masculeum tangens, etc. (S. BASIL., *De S. virginit.*)

Quomodo, qui ignem tetigerit, statim aduritur, ita viri tactus et feminæ sentit naturam suam, et diversitatem sexus intelligit. (S. HIER., lib. I *Adv. Jovinian.*, cap. 4, longe ante med.)

§ II. — *Fixis oculis non aspiciat.*

Ex improviso vel transeunter ad horam femineus aspectus occurrens velut sagittas alienis oculis jactat. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr.)

Quoniam autem ob necessarios quosdam casus aut pauperum dispensationes hoc minime fieri potest (ut omnino vitentur mulieres) curandum est, ut oculis humi defixis eas alloquamur; quampluribus enim, aut etiam iis fere omnibus, qui feminarum pulchritudine subacti sunt, hoc accidit, ut mors per fenestras ad eos ascenderet. Quippe quæ etiam magnum illum prophetam ac regem vicerit. (S. ISIDOR. Pelus., lib. I, epist. 89.)

Unusquisque oculos a mulieribus removendo securitatem sibi comparare studeat, ne alioqui materia igni admota flammam excitet. (ID., lib. III, epist. 11, *Theoctisto*, in fin.)

Juvenculas ut sorores obsecra in omni castitate, (*I Tim.* V, 2), ut nec nutus circa eas fiat in alloquio. (HUGO card., *in I Epist. ad Tim.*, V.)

§ III. — *Parce loquatur.*

Gustanda est cum mulieribus, non continuanda præsentia, sed quasi transeunter feminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiva. (*De singul. cleric.*, inter Op. S. Cypr., in fin.)

Mulierum colloquia funditus fugiamus; si id non possimus, in eo enitendum est certe, ut quam rarissima et quam brevissima fiant. (S. BASIL., *Constit. monast.*, c. 3.)

Cum pauca, quæ ipsarum animos astringere atque illustrare queant, locutus fueris, statim avola, ne diuturna consuetudo vires tuas emolliat et infringat. (S. ISID. Pelus., lib. II, epist. 284, *Ad Pallad. episc.*)

Sermo brevis cum mulieribus et rigidus est habendus. (S. BONAV., *De purit. consc.*, c. 14, in fin.)

§ IV. — *Nunquam solus cum sola.*

Solus cum sola, secreto, et absque arbitro et teste non sedeas. — Si propter officium clericatus aut vidua visitatur aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio ne infameris. (S. HIER., epist. 2, *Ad Nepotian.*, ante med.)

§ V. — *Non audiat cantantem.*

Feminæ cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. — Hoc est venenosius super cuncta. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr. longe ante med.)

(Diabolus) aures per canora tentat, ut Christianum molliat rigorem. (S. THOM., opusc. 58, c. 21, post init.)

§ VI. — *Gravem se et austerum exhibeat.*

Sunt equidem necessitates aliæ, quæ nos quoque privatim feminas videre compellant, ut solatia præbeamus, ut hortamenta vitalia salubriter intimemus: nec tamen et in iis officiis minor cura agenda est pro moribus nostris, ut clarescant in nostra operatione indicia puritatis; severitas non desit, quæ sub clerico feminam possit astringere, ut ipsam consolationem nostram suscipiat cum tremore, et ita sentiat visitationis affectum, ut clericum veneretur. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr., longe ante med.)

Sic ambulate, sic agite, ut semper in clericis Ecclesiæ senatus candidus constet, severitas in vobis circa feminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur, etc. (*Ibid.*, in fin.)

§ VII. — *Etiam erga moniales.*

Presbyteris, diaconibus cæterisque clericis infra claustra monasteriorum puellarum non sit concessum habitare ; neque enim intrent monasteria, nisi tempore, quo missarum solemnia celebranda sunt, vel alia quælibet ecclesiastica officia peragenda ; quibus peractis statim egrediantur, ne ibi postea aliquam moram faciant. (*Conc. Turon.* III, ann. 813, sub Carolo Magno, can. 29.)

Consortium mulierum sacerdoti non convenit, quem castitas et continentia ornare perpetuo debent; et ut castitas servari queat in muliebri consortio, raro tamen bonum nomen retineri potest. (*Conc. Camer.*, ann. 1565, *De vit. et honest. cleric.*, c. 2.)

Ante prævenienda est omni provisione calamitas feminarum, cujus cupido, si admittitur incipere, nunquam prorsus accipit finem. (*De singul. cleric.*, inter Oper. S. Cypr., n. 153.)

Ad eam, quæ virginitatem profitetur, prorsus ne accesseris. (S. Ephrem., *Doctr. var.*, c. 82.)

Quocirca fugiendæ imprimis cum mulieribus nobis congressiones sunt collocutionesque, neque ad eas accedendum, nisi cum gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellat, et aliter facere non possimus ; atque ipsa etiam ubi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus atque ab igne cavendum est, adeo ut quam ocissime nulla mora ab istis nos extricemus. (S. Basil., *Constit. monast.*, c. 3.)

Eas (mulieres scilicet) invisere ægrotantes, solari lugentes, et increpare languentes, et adjuvare afflictas oportet ; quæ omnia, dum fiunt, plures irrumpendi aditus dæmon invenire potest, nisi exactissima quis ac munitissima custodia sese vallaverit ; quippe animum ipsum ferit non impudicæ tantum, sed etiam pudicæ mulieris oculus. (S Chrysost., lib. VI, *De sacerdot.*, ante med.)

Monasteria monialium si quispiam clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumpserit, per episcopum arceatur ; et si non destiterit, ab officio ecclesiastico reddatur immunis. (Alexander III, *De vit. et honest. cleric.*, c. *Monasteria ;* Greg., *Decret.* lib. III, tit. 1, c. 8.)

CAPUT XII.

Parentes et propinqui.

ART. I. — *Clerici parentes nesciendo et fugiendo odisse debent.*

Qui dixerit patri suo et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro vos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium suum, ponent thymiama, et holocaustum super altare tuum. (*Deut.* XXXIII, 9, 10.)

Si quis non odit patrem suum, et matrem, non potest meus esse discipulus. (*Luc.* XIV, 26.)

A propinquis autem, amicis, parentibusve animi affectione nos tam longe oportet esse disjunctos, quam longe eos, qui jam sint vita defuncti, a vivis videmus distare. (S. Basil., *Constit. monast.*, c. 20 init.)

Hæc est vere sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum et quædam alienatio charissimorum, ut suis etiam se abneget, qui servire Deo gestit. — Fugitans igitur est suorum, sacri altaris ejus minister. (S. Ambr., *De fuga sæculi*, c. 2, n. 7.)

Nemo in cœlestibus est gloriosior, quam qui repudiato parentum stemmate sola elegit Christi paternitate censeri. (S. Hilar. Arelat., *Serm. de S. Honor.*)

Quisquis jam æterna concupiscit, in ea, quam aggreditur, causa Dei extra patrem, extra matrem, extra uxorem, extra filios, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet. (S. Greg., hom. 37 *in Evang.*, longe ante med.)

Loquitur Dominus ad Moysen, dicens : Non eligatur sacerdos aut levita, nisi qui dixerit patri suo, et matri suæ : Nescio vos. (*Deut.* XXXIII, 9.) In quo amputatur non solum occasio culpæ, sed affectio parentelæ. (Petr. Bles., epist. 123, *Ad Richard. London. episc.*)

Gravi et austero rigore abscindenda est in his, qui convertuntur ad cor, omnis affectio parentelæ. (Id., epist. 102, *Ad Henr. Radingens. abbat.*)

Nec in domo Dei, sacerdos aut levita eligitur, nisi dixerit patri et matri : Nescio vos. (*Deut.* XXXIII, 9.)

Vaccæ fetæ, quæ deferebant arcam Dei in Bethsames, ad vitulos suos colla minime reflectebant. *Nec in domo Domini sacerdos et levita eligitur, nisi dixerit patri et matri : Nescio vos.* (Id., *ibid.* post med.)

Levitici ordinis gradus non solum extraordinarias abdicat vanitates, sed exterminat etiam naturales affectus, ut non præsumat quis in eo ministrare, nisi prius in ipso prorsus exstincta sit affectio parentelæ ; locutus est enim Dominus ad Moysen, dicens (*Deut.* XXXIII, 9) : *Non serviat mihi sacerdos aut levita, nisi prius dixerit patri suo et matri : Non novi vos.* (Id., epist. 140, *Ad Petr. cleric. regis Angliæ*, circa fin.)

Quandiu in mundo sumus, debitores nos constat esse parentum ; postquam vero per obedientiam nosmetipsos reliquerimus, nos ab eorum necessitatibus cognoscimus esse solutos. (S. Laur. Justin., *Lig. vitæ*, tract. 6, *De obed.*, c. 3, n. 1.)

ART. II. — *Cur evangelicum parentum odium in clero præcipue requiratur?*

Sectio prima. — *Ob exemplum Christi,*

§ I. — *Parentibus se subducentis.*

Fugitans igitur est suorum, sacri altaris ejus minister. Unde Dominus quasi princeps sacerdotum formam levitis in Evangelio dans suo, dixit (*Matth.* XII, 48) : *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei?* Hoc est : Non agnosco matrem, non recognosco fratres, ignoro proximos : mater mea et fratres mei ii sunt, qui audiunt verbum Dei et faciunt. Solum ergo verbum Dei novit minister, cum eos novit, in quibus operatur verbum Dei. (S. Ambros., *De fuga sæculi*, c. 2, n. 7.)

Quæ mihi mater mea, aut qui fratres... Se habuisse matrem manifestavit, cujus tamen terrena cognatione contempta, contemnendarum talium necessitudinum discipulis præberet exemplum. (S. Aug., epist. 38, *Læto*, n. 9.)

Quomodo te, bone Jesu, inter meos cognatos inveniam, qui inter tuos minime es inventus? (S. Bonav., *Specul. discip.*, part. I, c. 23, ex S. Bern. epist. 107, in fin.)

§ II. — *Discipulos omnia relinquentes eligentis.*

Dominus Christus, quando parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis hujus temporalisque pietatis... Honorandus est pater; sed obediendum est Deo. (S. Aug., *De verb. Domini*, serm. 7, c. 2.)

§ III. — *Discipulis parentum odium præcipientis.*

Dominus etiam ipse hujuscemodi affectionem et consuetudinem vetuit; qui quidem ex discipulis suis cuidam ne id quidem unum permiserit, ut res suas cum propinquis suis componeret; alteri, ut ne cadaver quidem mortui patris humo superinjecta contegeret. (S. Basil., *Constitut. monastic.*, c. 20, post med.)

Sectio secunda. — *Quia immoderatum erga parentes studium et frequentior cum eis conversatio nocent plurimum clericis.*

Intellecto igitur intolerabili detrimento, quod ex animi erga propinquos nostros affectione nobis nascatur, sollicitudinem de illorum rebus ut diabolicum telum fugiamus. (S. Basil., *Const. monast.*, c. 20, post. med.)

Grandis in suos pietas, impietas in Deum est. (S. Hier., epist. 15.)

Qui non renuntiat omnibus, quæ sunt ejus, non potest meus esse discipulus... (*Luc.* xiv, 33.) In eo quod unusquisque renuntiat omnibus, quæ sunt ejus, etiam illud continetur, ut oderit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres et sorores... Omnia enim hæc propria ejus sunt, quæ plerumque implicant et impediunt ad obtinenda non ista propria temporaliter transitura, sed in æternum mansura communia. (S. Aug., epist. 38, *Læto*, n. 2 et 3.)

Hoc ipsum, quo te (mater tua) privatim diligit, interficiatur in ea, ne, quod ex utero suo te genuit, pluris pendat, quam quod ex utero Ecclesiæ genita est tecum. Quod autem de matre dixi, hoc de tali cætera propinquitate intelligendum est. (*Ibid.*, n. 4.)

Qui amat animam suam, perdet eam. (*Joan.* xii, 25.) Dicam etiam confidenter: Qui amat parentes suos, perdet eos... non more parricidarum interficiens eos, sed spiritali gladio verbi Dei carnalem affectum eorum, quo et seipsos, et eos, quos genuerunt, implicamentis hujus sæculi obligare conantur, pie fidenterque percutiens et occidens illud in eis vivere faciat, quo fratres sunt, quo cum filiis suis temporalibus parentes æternos Deum Ecclesiamque cognoscunt. (*Ibid.*, n. 5.)

Ecce rapit te studium veritatis et cognoscendæ atque percipiendæ; rapit et voluntatem Dei in Scripturis sanctis; rapit et Evangelicæ prædicationis officium. Dat signum Dominus, ut vigilemus in castris, ut ædificemus turrim, de qua hostem sempiternæ vitæ et prospicere et propellere valeamus. Rapit militem Christi tuba cœlestis ad prælium; et retinet mater, non plane talis, qualis Machabæorum fuit, nec saltem similis Lacedæmonis matribus, etc. (*Ibid.*, n. 6.)

Quidquid in illis verbis atque suggestione quasi officium tibi charitatis ostendit (mater) ut a germanissima atque sincerissima Evangelii charitate te detorqueat, ad astutiam serpentis pertinet. — Ista umbra pietatis de foliis illius arboris venit, quibus se primum parentes nostri in illa damnabili nuditate texerunt. (*Ibid.*, n. 10.)

Præterita mala... cogitationes malæ... affectio cognatorum... istæ sunt mordaces Evæ curæ, quæ sanctum viri propositum enervaverunt. Inter has vir sanctus coquitur et cruciatur. Hæ sunt monachorum muscæ mordaces et morientes, quæ perdunt suavitatem unguenti. Hæc sunt volatilia, quæ comedunt frumentum in anima seminatum. (S. Aug., serm. 40, *Ad fratr. erem.*, sub fin.)

Sæpe quosdam videmus... jam præsentis vitæ desideria non habere, mundum et opere et professione reliquisse; sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum prætoria irrumpere, terrenarum rerum jurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, et mundi studia in se jam dudum destructa reparare. (S. Greg., lib. vii *Moral.*, c. 14, paulo post init.)

Gravi damno scientia divina minuitur, si cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius jungi. (*Ibid.*, longe ante med.)

Cum plus, quam necesse est, carnis propinquos diligunt, retracti exterius a cordis parente dividuntur. (*Ibid.*, paulo post init.)

Sine ut mortui sepeliant, etc. (*Matth.* viii, 22; *Luc.* ix, 60.) Postquam quis se tradiderit Deo, non debet denuo ad vitæ hujus curas converti; oportet sane et parentes venerari, sed magis oportet venerari Deum. (Theophil., *in Matth.* viii.)

Cum propinquitates corporum respicimus, corporis et animæ Creatorem offendimus. (Petr. Bles., epist. 102, *Ad H. Rading. abb.*, post med., ex S. Hier., epist. 128, *Ad Fabiolam.*)

Multi pro parentibus suis animas reperdiderunt, quorum occasione mundus, qui in eis aruerat, denuo revirescit... Impius est, qui animæ suæ pro

suis parentibus est crudelis ; majoremque temeritatem hac nemo habet, quam ut animam suam ponat ita periculose quis pro amicis suis. (Id., epist. 11, paulo ante med.)

Sine mortuos sepelire mortuos suos. Fallax et proditoria est affectio parentelæ. Carnalis amor extra Dei amorem cito te capiet ; et affectio mundi, quæ jam in te aruerat, in perniciem animi revirescit. — Mortuus es mundo et parentibus tuis... noli iterum in sæculo vivere. (Id., epist. 134, longe ante fin.)

Sectio tertia. — *Quia soli Deo et Ecclesiæ servire debent clerici.*

Nesciunt suis parcere, qui nihil suum norunt ; quoniam sanctis omnia Deus est. (S. Ambros., *in Exod.* xxxii, sive epist. 56, et nunc 66, *Ad Romul.*, n. 8.)

Præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati ; ea est enim vera pietas, quæ proponit divina humanis perpetua temporalibus. (*Ibid.*, n. 7.)

Mater Ecclesia mater est etiam matris tuæ : hæc vos de Christo concepit ; hæc martyrum sanguine parturivit ; hæc in sempiternam lucem peperit ; hæc fidei lacte nutrivit et nutrit, cibosque majores præparans, quod adhuc parvuli et sine dentibus vagire vultis horrescit ; hæc mater... agitatur, etc... Hujusne, tu, necessitates deserens ad carnalia verba converteris ? Nonne hæc chariora viscera, et cœlestia ubera ostendat, etc. ? (S. Aug., epist. 38, *Læto*, n. 8.)

Non differat, quæso, non evacuet propositum tuæ conversionis proditoria et seductrix affectio parentelæ ; noli eos diligere contra Christum, quos teneris odio habere pro Christo. (Petr. Bles., epist. 11, *Ad cleric. jam ætate provectum*, ante med.)

ART. III. — *In quo odium et fuga parentum consistat.*

Admone parentes atque consanguineos tuos carnales, ne te frequentent ; dum enim illi coram te de tuis loquuntur, distrahunt mentis in te officium ; simul vero te etiam incontinentem sua doctrina vel exemplo reddent ; verum satis est semel vel bis in anno ab iis visitari ; si vero inutilem eorum conversationem penitus præscideres, melius ages. (S. Ephrem. *Apophteym.*)

Si cum Christo una mortuus es istis tuis secundum carnem cognatis, quid tantopere illorum familiarem affectas congressum ? (S. Basil., *Ad Chelon. discip.*, ante med.)

Diabolus, cum omnes nos de rebus vitæ hujus curas exuisse animadverterit, et expeditissimo cursu ad cœlum contendere, in hoc elaborat, ut, cum animum nostrum in propinquorum recordationem reduxit, eo sensim abducat, ut rationibus illorum curandis mentem nostram ad suscipiendas rerum vitæ hujus sollicitudines impellat. (Id., *Constit.*, c. 20, ante med.)

Quid facis in paterna domo, delicate miles ? Ubi vallum ? Ubi fossa ? Ubi hiems acta sub pellibus ?... Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo in baptismate consepultus in sacramenti verba jurasti pro nomine ejus non te patri parciturum esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere ; ecce donativum, quod militaturus acceperas ; hostilia castra suspirant. Licet parvulus ex collo pendeat nepos ; licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat ; licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem ; siccis oculis ad vexillum crucis avola : solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. — Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis. Nunc illi, cum quibus adolevisti. Vernulæ aiunt : Cui nos servituros relinquis ? Nunc et gerula quondam jam anus, et nutritus secundus post naturalem pietatem pater clamitat : Exspecta paulisper et sepeli. Forsitan et laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens lallare congeminet. Dicant, si volunt, et grammatici : In te omnis domus inclinata recumbit. Facile rumpit hæc vincula amor Dei, et gehennæ timor. — Gladium tenet hostis, ut me perimat, et ego de matris lacrymis cogitabo ? Propter patrem militiam patris deseram, cui sepulturam Christi causa non debeo ?... Domino passuro timide Petrus consulens scandalum fuit ; Paulus retinentibus se fratribus, ne Hierosolymam pergeret, respondit : *Quid facitis plorantes et conturbantes cor meum ? Ego non solum ligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Domini nostri Jesu Christi.* (*Act.* xxi, 13.) Aries iste pietatis quo fides quatitur, Evangelii retundendus est muro. — Mater mea et fratres mei, hi sunt, quicunque faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis est : si credunt in Christum, faveant mihi pro ejus nomine pugnaturo ; si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos. (S. Hier., epist. 1, *Ad Heliod.*, paulo post init.)

Sed quid dicit, aut quid allegat ? Forte decem illos menses, quibus viscera ejus onerasti, et dolores parturitionis, ac labores educationis. Hoc, hoc interfice verbo salutari ; hoc perde matris, ut in vitam æternam invenias eam, etc. Carnalis enim affectus est iste, et adhuc veterem hominem sonat. — Hunc carnalem affectum et in nobis et in nostris militia Christiana ut perimamus hortatur ; nec tamen ita, ut ingratus sit quisque parentibus, etc., servet potius ubique pietatem... habeant hæc locum, ubi majora non vocant. (S. Aug., epist. 38, *Læto*, n. 7.)

Habeant locum in paterna ipsa beneficia, quæ tibi ad enervationem cordis enumerantur ; habeant prorsus locum ; noli esse ingratus ; repende gratiam matri tuæ ; repende spiritalia pro carnalibus, pro temporalibus sempiterna. Sed non vult sequi ? Non impediat. Non vult converti in melius ? Cave ne te in deterius pervertat et evertat. (*Ibid.*, n. 10.)

Sanctus Pater Antonius, cum epistolas a charis suis

in sæculo morantibus recepisset, nullam legere voluit, sed receptas in ignem projecit, dicens : Chartæ fallaces estis, etiam plenæ mendaciis ; comburo vos ne comburar a vobis. (Serm. 40, *Ad fratr. eremit.*, sub fin., inter Oper. S. Aug.)

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, adhuc autem, et animam suam, etc. (*Luc.* XIV, 26.) Quo in loco, videlicet, dum propinquorum odio animæ quoque nostræ odium subinfertur, patenter ostenditur, quia sic propinquos, sicut nosmetipsos odio habere præcipimur, ut hos ad æterna rapientes, eorumque carnalem gratiam, cum præpedit, postponentes, discamus temperata eos discretionis arte et convenienter diligere et salubriter odio habere, quatenus sic sciat per amorem odium surgere, ut valeamus eos verius per odium amare. (S. GREG., lib. VII *Moral.*, c. 14, longe post init.)

Fugam sanctorum renuntiantium sæculo designaverunt, vaccæ illæ allophylorum, arcam Dei gestantes ; nam sicut illæ pignorum affectibus a recto itinere minime digressæ sunt ; ita sancti mundo renuntiantes parentelæ obtentu non debent a bono præpediri proposito. (S. ISIDOR. Hispal., *Comment. in I Reg.* III, sub fin.)

CAPUT XIII.

Lites.

Non in sempiternum litigabo. (*Isa.* LVII, 16.)

Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, et non apud sanctos. (*I Cor.* VI, 1.)

Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico : Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles? Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? (*Ibid.*, 4-7.)

Non litigiosum. (*I Tim.* III, 3.)

Servum autem Domini non oportet litigare. (*II Tim.* II, 24.)

Unde bella, et lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris. (*Jac.* IV, 1.)

In placitis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum aut viduarum ; conductores aut procuratores esse sæcularium rerum... ministris altaris Domini... omnino contradicimus. (*Conc. Mogunt.*, ann. 813, c. 14.)

Quia vero de discordantibus, iracundis et litigiosis sermo nobis est, hæc quoque vitia, quantum sint animæ nociva, quantumque omnibus Christianis cavenda, paucis demonstrare verbis necessarium duximus. (*Conc. Trosleianum*, c. 12, ann. 909.)

Caveant (sacerdotes) a litibus et processibus ; servos Dei non oportet litigare ; multo magis a forensi procuratione aut causidico munere, nisi quantum per canones licet, abstinere debent. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 17.)

Valde indecorum (est) inter eos esse jurgia et lites, qui nihil nisi charitatem et unitatem spirare aut docere debent. (*Concil. Turon.*, ann. 1583, tit. 19, *De jurisd. et visitat.*)

Ut lites et contentiones, rixæ et jurgia, sicut discordiæ et odia prohibeantur. (HERARD., Turon. episc., *Capitular.*, c. 118, ann. 858.)

Pulchra quidem Christiani hominis laus est, cum nemine litigare ; sin autem alicujus opera aut tentatione quapiam factum fuerit ut incidat ei lis, det operam ut dirimatur, quamvis opus sit aliquid damni facere, et ne adeat ad judicium gentilium ; imo ne patiamini ut sæculares magistratus de causis vestris judicent ; per eos enim diabolus studet, ut famulis Dei probrum etiam excitet. (Lib. II *Constit. apostol.*, c. 45.)

Toti namque Dei estis ; cum enim nulla lite implicamini, quæ vos discruciare possit, profecto secundum Deum vivitis. (S. IGNAT., *Epist. ad Ephes.*, n. 8.)

Qui particeps sanctæ cognitionis factus est, et dulcedinem Dei degustavit, neque litigare debet, neque alii litem intendere, tametsi vestitum, quo indutus est, alius detrahat. (S. DIADOCH., episc. Pholices., *De perfect. spirituali*, c. 63.)

Audivi pios quosdam dicere, non licere dare locum quibuscunque diripiendi ea, quæ ad nos alendos vel pauperes recreandos habemus, præsertim si, qui hoc committunt, Christiani sunt ; ne, dum toleranter ferimus, iis, qui nos injuria afficiunt, occasionem peccandi præbeamus : hoc vero nihil aliud est, quam per simultationem sua magis, quam se, amare. O excusationem a ratione alienam ! Si enim derelicta oratione et custodia cordis adversus eos qui me vexare et diripere volunt, paulatim incipiam causas dicere, et ad tribunalium vestibula assiduus esse, liquet jam pluris me facere recuperata per judicium, quam salutem meam, ne dicam, quam ipsum mandatum salutare. (*Ibid.*, c. 64.)

Decet benignum (esse) justum, non alieni cupidum, imo de suo jure cedentem potius aliqua, si fuerit lacessitus, quam aliena jura pulsantem, fugitantem litium, abhorrentem a jurgiis, redimentem concordiam et tranquillitatis gratiam, si quidem de suo jure visum bonum aliquid relaxare, non solum liberalitatis, sed plerumque etiam commoditatis. — Dispendio litis carere, non mediocre est lucrum. (S. AMBROS., lib. II *Offic.*, c. 21, circa med.)

Cessent jurgia, lites, rixæ ; procul enim ista esse debent ab eo, qui Dei pacis servus est : *Servum*, inquit (*II Tim.* II, 24), *Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* (S. CHRYS., hom. 6 *in II Epist. ad Tim.*, II, ante med.)

Sed frater cum fratre judicio contendit ; et hoc apud infideles? (*I Cor.* VI, 6.) *Sic dico*, inquit (Apost.). Aliquis injuriam facit, aut aliquis injuriam patitur. Jam eo ipso, quod judicio contenditur, uterque

male audit, et in hoc non est alius alio melior. An autem juste aut injuste judicio contendat, hoc est alterius disputationis. Ne dicas ergo, quis fecit injuriam? Hinc enim te condemno, nempe ex eo quod judicio contendas. Si est autem crimen, quod ferre non possit eum, qui facit injuriam ; etiam injuriam facere quanta dignum est accusatione ? Quare non magis injuriam accipitis, etc. Rursus crimen est duplum, fortasse autem et triplum, et quadruplum. Unum quidem, nescire ferre, cum injuria sit affectus ; secundum autem, injuriam facere ; tertium autem, iniquis de his permittere cognitionem ; quartum autem, hoc facere fratrem. (Id., hom. 16 *in I Epist. ad Cor*, c. VI.)

Quænam ergo præclara victoria ? Quando tu despexeris, quando judicio non contenderis. Quid dicis ? Ablatæ sunt, inqui, omnes meæ facultates, et jubes silere ? Probris et contumeliis sum appetitus, et me placide ferre jubes ? Et quomodo potero ? Facillime quidem, si cœlum suspexeris, si hanc videris pulchritudinem, et ubi pollicitus est Deus te susceptorum, si generoso et forti animo feras injuriam... Disce aperte, quæ facta sunt, et videbis quod te fecerit fortiorem, qui tibi fecit injuriam ; suam enim affectionem reddidit graviorem, nempe avaritiam, et pecuniæ cupiditatem ; tuam autem imbecilliorem, ablato bestiæ alimento. Ad hæc accedit, quod te liberavit a sollicitudinibus, ab animi angore, ab invidia calumniatorum, a turba et tumultu et perpetuo metu ; et malorum colluvionem in suum caput congessit. Quid vero, inquis, si cum fame colluctor ? Cum Paulo hoc pateris, qui dicit (*I Cor.* IV, 11) : *Ad hanc usque horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus.* Et ille propter Deum, inquit, et tu propter Deum ; quando enim non persequeris, propter Deum hoc facis ; at is, qui fecit injuriam, in deliciis degit cum divitibus, vel potius cum diabolo. Sed tu coronaris cum Paulo. Ne famem ergo timeas ; non enim fame necabit Dominus animas justorum. (*Ibid.*, post med.)

Vult nos Dominus usque adeo ab omni lite vel contentione judicii esse submotos, ut, si forte calumniator vel tentator exsistens ad probandam fidem nostram litem moveat, volens auferre quæ nostra sunt, non solum hæc, quæ injuste expetit, sed etiam illa, quæ non postulat, sponte nos Dominus jubet offerre. (S. Chromat., Aquileiens. episc., *De octo beatitud., in Matth.* V, post med.)

Pax, indicium sanctitatis. — Gloria sacerdotis. (S. Aug., serm. 166, *De tempore*, n. 2.)

Sine pace non suscipitur sacerdotis oratio. — Abstine te a lite, et minus peccabis. (*Ibid.*, n. 3.)

Redimere tempus, hoc est, quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus. Perde ergo ; ex eo, quod perdis, pretium est temporis... Quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi aliquid ; sic perde nummos, ut emas tibi quietem. Ecce hoc est tempus redimere. (S. Aug., serm. 24, *De verbis Apost.*, et nunc serm. 167, n. 3 ; sermo est in hæc verba Apostol. (*Ephes.* V, 16) : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*)

Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens judicari apud iniquos, et non apud sanctos. (*I Cor.* VI, 1.) Hic posset putari judicium habere adversus alterum non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle judicari, nisi secutus adjungeret. Jam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum. Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet a se judicum sententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, atque ait : *Quare non magis iniquitatem patimini ?* (*Ibid.*, 7.) Quare non potius fraudamini ? Ut ad illud redeatur, quod Dominus ait : *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et judicio tecum contendere, dimitte illi et pallium.* (*Matth.* V, 40.) Et alio loco : *Qui abstulerit*, inquit, *tua, noli repetere.* (*Luc.* VI, 30.) Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium. Ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum. (Id., *Enchyrid.*, cap. 78.)

Hoc ipsum, habere inter se judicia et lites de sæcularibus rebus, delictum esse dicit Apostolus. (Id., hom. 50 inter 50, c. 3.

Expedit parvo incommodo a strepitu causarum servos Dei quietos exsistere, ut et utilitates cellæ per negligentiam non pereant, et servorum Dei mentes ad opus Dominicum liberiores exsistant. (S. Greg. Magn., *Epist.* lib. 1, epist. 67.)

Qui alienæ liti præest, est tanquam qui tenet caudam canis. — Nos contra id obnixo studio contendimus, ut in negotiorum hujusce vitæ fluctibus ac tempestate jactemur ; quippe qui in foro ac tribunalibus perpetuo versemur. — Perfectæ animæ est, sollicitudine vacare ; impiæ autem, curis confici. (S. Damasc., lib. III *Parall.*, c. 74, init.)

Sit abstinens irarum et fugitans litium, ut bonis pollere moribus hoc indicio comprobetur. (*De ordine vitæ*, inter Oper. S. Bern.)

Miramur sane aliquos vestrum tanta vel simplicitate deceptos vel cupiditate cæcos, ut celeberrimo nomini non parcentes, unius altaris pauculos redditus orbis gloriæ præferant. Sed forsan dicitis : Nos nemini injuriam facimus, tenemus nostra, parati, si quis ex adverso est, subire judicium recte. Sed quid ? Si alius responderit et dixerit : *Hoc ipsum delictum est in vobis, quod causas habetis ; quare non magis fraudem patimini.* (*I Cor.* VI, 7.) Hoc autem dicimus, tutius esse omni Christiano et monacho possidere quidpiam minus in pace, quam cum lite amplius. Sic quippe canitis : *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* (*Psal.* XXXVI, 16.) Quid, quod de altari contenditur, et hoc adversus filios Levi, id est adversus clericos ? Clericorum est, altari deservire, et de altari vivere ; nobis nostra professio et antiquorum monachorum exempla victum ex propriis præscribunt laboribus, et non ex sanctuario

Dei. (S. Bern., epist. 397. *Ad Odonem, abb. Majoris Monasterii prope Turones.*)

Video et alios, quod non sine dolore videri debet, post aggressam Christi militiam rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi... sub prætextu quoque communis utilitatis verba vendere divitibus, et matronis salutationes; sed et contra imperatoris sui edictum concupiscere aliena, et sua cum lite repetere, non audientes Apostolum ex imperio Regis tibicinantem : *hoc ipsum*, inquit, *delictum est* (*I Cor.* vi, 7), etc. (S. Bern., hom. 4, *super « Missus est, »* n. 10.)

Qui litibus aut exercendis aut dirimendis vacant, non potest apud illos inveniri sapientia, in quibus non invenitur locus sapientiæ. Puritas veritatis socia est, et comes est, et prævia est : idcirco montes istos Libanum et Sion in laude sua sapientia copulat; montes istos, apud quos illorum assignare poteris, qui litibus aut exercendis aut dirimendis vacant? Non potest apud illos inveniri sapientia, in quibus non invenitur locus sapientiæ. (Gillebert. abb., serm. 6 *in Cant.*, n. 9; Oper. S. Bern.)

Contra edictum cœlestis Imperatoris est, non solum concupiscere aut rapere aliena, sed sua etiam cum lite repetere. (Petr. Bles., epist. 102, *Ad Rading. abb.*, circ. med.)

Servum Dei non oportet litigare. (*II Tim.* ii, 24.) Ergo qui litigant, non sunt servi Dei. (Hugo card., *in II Epist. ad Tim.*, c. ii.)

Opus fac Evangelistæ. (*II Tim.* iv, 5.) Hodie magis attendunt litigio, quam Evangelio; non est idem fungi sacerdotio et fungi litigio... Sed *Eccli.* xlv, 7 seq. dicitur fungi sacerdotio, et habere laudem in nomine ipsius. (Id., *in II Epist., ad Tim.* iv.)

Unde, oro, in humana specie jurgia, odia, lites, dissensiones et cætera exorta sunt crudelitatis opera? Prorsus ex naturæ deordinatione, ex lege peccati, ex suggestione diaboli, ex obligatione delicti. (S. Laurent. Justin., *Fascicul. amor.*, c. 11, n. 3.)

Litigare et non insanire, vix sanctis conceditur. (S. Franc. Sales., Genev. episc., lib. i, epist. 30, *Ad episc. Bellic.*)

Litigiosus prohibetur ordinari.., quia, qui sua potestate discordantes ad concordiam debet attrahere, qui oblationes dissidentium prohibetur recipere, nequaquam litigandi facilitate debet alios ad dissidium provocare. (Gratian., dist. 90.)

Absurdum in clericis est, imo etiam opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationem forensium (*Cod. de episc. et cleric.*, lib. xxxvi.)

PARS SEXTA.

DE BONIS ET MALIS SACERDOTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Status clericalis periculosissimus.

ART. I. — *Quia sublimior aliis.*

Nos periclitamur omni hora. (*I Cor.* xv, 30.)

Quo majus est fastigium, majorque dignitas, eo etiam majus periculum est. (S. Greg. Naz., orat. 1, n. 21.)

Hi precibus indigent ac longe plus cæteris, et quibus plus necessitatis immineat plusque periculi divinæ offensionis incumbat; nam, quanto fuerit celsior dignitas, tanto sacerdotis majora sunt pericula. (S. Chrysost., *Hom. in Epist. ad Tit.*, post med.)

Quantalibet quisque animi virtute polleat, cum tamen clavum et Ecclesiæ gubernacula suscipit, insperatis fluctibus quatitur, et variis undique negotiis actus pene submergitur. (Id., hom. 1, *in II Epist. ad Tim.* circa init.)

Necessario, qui doctoris fungitur munere, pericula sustinet, et multo plura, quam discipuli. (Id., post init.)

Si te quoque ad eumdem ordinem (clericorum) pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, sed timebo de lapsu. (S. Hier., epist. 1, *Ad Heliod.*, post med.)

Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita et maxime hoc tempore facilius et latius et hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius et tristius et damnabilius. Item nihil esse in hac vita et maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator jubet. (S. Aug., epist. 148, *Ad Valer.*, dist. 40 c. *Ante omnia.*)

Non parvi terroris est, atque fortitudinis esse vel inferioris ordinis sacerdotem. (S. Petr. Dam., *De dignit. sacerd.*, Præfat.)

Facile est in alto se contuentem obstupescere, et de vita periclitari. (*Ad Fratr. de Monte Dei, De vita solit.*, inter Oper. S. Bern., c. 2, n. 6.)

Sublimis gradus, sed eo amplius periculosa ruina. Nunquid non tres cœli sunt? Quomodo ascendimus? Itaque, *qui stat, videat ne cadat.* (*I Cor.* x, 12.) *Videbam*, inquit, *Satanam, tanquam fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* x, 18); ex alto corruit confractus et comminatus est; desperata est plaga ejus, factus est *spiritus vadens et non rediens.* (*Psal.* lxxvii, 39.) (S. Bern., *Serm.* in hæc verba (*Psal.* xxiii, 6) : *Hæc est generatio quærentium Dominum;* paulo ante fin.)

Terribilis prorsus, terribilis locus est. *Iste locus, in quo stas, terra sancta est.* (*Exod.* iii, 5); locus Petri est, locus principis apostolorum, ubi steterunt

pedes ejus. (Id., epist. 238, *Ad Eug.*, circa med.)

Attendite quia villicatio vestra vobis onerosa et gravis ; administratio ejus difficilis ; exitus horribilis ; pœna infinibilis. — O quam grave et periculosum est administrationis officium ! (Petr. Bles., serm. 56.)

Quanto dignior et eminentior est ejus ministerii gradus, tanto gravius imminet ex ipsius dignitate discrimen. (Id., epist. 139, paulo post init.)

Ecce quanto præ aliis major vobis in honore dignitas, tanto major in ministrationis onere difficultas. (Id., *serm.* in synod. super hæc verba (*Joan.* xv, 16) : *Non vos me elegistis.*)

Gaufridus Peronensis Claravallis electus prior in episcopatum Tornacensem, electioni nullatenus acquievit ; qui postea defunctus et apparens cuidam fratri inquirenti, qualiter ei esset, respondit : Revelavit mihi Trinitas sancta quod, si suscepissem episcopatum, fuissem de numero reproborum. (Id., epist. 102, sub fin.)

ART. II. — *Quia gravioribus clerici pulsantur tentationibus.*

Milites bonam militiam. (*II Tim.* i, 18.)

Majores majoribus consueveruut afflictationes occurrere. — Acrius divitibus quam pauperibus invidetur, et non inopes sed locupletes inquietat infestatio sæva latronum. — Plus duces et principes, quam milites appetuntur in pugna. — Et violenti propulsantur ventis et turbinibus culmina, quæcunque sunt altiora ; ideo magis magisque, quo plus cæteris unusquisque potest, fixat esse sibi metuendum, ne in aliquo minoretur. (*De sing. cler.*, inter Oper. S. Cypr., prope fin., n. 159.)

Christi adversarius et Ecclesiæ ejus inimicus ad hoc Ecclesiæ præpositum sua infestatione persequitur, ut gubernatore sublato atrocius atque violentius circa Ecclesiæ naufragia grassetur. (S. Cypr., *Ad Cornelium*, epist. 55, ante med.)

Adversarius fortiorem quemque magis aggreditur, et acrior factus hoc ipso, quo victus est, superantem superare conatur. (Id., *Epist. ad presb. et diac. fratr.*, prope fin.)

Ne opinemini ad mediocria vos ducendos esse certamina. (S. Chrysost., hom. 15 *in Matth.* circa med.)

Qui doctoris fungitur munere, necessario pericula sustinet ; et multo plura, quam discipuli. (Id., hom. 1, *in I Epist. ad Tim.*)

Cur autem eam rem militiam vocat ? Indicat profecto bellum excitatum esse vehemens et atrox cum cæteris tum maxime ei, qui doctoris fungitur munere, etc. (Id. *ibid.*, hom. 5, longe post init.)

Tunc et inanis gloria vehementius imminet, et pecuniarum amor et fastus, cum principatus ipse præstet licentiam offensionis et contumeliæ, etc. Si quis igitur parum religiosus fuerit ; multo erit irreligiosior hujusmodi adminiculis nixus. (Id. hom. 1, post med.)

Percutiam pastorem, et dispergentur oves (*Zach* xiii, 7) : quoniam igitur ista rei natura est, diabolus vehementius adversus eos armatur, majorique fertur insania ; quippe, cum ex eorum cæde gregis quoque detrimenta sequuntur. Nam, qui ovem jugulat, gregem quidem imminuit. Porro, qui pastorem ipsum de medio tulerit, totum simul gregem dissipabit. Itaque minori cum labore majora detrimenta molitur, atque in una anima cuncta simul perdere atque vastare contendit, atque ideo illis acrius imminet. (Id., paulo post init.)

Quandiu enim homo aut privatus, aut nauta, aut agricola fuerit, non usque adeo adversus eum inimici regis armantur ; at, cum illum a rege sigillum accepisse viderint, scutumque et gladium et frameam vesteque indutum militari, tunc maxime adversus eum infrendunt dentibus, ac modis omnibus necare intendunt. (S. Joan. Clim., grad. 4, *De obed.*, c. 5, circa med.)

Eo ipso, quo cæteris præceminet (rector) elatione cogitationis intumescit. — Dum foris immenso favore circumdatur, intus veritate vacuatur. — Quos sorte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitæ meritis credit. — Cunctis se æstimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. — Humana etenim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur, quanto magis in alium se erigit, cum se ei etiam potestas adjungit. (S. Greg., *Pastor.*, part. i, c. 6.)

Dejecisti eos, dum allevarentur, quia, dum foris videntur surgere, intus cadunt, similes fumo, qui ascendendo deficit, et sese dilatando evanescit. Ideo scriptum est : *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* (*Psal.* xxxvi, 20.) Et illud : *Deus meus, pone illos ut rotam* (*Psal.* lxxxii, 14) ; rota enim in anterioribus corruens in posterioribus elevatur, quia, quanto elevantur in bonis præsentis vitæ, tanto in æternis corruunt. (Id., *Registr.*, lib. i, epist. 5.)

(Antiquus hostis) quanto majora in hominibus dona conspicit, tanto hæc auferre subtilioribus insidiis exquirit ; neque enim latrunculi in via capere viatores vacuos expetunt, sed eos, qui auri vascula vel argenti ferunt. (Id., epist. 126, *Recharedo regi.*)

Prælatos sibi delicatius acceptant (inimici) in cibum, sicut Scriptura testatur, quia cibus Behemoth cibus electus. (Petr. Bles., epist. 157, *Ad vicarium suum*, paulo post init.)

Superbia potentibus periculosius insidiatur, dum et sublimitas officii et libertatis licentia et boni placentia facile (prælati) mentem ejus extollerent. (S. Bonav., *De sex alis Seraphin.*, cap. 5, paulo ante fin.)

Antiquus hostis caput potius quam membra, duces exercitus potius quam militum turmas, et pastores libentius quam ovium greges oppugnare conatur. Intelligit namque ipse homicida quod languente capite membra quoque cætera hebetentur, corpusque languendo deficiat ; percipit idem tortuosus coluber quod bellatorum duce prostrato mox universa mili-

tum multitudo in fugam versa partim cæsa dissipatur atque confunditur. Novit, inquam, quod pastore percusso ovium armenta per devia quæque sparguntur. (S. Laur. Just., *Regim. prælat.*, cap. 16, num. 1.)

ART. III. — *Quia severius a Christo et nulla audita excusatione judicandi.*

In universum autem illud apud nos constat quod, quemadmodum in sublimi et pendulo fune gradientibus in hanc vel in illam partem deflectere minime tutum est, nec etiam parva inclinatio parvum periculum affert, verum eorum salus in æquilibrio posita est, ad eumdem quoque modum utramvis in partem quispiam sive ob vitæ improbitatem sive ob imperitiam propenderit, haud leve periculum tum ipsis, tum iis, quibus præest, imminet, ne in peccatum prolabantur. (S. Greg. Naz., orat. 1, n. 63.)

Neque licet imperitiam accusare, neque ad ignorantiam confugere, neque aut necessitatis aut violentiæ speciem obtendere, quandoquidem, qui delegatus est ut alienam emendet ignorantiam, tum vero diabolicum instare bellum denuntiat, is profecto ignorantiam prætendere minime poterit, neque vocem : Tubam non audivi, bellum non providi, etc. quo nomine supplicium nulla excusatione depellere poterit, quamvis unius duntaxat animæ jactura acciderit. (S. Chrysos., lib. vi *De sacerdotio*, c. 1.)

Non enim est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri jam cum Christo regnantium. (S. Hier., epist. 1, *Ad Heliodor.*, paulo ante fin.)

Opus est hæc res, non ludus atque animi oblectatio : cur... non luxus? munus referendis rationibus obnoxium, non imperium ab omni censura liberum atque immune; paterna procuratio, non tyrannica licentia; dispensatoria præfectura, non ejusmodi potestas, quæ sub reddendarum rationum necessitatem minime cadat. (S. Isid. Pelus., lib. iii, epist. 216 *Ad Palliad.* diac., post medium.)

Quid incorruptum illum judicem facturum putas? An non in eum acrius animadversurum, qui ne ex ipso quidem honore melior effectus est? Dividet enim eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. (*Ibid.*, sub fin.)

Magnum periculum est judicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ. (Yvo Carnot., cap. 182, ex S. Aug.)

O quam grave, quam periculosum est, fratres mei, administrationis officium, qui non solum de vestris animabus commissis in die tremendi judicii respondere tenemini! Et quomodo custodiet conscientiam alienam, qui suam custodire non potest? (Petr. Bles., serm. 56 *Ad sacerdotes, in Levit.* vi, 12.)

CAPUT II.

Morte malorum sacerdotum nihil terribilius.

Nadab et Abiu filii Aaron offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat; egressus ignis a Domino devoravit eos, et mortui sunt coram Domino, dixitque Moyses ad Aaron : Hoc est, quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi gloriabor... capita vestra nolite radere, et vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini. (*Levit.* x, 1 seq.)

Ecce dies veniunt et præcidam brachium, ut non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo in universis prosperis Israel : et non erit senex in domo tua omnibus diebus... et pars magna domus tuæ morietur... Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Ophni et Phinees : in die uno morientur ambo. (*I Reg.* ii, 31 seq.)

Porro filii Heli, filii Belial nescientes Dominum, neque officium sacerdotum... erat ergo peccatum puerorum grande nimis. (*I Reg.* ii, 12, 13, 17.)

Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus... suscitabo adversum Heli omnia, quæ locutus sum super domum ejus : incipiam, et complebo. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem... eo quod noverat indigne agere filios suos et non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum. (*I Reg.* iii, 11 seq.)

Et facta est plaga nimis : et ceciderunt de Israel triginta millia peditum et arca Dei capta est : duo quoque filii Heli mortui sunt Ophni et Phinees... et... Heli... cecidit de sella retrorsum... et fractis cervicibus mortuus est... et translata est gloria ab Israel. (*I Reg.* iv, 10 seq.)

Extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, et declinaverunt eam, iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam Dei. (*II Reg.* vi, 6.)

Mors peccatorum pessima. (*Psal.* xxxiii, 42.)

Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. (*Eccle.* ix, 12.)

Mors illius, mors nequissima; et utilis potius infernus, quam illa. (*Eccle.* xviii, 25.)

Pro eo quod vocavi, et non respondistis; locutus sum, et non audistis; et faciebatis malum in oculis meis; propter hoc hæc dicit Dominus Deus...: Clamabitis præ dolore cordis et præ contritione spiritus ululabitis... et interficiet te Dominus Deus. (*Isa.* lxv, 12 seq.)

Ergo et ego faciam in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor; et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos. (*Ezech.* viii, 18.)

Tunc Judas pœnitentia ductus retulit triginta argenteos dicens : Peccavi tradens sanguinem justum, et projectis argenteis in templo recessit, et abiens laqueo se suspendit. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius et

diffusa sunt omnia viscera ejus. (*Matth.* XXVII, 3 seq., *Act.* I, 18.)

Si privatim pecces, nihil tale passurus es; si in sacerdotio peccas, periisti. (S. CHYSOST., hom. 3 *in Act.*)

Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita et maxime hoc tempore facilius, et latius, et hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur; sed apud Deum nihil miserabilius, et tristius et damnabilius. (S. AUG., epist. 148, *Ad Valer.* et refertur can. *Ante omnia*, dist. 40.)

Merito tunc sine exauditione invocabunt, cum nunc exorantem invocare negligant... Tunc impletur, quod loquitur Sapientia (*Prov.* I, 24, 28) : *Vocavi, et renuisti*, etc. *Tunc invocabunt me, et non exaudiam.* (S. LAURENT. JUSTIN., *De contempl. Christianæ perf.*, longe post med.)

CAPUT III

Judicium durissimum sacerdotes manet.

ART. I. — *Quia status eorum præstantior, et uberiores a Deo acceptæ gratiæ.*

Judicium durissimum fiet his, qui præsunt. (*Sap.* VI, 6.)

Omnis, cui multum datum est, multum quæretur ab eo; et, cui commendaverunt multum plus petent ab eo. (*Luc.* XII, 48.)

Cui plus creditur, ab eo plus exigitur. (S. AMBROS., *De dignitate sacerdot.*, c. 3.)

Laicus in die judicii stolam sacerdotalem accipiet, et a Deo chrismate ungetur in sacerdotium. Sacerdos autem peccator spoliabitur sacerdotii dignitate, quam habuit, et erit inter infideles et hypocritas. (Hom. 40 *Oper. imperf. in Matth.*, inter Oper. S. Aug., longe ante med.)

Acrius in eum incorruptus Judex animadversurus est, qui ne ex ipso quidem honore melior effectus est. (S. ISID. PELUS., lib. III, epist. 216, *Ad Pallad. diacon.*)

Dei solius est justificare et condemnare, qui statum et virtutem, conversiones et gratias, compositionem et aptitudinem uniuscujusque novit, atque horum unumquemque potest solus discernere : aliter enim judicat Deus episcopos, aliter principes, aliter prælatos, aliter subditos, aliter seniores, aliter juniores; aliter ægrotos et aliter bene habentes. (S. DOROTH., *Doctrin.* 6, ante med.)

Tanto ergo apud Dominum obligatiores sumus, quanto apud homines inulte peccamus; disciplina autem nostra subditos divino judicio tanto liberiores réddit, quanto hic eorum culpas sine vindicta non deserit. (S. GREG., *Pastor.* part. II, c. 6, post med.)

Qui judex fieri vult animarum, nescit quam durum, quam districtum cogatur exspectare judicium. (S. BENEDICT., apud Petr. Dam, *De fuaa dignitatum eccl.*)

Esset sine dubio melius nubere, quam uri; et salvari in humili gradu fidelis populi, quam in cleri sublimitate et deterius vivere et districtius judicari. (S. BERN., *De convers. ad cler.*, c. 29.)

In clero quippe tanquam in cœlo gerent iniqua; quid nisi de ministerio judicetur? Cœleste tenet officium; angelus Domini exercituum factus est : tanquam angelus aut eligitur, aut reprobatur. Inventa quippe in angelis pravitas et districtius judicetur necesse est, et inexorabilius, quam humana. (ID., *Declam.*, c. 21.)

Audite hæc sacerdotes; *Auscultate quia judicium vobis est.* (*Osee.* V, 1.) Et hoc est quod alibi scriptum est : *A domo Domini incipiet judicium.* Et Dominus ad suos angelos loquens, ait : *Ite, incipite a sanctuario meo.* (*Ezech.* IX, 6.) Cum vobis in apostolis sit promissum sedere super sedes duodecim et judicare duodecim tribus Israel, ignominiosum est, si a vobis judicium incipit, et si prius judicamini, qui judicare alios debuistis; ignominiosum est, si pastores cum hædis numerandi sunt ad sinistram, si piscatores cum malis piscibus ejiciendi sunt foras, si operatores vineæ Domini Sabaoth cum fermentis et infructuosis palmitibus succenduntur. (PETR. BLES., serm. 59, *Ad sacerdot.*, init.)

Juste judicate, qui judicatis orbem; nam et ille, qui terribilis est super filios hominum, etiam justitias judicabit. (ID., *De instit. episc.*, c. 5, longe post med.)

Peccatum sacerdotis... maximum judicatur tum propter officii dignitatem, cum propter perversitatem exempli. — Multa sunt levia subditis, quæ gravia sunt prælatis; et multa sunt laicis venialia, quæ clericis sunt mortalia. (INNOC. III, serm. 1 *in Consecrat. Pontificis*, init.)

ART. II. — *Quia ipsis creditæ sunt animæ.*

Nos autem, excepto quod Christiani sumus, unde reddemus rationem Deo de vita nostra, sumus etiam præpositi, unde rationem reddemus de dispensatione nostra. (Apud *Conc. Aquisgran.* XXVI, c. 12; S. AUG. *De part.*, c. 1, seu serm. 165, *De tempore.*)

Formidolosa valde, et tremenda hæc sententia sacerdotibus est, qua dicitur : *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* (*Ezech.* III 18.) (*Conc. Paris.* VI, ann. 828, lib. I, c. 5.)

Nec enim solum pro delictis nostris reddemus rationem, sed pro omnium, quorum abutimur donis, et nequaquam sumus de eorum salute solliciti. (*Ibid.*, c. 12, circa med.)

Unusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem; sacerdotes autem non solum pro suis, sed et pro omnium peccatis reddituri sunt rationem. (Hom. 38 *Operis imperfecti in Matth.*, inter Oper. S. Chrysost.)

Quod alii peccant, illi (nempe sacerdoti) imputa-

tur. — Si pecces privatim, nihil tale passurus es, si in sacerdotio, periisti. (S. Chrysost., hom. 3 *in Act. apost.*, post med.)

Quid miseris illis dixeris, qui se conjiciunt in tantum abyssum suppliciorum? Omnium quos regis, mulierum, et virorum, et puerorum a te reddenda est ratio; tanto igni caput tuum subjicis. (Id., hom. 34 *in Epist. ad Hebr.*, longe post init.)

Si horremus, dum judicium id nobis subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationes reddituri sumus, ut qui sentiamus nos ignem illum æternum effugere nequaquam posse; quid illi exspectandum est, qui tam multorum nomine causas sit dicturus? (Id., lib. III *De sacerdot.*, c. ult., sub fin.)

Pro iis sigillatim omnibus, qui nobis concrediti fuerint, rationem reddere cogemur. (Id., lib. VI *De sacerd.*, c. 1.)

Ipsi pervigilant tanquam rationem reddituri pro animabus vestris. Si pro se, fratres, unusquisque vix poterit in die judicii rationem reddere, quid de sacerdotibus futurum est a quibus sunt omnium animæ requirendæ. (S. Aug., serm. 15, in appendice *De divers.*)

Qui honoris solius compos effectus est, aliaque omnia jura, quæ ad episcopatus administrationem attinent, contempsit... Illic apud incorruptum judicem in tremendo illo tribunali clamoribus exagitabitur, fame oppressis clamantibus, nobis ne necessario quidem cibo frui contigit; hic autem in luxu ac congerendis pecuniis versatus... nudis autem dicentibus, etc... ægrotis, etc., viduis, etc. pupillis, etc... Hæc igitur eum animis nostris reputantes, divinas res ludibrio ne habeamus; nam, qui privatis etiam rationibus reddendis vix pares fuerimus, posteaquam tot populorum clamores et insectationes nobis ipsis comparaverimus, ubi tandem os nostrum ostendemus? (S. Isidor. Pelus., lib. III, epist. 216, *Ad Pallad. diac.*, sub fin.)

Penset (sacerdos) qui ad satisfaciendum districto judici de sua tantum anima vix sufficit, quia, quot regendis subditis præest, reddendæ apud Deum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. (S. Greg., *Moral.* lib. XXIV, c. 16.)

Pro nobis petite... ne, postquam prædicationis locum suscepimus, apud justum Judicem nostra nos taciturnitas addicat. (Id., hom. 17 *in Evang.*, post init.)

Veniet, veniet profecto ille dies, nec longe est, in quo pastorum Pastor appareat, et uniuscujusque facta in publicum deducat, et qui modo subditorum culpas per præpositos ulciscitur, tunc præpositorum mala per semetipsum sæviens damnet. — Subditorum quidem culpas per pastores percutit, sed pastorum vitia per semetipsum ferit. (Id., *ibid.*, post med.)

Sacerdotes populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. (S. Isid. Hispal., lib. III *Sentent.*, c. 46.)

Reddituri sumus rationem non solum de nobis, sed etiam de animabus nobis commissis, nisi illis instanter annuntiaverimus verbum salutis. (Hugo a S. Vict., serm. 23 *Ad sacerdotes in synod.*)

Venient, venient (mali clerici) ante tribunal Christi: audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata; quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. (S. Bern., *Declam.*, § 16, n. 19.)

Etsi reddenda est ratio de his, quæ quisque gessit in corpore suo, heu quid fiet de his, quæ quisque gessit in corpore Christi, quod est Ecclesia? (Id., *Serm. ad cler. Conc. Rhem.*, paulo post init.)

Quia requiret a te Dominus de ovibus suis exactissimam rationem, propter hoc irritavit impius Deum; dixit enim in corde suo: *Non requiret* (*Psal.* x, 13); Deus autem per Ezechielem dicit: *Ecce requiram oves meas de manu pastoris.* (*Ezech.* XXXIV, 10.) Dominus dicit: *Requiram;* impius dicit: *Non requiret.* Cujus putas assertio prævalebit? (Petr. Bles., epist. 1344, ante med.)

Non solum de vestris, sed de animabus vobis commissis in die tremendi judicii respondere tenemini, et quomodo custodiet conscientiam alienam, qui suam custodire non potest? Conscientia siquidem abyssus inscrutabilis est, non obscurissima; et tamen misero sacerdoti, qui hanc noctem suscepit, et in cura clamatur, custos, quid de die? Custos, quid de nocte? (Id., serm. 56, *Ad sacerd.*, sub fin.)

De animabus populi reddituri estis rationem in die tremendi judicii pro perditione illorum, confusionis et mortis æternæ sententiam subituri. (Id., serm. 55, *Ad eosd. sacerd.*, in fin.)

Periculosa res est aliorum curam assumere, pro peccatoribus se fidejussorem constituere. (S. Laurent. Justinian., *De instit. et regim. prælat.*, c. 6, n. 3.)

CAPUT IV.

Intolerandum malis sacerdotibus paratum in inferis supplicium.

ART. I. — *Summa sacerdotum damnatio.*

Duplici contritione conteres eos. (*Jer.* XVII, 18.) Episcopi, presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur, nihil apud Deum miserius et tristius et damnabilius. (S. Aug., epist. 148, *Ad Valer.*, dist. 48, *Ante omnia.*)

Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina, si peccent. (*Conc. Paris.* VI, ann. 828, lib. I, c. 12, post med.)

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, etc. (*Matth.* XVIII, 6.)

Quod quibusdam interpositis S. Greg. ita exponit: Quia ergo ad sanctitatis speciem deductus (sacerdos) aut verbo cæteros destruit, vel exemplo. Melius fuerat profecto ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra offi-

cia in culpa cæteris imitabilem demonstrarent, quia nimirum, si solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. Quibus terribilibus verbis liquido datur intelligi, quod melius satiusque fuerat sacerdotibus negligentibus non subsistere, quam acceptis divinis officiis per reprobam vitam pravaque exempla his, quibus prodesse debuerunt, offendiculum iniquitatis et laqueum perpetuæ damnationis exsistere. (*Conc. Paris.* IV, ann. 828, c. 4, in fin.)

Ostendere volens Deus peccata hominum longe majori supplicio expiari, dum a sacerdotibus, quam dum a privatis fiunt, mandat ut tantumdem (*Levit.* IV, 5, 14) pro sacerdotibus, quantum pro universo populo sacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud significat, quam sacerdotis vulnera majori medicamento atque auxilio indigere, atque adeo tanto, quanto conjuncta simul universi populi vulnera indigent. (S. Chrysost., lib. VI *De sacerdot.*, c. 11.)

Quæ igitur facinoris appendices? Virtus hominis, quæ intolerabile crimen (Davidis) faciebat; non enim pariter commissa in omnibus accipienda; potentes enim potenter tormenta patientur, et qui novit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit plagis multis. Ita plurimarum rerum cognitio acerbiores peccatorum efficit pœnas. Ideo sacerdos, si pariter cum subditis peccat, non eadem, sed multo acerbiora patietur. (Id., hom. 27 *in Matth.* XVIII, post med.)

Quod si is, qui unam animam scandalizat, *expedit ei, ut mola asinaria suspendatur circa collum ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII, 6); qui tot animas scandalizat, et urbes integras, et plebes, viros, mulieres, pueros, cives, rusticos, etc. quid pati merebitur? Nempe, si plura triplo, quam diximus, addas, nihil dicturus es, adeo vehemens pœna atque cruciatus hujusmodi hominibus imminet. (Id., hom. 1, *in Epist. ad Tit.*, post med.)

Quam multa supplicia episcopos manent, cum ex iis unusquisque non solum rationem redditurus sit suorum delictorum, sed eorum item omnium, quæ alii commiserint, ad extremum illos venire oporteat periculum. (Id., lib. III *De sacerdot.*, c. ult., in fin.)

Si ei, qui unum aliquem duntaxat offenderit, *expedit ut mola asinaria suspendatur a collo ipsius, ac demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII, 6); item, qui fratrum suorum conscientiam offendunt, ii omnes in ipsum Christum peccant, qui non unum, non duos, non tres tantum, sed tam multos etiam populos perdiderint; illis quid tandem fiet? ac quamnam pœnam illi sunt pensuri? neque enim licet imperitiam excusare, neque ad ignorantiam confugere, neque aut necessitatis aut violentiæ speciem obtendere. (Id., lib. VI *De sacerdotio*, c. 1.)

Cui rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis quæ peccata baptisatorum diluens, illos ad regnum cœleste mittit, et postea ipsa in cloacas descendit. (S. Greg., hom. 17, *in Luc.*, sub fin.)

In sacerdotali vita tum graviores, tum longe plures pœnæ, quam in cæteris hominibus, esse possunt. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

Infelix seges a frugibus bonis messis tempore segreganda, nec horreis debita, sed caminis, pabulo ignis æterni arsura materies, suis interim crescet incendiis. (S. Paulin., *Epist. ad Sacer.*, epist. 6, ante med.)

Tantus ad sacerdotis pœnam et cruciatum cumulus accedet, quantus prius in eum honor collatus est. (S. Isidor. Pelus., lib. II, epist. 37, *Hermis comiti.*)

Quid facturus est sacerdos miserrimus, qui sentit se peccatis oneratum... quidquid faciet filius doloris filiæ plorationis æternæ, qui nec in se, nec in aliis ignem charitatis accendit? Certe paratus est in cibum et consumptionem ignis. Ignis succensus est in furore Domini, et ardebit usque ad inferni novissima; deputatus est ei locus cum ardoribus sempiternis: paratus est vermis, qui non morietur, etc. (Petr. Bles., serm. 56, *Ad sacerdot.*, sub fin.)

Præ omnibus diabolis profundius submergentur in infernum. (S. Brigit., *Revelat.*, 4, n. 135.)

Væ talibus, quod unquam nati sunt. Væ quod unquam membra mea ad sacerdotes facti sunt; ipsi enim profundius cadunt in infernum, quam aliquis alius. (*Ibid.*, in fin.)

Cum acceptam ad adjutorium scientiam negligunt, hanc contra se in testimonium vertunt, et de lumine intelligentiæ augent supplicia. Quod profecto acceperant, ut possent delere peccata. (S. Greg., *Pastor.*, part. III, c. 1, admonit. 32.)

Si boni pastores estis, gaudete quia merces vestra copiosa est in cœlis. Si mercenarii estis, timete, quia periculum vestrum grande est in terris: si fures estis, ingemiscite, quia locus vester magnus est in pœnis. (S. Bern., *Serm. ad pastores*, in synod.)

Prælati scire debent quod, si perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittunt. (Petr. Bles., epist. 132.)

Grave ministris Ecclesiæ appositum est onus, gravissimaque desidiosis et malis præparata supplicia. (S. Laurent. Justin., *Serm. de Euchar.*, n. 21.)

Quanto uniuscujusque major est status, tanto perniciosior est ruina, eorum maxime, qui sacrosancta corporis et sanguinis Christi turpiter mysteria tractant. (*Ibid.*)

ART. II. — *Cur tam grave supplicium malis sacerdotibus paratum.*

Sectio prima. — *Quia præ aliis superno lumine collustrati.*

Scienti legem et non facienti eam, peccatum est grande: et servus sciens voluntatem domini sui, si

non fecerit eam, vapulabit multum. (S. Ambros., *De dignit. sacerdot.*, c. 3.)

Non enim pariter commissa in omnibus accipienda; potentes enim, ait, potenter tormenta patientur, et, qui novit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit plagis multis. (S. Chrysost., hom. 27 *in Matth.*, longe ante finem.)

Major scientia majoris fit pœnæ materia; propterea sacerdos eadem cum subditis peccata committens non eadem, sed multo graviora patietur. (Id., hom. 77 *Ad pop. Antioch.*)

(*Luc.* xii, 47.) *Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis...* Tanto illic graviora tormenta percipiet, quanto hic malum non deserit, etiam quod ipsa mens condemnat. — Hinc Psalmista ait (*Psal.* liv, 16) : *Descendant in infernum viventes :* vivi quippe, quæ circa illos aguntur, sciunt et sentiunt; mortui autem sentire nihil possunt; mortui enim in infernum descenderent, si mala nesciendo perpetrarent; cum vero sciunt mala, et tamen faciunt, ad iniquitatis infernum viventes miseri sentientesque descendunt. (S. Greg., *Pastor.*, part. iii, c. 1, admon. 32.)

Dum mala ex judicio faciunt, districtius contra se judicium accendunt, ut tanto ea durior sententia feriat, quanto illos in culpa vincula deliberationis ligant. (*Ibid.*, admon. 33, post med.)

Sectio secunda. — *Quia ad altiorem gradum provecti et majoribus gratiæ donis ditati.*

Plus ab eo exigitur, cui plus committitur; ampliores enim pœnas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. (S. Ambros., *De dignit. sacerdot.*, c. 3, in fin.)

Non pares communesque pœnæ eæ sunt, quas ante dignitatem a Deo acceptam damus, cum iis quas dignitate jam accepta luere cogimur; hic enim longe gravius, quam illic plectimur; etenim, quem beneficia accepta meliorem non reddunt, is certe gravius etiam supplicium meretur. (S. Chrysost., lib. iv *De sacerdot.*, c. 1 et 2.)

Longe majus supplicium a principe, quam a subditis exiget Deus. (Id., lib. vi *De sacerdot.*, c. 11.)

Qui nec inter tanta beneficia melior effectus es, justissime extrema illa atque sævissima tormenta patieris. — Quæ non supplicia persolves post tam grande donum ad vomitum priorem transvertens? Non tam enim quasi homo simpliciter, sed ut filius Dei peccans severius punieris, et ipsa excellentia dignitatis majoris tibi fiet causa supplicii. — Si enim ille, qui paradisi sortitus fuerat habitaculum, propter unum utique delictum tanta post honorem pertulit mala, quam nos veniam sperare poterimus, si ad serpentem curramus post columbam? (Id., hom. 12 *in Matth.*, post med.)

Sacerdotis dignitas iis, qui non, ut eo honore dignum est, vivere instituerunt, supplicii et cruciatus accretio exsistit. (S. Isid. Pelus., lib. iii, epist. 275.)

Sectio tertia. — *Quia suis et alienis peccatis onerati.*

Quam multa supplicia episcopos manent, cum ex iis unusquisque non solum rationem redditurus sit suorum delictorum, sed eorum item omnium quæ alii commiserint, ad extremum illos venire oporteat periculum. Nam si horremus, dum nobis judicium id subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri sumus, ut qui sentiamus nos illum ignem æternum effugere nequaquam posse; quid illi exspectandum est, qui tam multorum nomine causam sit ipse dicturus? Quod autem hoc verum sit, audi beatum Paulum, seu potius non Paulum, sed Christum Pauli ore loquentem (*Hebr.* xiii, 17) : *Ipsi vigilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri.* (S. Chrysost., lib. iii *De sacerdotio*, cap. ult. in fin.)

Quomodo feruntur ea a nobis post mortem, quæ tunc ferenda erunt, cum nos videlicet pro iis sigillatim omnibus, qui nobis concrediti fuerint, rationem reddere cogemur?—Ipsi vigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Hujus comminationis terror animum mihi assidue concutit. Nam si est, qui unum aliquem duntaxat offenderit; *expedit ut mola asinaria suspendatur a collo ipsius, ac demergatur in profundum maris.* (*Matth.* xviii, 6.) Item si quis fratrum suorum conscientiam offenderit, ii omnes in ipsum Christum peccant. Qui non unum, non duos, non tres tantum, sed tam multos etiam populos perdiderint, illis quid tandem continget, ac quamnam illi pœnam sunt pensuri? (Id., lib. vi *De sacerdot.*, cap. ult. in fin.)

Quid miseris illis dixeris, qui se conjiciunt in tantum abyssum suppliciorum omnium? Omnium, quos regis, mulierum, et virorum et puerorum a te reddenda est ratio; tanto igni caput tuum subjicis. (Id., hom. 34 *in Epist. ad Hebr.*, longe post init.)

Quod si is, qui unam animam scandalizat, *expedit ei ut mola asinaria suspendatur circa collum ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* xviii, 6); qui tot animas scandalizat et urbes integras, et plebes, viros, et mulieres, pueros ejus, rusticos, incolas suæ civitatis aliarumque urbium, quæ illi subditæ sunt, quid pati merebitur? Nempe vero, si plura triplo, quam diximus, addas, nihil dicturus es, adeo vehemens pœna atque cruciatus hujusmodi hominibus imminet. (Id., hom. 11 *in Epist. ad Tit.*, c. ii.)

Hoc interest inter unumquemque vestrum et nos, quod vos pene de vobis solis reddituri estis rationem, nos autem et de nobis et de omnibus vobis; ideo major est sarcina, sed bene portata majorem gloriam comparat, infideliter autem gesta ad immanissimam præcipitat pœnam. (S. Aug., lib. l, hom. 25.)

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. (*Matth.*

XVIII, 6.) Per molam asinariam sæcularis vitæ circuitus ac labor exprimitur; et per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus vel verbo cæteros destruit vel exemplo, melius profecto fuerat ut hunc ad mortem suo exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa cæteris imitabilem demonstrarent: quia nimirum, si solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. (S. GREG., *Pastor.* part. I, c. 2.)

Tradentur æterno cremandi incendio inutiles et infructuosi, eorum vero cultores majora lucnt supplicia... His vehementer Dominus comminatur in Evangelio, dicens : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis.* (*Matth.* XXI, 41.) (S. LAUR. JUSTIN., *De compunct. et contempl. Christian. verf.*, n. 15.)

CAPUT V.

Æterna bonorum sacerdotum merces multa nimis.

Qui bene ministraverint, bonum gradum sibi acquirent. (*I Tim.* III, 13.)

Ibi mercedes et præmia pro omnium salute suscipies, si hic pro omnium incolumitate vigilaveris. (S. CLEM., epist. 1. Sic loquitur S. Petr. ad S. Clem.)

Quisnam fidelis servus et prudens, etc. Contemplare itaque et præmium quantum; super omnia, inquit, bona sua constituet eum. — Si quoties videmus servorum pecuariorumve nostrorum curam a quibusdam suscipi, ex eo studio adversus illa impenso colligimus ab iis nos amari, etiamsi illa ipsa ejusmodi esse soleant, ut pecunia veneant : qui neque pecunia neque alia re ulla armentum hoc redemerit suumque proprium sanguinem gregis pretium obtulerit, quanto, quæso, pretio gregis hujus pastores et rectores remuneraturum olim credimus. — Copiosam ab eo atque immensam mercedem illum exspectare constabit, qui consilium, curam, cogitationem, atque operam in his suam ponat. (S. CHRYSOST., lib. II *De sacerdot.*, post init.)

Nihil in hac vita, et maxime hoc tempore, facilius, et latius, et hominibus acceptabilius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius, et tristius, et damnabilius. Item nihil in hac vita, et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, et periculosius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militatur, quo noster imperator jubet. (S. AUG., epist. 138, *Ad Valerium; Decret.*, part. I, dist. 40, c. 7, *Ante omnia.*)

Nunquid frustra currimus? Frustra laboramus? Nunquid supra petram semen jacimus? Nunquid secus viam, an inter spinas nobis insciis semina cadunt? Anxii enim sumus, et majorem in modum formidamus, ne agricultura nobis sterilis evadat. Neque hoc dico, quod verear ne in laboris hujus mercede capiam detrimentum; non enim eadem conditione, qua agricolæ sunt verbi divini præceptores; siquidem agricolæ post annuos sudores et miseram illam laboriosamque vitam, si terra aliquando pro operis in se impensis non respondeat, alius ejus damnum instaurare potest, sed pudibundus tristisque ab area domum ad uxorem et filios revertitur, et, a quo longi laboris mercedem petat, habet neminem; in nobis autem nihil hujusmodi usuvenit, sed licet culta terra nullum afferat fructum, dummodo nos nullum subtraxerimus laborem, et ejus et noster Dominus vana nos spe dimissos non frustratur, sed remunerat. Unusquisque, inquit, propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem, non secundum rerum eventum. (S. CHRYS., hom. 12, *in Joan.* I.)

Accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino; non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Evangelii serviunt. (ID., serm. 46, *De pastoribus, in Ezech.*, c. XXXIV.)

Esse autem selectum illud Leviticum genus et ab aliis exemptum hujusmodi quadam ratione perspicuum facit : enumerari jussit populum, et gregariæ multitudinis accuratam fieri supputationem, non quod eam ignoraret ille conditor; numeratas namque ille habet stillas pluviæ, sed, ut, qui legerent divinas litteras, apertissime intelligerent eos, qui Deo dicati sunt et populus ejus appellantur, in descriptionibus divinis recenseri, et in libro vitæ haberi, numerarique inter ipsius familiares et jam in memoria illius omnium domini conservari. Igitur, cum populus describeretur, seorsum quodammodo posuit Deus illud sacrum selectumque genus, neque in eodem cum aliis ordine haberi permisit, sed locum illi quodammodo præstantiorem reservavit, cum Moysi dixit (*Num.* I, 49) : *Vide tribum Levi, non simul recensebis numerum ipsorum, et non sumes in medio filiorum Israel.* Egregia namque sors est sanctorum eorumque dotes eximiæ, ac fortasse etiam in libris aliis descripti sunt; neque enim unummodo librum vidit beatus Daniel, sed, ut ipse scribit, judicium sedit, et libri aperti sunt. Igitur pro uniuscujusque mensuræ ratione fit descriptio. (S. CYRIL. Alex., *De adorat. in spiritu et verit.*, lib. XIII, paulo post init.)

Hic omnium fidelium Catholicorum honorantur ut capita... ibi Christi, qui est sacerdotum omnium caput, clariora membra futuri sunt. (S. PROSP., seu Julian. POM., lib. I *De vit. contemp. sacerdot.*, c. 13.)

Ait illi : *Euge, serve bone.* (*Matth.* XXV, 21.) In modico servus est fidelis, qui non adulterat verbum Dei, sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquitur. Quidquid enim in præsenti percipimus donorum, in comparatione futurorum perpaucum est et modicum, quia ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Civitates autem decem, sunt animæ per legis verbum ad gratiam Evangelii venientes, quibus tunc jure glorificandus

ille præponitur, qui eis pecuniam verbi digne Deo commodaverit; unde quidam negotiator egregius civitates, quibus præerat, hoc est, animas, quas regendas acceperat, alloquens : Quæ est, ait, nostra spes, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum Jesum. (Beda, *in Luc.* xix.)

Magnus enim vere eorum locus in regno Dei, et bonum sibi; sed, qui bene ministraverint, gradum acquirent. (S. Bern., *Declam.*, c. 11.)

(*I Tim.* v, 17.) *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur*, præcipue eminentiæ singularis gloriam sempiternam. (Petr. Bles., serm. 60, *Ad sacerdotes*, in synod., qui est *in Osee*, v, 1, in fin.)

CAPUT VI.

Pauci sacerdotes electi.

Non timere dico, sed ut affectus sum ac sentio, non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant; multas enim habet causas, quæ ipsum depellant a suis moribus, et innumeris oculis illi est opus undique. Non vides quam multas res oportet adesse episcopo, ut sit appositus ad docendum, ut tolerans malorum, ut tenax et fidelis sit in doctrina sermonis; quantæ hoc sit difficultatis; et quod alii peccant, hoc illi imputatur. (S. Chrysost., hom. 3 *in Act.*, post med.)

Miror, si quem ex rectoribus salvum fieri contingat. (Id., hom. 34, *in Epist. ad Hebr.*)

CAPUT VII.

Peccata sacerdotum monstra.

ART. I. — *Quod peccata clericorum sint graviora peccatis laicorum.*

Grave est subditum peccare : gravius divino cultui consecratum : longe gravissimum eum, qui pontificis dignitatem nactus sit. (S. Isidor. Pelus., lib. III, epist. 15, *Elisæo monacho.*)

Quod veniale est plebi, criminale est sacerdoti; quod erroneum est ovi, peremptorium est pastori. (Petr. Bles., *Serm. in psal.* II, 10, in fin.)

ART. II. — *Quam gravia sunt peccata clericorum.*

Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, etc. (*Levit.* IV, 3.)

Quicunque me glorificaverit, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. (*I Reg.* II, 30.)

Propter malignantium insolentiam altare suum Deus repellit, et sanctificationibus maledicit, odit Sabbata, abominatur solemnia, odoramenta fetent, displicent holocausta. In his omnibus laborare se dicit Deus, nec esse voluntatem suam in ministris impuris indignatione districta testatur. (*Serm. de cœna Domini*, circa fin., inter Oper. S. Cypr.)

Sicut nihil episcopo excellentius, nihil est miserabilius, si de sancta vita episcopus periclitetur; si sacerdos in crimine teneatur. (S. Ambros., *De dignit. sacerdot.*, c. 2.)

Abjectio discipuli detrimentum est magistri. (Id., lib. I *Offic.*, c. 41.)

Ante prophetarum tempora ostendere volens Deus hominum peccata longe majori supplicio expiari, dum a sacerdotibus, quam dum a privatis fiunt, mandat ut tantumdem pro sacerdotibus, quantum pro universo populo sacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud signat quam sacerdotis vulnera majori medicamento atque auxilio indigere, atque adeo tanto, quanto conjuncta simul universi populi vulnera indigent? Porro majori nequaquam indigerent, nisi ea graviora forent. Atqui graviora certe fiunt non natura ipsa, sed sacerdotis qui ea commiserit conditione ac dignitate. (S. Chrysost., lib. VI *De sacerdot.*, c. 11.)

Sufficit vel unum episcopatus recte factum auctorem suum in cœlum attollere, unumque peccatum in ipsum injicere gehennæ profundum. (Id., hom. *in Epist. ad Tit.*, paulo post med.)

Legislator pontificis peccatum totius populi peccato par esse dixit; tantumque ab ipso sacrificium lege lata exegit, quantum, si plebs universa deliquisset, offerre præcepit. (S. Isidor. Pelus., lib. III, epist. 15, *Elisæo monacho.*)

O inimici Dei, et non sacerdotes! o licitatores malorum, et non pontifices; traditores, et non sanctorum apostolorum successores; impugnatores, et non Christi ministri! (Gildas Sapiens, in *Ordin. ecclesiast.*, circa fin.)

Nullum, puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. — *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus...* (*Thren.* IV, 1.) Aurum obscuratum est, quia sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus per terrena et abjecta opera ad ignominiam despectionis venit. (S. Greg., hom. 17 *in Evang.*)

Flens dico, gemens denuntio, quia, cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. (Id., lib. IV, epist. 95, *Ad Virgil., episcop. Arelat.*, ante med., et epist. 107, *Ad episcopos Epiri.*)

Quanto major est presbyter monacho in dignitatis ecclesiasticæ privilegio, tanto deterior est in peccato. (S. Petr. Dam. *Contra cleric. intemp.*, dissert. 2, c. 8.)

Monstruosa res gradus summus, et animus infimus; sedes prima, et vita ima, etc. (S. Bern., lib. II *De consid.*, c. 7.)

Inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ. (*Ibid.*, cap. 13.) Multa de hac re

diximus supra, part. III, c. 1, art. 2, sect. 2, § 3.)

Væ illis, qui, cum fuerint in capite, relabuntur in caudam; cum sint primi, fiunt novissimi; quorum aurum vertitur in scoriam; qui, cum fuerint lapides sanctuarii, dispersi sunt in capite omnium plateārum. (PETR. BLES., serm. 4, in syn., super hæc verba (*Joan.* XV, 16) : *Non vos me elegistis*, qui est lib. VII *Tub.*)

Vilitatem et abjectionem hanc sacerdotum lamentatur propheta, conqueritur et deplorat, dicens (*Thren.* IV, 2) : *Filii Sion inclyti et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea et in opus figuli?* (ID., serm. 60, *Ad sacerdotes, in Osee* I, 5.)

Clamat præcipue ad servos suos Ecclesiæque ministros, a quibus non mediocriter per prophetam se offensum esse conqueritur (*Psal.* LIV, 13) : *Si inimicus meus maledixisset*, etc.; *tu vero, homo unanimis*, etc. (S. LAURENT. JUSTINIAN., *De comp. Christ. perf.*, n. 26.)

.... *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, ampliavit adversum me supplantationem.* (*Ibid.*, n. 27.)

In clero tanquam in cœlo....., etc. Quo progrederis miser? An ut ab altiori gradu sit casus gravior? Neque enim sic paulatim decides, sed tanquam fulgur in impetu vehementi, quasi alter Satanas subito dejicieris. (ID., *Declam. de vita et moribus cleric.* c. 9.)

ART. III. — *Cur tam gravia sunt peccata clericorum.*

SECTIO PRIMA. — *Quia scientes et volentes clerici peccant.*

Scienti legem, et non facienti peccatum est grande. (S. AMBROS., *De dignit. sacerdot.*, c. 5, circa fin.)

Major scientia majoris pœnæ fit materia : propterea sacerdos eadem cum subditis peccata committens non eadem, sed acerbiora multo patietur. (S. CHRYSOST., hom. 27, *in Matth.*, paulo ante fin.)

Neque licet imperitiam excusare, neque ad ignorantiam confugere, neque aut necessitatis aut violentiæ speciem obtendere.... quandoquidem, qui delegatus est ut alienam..... emendet ignorantiam, tum vero diabolicum instare bellum denuntiet, is profecto ignorantiam prætendere minime poterit, neque vocem hanc usurpare; Tubam non audivi, bellum non prævidi; quippe in hoc sedet ille, et Ezechiel ait (c. VII) : ut aliis signum tuba canens det, et, quæ futura sunt, incommoda prænuntiet; quo nomine supplicium nulla excusatione depellere poterit, quamvis unius duntaxat animæ jactura acciderit; si enim, dum romphæa imminet, populo tuba signum non dederit, neque annuntiarit, inquit ille, speculator, ac gladius animam invaserit, ipsa quidem anima a sua ipsius iniquitate capta fuerit, sanguinem autem ipsius ex speculatoris manu exquiram. (ID., lib. VI *De sacerdot.*, c. 1.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia majoribus gratiæ donis locupletantur.*

Quo est gratia cumulatior et status sublimior, eo casus est gravior et damnabilior culpa. (S. LAURENT. JUSTIN., *De compunct. et contempl. Christ. perfect.*, n. 27.)

Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. (S. GREG., homo. 9, *in Evang.* init.)

An vero Salvatori animarum gravior ulla esse poterat persecutio? etc... Merito et crudeliorem eam censet persecutionem pro acceptis beneficiis, et graviorem sentit pro potestate, quam propriis sustinet a ministris. (S. BERN. serm. 1, *De convers. S. Pauli*, n. 3.)

SECTIO TERTIA. — *Quia in sublimiori statu collocantur.*

Quanto præ cæteris altior est gradus, tanto, si per negligentiam delabatur, ruina gravior est. — Ut levius est de plano corruere, sic gravius est, qui de sublimi ceciderit dignitate; quia ruina, quæ de alto est, graviori casu colliditur..., etc. Magna sublimitas magnam habere debet cautelam, etc. (S. AMBROS., *De dignit. sacerdot.*, c. 3.)

Vulgarium hominum delicta velut in tenebris commissa auctores suos solos perdunt, cæterum hominis illustris ac vulgo cogniti delictum commune omnibus damnum affert..., etc. Et parva eorum peccata aliis magna videntur; neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum plerumque omnes metiuntur. (S. CHRYSOST., *De sacerdot.*, lib. III, c. 11, init.

Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant. (S. HIER., *in Ezech.*, c. XLIV.)

Altius mergitur, quod de alto cadit. (S. AUG., serm. 143, *De templ.*, c. 3, circa fin.)

Quanto honoribus alios antecellunt, tanto quoque ipsorum peccatum, etiamsi alioqui idem sit, gravius efficitur; quippe quod non ad naturæ, sed ad ejus, qui illud perpetravit, peccatoris dignitatem perpendatur. (S. ISIDOR. Pelus., lib. III, epist., 15, *Ad Elisæum monach.*)

Potentes potenter tormenta patientur. Quanto altius ascenderit homo lapsus, tanto altius cadet. Quid altius cœlo? De cœlo cadit, in cœlestibus qui delinquit; desperatus incurrit, qui in ipsis dominantis oculis offendit; et excusatione caret, qui facinus ipso judice teste committit : sic diabolus, cum esset angelus, et in cœlo et coram Deo semper charissimus versaretur, lapsus ad terram, ad tartara dejectus, in diabolum mutatus ex angelo... Dispensator ergo divini verbi, qui ante Dominum stat jugiter, versatur inter altaria semper, neque a Dei oculis recedit unquam, etc. Ex homine totus in angelum substitutus, non potest in ipsa Dei facie inter sanctorum sancta peccare, ut inde sibi sumat crimen, unde aliis veniam consueverat reportare. (S. Petr. CHRYSOST., serm. 26, *De fideli dispensat.*, ubi plura videnda.)

Reatu majore delinquit, qui potiori honore perfruitur ; et graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium. (Hilarius Papa, in synod. Rom., et habetur 25, q. 1, c. *Nulli fas.*)

Perdimus vim tanti nominis vitio pravitatis ; omnino nihil enim prodest nomen sanctum habere sine moribus, quia vita a professionne discordans abrogat illustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem. — Hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei sumus, qui a sancto nomine discrepamus. — Nam et ideo plus sub religionis titulo Deum lædimus, quia positi in religione peccamus. (Salvian., lib. III *De vero judicio et providentia Dei*, in fin.)

Tanto magis cognoscitur esse peccatum, quanto major, qui peccat, habetur ; crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum ; et sæpe, quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur. (S. Isidor. Hispal., lib. II *De summo bono*, qui alias *Sententiarum* inscribitur, cap. 18, in fin.)

Et vobis dico, fratres mei, multum exaltavit vos Deus... *Ego dixi, Dii estis, et filii excelsi omnes ; verumtamen sicut homines moriemini ; et sicut unus de principibus cadetis.* (*Psal.* LXXXI, 6, 7.) *Ubi sapiens ? Ubi scriba ? Ubi conquisitor hujus sæculi ?* (*I Cor.* I, 20.) Nonne sicut homines morientur? Et nonne sicut unus de principibus cadent ? Unde cadent, vel quo ? de latere Domini in profundum inferni. (S. Bern., serm. *ad clerum*, in *Conc. Rhem.*)

Quanto gradus eorum altior, tanto gravior casus. (Petr. Bles., serm. 9 in synod. *sup. Psal.* XLVIII, 13, qui est *in septem tubis.*)

Si tantus lapsus a gradu infimo, quantus a supremo. (*Ibid.*, init. serm.)

Quanto dignior est eminentia sacerdotum, tanto gravior est lapsus et periculosior ruina ipsorum. (Id., serm. 59, *Ad sacerdot.*, *in Osee*, V, 1, init.)

Sane quanto gradus altior, tanto casus gravior ; nam, cui plus committitur, plus ab eo exigitur. (Innoc. III, serm. 1, *in Consecrat. Pontif. Max.*, init.)

Si homo in regimine positus suam transgrediatur professionem..., notorium infert Ecclesiæ scandalum, honorandæ derogat dignitati, cæterorum præsulum denigrat famam, adimit auctoritatem regiminis, vilem reddit cathedram sanctitatis. (S. Laurent. Justin., *De regim. prælat.*, c. 20, n. 1.)

Neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum omnes metiuntur. (*Ibid.*, n. 30.)

Homo Christianus fortiter cadit in peccato propter duas causas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis, ut puta, si sit clericus.... Propter magnitudinem autem peccati, ut puta, si quis homicidium fecerit, aut adulterium, aut aliquid aliud ex gravibus peccatis, etsi de humili loco cadit, id est, etsi laicus sit aut sæcularis, fortiter perit propter pondus peccati ; de alto vero cadit clericus... propter altitudinem dignitatis... etsi enim pondus peccati non habeat, id est, etsi grande peccatum non fecerit, sed leve, tamen fortiter perit... propter altitudinem dignitatis. (S. Chrysost., hom. 40, *Oper. imperf. in Matth.*, circa fin.)

Sectio quarta. — *Quia peccata clericorum populo maximum afferunt detrimentum.*

Cum per abrupta graditur pastor, ad præcipitia sequitur ovis ; ideo clericos lucem mundi et sal populi, ne fumo excæcent fideles, et ne ipsis infatuatis non sit, in quo condiatur populus, satis fuse commonuit Ecclesia. (*Conc. Narbon.* a Sancta Sede confirm. ann. 1609, sub Paulo V, tit. *De vit. et hon. cleric.* ; et *Aquisgr.* ann. 806, can. 27.)

Sicut validioribus morbis capite vitiato reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari ; ita et ii, qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere, quod negligentium sacerdotum vitiositatis mortale infecerit virus. (S. Ambros., *De dignitat. sacerdot.*, c. 5, paulo post init.)

Quid sæcularis factura est multitudo, cum voluptatibus illicitis et actionibus vetitis ad similem facinorum voraginem episcopus multitudinem populi provocaverit, ut nulli jamjamque illicitum esse videatur, quod ab episcopo quasi licitum perpetratur. — Ipsum magis credunt homines esse laudabile, quidquid episcopus habuerit delectabile, nec quisquam, quod agere pontifex non dubitat, se indubitanter agere dicat. — Cur te velut tetrum speculum universorum oculis demonstras, ita ut non possint obscuritate tua se comptius exornare? (*Ibid.*, c. 6, in fin.)

Neque enim possunt episcoporum vitia dissimulari, sed vel parva atque exigua confestim manifesta fiunt, quando et athleta tantisper, dum domi se continet, ac cum nemine manus conserit, imbecillitatem infirmitatemque suam occultare aliis potest ; ubi vero nudato corpore in arenam decertaturus descenderit, tunc facile apparet quid ille possit. Eadem ratione, qui privatam hanc et quietam vitam vivunt homines. (S. Chrysost., lib. VI *De sacerd.*, c. 24, init.)

Vulgarium hominum delicta velut in tenebris commissa auctores solos suos perdunt ; cæterum hominis illustris et vulgo cogniti delictum commune omnibus damnum affert... cum eos, qui ad virtutis capescendæ sudores remissi sunt, supiniores etiamnum reddens ; tum eos, qui sibi ipsis attendere ac virtuti acquirendæ advigilare volunt, ad superbiam exstimulans. — Præterea ignobilium delicta, si in medium prodierint, neminem insigniter vulnerant ; at, qui in istius dignitatis fastigio positi sunt, primum nemini non noti manifestique sunt, tum vero, si vel tantillum peccaverint, parva illorum peccata aliis magna videntur. (S. Chrysost., *ibid.*)

Sicut in corpore si aliquod infirmatum fuerit

membrum, non omnino languet et stomachus; si autem stomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma; sic, si aliquis Christianorum peccaverit, non omnino peccant et sacerdotes. Si autem et sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum; ideo unusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem, sacerdotes autem non solum pro suis, sed et pro omnium peccatis reddituri sunt rationem; et, quemadmodum, si videris arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis quia aliquam culpam habet circa radicem; ita, cum videris populum indisciplinatum et irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum. (Id., hom. 38 *Operis imperf. in Matth.*)

Cum attenderit clericum malum, quid sibi dicit? Dominus dixit : *Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite.* Laicus, qui vult bene vivere, cum attenderit clericum male vivere, male vivit. (S. Aug., *De verbis Dom.*, serm. 49, c. 7.)

Vulnerato pastore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? Aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis se hostilibus feriendum exponit? Aut qualem de se fructum producturus est, cujus gravi peste radix infecta est? Major ergo metuenda est locis illis fore calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam provocant, quam per semetipsos placare debuerant. (S. Greg., lib. vii *Ad Theodoric. et Theodebert.*, in med.)

Cum ipsi limpidissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbatis; et oves meæ, quæ conculcatæ pedibus vestris fuerant, pascebantur; et, quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. (*Ezech.* xxxiv, 18, 19.) Aquam quippe limpidissimam pastores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt; sed eamdem aquam pedibus perturbare, est sanctæ meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum turbatam pedibus oves bibunt, cum subjecti quippe non sectantur verba, quæ audiunt; sed sola, quæ conspiciunt, opera pravitatis imitantur; qui, cum dicta sitiunt, et per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. — Cum pastor per abrupta graditur, fit ut grex ad præcipitium sequatur. (Id., *Pastoral.*, part. i, c. 2, et habetur can. 27, *Conc. Aquisgran.* i, ann. 816.)

Necesse est ut cum labente pariter labatur; persuadent enim sibi subditi id eis imprimis licere, quod a suis pastoribus fieri palam conspiciunt, et audentius idem perpetrant : ex quo superiorum major longe redditur culpa. (*Ibid.*, part. ii, c. 3.)

Scire prælati debent quia, si unquam perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. — Per prava, quæ faciunt, non soli moriuntur; sed aliarum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt. (*Ibid.*, part. iii, c. 5, init.)

Quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo præcipitat, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? (Id., *in II Reg.* iii.)

Ex nostro peccato populi turba prostrata est, quia faciente nostra negligentia ad vitam erudita non est. (Id., hom. 17, *in Evang.* circa fin.)

Ecce legislator peccatum sacerdotis peccatum ipsius populi appellavit, quia negligens sensibilis sacerdos aut peccans ipse aut non vindicans in peccatoribus illicit eos, qui rupes sunt, ad similia. (Isychius, *in Levit.*, lib. i, cap. 4, init.)

Sicut acetum dentibus et fumus contrarius oculis est; ita sacerdos in Ecclesia pravus per acredinem peccati fidelium sensus obtundere facit, atque erroris ignorantia oculos cordis eorum ab intuitu fidei seu intellectu rectitudinis, dum caligant, velut fumus excæcat. (Beda, lib. ii *Commentar. in Prov.*, c. x.)

Dolor capitis in membra redundat. Capita populi sunt sacerdotes. Omne caput languidum et omne cor mœrens. (S. Bern., *Serm. ad pastores*, in synod., n. 13.)

Non parcunt suis, qui non parcunt sibi perimentes pariter et pereuntes. (Id., serm. 77 *in Cant.*, n. 2, in fin.)

Verbum Domini est (*Levit.* xvi, 32) : *Sacerdos ineus, qui unctus est, si peccaverit, delinquere faciet populum meum.* Super quem locum sanctus Gregorius dicit : Scire sacerdotes debent quod, si perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittunt. (Petr. Bles., epist. 123, *Ad Richard. Londoniens. episc.*, circa med.)

Non potest non peccare graviter, qui ad aliorum institutionem deditus palam offendit. (S. Laurent. Justin., *De instit. et regim. prælator.*, c. 20, n. 1.)

Sectio quinta. — *Quia Ecclesiæ gravem præbent offensionem.*

Vos recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum : propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis, sicut non servatis vias meas et accepistis faciem in lege. (*Malach.* ii, 8, 9.)

Si contraria gesseritis (id est, si non recte sancteque vixeritis) et homines perditis profecto, et Dei nomen blasphemiis offendi facietis. (S. Chrysost., hom. 15 *in Matth.* v, post med.)

Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis. (*Ezech.* xliv, 12.)

Veteres scrutans historias invenire non possum scidisse Ecclesiam, et de domo Domini populos seduxisse præter eos, qui sacerdotes a Deo positi fuerant et prophetæ, id est speculatores : isti ergo vertuntur in laqueum tortuosum in omnibus locis ponentes scandalum. (S. Hieron., lib. ii *Comment. in Osee* ix, 8, ante medium, et habetur 24, q. 3, c. *Transferunt*..... 33.)

Clericulus admonendus est, quatenus sic vivat, ut exemplum vitæ sæcularibus præbeat, ne, si quid in illo juste reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religio-

nis nostræ æstimatio gravetur. — Quanto mundus gladio feriatur aspicitis : quibus quotidie percussionibus intereat populus videtis. Cujus hoc, nisi nostro præcipue peccato agitur? Ecce depopulatæ urbes, eversa castra, ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri reducti sunt. Sed nos pereunti populo auctores mortis exstitimus, cui esse debuimus duces ad vitam. (S. Greg. hom. 17 *in Evang.* in fine.)

Nemo in Ecclesia nocet amplius, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet; delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. (Id., *Pastoral.*, part. 1, c. 2, n. 4.)

Perit reverentia, adimitur disciplina, quia, qui culpas debuit emendare, committit. (Id., lib. VII. *Regist.*, epist. 113, indict. 2, ante med.)

Absque his eo deformior, quo illustrior pares. Nunquid potest abscondi civitatis supra montem positæ desolatio, aut latere fumus lucernæ exstinctæ super candelabrum? Simia in tecto rex fatuus in solio sedens. (S. Bern., *De consid.* lib. II, c. 7.)

Serpit hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ, et quo latius, eo desperatius, eoque periculosius, quo inimicus quo interius; nam, si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras et aresceret : si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc vero quem ejiciet, aut quo abscondet se? Omnes amici, et omnes inimici; omnes necessarii, et omnes adversarii; omnes domestici et nulli pacifici : omnes proximi, et omnes, quæ sua sunt, quærunt. (Id., *in Cantic.*, serm. 33, in fine.)

Olim prædictum est, et nunc tempus impletionis advenit : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* (*Isa.* XXXVIII, 17.) Amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum non fugare eos patet, et non est pax. Pax a paganis, et pax ab hæreticis, sed non profecto a filiis. Vox plangentis in tempore isto : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I, 2), spreverunt et maculaverunt me a turpi vita, a turpi quæstu, a turpi commercio. (Id., *ibid.*)

Filios exaltavi et enutrivi : ipsi autem spreverunt me. Spreverunt et maculaverunt me a turpi vita, a turpi quæstu, a turpi commercio, a turpi negotio perambulante in tenebris. (*Ibid.*, serm. 12, *Ad clerum, Conc. Rhem.* habito, qui est inter Oper. S. Bern.)

Propter peccata nostra data est in conculcationem et opprobrium sancta Ecclesia Christi. — Rubigine propter peccata nostra vilis est hodie et obductus gladius Petri; ubique hodie propter hæc impune nomen Domini in vanum accipitur, sententia Petri contemnitur; hodie impune Phassur in Jeremiam, Mælchus in Christum, Jason in oblationes sacras, Balthasar in vasa Domini manus extendit sacrilegas. (Petr. Bles., *in Osee* V, 1.)

Privato peccanti sæpe parcitur; sed, si prælatus deliquerit, in ejus infamiam linguæ omnes acuuntur. (Id., epist. 15, *Ad Reginaldum*, circa med.)

Si homo in regimine positus suam transgrediatur professionem, aut delinquat, publicæ notorium infert Ecclesiæ scandalum, honorandæ derogat dignitati, cæterorum præsulum denigrat famam, adimit auctoritatem regiminis, vilem reddit cathedram sanctitatis, præbetque exemplum delinquendi, iis, quibus formam virtutis exhibere debuerat. (S. Laurent. Justin., *De institut. et regim. prælat.*, c. 20, n. 1.)

Sectio sexta. — *Quia acerbiora merentur supplicia.*

Ingressus templum Dominus per semetipsum quasi flagellum de funiculis fecit, et de domo Dei pravos negotiatores ejiciens, cathedras vendentium columbas evertit; quia subditorum quidem culpas per pastores percutit, sed pastorum vitia per semetipsum ferit. (S. Greg., hom. 17 *in Evang.*, post med.)

Quæ seminaverit homo, hæc et metet. Duplicia metet, qui occasionem aliis præbuerit delinquendi. (S. Laurent. Justin., *De comp. Christ. perf.*, versus finem.)

CAPUT VIII.

Sacerdotum difficilis et rara pœnitentia.

Sectio prima. — *Emendatio sacerdotum rara.*

Populares quidem vel satiati actibus suis malis, aliquando compuncti convertuntur ad Deum, et incipiunt operari justitiam; sacerdotes autem impœnitibiles constituti nunquam desinunt peccare in Deum. (Hom. 40, *Oper. imperf. in Matth.*, inter Opera S. Chrysost., longe post init.)

Quis aliquando vidit clericum cito pœnitentiam agentem? (*Ibid.*, *in Matth.* XXI, longe ante med.)

Laici delinquentes facile emendantur; clerici autem, si semel mali evaserint, inemendabiles fiunt. (*Ibid.*, hom. 43; apud S. Bonav., lib. I *Pharetræ*, c. 22, ante finem.)

Si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus (*Matth.* V, 13); alii enim, etsi sæpe delinquant, possunt tamen ad veniam pervenire; si vero hoc magister ipse patiatur, omni excusatione privabitur, et supplicia extrema persolvet. (S. Chrysost., hom. 15 *in Matth.*, circa med.)

Si pecces privatim, nihil tale passurus es, si in sacerdotio periisti. (Id., hom. 3 *in Act.*, post med.)

Monachus, si ceciderit, rogabit pro eo sacerdos : pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est? (S. Hier., *Epist. ad Heliodor.*)

Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Qui erunt homines, per quos a vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum? (S. Aug., *De serm. Domini in monte*, lib. I, c. 6.)

Si incantator fuerit percussus a serpente, quis medebitur ei? Et, si sacerdos peccaverit, quis orabit

pro illo ? (Innoc. III, serm. 1 in *Consecrat. Pontific. Max.* circa init.)

Sectio secunda. — *Cur sacerdotum pœnitentia adeo rara ?*

§ I. — *Quia in Scripturis exercitati, ad nullum Dominicæ comminationis tonitru expergiscuntur.*

Sæcularis homo post peccatum facile ad pœnitentiam venit ; nam occupatus negligentia sæculari, dum Scripturis non satis attendit, semper ei, quæ in Scripturis posita sunt, nova videntur, ideoque, cum audit aliquid de gloria sanctorum aut de pœna peccatorum, quasi novum aliquid audiens expavescit, dumque aut bona concupiscit aut mala timet, compunctus ad pœnitentiam cito decurrit. Nihil autem impossibilius, quam illum corrigere, qui omnia scit, et tamen contemnens bonum diligit malum ; omnia enim, quæcunque sunt in Scripturis, propter quotidianam meditationem ante oculos ejus inveterata et vilia æstimantur ; nam quidquid ibi terribile est, usu vilescit : propterea clericus, qui semper meditatur Scripturas, aut omnino observaturus est, et erit perfectus ; aut, si semel cœperit illas contemnere, nunquam excitatur in illis, ut timeat. (*Oper. imperf.*, hom. 40, *in Matth.* xxi, longe ante med.)

Alto quippe demersi oblivionis somno, ad nullum Dominicæ comminationis tonitru expergiscuntur, ut vel ipsorum suum periculum expavescant. (S. Bern., serm. 77 *in Cant.*, post init., n. 2.)

§ II. — *Quia tenet eos superbia, adeo ut omne consilium respuant.*

Sed et si deprehensus humiliaverit se, non ideo dolet quia peccavit, sed confunditur quia perdidit gloriam suam. (Hom. 40 *Oper. imperf. in Matth.*, longe ante med.)

Erubescit aliquando reus videri, qui semper fuerat judex. (Hom. 43, *Oper. imperf. in Matth.* post med.)

§ III. — *Quia deliciis diffluentes, vitæ asperioris labores perhorrescunt.*

Alienis laboribus locupletantur clerici, comedunt fructum terræ absque pecunia, et prodit quasi ex adipe iniquitas eorum..., etc... Mens quippe assueta deliciis, nec exculta disciplinæ sarculo, multas contrahit sordes. Porro inveteratam rubiginem si tentet abradere, nec summis saltem digitis contingi patientur, sed, sicut scriptum est, *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit.* (*Deut.* xxxii, 15.) (S. Bern., epist. 132.)

CAPUT IX

Ruina populi, sacerdotes mali.

Secundum judicem populi, sic et ministri ejus, et, qualis rector est civitatis, tales et habitantes in ea. (*Eccli.* x, 2.)

Rex insipiens perdet populum suum. (*Ibid.*, 3.)

Audite hoc, sacerdotes, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor, et victimas declinastis in profundum. (*Osee* v, 1.)

Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus. (*Ose.* ix, 8.)

Laqueus ruinæ populi mei, sacerdotes mali. (*Ezech.* xliv.)

Quando vita sacerdotum cum doctrina non concordat, et auditoribus infirmis scandalum, et animarum provenire periculum non est dubium. (*Conc. Paris.* vi, c. 4 sub fin. ann. 824.)

Sæpe accidisse legimus culpam sacerdotum ruinam exstitisse populi... sicut aperte liquet culpam Heli filiorumque ejus populi exstitisse ruinam. (*Conc. Aquisgran.* ii, ann. 836, sub Greg. IV, et Ludovico Pio, ad Pippin. reg., lib. ii, c. 8.)

Sicut homo ex anima et corpore constituitur, ita regnum ex rege et subditis ; et quemadmodum, si homo manibus peccans tergo pœnas luat, non utique injuste in eum animadvertitur ; ita non inique Deus facit, cum principum delicta coercet plectendo populum. (S. Justin., martyr., *Solut.*, q. 138, *Ad orthodoxos.*)

Dicet fortasse quispiam quod est tertium malum, quando est malus rector et magistratus. Id quoque scio et non parvum malum, sed etiam longe prius defectu rectoris et magistratus ; melius est enim a nullo duci, quam a malo ; nam ille quidem sæpe evasit salvus, sæpe autem venit in periculum ; hic autem omnino veniet in periculum, ne adducatur in barathrum. (S. Chrysost., hom. 34, *in Epist. ad Hebr.*, circa init.)

Quasi devorant populos, quibus suorum motuum perversitatem persuadent. (S. August. *in psal.* xiii, ante medium.)

Si cadit, qui sibi columna videbatur in templo, quanto magis populus peribit. (Serm. 38, *Ad fratres eremi*, post med.)

Mali illi pastores non parcunt talibus, nempe ovibus crassis et sanis parum est quod illas languentes et infirmas et errantes et perditas non curant ; etiam istas fortes et pingues necant, quantum in ipsis est, illæ vivunt de misericordia Dei ; tamen, quantum ad malos pastores attinet, occidunt. Quomodo, inquis, occidunt ? Male vivendo, malum exemplum præbendo. (S. Aug., serm. 165, *De tempore*, *De pastorib.*, c. 4 ; serm. 46, c. 4, n. 9 ; *Conc. Aquisgran.*, ann. 826, c. 12, lib. i.)

Urbis piaculum, Ecclesiæ labes, libertatis probrum, eorumque, qui cum ipso consuetudinem habent, pestis ac pernicies. (S. Isidor. Pelus., epist. 229, *De Zozimo specictenus presbytero*, lib. iii *Epist.*)

Quidquid boni non facit, aut mali committit (scilicet pontifex) nec jubebit, nec vetabit ; quia necessariam docendi auctoritatem contrarietate suæ actionis aut amittit, aut minuit. (S. Prosp. vel Jul. Pom., lib. i *Vit. contemp.*, c. 15, in fin.)

Causa sunt ruinæ populi sacerdotes mali ; quis enim se pro populi peccatis intercessor objiciat, si sacerdos, qui exorare debuerat graviora committit ? (S. Greg., regist. lib. ix, epist. 64, indict. 4, apud S. Bonav., lib. i *Pharetræ*, c. 21.)

Unde fit ut, cum Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. — Nemo quippe in

Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinis sanctitatem habet. (Id., *Pastor.*, part. I, c. 2, init.)

Languente capite incassum membra vigent, et in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur. (Id., *ibid.*, part. II, c. 7, paulo post init.)

Per prava, quæ faciunt (prælati,) non soli moriuntur, sed aliarum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt. (Id., *ibid.*, part. III, admonit. 5.)

Nullum, puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. — Nulla subditorum mentes exhortatio sublevat eorumque culpas increpatio nulla castigat; quia, dum per animarum præsulem terreni exercetur officium judicis, a gregis custodia vacat cura pastoris, et subjecti veritatis lumen apprehendere nequeunt, quia, dum pastoris sensus terrena studia occupant, vento tentationis impulsus Ecclesiæ oculos pulvis cæcat. (Id., hom. 17 *in Evang.*, post med.)

Sicut boni sacerdotes Deo fidelium oblationes et vota commendant; ita plerumque, qui sacris altaribus indigni sunt, horribiliter gravant. (S. Petr. Dam., *Contra clericos intemp.*, dissert. 2, in fine.)

Sacerdos, qui legem Dei, nesciendo delinquit, suis etiam populum in peccatis involvit; et quos doctus relevare poterat, secum simul per imperitiam gravat. (Id., opusc. 26, *Contra inscitiam et incuriam. cler.*, cap. 4, circa fin.)

Quid est, quæso, o damnabiles homines carnales, quod tanto ambitionis ardore ecclesiasticæ dignitatis culmen appetitis? Quid quod tanto desiderio vestræ perditionis nexibus Dei populum illaqueare tentatis? Non vobis sufficit, quia vosmetipsos in alta facinorum præcipitia mergitis, nisi ruinæ vestræ periculo et alios involvatis. (Id., opusc., 7, cap. 19.)

Non parcunt suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter et pereuntes. (S. Bern., serm. 77 *in Cant.*, paulo post init., n. 2.)

Conjurasse videtur contra te (Deus) universitas populi Christiani... egressa est iniquitas a senioribus judicibus vicariis tuis, etc. — Egressa est iniquitas a senioribus judicibus vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere, ut populus, sic sacerdos. Heu! heu! Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum! Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, et universam deinceps libere et potestative tradunt incendio civitatem! Misera eorum conversatio, plebis tuæ miserabilis subversio est! (Id., serm. 1 *in Convers. S. Pauli*, ante med.)

Pauci plane operarii, et admodum rari inconfusibiles, qui aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, quos instruunt verbo sanctæ prædicationis, non destruunt exemplo pravæ operationis, efficacius opere quam verbo prædicantes. —Multi sunt Catholici prædicando, qui hæretici sunt operando. Quod hæretici faciebant per prava dogmata, hoc faciunt plures hodie per mala exempla... et tanto graviores sunt hæreticis, quanto prævalent opera verbis. (Id., *Ad pastor.*, in synod., n. 3.)

Inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores. (Eugenius III, Papa, in *Conc. Rhem.*, apud S. Bern., lib. III *De consid.*, c. 434.)

Sicut per senem vitiosum et fatuum, ita per adolescentem inverecundum et temerarium religio sancta destruitur; post indoctos namque prælatos malosque in sancta Ecclesia nulla pestis ad nocendum infirmis valentior invenitur. —Ruina populi sacerdos nequam. (*De ordine vitæ*, c. 1, n. 1 inter Oper. S. Bern.)

Propter negligentiam sacerdotum hodie hæreses pullulaverunt innumeræ et perniciosæ, atque damnabiliter sentiunt hodie quidam de sacramento altaris. (Petr. Bles., serm. 60, *in Osee* v, 1, paulo ante fin.)

Si quis constitutus esset primipilarius et dux belli, quid deberet fieri de ipso, si populum sibi commissum traderet in manus inimici? Populum Dei, quem pretioso sanguine Christus de diaboli potestate redemerat, vos evacuantes beneficium passionis Christi, iterum in potestatem diaboli rejicitis. (Id., serm. 60, *in Osee* v, 1, circa fin.)

Sacerdotum conversatio est populi subversio. (Id., serm. 61, *Ad sacerdotes*, in synod., post init.)

Sacerdos, qui unctus est, si deliquerit, delinquere facit populum suum. — Vos Ecclesiam Dei contemnitis et adulteratis, ut jam non confidat in ea cor viri sui; ideoque repulit Dominus altare suum et hæreditatem sprevit, et, cum de tribulatione et angustia clamaretur, avertit aurem suam, et non aspicit in faciem testamenti sui. (Id., ex *Levit.* IV, 3.)

Eccle. VI, 33, dicitur: *Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia.* Hoc dicitur maxime sacerdoti habenti curam animarum, qui est contra diabolum in campo certaminis; unde, si devincitur, omnes alii dimittunt causam suam. (Hugo cardin., *in II Epist. ad Tim.*, c. II, ante med.)

CAPUT X.

Salus populorum, sacerdotes boni.

Salus gregis est integritas pastoris. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, *De examine promovendorum*, cap. 22 *Instit.*)

Capite sano omnes sensus vigent. (S. Hier., *Epist. ad Paulin., De institut. monachi*, sub fin.)

Bonus si fuerit, qui tibi præest, nutritor tibi est: malus si fuerit, tentator tuus est. (S. Aug., *De verbis Domini*, serm. 6, c. 7.)

Si (sacerdotes) mores suos correxerint, spes est plebem quoque secuturam esse. (S. Isid. Pelus., lib. III, epist. 326.)

Per tales (sacerdotes sanctos) Deus placatur populo, populus instruitur Deo. (S. Prosp. seu Jul. Rom., *De vita contempl. sacerdot.*, lib. I, c. ult., circa med.)

Integritas præsidentium salus est subditorum. (S. Leo, epist. 87, *Ad episcopos Africanos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos*, c. 1, circa init.)

CAPUT XI.

ART. I. —*Sic activæ vitæ labores subeat clericus, ut contemplativæ vitæ non prætereat otiosa negotia.*

Omnino quicunque ex Ægypto excidere et Pharaonem effugere conamur, Moyse aliquo ductore qui nos inter ac Deum sequestor sit, indigemus, qui medius inter studia actionis et contemplationis perstans manus ad Deum expandat, etc. (S. Joan. Climac., grad. 1, ante med.)

Admonendi sunt (prælati) ut sic aliorum curas expleant, quatenus et suas agere non desistant; et sic in propria sollicitudine ferveant, ut a commissorum custodia minime torpescant. (S. Greg., *Pastor.*, part. III, c. I, admonit. 5, ante med.)

Quid enim prodest, si amantes nosmetipsos, relinquamus proximos? Vel quid rursus prodest, si amantes vel zelantes proximos, relinquamus nosmetipsos? (Id., hom. 17 *in Evang.*, post med.)

Sic debemus agere curam nostri, ut non negligamus curam proximi; ut quisquis ad nos jungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur. (*Ibid.*, sub fin.)

Quisquis ergo jam in se contumelias carnis edomuit, superest ut mentem per studia sanctæ operationis exerceat; et quisquis jam mentem per sancta opera dilatat, superest ut hanc usque ad secreta intimæ contemplationis studia extendat; neque enim perfectus prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. (Id., *Moral.* lib. VI, c. 17, circa init.)

Sit ergo pastor... internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, externorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens. (S. Greg., *Stimul. pastor.* post init., *Pastoral.* p. II, c. 7, init.)

Cum alii de pectore suo quasi de fonte hauriant, tu prius bibe de fonte putei tui; sic deriventur fontes tui foras, ut tui tamen immemor non exsistas; maledictus, qui facit partem suam deteriorem; qui autem sibi nequam est, cui bonus erit? In animæ negotio, et in acquirenda hæreditate cœlesti, nemo tibi germanior sit teipso. (Petr. Bles., *De institut. episc.*, longe post init.)

Pro salute proximorum propriam non debent negligere; sed neque sic suæ intendere, ut proximis prodesse deficiant. (S. Laurent. Justinian., *De nstit. et regimine prælat.*, c. 19, num. 6.)

Parum proficit sibi, quamvis alteri intendat, qui erga se minus sollicitus est. — Nullus plus de aliis quam de se debet esse sollicitus. (Id., *De compunct. et Christian. perfect.*, part. II, num. 6.)

Si offeras Deo omnes sæculi divitias, omneque genus humanum convertas ad fidem, et tu ipse illi displiceas, nihil obtulisti. (*Ibid.*, n. 7.)

ART. II. — *Cur vitæ activæ labores subire debeat, non deserens contemplativæ otiosa negotia.*

Sectio prima. — *Quia primum saluti animæ consulere debet.*

Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui: deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. (*Prov.* V, 15.)

Si sapiens fueris, tibimetipsi eris. (*Prov.* IX, 12.)

Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? (*Matth.* XVI, 26.)

Alios docere aggredi, priusquam ipsi satis edocti simus et... in aliorum animabus pietatem meditari et exercere, valde stultorum aut temerariorum hominum esse videtur. (S. Greg. Naz., orat. 1, n. 80.)

Purgari prius, deinde purgare; sapientia instrui, atque ita demum alios sapientia instruere; lux fieri, et alios illuminare; ad Deum appropinquare, et ita alios adducere; sanctificari, et postea sanctificare. (*Ibid.*, num. 122.)

Sacerdos, ut sapiens medicus et perfectus, primum sua peccata diluere sciat et postea aliena detergere et sanare, et non publicare. (S. Aug., refertur, *Decret.*, part. II, causa 3, q. 7, *Sacerdos.*)

Quis exstruendi, nisi cum fundamenta jeceris, locus est? Superædificare cæteras utilitates destinanti salus fundamentum est. — Quomodo quispiam sequentia addat, si nec prima possederit; unde succedentium augebitur incrementis, si anteriorum deficiatur exordiis, etc. Quid prodest, si abjiciat cibis, non habens unde consulendum est animæ?... ubi salutis damnum est, illic utique jam lucrum nullum est. (S. Eucher., *Ad Valerianum cognatum suum*, Epist. parænet., paulo post init.)

Nonnunquam ego... cum sederem ad pedes Jesu... audivi dicentes (*Matth.* XXVI, 8): *Ut quid perditio hæc?* causantes videlicet quod soli viverem mihi, qui, ut putabant, multis prodesse possem, et dicebant: *Potuit enim venundari multo, et dari pauperibus.* (*Ibid.*, 9.) Sed non bonum mercatum mihi est, etiamsi universum mundum lucrer, meipsum perdere. (S. Bern., serm. 12 *in Cant.*, n. 8.)

Si sapis (sacerdos), concham te exhibebis, et non canalem; hic siquidem pene simul et recipit et refundit; illa vero, donec impleatur, exspectat, et sic, quod superabundat, sine suo damno communicat, sciens maledictum, qui partem suam facit deteriorem. Et, ne meum consilium contemptibile ducas, audi sapientiores me: *Stultus*, ait Salomon

(*Prov.* XXIX, 11), *præfert totum spiritum suum simul, sapiens reservat in posterum.* Verum canales hodie in Ecclesia multos habemus, conchas vero perpaucas : tantæ charitatis sunt, per quos nobis cœlestia fluenta emanant, ut ante effundere, quam infundi, velint ; loqui, quam audire, paratiores ; et prompti docere, quod non didicerunt, et aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt, etc. (S. BERN., serm. 18 *in Cant.*)

A te tua consideratio inchoet, nec frustra extenderis in alia, te neglecto. Quid tibi prodest, si universum mundum lucreris, te unum perdens? Etsi sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris, etc. (ID., lib. II *De consid.*, c. 3.)

Rectus ordo requirit ut prius propriam, deinde alienas curare debeas conscientias ; primus quippe pietatis gradus est, de quo scriptum est : *Miserere animæ tuæ placens Deo.* (*Eccli.* XXX, 24.) Ex hoc autem ad miserandum proximum, recto jam tramite charitas ordinate procedit, quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur. Quod si in hunc modum, quo te hactenus amasti, et tibi committendos amaturus es, malo ego quidem tibi non committi, quam sic diligi ; si autem prius te diligere didicisses, et me forsitan scires amare. (ID., epist. 8, *Ad Brunon. Colon. electum*, ante med.)

Multi salutem fratrum saluti propriæ anteponunt : ego cum istis non sentio ; nemo enim me mihi germanior est : pro fratribus meis libenter corpus meum expono periculis, sed non animam, nisi nomine animæ voces vitam. (PETR. BLES., epist. 102, *Ad H. Radingens. abbat.*, longe post med.)

Prius ergo custodi teipsum, ut securius procures custodiam aliorum. (ID., epist. 132, ante med.)

Si vis alios regere et docere, prius teipsum regas et doceas. Cœpit Jesus facere et docere ; prius fac, et postea doce. (ID., epist. 157, *Ad vicarium suum* post med.)

Sacerdotum clericorumque maxima pars dedita jacet voluptatibus, et bestiarum more quasi degentium ; parum ab illa sæcularium illorum conversatio distat ; incedunt quotidie per plateas ; hinc inde discurrunt ; theatris et spectaculis intersunt ; choreis dimissa omni gravitate se immiscent ; pudorem rejiciunt ; turpiloquiis vacant et nugis ; habitu compatico vestiuntur ; crinibus crispantibus comam contra apostolicum præceptum et sanctiones Patrum nutriunt. Qua fronte, ore, redarguere tales possunt delicta populorum? Quomodo errantem ad semitas justitiæ revocare sufficiunt? Negligentes salutem propriam, qualiter super aliorum salute vigilabunt? Alteri vix bonus esse valet, qui sibi nequam est. Corrigat sua, qui proximorum cupit errata corrigere? (S. LAURENT. JUSTIN. *De compunct. et perfect. Christian.*, part. I, n. 14.)

Discat Christianus prius diligere se, ut proximum irreprehensibiliter valeat diligere sicut se ; nam supervacue laborabit in altero, qui suimet curam negligit. (ID., *ibid.*, part. II, n. 6.)

A teipso inchoa ; ex te experire, quid in aliis debeas. — Te si spiritualiter excolueris, et alios etiam juvare valebis. (*Ibid.*, n. 7.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia non sibi tantum, sed et aliis vivere tenetur.*

Habemus duo quædam ; unum, quod Christiani sumus ; alterum, quod præpositi sumus : illud, quod Christiani sumus, propter nos est ; in eo, quod Christiani sumus, attenditur utilitas nostra ; in eo, quod præpositi sumus, non nisi vestra. (S. AUG., *Ad pastores*, apud *Conc. Aquisgran.*, ann. 816.)

Illud perpetuo reputent (sacerdotes) se non sibi solis vivere. (*Conc. Tolosan.*, ann. 1590, tit. *De presbyteris et clericis*, init.)

Sacerdotem perspicacem esse oportet, atque innumeros quoquoversus oculos circumferre, quippe qui non sibi uni tantum, sed et tanto vivat populo. (S. CHRYSOST., lib. III *De sacerdot.*, c. 12.)

Si districte judicentur, ex tantis procul dubio rei sunt ; quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. (S. GREG., *Pastor.* part. I, c. 5, in fin.)

Exi in agrum domini tui, exi, inquam, in mundum ; ager est enim mundus, etc. In hunc quondam agrum Isaac exierat ad meditandum, tu ad exstirpandum egrediaris necesse est. Tibi jam præcessisse meditatio debet, tempus faciendi præ manibus si nunc hæsitare incipias id quidem sero ante, juxta consilium Salvatoris, sedisse debueras, etc. (S. BERN., lib. II *De consid.*, c. 6.)

Fidelis pontifex, qui... non populi requirit datum, sed lucrum. — Qui acceptum talentum non ligat in sudario, sed partitur nummulariis, a quibus et usuras... recipit non sibi, sed Domino. — Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde, id est a propria voluntate. Bona oblivio, si teipsum nescias, ut proximo prosis. Bene autem mortuus a corde, si jam non tibi vivere studeas, sed ei, qui pro te mortuus est. (ID., epist. 42, *Ad Henric. Senon.*, c. 3, post. med.)

Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur (*Hebr.* V, 1), id est, pro ipsorum utilitate. (S. THOM., *Comment. in Epist. ad Hebr.*, c. V.)

CAPUT XII.

Ordines sacros et ecclesiasticas dignitates formidet clericus, nedum ambiat.

ART. I. — *Quanta cura fugiendæ dignitates.*

Sacerdotis animum honoris illius desiderio undique vacare oportet. (S. CHYSOST., lib. III, *De sacerdot.*, ante med.)

Exitialis morbus episcopatum appetere. — Ego episcopatus opus mirifice laudo : divinum est enim, ipsius autem amorem minime laudo, periculosus enim est. — Ne probatissimos quidem viros hunc

amorem in animo alere, verum pro viribus expellere oportet. (S. Isidor. Pelus., lib. III, epist. 216, *Ad Pallad. diac.*, ante med.)

Ad majora aspirare et præstantiora quærere, quam a Deo datum tributumque sit, pœnam ac perniciem affert. (S. Cyril. Alex., *De adorat. in spiritu et veritate*, lib. XIII *De sacerdot.* loquens de Core, Dathan et Abiron.)

Qui vacat, hæc incaute non expetat (pastoralis curæ pondera), et qui incaute expetiit, adeptum se esse pertimescat. — Appetitum timor temperat. (S. Greg., *Pastor.*, Prolog.)

Non volentes neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes; etiam coge illos et compelle intrare. (S. Bern., lib. IV *De consider.*, c. 4, n. 12, circa med.)

Reverendo vertici Christi manum impositurus Baptista contremuit princeps apostolorum miraculosa piscium captione perterritus, *Recede*, inquit, *a me, Domine, quia homo peccator sum* (*Luc.* V, 8): seque introitu Christi centurio putabat indignum. Qua igitur fiducia meritorum, qua mentis audacia contrectare præsumam vitam animarum, pretium mundi, angelorum panem? Ubi quanto dignior et eminentior est hujus ministerii gradus, tanto gravius imminet ex ipsius dignitate discrimen. (Petr. Bles., epist. 139, circa init.)

Cum magno timore ad tantum gradum (sacerdotii) ascendendum est. (*Pontific. Rom.*, in *Ordin. presbyt.*, episc. alloquens ordinandos in presbyt.)

ART. II. — *Cur tanta cura fugiendæ.*

Sectio prima. — *Ob exemplum Christi et sanctorum.*

Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec, ut cæteri, quos arrogantiæ et superbiæ suæ tumor inflat, invasit; sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, et pro pudore virginalis conscientiæ suæ, et pro humilitate ingenitæ sibi et custoditæ verecundiæ; non ut quidam, vim facit, ut episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut episcopatum coactus exciperet. (S. Cypr., epist. 52, *Ad Ant.*, de Cornelio loquens, longe ante med.)

Ab eo ipso die, quo tute mihi episcopatus suspicionem injecisti, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur; tam ingens pavor, tam ingens mœstitia animum meum occupavit. (S. Chrysost., lib. VI *De sacerdot.*, post med.)

Querebatur (Nepotianus) se ferre non posse, et juvenilem ætatem incongruam sacerdotio causabatur. Sed quanto magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat et merebatur negando, quod esse nolebat, eoque dignior erat, quo se clamabat indignum. (S. Hier., epist. 3, *Ad Heliodor.*, *De morte Nepotian.*, ante med.)

Tam multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur. (S. Aug., *Ad Donat. presbyt.*, epist. 204, et nunc 175.)

Usque adeo timebam episcopatum, ut, quoniam cœperat esse jam alicujus momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse episcopum, non illo accederem. Cavebam hoc, et agebam, quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. (Id., serm. 49 *De diversis*, qui est primus *De communi vita cleric.*, cap. 1.)

Vis mihi facta est merito peccatorum meorum. — Hinc erant lacrymæ illæ, quas me fundere in civitate, ordinationis meæ nonnulli fratres animadverterunt. (Id., *Ad Valerium*, epist. 148, et nunc 21, n. 1.)

Ad hoc negotium mihi parvum tempus vel usque ad Pascha impetrare volui. (*Ibid.*, n. 4, p. 26, litt. D.)

Repentina vi multitudinis... Presbyteratu initiatus sum: fateor... invitus, quia ab æditui nomine et officio optavi sacram incipere servitutem. (S. Paulin., *Epist. Ad Sever.*, epist. 6, sub fin.)

Domino placuit in vase fictili ponere thesaurum sanctum, qui me vocavit per gratiam suam *suscitans de terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocaret cum principibus populi sui*, etc. (*Psal.* CXII, 42.) In cujus domo domesticus fieri, et benedicere Dominum de fontibus Israël, cum pro meritorum meorum conscientia recusarem, vel potius non auderem recipere, ego vermis et non homo, vi subita invitus, quod fateor, astrictus, et multitudine strangulante compulsus, quamvis cuperem calicem ipsum a me transire, tamen necesse habui dicere Domino: *Verum non mea voluntas, sed tua fiat.* (*Luc.* XXII, 44.) — Præventi a Domino et apprehensi ab eo... deservimus altari Dei. (Id., *Epist. Ad Amandum*, epist. 4, paulo post init.)

Per vim inflammatæ subito plebis sacratus sum. (Id., *Epist. Ad Alipium episc.*, post med.)

Reperio omnes sanctos divini ministerii ingentem velut molem formidantes. (S. Cyril. Alex., hom. *De festo Pasch.*, paulo post init., part. III.)

Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. (*Joan.* VI, 15.) Qui enim principari hominibus tam sine culpa potuisset, quam is, qui hos nimirum regeret, quos creaverat; sed, quia idcirco in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens rex fieri noluit; ad crucis vero patibulum sponte pervenit; oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit. (S. Greg., *Pastor.*, part. I, c. 3.)

Moyses, suadente Domino, trepidat: et infirmus quisque, ut honoris onus suscipiat, anhelat, et, qui ad casum valde urgetur ex propriis, humerum libenter opprimendus ponderibus submittit alienis. Quæ egit, ferre non valet; et auget, quod portet. (Id., *ibid.*, c. 7, in fin.)

Ego considerans infirmitatem meam ad Apostolicæ Sedis culmen non posse pertingere, onus hoc

malui declinare... sed, quia contraire non est Domini disponentis arbitrio, obedienter secutus sum. (Id., *Registr.*)

Quantum sine pervicaciæ vitio potuit, noluit. (Joan. Diac., in *Vita S. Greg.*, lib. I, c. 45.)

Hæc in me projecta fuerunt onera (episcopatus) non suscepta, et, ut ita loquar, retiaculum non ingressus sum, sed violenter opertus ; quapropter occasione nacta pondus libenter abjeci, quod ultroneus ante non subii. (S. Petr. Damian., opusc. 20, *Apolog. ob dimiss. episc.*, c. 1.)

Vocatus non ivi ; rogatus et tractus multipliciter non consensi. (Petr. Bles., *in archiep. Neapolitan. electus*, epist. 131, sub fin.)

Legimus quod Gaufridus Peronensis Claræ-vallis prior electus in episcopum Tornacensem electioni nullatenus acquievit ; qui postea defunctus, et apparens cuidam fratri inquirenti, qualiter ei esset, respondit : Revelavit mihi Trinitas sancta quod, si suscepissem episcopatum, fuissem de numero reproborum. (Id., epist. 102, paulo ante fin.)

Ob reverendam hujus ministerii eminentiam, beatus Marcus, cujus cor et linguam Dominus sancti Spiritus igne purgaverat, quasi tamen adhuc imperfectum suum sentiens pollicem sibi abscidit, ne ad sacerdotium cogeretur. — Legimus quod, cum beatus Ammonius ad regimen populi traheretur invitus, aurem sinistram ferro sibi radicitus secuit, dicens : Lex divina neminem præcisa aure permittit fieri sacerdotem. — Paulus Eremita, Antonius, Apollonius, Mutius, Hilarion, Paphonicius et uterque Macarius et Arsenius, beatus etiam Benedictus nunquam gradum sacerdotii attigerunt.— Moyses jam electus in ducem populi... Jeremias etiam vocatus a Domino, ut populum rebellem erudiat, humiliter se excusant. Nec dubium est quia tantum præemineat sacerdotalis dignitas officio veterum Patrum, quantum res spei, substantia umbræ, promissionibus exhibitio veritatis. (Id., epist. 123, *Ad episcop. London.*, circa med.)

Fugiendi honores sunt in hoc sæculo, quoniam periculis pleni, et sollicitudinibus referti. Fugit Dominus, cum illum regem vellent Judæi constituere : fugerunt sancti, cum regiminis præeminentia offerebatur illis. (S. Laurent. Justin., *De compunct. et perfect. Christ.*, num. 20.)

Sectio secunda. — *Ob gravissimum dignitatum sacerdotiique pondus.*

Sit sane aliquis non modo a vitiorum contagione purus, verum ad summum etiam virtutis fastigium evectus. Haud equidem video quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus hujusmodi præfecturam intrepide suscipere queat. (S. Greg. Naz., orat. 1, n. 31.)

Oportere puto tanta cum religione ac cautione ad rem ipsam accedere, ut illius molem magnitudinemque primum detrectes. (S. Chrysost., lib. III, *De sacerdot.*, c. 10.)

Timere oportet et contremiscere propter conscientiam et propter molem imperii, et neque, qui semel trahentur, recusare, neque, si non trahantur, in ipsum irruere, imo vero etiam fugere prævidentes magnitudinem dignitatis ; rursus autem eos, qui fuerint comprehensi, oportet esse cautos et reverentes ; si priusquam factus sis, nullum modum non præsenseris, secede, tibi persuade ea te esse indignum : si rursus fueris comprehensus, similiter cautionem adhibe, et reverentiam, ubique ostendens pium et gratum animum. (Id., epist. 34 *in Epist. ad Hebr.*, ante med.)

Tanto me percussum dolore cognoscite, ut vix loqui sufficiam ; oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsiderunt ; triste est, quidquid aspicitur ; quidquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet. (S. Greg., *Registr.*, lib. I, epist. 6.)

Celsitudines graduum ecclesiasticorum ipsis etiam angelis humeris formidandæ. (S. Bern., serm. 2 *in Ascens. Domini*, sub fin.)

Si ad hoc angelica inferiora sunt merita, quid æstimabuntur humana ? (S. Laurent. Justin., *Serm. de Euchar.*, num. 31.)

Sectio tertia. — *Ob innumera, quibus obnoxiæ sunt dignitates ecclesiasticæ, pericula.*

Undique tempestatibus deprimor, ita ut recte dicam : Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. — Redire ad cor desidero, sed obedire nequeo propheticæ voci, qua dicitur : *Redite prævaricatores ad cor* (*Isa.* XLVI, 8), sed stultis pressus cogitationibus solummodo exclamare compellor (*Psal.* XXXIX, 13) : *Cor meum dereliquit me.* (Joan. Diac., *Vita S. Greg. Magni*, lib. I, c. 47, ex S. Greg., *Epist. ad Theoctist. soror. imperatoris*, lib. I *Registr.*, epist. 5.)

Pressus in hoc honore tumultu sæcularium negotiorum, ex eis me esse video, de quibus scriptum est : *Dejecisti eos, dum allevarentur* (*Psal.* LXXII, 18.) (*Ibid.*, post med., epist. 5, lib. I *Registr. epist.*)

Hoc autem, quod me ad episcopatus ordinem cognoscitis pervenisse, si me diligitis, plangite, quia hic hujus mundi tantæ occupationes sunt, ut per episcopatus ordinem pene ab amore Dei me videam esse separatum ; quod incessanter defleo. (S. Greg., *Registr.*, lib. I, epist. 29.)

Ingemisco quia sentio quod negligente me crescit sentina vitiorum, et tempestate fortiter obviante jamjamque putride naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor, quod perdidi meæ placitum littus quietis, et suspirando terram conspicio, quam tamen rerum ventis adversantibus tenere non possum. (*Ibid.*, epist. 41, *Ad Leandr. Hispalens. episc.*)

Non parvi terroris est atque formidinis esse vel interioris ordinis sacerdotem. Nimirum ipsi quoque lege præcipitur, ut populi portet iniquitatem. — Quam pavendum est ac tremefactis visceribus formidandum omnibus nunc in ecclesiastica dignitate præcellere, quos æque necesse est et ante omnes in tremendi judicis examine respondere. (Petr. Damian., opusc. 25, *De dignitate sacerdotii*, in Prolog.)

Si tentatio est cujuscunque hominis vita super terram, quantis putatis periculis patet vita Pontificis, cui omnium necesse est ferre tentationes. — Si ergo latens in caverna et quasi sub modio, non quidem lucens, sed fumigans ventorum tamen impetus nec sic declinare sufficio, sed continuis tentationum variisque fatigatus impulsibus, instar vento agitatæ arundinis, hac illacque circumferor ; quid positus supra montem, positus supra candelabrum ? — Solus mihi servandus, solus tamen ipse mihi sum scandalo, solus tædio, solus oneri atque periculo ; ita ut propriæ gulæ et ventri et oculo scandalizanti frequenter irasci oporteat : quibus ergo molestiis angitur, quibus lacessitus injuriis, cui etiam, etsi propria cessent, nunquam tamen de alienis desunt foris pugnæ, intus timores. (S. Bern., epist. 40, *Ad Henric. Senon. archiep.*, c. 1, paulo post init.)

In alto posito non altum sapere difficile est et omnino inusitatum... Timor de adepta jam altitudine tædere magis quam placere faciet altiora. (Id., epist. 42, *Ad Henric. Senon. archiep.*, c. 8, circa init., n. 30.)

Considero gradum, et casum vereor : considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi jacentis deorsum ; attendo celsitudinem honoris, et e vicino periculum reformido. (Id., *Ad Eugenium III, recenter in Summum Pontificem electum*, epist. 238, ante med.)

Honoris assumptio multis tentatio facta est, et subversionis occasio. (Petr. Bles., *De institut. episc.*, ante med.)

1° Testimonio Salomonis, cito et horrende fiet judicium hic qui præsunt. — 2° Tutius reputem latere et fumare sub modio, quam ascendere super candelabrum. — 3° Multorum turpitudo latuit, donec honoris assumptio palpebras vulgaris famæ aperiens in publicam deduxit notitiam ; quod status humilior occultabat, non dignitas indignos ostendit. — 4° Adde quod multorum dominatio est eorum damnatio ; quot enim paupertas ad cœlum promovet, tot cum dignitatibus suis infernus absorbet. (Id., epist. 13, *Ad L. priorem de monasteriolo*, sub fin.)

Nec te immittas in populum, neque alliges duplicia (*Eccli.* vii, 8.) Juxta verbum Salomonis, immisisti te in turbam, et alligasti peccata duplicia, ideo plerique volunt latere sub modio. (Id., epist. 134, *Ad Wihelmum abbatem Sanctæ Mariæ electum*, circa init.)

Sectio quarta. — *Dignitates ambire non permittit Apostolus.*

Si quis episcopatum desiderat, non culpo, non improbo ; opus quippe regiminis est. Si quis hunc idcirco appetit non principatus ac dominationis fastu, verum cura regiminis et charitatis affectu, non *improbo*, inquit (*I Tim.* iii, 1); *bonum quippe desiderat opus*. Quippe et Moyses eam rem appetiisse cognoscitur. (S. Chrys., hom. 10 *in I Epist. ad Tim.*, in hæc verba (c. iii, 1) : *Si quis episcopatum desiderat*, etc. init.)

Si quis episcopi munus appetit, honestum opus desiderat ; at ego non operis ipsius, sed dominationis ac potentiæ desiderium pestilens esse dixi. (Id., lib. iii *De sacerdot.*, cap. 10, in fin.)

Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, non dignitatem ; laborem, non delicias ; opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. (S. Hier., *Epist. ad Ocean.*, epist. 83, post med.)

Opus, inquit, non honorem, non gloriam. (Id., *in epist. ad Tit.*, c. 1, longe ante med.)

Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. (S. Aug., *De civit. Dei*, lib. xix, c. 19, prope fin.)

Plerumque vero, qui præesse concupiscunt, ad usum suæ libidinis instrumentum apostolici sermonis arripiunt, quo ait : *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (*I Tim.* iii, 1) : qui tamen laudans desiderium in pavorem vertit protinus, quod laudavit, cum repente subjungit : *Oportet ergo episcopum esse irreprehensibilem* (*Ibid.*, 2)... favet ergo ex desiderio, et terret ex præcepto. — Quamvis notandum quod illo in tempore hoc dicitur, quo, quisquis plebibus præerat, prius ad martyrii tormenta deducebatur. Tunc ergo laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire, unde ipsum quoque episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur : *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. (S. Greg., *Pastor.*, part. i, c. 8.)

Si lucri spiritualis gratia hæc faciunt, laudandus est zelus ; sed præsumptio corrigenda. (S. Bern., epist. 42, *Ad Henric. Senon.*, c. 7, n. 27.)

Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, non dicit : Bonum desiderium habet, sed, bonum opus, scilicet utilitatem plebis, sed nunquam licet ipsum desiderare. Augustinus dicit : Locus superior, sine quo regi non potest populus, etsi teneatur et administretur decenter, tamen indecenter appetitur. Et idem dicit (cap. 19 *De civitate Dei*) : Cujus ratio est, quod nullus debet appetere aliquid supra vires suas, non sibi proportionatum, alias esset stultus..... et hanc idoneitatem de se præsumere, est maximæ superbiæ. (S. Thom., *in I Epist. ad Tim.*, c. 3, sect. 1. ante med.)

CAPUT XIII.

Ordines seu dignitates in clero ambiens, reprobus.

Si ad eum principatum (episcopatus) adipiscendum vehementi animi affectu rapiatur, eo adepto impotentiorem sane ambitionis suæ flammam incendet, ac vi tandem captus, ut sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato serviet, seu adulandum, seu servile quid atque indignum sustinendum, seu res magno pecuniæ sumptu tentanda. — Pestilens et lethale est appetentiæ istius virus. — Hoc ego de-

siderium (scilicet episcopatus) sic toto studio ab animo abjiciendum esse sentio, ut ne animum quidem ipsum prorsus permittas ab illo occupari. — Si quis exsistet, qui honore illo nondum adepto atrocem hanc atque afferam belluam secum enutriat, verbis assequi non possim in quantam perniciem, accepto honore, præceps iturus sit. — Illud oportet undique circumspicere ac diligenter perscrutari, nec ubi desiderii hujus scintilla aliqua ardens lateat. (S. Chrysost., lib. III *De sacerd.*, c. 10.)

Loquor his tantum, qui principatum affectant. Si credis Dei esse electionem, ne indigneris (supple, si non assumeris ad aliquam dignitatem) ; illi enim indignaris, et adversus illum irritaris ; illius enim est electio. Quod si ipse elegit, tu vero audes huic (scilicet electo) indignari, idem facis, quod Cain. (Id., hom. 3 *in Act. apost.*, post med.)

Quid refert, si non dat pecuniam (ad obtinendam dignitatem ecclesiasticam), sed pecuniæ loco adueris, subornas, mutaque machinaris ?... His dicetur. (*Act.* VIII, 20) : Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari domum Dei. (*Ibid.*, ante fin.)

Magna me tenet admiratio eorum, qui hujusmodi onera appetunt. Infelicissime hominum atque miserrime, non aspicis, cujus rei desiderio teneris ! (Id., hom. 1 *in Epist. ad Tit.*, post med.)

Si ii, qui necessitate trahuntur, non habent quo fugiant et quo se excusent, si rem male administrent et sint negligentes ; nam et Aaron tractus est necessitate, et venit in periculum, et Moyses rursus venit in periculum, cum sæpe recusasset, et Saul, cui fuerat creditum aliud imperium, postquam recusavit, vocatus est in periculum, quoniam ipsum male administraret, quanto magis ii, qui in hoc studium suum ponunt, et in illud irruunt ? Qui est autem talis, longe magis se omni privabit venia. (Id., hom. 34 *in Epist. ad Hebr.*, circa med.)

Ego episcopatus opus mirifice laudo ; divinum enim est : ipsius autem amorem minime laudo ; periculosus enim est. Non dico : Bene facit ; neque enim ne probatissimos quidem viros hunc amorem in animo alere, verum pro viribus expellere oportet. (S. Isid. Pelus., lib. III, epist. 216, *Ad Pallad. diac.*, post med.)

Quod autem vanorum hominum sit, et nullam domi utilitatem habentium alios gubernandi munus appetere, vel ex eo patet quod nemo, qui quietis et contemplationis bona gustavit, facile illud suscipiat, ut terrenis sese occupationibus implicet, animumque cœlestia meditantem ad mundi negotia revocet... Quemadmodnm enim oliva, ficus et vitis lignorum silvæ recusarunt imperium, quod magis fructibus suis lætarentur, quam ejusmodi dignitate ; ita, qui fructum aliquem in se virtutis aspiciunt utilitatemque sentiunt, licet vocentur ad multum imperium, illi commoda semper sua anteponent. (S. Nil. abb., *Lib. ascetic.*, ante med.)

Dum improbe, ad inanem gloriam, locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis, quod honorem quæsivit, indignus est. — Sicut is, qui invitatus renuit... sacris est altaribus admovendus ; sic, qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus. (S. Greg., lib. VII, epist. 111, *Syagrio Etherio*, etc., paulo post init.)

Reprobi se honorum fastibus ostendunt electi, in humilitate se deprimunt. (Id., *Moral.*, lib. XVII, c. 6.)

O stultum, qui, cum ad casum urgeatur ex oneribus propriis, humeros libenter submittit opprimendus alienis ! (S. Gregor., part. I, init.)

Sicut is, qui regiminis apicem invitus assequitur, si quid illic asperum, si quid patietur adversum, ad cumulum pervenit sibi meritorum et pro tribulatione, quam tolerat, non incassum exsultationis æternæ præmium sperat ; sic ille, qui ultroneus ambit, vel importunus ingeritur, vix pro adversitate, quam in regimine patitur, præmium consequitur. Ad se itaque, quod patitur, referat, sibique omne, quod laceratur, adscribat ; labores, quos sustinet, honoribus recompenset ; fructumque laborum potius in adepta dignitate constituat, quam de futuri muneris retributione præsumat, Domino de talibus attestante : *Quia receperunt mercedem suam.* (*Matth.* VI, 5.) — Qui ad ministerium terrenæ dispensationis coactus attrahitur, cum in exsecutionibus ejus adversa pertulerit, laboris sui præmio non carebit ; at, si villicatus pretio vel precibus obtinetur, erubescit pro laboribus suis commodum retributionis exigere, qui se laborandi materiam meminit importunis anxietatibus extorsisse. (Petr. Dam., opusc. 22, *Contra clericos aulic.*, c. 3, circa med.)

Quisquis tot terrenis actionibus plenum monasterii regimen ultraneus appetit, quid aliud creditur agere, nisi quod velut jam lassus Christi militiam exsecratur ulterius bajulare. (Id., *Opusc.*, c. 1.)

Quæri nempe, quam quærere ipse debuerat. (S. Bern., *Declam.* c. 13, n. 15.)

Tinea cordium, animarum subversio, cupiditas dignitatum. Unde obrepsit hæc pestis ? Unde invaluit hæc exsecranda præsumptio, ut indigni dignitates ambiant ; et quanto minus meruerunt ascendere ad honores, tanto importunius honoribus se importent. (Petr. Bles., epist. 23, *Ad Octavianum cardin.*, init.)

Certe, qui præesse aliis volunt, cor eorum vanum est, dum a virtute vacui, spiritu elationis et vento gloriæ volatilis intumescunt. (Id., epist. 102, *Ad Rading. abbat.*)

Qui volunt, imo, quod deterius, procurant vel per se vel per alios, quod ipsi habeant administrationes ; similes sunt rhamno, qui non recusavit hunc honorem. (Hugo cardin., *in Apoc.* ad illud, c. II, 17 : *Dabo manna absconditum.*)

Quamobrem quicunque honoribus ac dignitatibus sublimari concupiscit, quod tantummodo Deo congruit, spiritualis censendus est fur. — Falluntur utique, qui hoc (scilicet regimen animarum) concupiscunt, aut sui elata opinione, vel vana honoris ambitione, seu immoderata divitiarum cupiditate. Reji-

ciendi sunt tales et tanquam indigni spernendi, quia cæci, fures, et prædones sunt. (S. Laurent. Justin., *De regim. prælat.*, c. 16, num. 6.)

CAPUT XIV.

Honores sunt onera.

Si novisses quod episcopus debet omnium onera portare ; quod aliis irascentibus datur venia, ipsi vero nequaquam ; quod aliis peccantibus superest excusatio, ipsi vero minime, haudquaquam festinasses ad primatum, haudquaquam accurrisses ; hic enim omnium linguis expositus est, omnium judiciis objectus et sapientium et insipientium ; curis perpetuis obtunditur tum diurnis tum nocturnis ; multos habet quibus est invisus, multos habet invidentes. — Nihil a navi, quæ fluctibus jactatur, differt sacerdotis animus ; undique premitur, ab amicis et inimicis, a suis et ab alienis. Nonne terrarum imperium tenet imperator ? Hic autem unius civitatis episcopus est ; sed tanto plus curarum habet hic, quantum interest inter aquam fluminis vento agitatam et inter mare intumescens et insaniens. (S. Chrysost., hom. 3 *in Act. apost.*, post med.)

Talem quidem tantamque episcopo populi regendi cura molestiam difficultatemque affert, quod, si ea examinare quis volet, quæ illum præstare erga Deum oportet, quæ dixi, præ illis nihil prorsus esse comperiet : tam ingens, tam sollicitum, tam exactum ea studium requirunt. (Id., lib. vi *De sacerd.*, longe post init.)

Clericus duas res professus est, et sanctitatem, et clericatum ; interius sanctitatem ; nam clericatum propter populum suum Deum imposuit cervicibus ipsius, cui magis onus est, quam honor : sed quis sapiens, et intelliget hæc ? (S. Aug., serm. 49, *De diversis*, qui est serm. 1 *De communi vita cleric.*, c. 4, post med.)

Non sibi tantum, sed et aliis vivere tenentur clerici. (*Vide* supra, sect. 2.)

Inter cætera, ait Apostolus (*Tit.* i, 9), episcopum potentem esse debere in doctrina sana, ut contradicentes redarguere possit, magnum opus est, clivus arduus. (Id., serm. 19 *De verbis Apostoli*, circa init.)

Quod si scirent quantus sit labor aliis se ducem ad religionem capessendam præbere, et quantum inde periculum consequatur, onus illud uti gravius, quam ipsi sustinere possent, profecto retractassent. Verum, quoniam hoc ignorant, et aliis præesse præclarum existimant, ideo facile in barathrum se demergunt, et in caminum ardentem desilire nullum esse negotium arbitrantur. — Hominibus præesse res est omnium maxime laboriosa. (S. Nil., abb., *Lib. ascetic.* ante med.)

Veri sacerdotes non excellentiam suam cogitant provecti, sed sarcinam non gloriantur de officiis, dignitate ; sed sudant potius constituti sub onere. (S. Prosp., seu Jul. Pomer., *De vita contempl. sacerd.*, c. 2.)

Multi, cum regiminis jura suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent, et, quibus prodesse debuerant, nocent ; et, quia charitatis viscera non habent, domini videri appetunt ; patres se esse minime recognoscunt. (S. Greg. Mag., hom. 17 *in Evang.*, post init.)

Quid enim aliud designant bases in templo, nisi sacerdotes in Ecclesia, qui, dum sollicitudinem regiminis tolerant, quasi more basium superimpositum onus portant ? (*Ibid.*, post med.)

Quid est officium pastorale, nisi quædam jugis ac perpetua mentis tempestas fluctibus curarum et cogitationum semper fervens? (S. Greg., *Stimul. pastor.*, post init.)

Quanto quis hic altius erigitur, tanto curis gravioribus oneratur, eisque ipsis populis mente et cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate. (Id., lib. xvii *Moral.*, c. 12.)

Dum unum caput tot dominis subditur, infelix anima multiplici quodammodo catena constringitur, ne Creatoris sui vestigia prosequatur. Dic, pater, dic, inquam, videlicet ut expertus : Quis potest, hoc ferreo sæculo, monasterium sine sui capitis periculo regere ? imo quis potest simul cum abbate monachum possidere ? mox enim ut quis abbas fieri incipit, monachus esse desistit. — Præcipitur monacho ut moriatur mundo. Sed qua ratione hoc abbas adimplet, qui tot curarum tumultibus premitur, tot negotiorum sæcularium perplexionibus innodatur, qui diem loquendo et diversa tractando continuat, noctem consiliando dimidiat ! — Qui inter catervas militum non poterat ire vel ultimus, principandi desiderio jam in præcedenti cornu cernitur primipilus ; infelix non illud ad memoriam revocans, quod per os beati Benedicti Spiritus sanctus terribiliter clamat : Qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et iterum : Sciat, inquit, abbas de omnibus judiciis suis æquissimo judici Deo se rationem redditurum. Qui etiam alibi : Sciat abbas culpæ pastoris incumbere, quidquid minus utilitatis in ovibus paterfamilias poterit invenire. Qui enim judex fieri vult animarum, nescit quam durum, quam districtum cogatur exspectare judicium. (S. Petr. Damian., opusc. 21, init.)

Factum superiorem dissimulare nequimus ; sed enim ad quid omnimodis attendendum ; non enim ad dominandum opinor, nam et Propheta cum similiter levaretur, audivit (*Jerem.* i, 10) : *Ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.* — Exi in agrum Domini, non tanquam dominus, sed tanquam villicus. — Esto quod propheta, nunquid plus quam prophetæ ? Si sapis, eris contentus mensura, qua tibi mensus est Deus ; nam quod amplius est, a malo est. Disce exemplo prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quam ad factitandum ; disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias prophetæ ; et quidem non ille regnaturus ascendit, sed exstirpaturus. (S. Bern., lib. ii *De consid.*, c. 6, init.)

Multo minus inveniri oportet aut deliciis resolutum aut resupinum pompis. Nihil horum tibi tabulæ testatoris assignant. Sed quid? Si illarum tenore contentus sis, curam potius hæreditatis et operam, quam gloriam et divitias, etc. Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? *Quod habeo,* inquit, *hoc tibi do.* (*Act.* III, 6.) Quid illud? Unum scio : non est aurum neque argentum, cum ipse dicat : *Argentum et aurum non est mihi* (*Ibid.*), etc. Nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit : quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super ecclesias. Numquid dominationem? Audi ipsum : *Non dominantes,* ait, *in clero ; sed forma facti gregis.* (*I Petr.* V, 3.) Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio : *Reges gentium dominantur eorum,* etc., *vos autem non sic.* (*Luc.* XXII, 25, 26.) Planum est ; apostolis interdicitur dominatus. — Ergo tu et tibi usurpare, aude aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum : plane ab alterutro prohiberis : si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque, etc. — Enim vero prospectus iste, procinctum parit, non otium. (S. Bern., *De consid.*, lib. II, c. 6, init.)

Ita et tu præsis, ut provideas, ut consulas, ut procures et serves : præsis, ut prosis ; præsis ut fidelis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam. Ad quid? Ut des illis escam in tempore, hoc est, ut dispenses, non imperes. (*Ibid.*, lib. III.)

Si tentatio est cujuscunque hominis vita super terram, quantis putatis periculis patet vita pontificis, cui omnium necesse est ferre tentationes? — Solus mihi servandus, solus tamen ipse mihi sum scandalo, solus tædio, solus oneri atque periculo ; ita ut propriæ gulæ et ventri et oculo scandalizanti frequenter irasci oporteat : quibus ergo molestiis angitur, quibus lacessitur injuriis ; cui etiam, et si propria cessent, nunquam tamen de alienis desunt foris pugnæ, intus timores? (Id., epist. 42, *Ad Henric. Senon.*, c. 1, init.)

Meditantibus quidem honores blandiuntur, sed onera pensantibus tædio sunt atque formidini : non autem omnes capiunt hoc verbum ; multi enim non tanta fiducia et alacritate currerent ad honores, si esse sentirent et onera : gravari profecto metuerent, nec cum tanto labore et periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. (*Ibid.*, c. 7, init.)

O perversitas! o abusio filiorum Adam! quia, cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et leviter ascendunt, et difficilius descendunt, parati ad honores et celsitudines graduum ecclesiasticorum ipsis etiam angelicis humeris formidandos. (Id., serm. 5 *in Ascens. Domini*, sub fin.)

Paulus non de dominio, sed de ministerio gloriatur ; *ministri Christi sunt,* inquit. (*II Cor.* XI, 23.) *Et ego?* (Petr. Bles., *De instit. episc.*, c. 3.)

Ministerium tuum plus oneris habet, quam honoris. (*Ibid.*, c. 4.)

Sunt, qui honores virtutes reputant, suisque meritis adscribunt gradum eminentiæ, quem in ira Dei forte adepti sunt. — Ad honorem vocavit te (Deus) propter onera. (Id., *De instit. episc.*, ante med.)

Suspirando dicebas : Infelix ego homo carnalis et venundatus sub peccato, quid mihi ad divitias et honores? Cur mihi magisterium et cathedram super alios usurpavi? Nonne sufficiebat mihi iniquitas mea, nisi peccarem in multitudine, et alligarem mihi peccata duplicia? etc. — Evenit enim mihi, quod Dominus per beatum Job (XX, 1) impio comminatur : *Divitias,* inquit, *quas devoravit, evomet, et de ventre ejus extrahet eas Deus.* Sane judicio diligentium Deum terribile ejus possum exspectare judicium, cum in *Libro sapientiæ* (VI, 6) legam quia *Horrende et cito apparebit Dominus, et judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.*— Sciebam omnem honorem hujus sæculi esse impedimentum grave et quoddam peremptorium salutis æternæ. — Nunc autem in ira Dei elatus in cathedram pastoralem, cujus assumptionem etsi non procuraverim, eam tamen non sine ambitiosa voluntate recepi. — Antequam hunc honorem aut potius hoc onus imposuisset cœlestis indignatio (ad hoc enim ira Dei vocatus sum) sentiebam de Domino in bonitate, etc. — Subditi te honorant ; sed plus onerant. (Id., epist. 102, *Ad Rading. abbat.* ; epist. 132, ante med.)

Administrationem hanc onus reputa, non honorem. (Petr. Bles., epist. 134, *Ad Willemum abbatem S. Mariæ electum,* longe ante med.)

Quis enim in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse poterit? (S. Bonav., *De contemptu sæculi*, init.)

Mittam te ad Pharaonem, ut educas populum, etc. (*Exod.* III, 10.) Cernis ne quod non ad dominandum populo, sed ad ducatum regiminis missus est Moyses? Nec mirum : regere quippe, charitatis est opus ; dominari vero, superbiæ. — Grande prorsus onus, negotium multarum vigiliarum, pavendumque ministerium est regimen animarum. (S. Laurent. Justin., *De regimine prælat.*, c. 2, n. 2.)

Quanto uniuscujusque major est status, tanto perniciosior est ruina.— Sciens igitur quoniam ante ruinam exaltatur cor, et abominabilis est Deo omnis mente sublimis, magnopere honoris refugit cathedram, aliisque imperare formidat. — Grave ministris Ecclesiæ appositum est onus, gravissimaque desidiosis et malis præparata supplicia. (Id., *Serm. Euch.*, num. 21.)

CAPUT XV.

Nihil prodest canonica electio sine canonica vita.

Qui a sanctis Patribus in unaquaque synodo huc usque expositi sunt canones, observare æquum censuimus. (*Conc. Chalced.*, ann. 451, act. 15, c. 1, refertur, can. 14, 25, q. 1.)

His, qui sacram dignitatem sortiti sunt, testimonia et directiones canonicarum præceptionum formæ

consistunt, quas libenter suscipientes... exsultantes in eis, divinos canones amplectabiliter in pectore recondimus, et integram illorum præceptionem ac immobilem tenemus, tam scilicet illorum, qui ab almis et laudabilissimis apostolis sancti Spiritus tubis editi sunt, quam eorum, qui a sex sanctis et universalibus synodis atque his conciliis, quæ localiter collecta sunt in expositionem ejusmodi decretorum promulgati sunt; necnon et eorum, qui a sanctis Patribus nostris prolati fuisse probantur. (*Conc. Nicæn.* II, an. 787, act. 8, can. 1.)

Placuit ut ordinandis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse pœniteat. (*Conc. Carthag.* III, ann. 397, cap. 3; refertur can. 7, dist. 38.)

Sciant igitur sacerdotes canones... ut ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. (*Conc. Tolet.* IV, ann. 633, cap. 26, refertur can. 1, dist. 38.)

Canonum statuta custodiantur ab omnibus. (*Conc. Meldens.*, ann. 485, c. 24, refert. can. 1, *De constitution.*)

Contemptum canonum esse immane piaculum utriusque docet pagina Testamenti. (*Conc. Lambathense*, in Præfat., ann. 1281.)

Nolite errare, fratres mei charissimi, et doctrinis variis et extraneis nolite abduci. En instituta apostolorum et apostolicorum virorum, canonesque habetis; his fruemini; his circumdamini; his delectamini; his armamini, ut his freti, circumdati, delectati, armati contra cuncta inimicorum jacula persistere valeatis. (Jul. I, Papa, *Ad episcopos orientales*, epist. 1, ann. 337; refertur dist. 11, can. 3.)

Ea, quæ sunt ab apostolis eorumque successoribus instituta, nulla desidia negligantur, nulla dissensione violentur, nulla conversatione turbentur. (*Ibid.*, c. 4; refertur can. 11, n. 5, q. 2.)

Violatores canonum voluntarii graviter a sanctis Patribus judicantur, et a sancto Spiritu (instinctu cujus ac dono dictati sunt) damnantur, quoniam blasphemare Spiritum non incongrue videntur, qui contra eosdem sacros canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut præmissum est, aliquid aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt; talis enim præsumptio manifeste unus genus est blasphemantium Spiritum sanctum, quia, ut jam prælibatum est, contra eum agit, cujus nutu et gratia sancti canones editi sunt. (Damas. Papa, ann. 374, refertur can. 5, n. 25, q. 1.)

Omnia decretalia et cunctorum decessorum nostrorum constituta, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vobis et ab omnibus episcopis ac cuntis generaliter sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut, si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. (Id. epist., 4 *Ad Prosper.*, *episc.* an. 380, refertur can. 12, 25, q. 1.)

Ne imitaris prudentiæ tuæ. (*Prov.* III, 5.) Prudentiæ suæ innititur, qui, quæ sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit. (*Comment.*, lib. I, *in Prov.*, c. III, inter Oper. S. Hieron., refertur can. 5, *De constitution.*)

Hoc veræ indicimus charitati, ut ab apostolicis institutis nullo ulterius recedatur excessu, quia inultum post hoc esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas. (Leo Papa I, *Ad episcopos Siciliæ*, epist. 4, c. 6, ann. 447, refertur can. 11, 25, q. 1.)

Nulli sacerdotum liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare; quæ enim a nobis res digne servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur. (Cœlestin., *Universis episc. per Apuliam et Calabriam constitutis*, epist. 3, refertur can. 4, dist. 58.)

Cum nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nil licere, et cum Sedes Apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam vel pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare quam beati Petri Sedem et sequi videat et docere. (Gelas. I Pap., epist. 9, c. 9.)

Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, et a constitutis Patrum nullatenus deviare. (Hormisd. Pap., *Ad episc. Hispan.*, ann. 519; refert. can. 9, 25, q. 1.)

Hac consona *sanctis* Patribus definitione sancimus ut, qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, nec communionem capere sit dignus altaribus. (S. Greg. I, lib. I, epist. 7, *Ad Joan. episc.*, ann. 592, refertur can. 13, 25, q. 1.)

Canones Patrum vim legum habere oportet. (Honorius, c. 1.)

Quid prodest, si canonice eligamur, et canonice non vivamus? — Non ex vocatione, sed ex virtutum operatione quisque sanctificatur. (S. Bern.)

CAPUT XVI.

Nec vita sine doctrina, nec doctrina sine vita.

Omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. (*Conc. Tolet.* IV, ann. 633, c. 25.)

Doctrina autem sacerdotalis secundum cujusque qualitatem omnibus sufficiens esse debet, modesta, prudens, discreta, honesta atque utilis; nec minus exemplum boni operis doctrinæ conveniens in sacerdotibus esse debet, ut, quod ore doctrina profert, vitæ meritum justæ operationis verba sacerdotis omnibus delectabilia faciat exsequenda, vitamque probabilem commendet. (*Conc. Aquisgr.* II, c. 2, can. 8, ann. 836, sub Greg. IV et Ludovico Pio imp.)

Quemadmodum sermo actionis expers mancus et imperfectus est ; ita etiam actio, quæ a sermone deseritur. (S. Isidor. Pelus., lib. III, epist. 362, *Hermogeni episc.*)

Sis Dei philosophus et Dei vates, non quærendo, sed imitando Deum ; sapiens, ut non tam lingua, quam vita eruditus ; tam disserens magna, quam faciens. (S. Paulin., *Epist. ad Jovium*, post med.)

Periculosa certe, et supervacua doctrina sacerdotibus est, quæ pravis operibus offuscatur. (Gildas Sapiens, in *Ecclesiast. ordinem.*)

Tam vita quam doctrina clarere debet ecclesiasticus doctor ; nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. (S. Isidor. Hispal., lib. III *Sentent.*, c. 36.)

CAPUT XVII.

Ignorans sacerdos ignorabitur.

ART. I. — *Quam culpanda sacerdotis ignorantia.*

Pones in rationali judicii doctrinam et veritatem, quæ erunt in pectore Aaron. (*Exod.* XXVIII, 30.)

Præceptum sempiternum est in generationes vestras, et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum. (*Levit.* X, 9, 10.)

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. (*Ose.* IV, 6.)

Si quis ignorat, ignorabitur. (*I Cor.* XIV, 38.)

Si rudes et ignaros ordinare præsumpserint (episcopi), et ordinatores et ordinatos ultioni gravi decernimus subjacere. (*De ætate et qualitate ordinand.*, c. 14 : *Cum sit ars ;* S. Greg., *Decretal.* lib. I, tit. 14, in *Concilio Later. gen.*, ann. 1215.)

Origo totius mali ab ignorantia descendit, et ipsa est omnium malorum mater, quæ incuria et ignavia gignitur ; negligentia vero alitur et augetur, atque in sensibus hominum radicatur, dum amatur : quam si quis forte doceat effugandam, velut antiquis et hæreditariis sedibus moleste et indignanter avellitur. (S. Clem., epist. 3, longe ante med.)

Illitteratos... nullus præsumat ad clericatus ordinem promovere, quia litteris carens sacris non potest esse aptus officiis. (Dist. 36, c. 1 : *Illitteratos*, ex Gelas., *Epist. ad episc. per Lucaniam*, c. 18 et 19.)

Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cum per prophetam dicitur (*Isa.* LVI, 11) : *Ipsi pastores ignorarunt intelligentiam.* Quos rursus detestatur Dominus dicens (*Jer.* II, 18) : *Et tenentes legem nescierunt me...* Et nesciri ergo se ab eis veritas queritur, nescire se principatum nescientium protestatur, quia profecto hi, qui ea, quæ sunt Domini, nesciunt, a Domino nesciuntur, Paulo attestante, qui ait (*I Cor.* XIV, 38) : *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* (S. Greg., *Pastor.* part. I, c. 1.)

Elaborandum est sacerdotibus ut ignorantiam a se quasi pestem abjiciant ; licet enim servus nesciens voluntatem Domini sui et non faciens dicatur vapulare paucis (*Luc.* XII, 48), non tamen generaliter de omnibus hoc intelligitur ; ait enim Apostolus : *Qui ignorat, ignorabitur.* (*I Cor.* XIV, 38.) Quod de eo intelligendum est, qui noluit intelligere ut bene ageret. (*Psal.* XXXV.) (S. Isid. Hispal., dist. 37, c. 15, *Ideo*, part. I *Decretal.*)

Sicut iniqui et peccatores ministerium assequi sacerdotale prohibentur, ita indocti et imperiti a tali officio retrahuntur ; illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt ; isti vero ignavia sua iniquos corrigere nesciunt ; quid enim docere potuerunt quod ipsi non didicerunt? (Id., *De summo bono*, lib. III, c. 35.)

Nonne idolum tristitiæ et mœroris est prælatus illitteratus et fatuus, qui in ira Dei et populi desolatione eligitur... ut veniat, quod loquitur in *Matthæo* (XXIV, 15) : *Cum videritis abominationem desolationis*, etc. (Petr. Bles., epist. 23, *Ad Octavian. card.*, ante fin.)

Omne tempus doctrinæ deditum, se arbitrantur amittere ; carnis voluptatibus intenti potius eligunt vagari quotidie et confabulari, quam sacrarum Litterarum se lectioni dare, etc. Ad arentem frontem quis pergeret, ut aquam hauriret ? etc. (S. Laurent. Justin., *De compunct. et perfect. Christiana*, n. 15 et 16, part. I.)

Si ignoret sacerdos discernere inter lepram et lepram, nesciat qualitates criminum, quantumque Deo displiceant, sine profectu pœnitentis proprio seipsum mucrone interimit. (Id., *De spirituali animæ interitu*, lib. I, n. 15.)

ART. II. — *Cur sacerdos ignarus acerbe plectendus.*

Sectio prima. — *Quia indoctus docendi officium suscipit.*

Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. (*Conc. Tolet.* IV, ann. 633, c. 24, dist. 38, c. 1, *Ignorantia ; Decretal.* part. I.)

Si in laicis vix intolerabilis videtur inscitia, quanto magis in his, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venia. (Dist. 38, c. 3, *Si in laicis ;* S. Leo, epist. 22.)

Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere... *Cæcus enim, si cæco ducatum præbuerit, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV, 14) etc. (S. Isid. Hispal., *De summo bono*, lib. III, c. 35.)

Quando enim excusare ignorantia posset hominem, qui se magistrum infantium, doctorem insipientium profitetur ? Ignorans utique ignorabitur, imo et multos ignorare faciet, et ignorari. (S. Bern., *Declam.*, c. 15.)

Nonne Ecclesiæ quoddam est dedecus inscium videre presbyterum, cui utique congruit erudire populum et ad se confluentibus monita propinare salutis ? Nam propterea in capite turbarum præsidet ; ad hoc cathedralis dignitatis adeptus est culmen, ut verbum Dei pronuntiet plebibus, errantibus scientiæ proferat lumen, atque de omnibus, quæ ad catholicam pertinent veritatem, rationem competentem se interrogantibus respondere sufficiat. (S. Laurent. Justin., *De spirituali animæ interitu*, lib. I, n. 15.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia creditam vlebem secum in exitium trahit.*

Si indoctus et inscius officium doctoris accipiat, sine dubio discipuli et auditores ignorantiæ tenebris obvoluti in interitum demergentur. (S. CLEM., epist. 1, circa med.)

Speculatores ejus cæci, omnes nescierunt, universi canes muti, non valentes latrare, etc. *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt*, etc. (*Isa.* LVI, 10, 11.)

Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. (*Isa.* V, 13.)

Cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. (*Matth.* XV, 14.)

Districto judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam, qui sequuntur, offendant; hinc namque in Evangelio per semetipsam Veritas dicit : *Si cæcus cæco ducatum præbeat.* etc. — *Obscurentur oculi ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* (*Psal.* LXVIII, 24.) Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur, quia, cum lumen scientiæ perdunt, qui præeunt, profecto ad portanda peccatorum curvantur onera, qui sequuntur. (S. GREG., *Pastor.*, part. I, c. 1.)

Quibus quid aliud evenire putandum est, nisi quod illis sacerdotibus contigerit. (*IV Reg.* XVII), quos post captivitatem Israelitici populi rex Assyriorum in urbibus Samariæ constituerat, et divini cultus cæremonias ignorabant? Nam, cum nescirent Deum juxta legalium mandatorum observantiam colere, leonum eos rabies perimebat. — Sacerdotes, qui Dei legitima nesciunt, leonum dentibus reponuntur (*IV Reg.* XVII) ; quia nimirum illos malignorum spirituum rabies devorat, qui sacrificiorum cultui temerariis ausibus insistentes, qualiter Deus rite colatur, ignorant, sicque funguntur officio sacerdotum, ut sacerdotalis officii nesciant sacramentum. (Petr. DAMIAN., opusc. 26, *Contra inscitiam cleric.*, in Præfat.)

Per sacerdotum vecordium imperitiam plebs indocta deperit. (*Ibid.*, c. 1, init.)

Si sacerdos qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum. (*Levit.* IV, 3.) Quia nimirum sacerdos, qui legem Dei nesciendo delinquit, suis etiam populum in peccatis involvit, et, quos doctus relevare potuerat, secum simul per imperitiam gravat. (*Ibid.*, cap. ult.)

SECTIO TERTIA. — *Quia Ecclesiæ contumeliam et damnum multiplex infert.*

Nulla arte doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo magisterium pastorale qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum. — Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe, qui nequaquam spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dum, qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. (S. GREG., *Pastor.* part. I, init.)

Per episcopalis torporis ignaviam ita nunc presbyteri litterarum reperiuntur expertes, ut non modo eorum, quæ legerint, intelligentiam non attingant, sed syllabatim quoque vix ipsa decurrentis articuli elementa balbutiant. Et quid jam pro populo in suis precibus supplicat, qui, quod loquitur, ipse velut alienus ignorat? Scriptum est enim. (*I Cor.* XIV, 38): *Qui ignorat ignorabitur.* — Cum Apostolus obsequium nostrum rationabile esse præcipiat, quomodo illic rationabile erit obsequium, ubi is, qui offert, oblationis suæ non concipit intellectum? — Sicut per illorum (sacerdotum) imperitiam factum est, quod Scriptura testatur : *Unaquæque*, inquit, *gens fabricata est Deum suum, posueruntque eos in fanis excelsis.* (*IV Reg.* XVII, 29.) Ita nunc per pseudosacerdotum ignorantiam... fieri dolemus, ut scilicet alii, quorum Deus venter est... luxuriam colant; alii avaritiam, quæ est idolorum servitus, venerentur; alii rapinis... sacrilega devotione deserviant, et sic diversis criminibus tanquam simulacris et sculptilibus obsequium servitutis impendant. (Petr. DAMIAN., opusc. 26, *Contra inscitiam cleric.*, Præfat. init.)

Quid enim periculi sit, ubi non invenit pastor pascua? Ignorat dux itineris viam, vicarius nescit Domini voluntatem, Ecclesia quotidie multipliciter et miserabiliter experitur. (S. BERN., *Declam.*, c. 15.)

Qui nihil didicit, aliorum doctor efficitur, et quasi æs sonans aut cymbalum tinniens usurpat prædicantis officium, cum sit truncus inutilis, et idolum mutum. (PETR. BLES., epist. 23, *Ad Octavian. cardinal.*, paulo post init.)

Nonne idolum tristitiæ et mœroris est prælatus illitteratus fatuus, qui in ira Dei et populi desolatione eligitur, et quasi idolum eligitur, ut veniat quod legitur in *Matthæo* (XXIV, 15) : *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto* id est in Ecclesia Dei, tunc *væ prægnantibus et nutrientibus* (*ibid.*) ; illi enim qui spiritum salutis conceperant, exemplo talium suffocantur; qui vero vitæ cœlestis alimenta petebant, nullo verbi divini pabulo sustentantur : *Parvuli*, inquit propheta (*Thren.* IV, 4), *petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* (ID., *ibid.*, paulo ante fin.)

Nonne Ecclesiæ quoddam est dedecus inscium videre presbyterum? (S. LAURENT. JUSTIN., *De spirit. animæ interitu*, lib. I, n. 15.)

Quantum in sacerdotibus ignorantia detestanda quamque perniciosa sit corpori Ecclesiæ facile colligitur. (*Ibid.*, n. 16.)

ART. III. — *Scientia quam clericis necessaria.*

Presbyterorum, qui præsunt Ecclesiæ Christi:.. ministerium esse videtur, ut in doctrina præsint populis. (*Conc. Aquisgran.*, ann. 836, cap. 2, *De vita et honest. clericor.*, can. 5.)

Qui hierarcham dicit, is virum divino numine afflatum divinumque declarat, qui omni sacra scientia sit præditus. (S. Dionys., *Eccles. hierarch.*, c. 1, circa med.)

Non sufficit prælatis bona conversatio et morum honestas, nisi addatur scientia doctrinæ : unde sacerdotes ingressuri tabernaculum prius lavabantur in labro æneo, quod fecerat Moyses ex speculis mulierum ; hinc etiam in *Canticis canticorum* oculi, per quos prælati Ecclesiæ intelliguntur, assimilantur columbis, quæ resident juxta fluenta plenissima. (Zozimus Papa apud Gratian., dist. 36, c. 2, *Qui ecclesiast.*, in fin., part. I *Decret.*)

Ubi sunt, qui innocentiam sacerdoti dicunt posse sufficere? Vetus lex novæ congruit. Idipsum Moyses, quod Apostolus : ille sacerdotis scientiam ornat in vestibus, iste Timotheum et Titum instruit disciplinis. (S. Hier., *Ad Fabiolam, De veste sacerdot.*, ante fin.)

Hinc namque est, quod in templi ministerio, in basibus templi, sculptorio opere... cherubim expressa sunt; Cherubim quippe est plenitudo scientiæ... Quid enim aliud designant bases in templo, nisi sacerdotes in Ecclesia Dei...? In basibus igitur Cherubim exprimuntur, quia decet nimirum ut sacerdotum pectora plenitudine scientiæ sint referta. (S. Greg., hom. 17, *in Evang.* circa med.)

Summopere necesse est præcaveri, ut in ordinandis offerendisve ministris non communicemus peccatis alienis, criminosos videlicet ad sacerdotium provehendo, aut, quod adhuc multo deterius est, ignorantia cæcos. (S. Agobardus. episc. Lugdun., *De privilegio et jure sacerdotii*, n. 18.)

Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem. (*Tit.* I, 9.) Aliquid amplectens, illud diligenter constringit, et amplexus dilectione fit ; oportet enim eum scientiæ inhærere cum amplexu, id est, firma adhæsione animi et cordis dilectione. (S. Thom., in *Epist. ad Tit.* I, lect. 3, init.)

§ I. — *Ut populos doceant.*

Si sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profecto penitus abhorret a sacerdotum ordine atque facultate is, qui illustrandi vi non est præditus, ac multo magis is, qui illustratus non est. (S. Dionys., epist. 8, *Ad Demoph.*, circa med.)

Modestum esse oportet sacerdotem, eumdemque perspicacem, atque innumeros quoquoversus oculos circumferre ; quippe qui non sibi uni tantum, sed et tanto vivat populo. (S. Chrysost., lib. III *De sacerdot.*, c. 12.)

Si clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere, et rationabilem Deo offeras hostiam, ne miles antequam tyro, nec prius magister sis quam discipulus. (S. Hier., epist. 4, *Ad Rusticum monachum.*, refertur 16, q. 1, c. 27; *Si clericatus.*)

Si episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest sic vivens. Porro, si et doctrina et sermone fuerit eruditus, potest cæteros quoque instruere, et docere suos, et adversarios revincere. (S. Isid. Hispal., lib. II *De offic. ecclesiast.*, c. 5, *De sacerdotibus*, longe post med.)

Quomodo in pascua divinorum educet eloquiorum greges Dominicos pastor idiota? (S. Bern., serm. 76, *in Cant.*, sub fin.)

Maxime pertinet ad officium sacerdotis, ut sit potens in doctrina sana. (Petr. Bles., serm. 56, *Ad sacerdotes*, in synod.; *in Levit.* VI, 12.)

§ II. — *Ut ecclesiasticam tueantur disciplinam.*

Multum omnino ad Ecclesiæ ædificationem confert, si præsules doctrinæ gratia polleant ; quæ nisi adsit, plurima ecclesiasticæ disciplinæ peribunt. (S. Chrysost., hom. 15, *in I Epist. ad Tim.* (V, 2) in hæc verba : *Oportet episcopum doctorem esse.*)

§ III. — *Ut errores præcaveant, eisque se opponant.*

Tales ibi (scilicet in scholis) erudiantur, quibus merito dicatur a Domino (*Matth.* V, 13) : *Vos estis sal terræ ;* et qui condimentum plebibus esse valeant, et quorum doctrina non solum diversis hæresibus, verum etiam Antichristi monitis, et ipsi Antichristo resistatur, ut merito de illis in laude ecclesiæ dicatur (*Cant.* IV, 4) : *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* (*Conc. Cabilon.* II, c. 3, ann. 813.)

Facillime zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. (S. Bern., serm. 19, sub fin.)

ART. IV. — *Quænam præsertim scire teneantur clerici.*

1° *Fidei dogmata.*

Primo omnium fidem catholicam (id est symbolum sancti Anathasii) omnes presbyteri et diaconi seu subdiaconi memoriter teneant, ut, si quis hoc faciendum prætermittat, quadraginta diebus a vino se abstineat. (Atto II, episc. Vercellens., *Capitular.*, cap. 4.)

2° *Legem Dominicam Scripturamque sacram.*

Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus. (*Malach.* II, 7.)

Interroga sacerdotes legem, dicit Aggæus propheta (II, 12). Considera sacerdotum esse officii, de lege interrogatos respondere : si sacerdos est, sciat legem Domini ; si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini sacerdotem ; sacerdotis enim est scire legem, et ad interrogationem respondere de lege. (*Conc. Paris.* VI, cap. 12, ex S. Hier.)

Sacræ Scripturæ prorsus expertes onus importabile dignitatis usurpant. (Petr. Bles., epist. 25, *Ad Octavian. cardinal.*, post init.)

Scientia legis in eis esse debet, non quidem ut sciant omnes quæstiones legis difficiles, quia in his debet ad superiores haberi recursus ; sed sciant, quæ populus debet credere et observare de lege. (S. Thom. in 4, dist. 24, q. 1, art. 3 ad 1, 2.)

3° *Ecclesiæ canones.*

Sciant sacerdotes Scripturas sacras, et canones. (*Conc. Toletan.* IV, ann. 633, cap. 25, dist. 38, c. *Ignorantia ;* item Atto II, Vercellens. episc., *Capitular.*, c. 3.)

Convenit sacerdotali ministerio scire formam evangelicam, documenta apostolica, canonum instituta. (*Conc. Aquisgran.*, ann. 836, cap. 2, can. 4.)

Nulli sacerdotum liceat canones ignorare. (Cœlestin. Papa, dist. 38, c. *Nulli.*)

Ignorare nunquam licuit sacerdotem, quod canonum fuit regulis definitum. (S. Leo, epist. 1, c. 2.)

4° *Sacramentorum ritus.*

Quatuor præcipue locos catechismi Romani, doctrinam de duodecim fidei articulis, de septem sacramentis, de decem præceptis, de Oratione Dominica in promptu atque explicate habere omni studio contendite. Cum iis præceptorum Ecclesiæ cognitionem, et preces horarias recitandi peritiam, et ecclesiasticorum rituum cæremoniarumque notitiam conjungite. (*Concil. Mediolan.* IV, part. III, tit. *Monitiones*, longe post init.)

Quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est, Liber sacramentorum, Lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, Computus, Canon pœnitentialis, Psalterium, homiliæ per circulum anni Dominicis diebus, et singulis festivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus, si unum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit, quia valde periculosæ sunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur (*Matth.* XV, 14) : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* (S. Aug., aut Beda, dist. 38, c. *Quæ ipsis.*)

Quoniam populus ad fidem vocatus visibilibus sacramentis instituendus est, ut per exhibitionem visibilium, pertingere possit ad intellectum invisibilium, nosse oportet Domini sacerdotes, qui hæc sacramenta contrectant, modum et ordinem sacramentorum , et veritatem rerum significatarum ; alioquin dispensatores tantorum mysteriorum sunt, tanquam cæci, duces cæcorum, tantum utilitatis inde habituri, quantum capiunt jumenta, quæ portant panem ad usus aliorum. (Yvo Carnot., *Serm. de sacram. neophytor.*, in synod. init.)

Districte præcipimus ut episcopi promovendos in sacerdotes diligenter instruant et informent... super divinis officiis ecclesiasticisque sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare. (Innoc. III, *De ætate et qualitate ordinandorum*, c. 14 : *Cum sit ars ;* S. Greg., *Decret.*, lib. I, tit. 14.)

ART. V. — *Qualis esse debeat clericorum scientia.*

1° *Non sæcularis.*

Inanis gloriæ sublimiter negligens piscatorum prædicationes Tullianis omnibus et tuis litteris prætulisti. Confugisti ad pietatis silentium, ut evaderes iniquitatis tumultum. Mutescere voluisti mortalibus, ut ore puro divina loquereris, et pollutam canina facundia linguam Christi laudibus... expiares. (S. Paulin., *Epist. ad Sever. I*, longe ante med.)

Esto peripateticus Deo, pythagoræus mundo, veræ in Christo sapientiæ prædicator, et tandem tacitus vanitati perniciosam istam inanium dulcedinem litterarum quasi illos patriæ oblitteratores de baccarum suavitate lotophagos, ut syrenarum carmina, blandimentorum nocentium cantus evita. (Id., epist. 38, *Ad Jovium*, post med.)

Vinum sæcularis scientiæ, quæ inebriat, sed curiositate, non charitate ; implens, non nutriens ; inflans, non ædificans ; ingurgitans, et non confortans. (S. Bern., serm. 9 *in Cant.*, post med.)

2° *Non vana.*

Ne clerici apud se libros habeant aut legant, quorum lectione bene agendi studium, morum disciplina, et timor charitasque Dei languescere possit ; quales libri sunt, qui res vel inanes, vel jocosas, vel scurriles, ridiculasve, vel impuras continent. (*Concil. Mediol.* IV, part. III, tit. *De vit. et hon. cleric.* post med.)

Libros de rebus jocosis, ridiculis, obscenis, inanibus, ad poesisque profanæ studium pertinentibus, vulgari aut Latino sermone conscriptos procul abjicite. (*Ibid.* tit. *Monitiones.*)

Occupatus es, vacat tibi, ut et philosophus sis ; non vacat, ut Christianus sis. Verte potius sententiam. — Sis Dei philosophus et Dei vates non quærendo, sed imitando Deum. (S. Paulin. episc., *Ad Jovium*, post med.)

Ille erat lucerna ardens et lucens ; est enim tantum lucere vanum ; tantum ardere, parum ; lucere et ardere, perfectum. (S. Bern., *Serm. in Nativ. S. Joan. Bapt.*, n. 3.)

Æmulare consilio Apostoli *chrismata meliora* (*I Cor.* XII, 31), et in corde tuo devoret draco Moysi draconem Pharaonis ; id est, veritatis scientia scientiam vanitatis. Non enim ascendet in montem, neque stabit in loco sancto ejus, qui in vano accepit animam suam. — Illi sunt, qui semper circumeunt montem Seir, nec unquam terram promissionis introeunt. — Dat eis Deus cœlum æneum et terram ferream, ut sint sine affectione et sine devotione ; ut sint terra sine aqua, quasi montes Gelboe, super quos nec ros nec pluvia descendit. (Petr. Bles., epist. 140 , *Ad Petrum cleric. regis Angl.*, init.)

3° *Non inflans*

Rejecta ergo scientia, quæ in perniciem trahit, apprehende scientiam, quæ ædificat ad salutem. (*Ibid.*, circa med.)

Dedit tibi Dominus scientiam sanctorum ; qui hanc scientiam apponit, apponit et dolorem, non gloriam... dolorem, de quo quidam pœnitens dicit : *Et dolor meus in conspectu tuo semper* (*Psal.* XXXVII, 18) : non humanam gloriam, quæ est ventus urens cœlestis gratiæ fluenta dessiccans. (Id., *De instit. episc.*, post med.)

ART. VI. — *Quomodo comparanda.*

SECTIO PRIMA. — *Non vana profanorum lectione.*

Post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reversus prophetam legere cœpissem, sermo horrebat incultus ; et, quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. (S. HIER., epist. 22, *Ad Eustoch.*, c. 13, circa med.)

Nunc etiam sacerdotes Dei omissis Evangeliis et prophetis comœdias legere, amatoria *Bucolicorum* versuum verba canere, Virgilium tenere, id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis (33). (ID., epist. 146, *Ad Damas.*, ante med.)

Negant Camœnis, nec patent Apollini dicata Christo pectora. (S. PAULIN., epist. 2, *Ad Auson.* inter poemata.)

De fabularum gentilium moralitate quandoque forma eruditionis elicitur, quoniam fas est et ab hoste doceri. Dominus etiam populum suum peculiarem auro et argento et omni supellectili Ægyptiorum honorari voluit et ornari. (PETR. BLES., epist. 91, *Ad Radulphum Lexoviens. episc.*, paulo post init.)

Verba lepida habet (profana scientia), sed sunt folia sine fructu, nugæ canoræ et Syrenes usque in exitum dulces. (ID., epist. 140, *Ad Petr. cleric. regis Angliæ*, ante med.)

SECTIO SECUNDA. — *Non temeraria mysteriorum perscrutatione.*

Sicut, qui mel multum comedit, non est ei bonum ; sic, qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. (*Prov.* XXV, 27.)

A fide quidam pervertuntur, dum rationibus omnia colligere quærunt ; naufragium quippe hujusmodi ratiocinatio gignit, fidesque veluti navis tutissima est. — *Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare* (*I Tim.* I, 20), etc. Vides ut blasphemia sit rationibus divina velle discutere, et ita nihil commune habet humana ratio collata divinis. (S. CHRYSOST., hom. 5 *in I Epist. ad Tim.*, c. 1, ante med.)

Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. (*Rom.* XII, 3.) Alta nimirum sapere, mors est ; et facile periclitatur, qui se in eminenti considerans obstupescit. — Sacramentorum autem ratio et inquisitio cesset, claudatur puteus (*Amos.* II, 1), nec bos in eum aut asinus cadat, ne periculose nimis ossa regis Idumeæ redigantur in cinerem (*Hebr.* XII, 20) ; et bestia, quæ montem tetigerit, lapidetur. (PETR. BLES., epist. 140, *Ad Petr. cler. regis Angl.*, post. med.)

SECTIO TERTIA. — *Sed studio sancto et oratione.*

Utilis proinde lectio, utilis eruditio est ; sed multo magis unctio necessaria, quippe quæ sola docet de omnibus. (S. BERN., *Declam.*, c. 15.)

Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros scientiam, quam soli discipuli Christi, id est mundi contemptores Dei munere assequuntur ; non enim hanc lectio docet, sed unctio ; non littera, sed spiritus ; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Dei. (S. BONAV., *Pharetr.* lib. I, c. 25, ex S. Bern., epist. 108, *Ad Thomam de Sancto Audomaro.*)

CAPUT XVIII.

Non secundum consuetudinem, sed secundum sacros canones vivat.

Mala consuetudo, quæ non minus, quam perniciosa corruptela, vitanda est, nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, et incipiunt prævaricationes et variæ præsumptiones celerrime non compressæ pro legibus venerari, et privilegiorum more perpetuo celebrari. (*Conc. Suess.* III, ann. 766, in epist. 21, col. 1, *Ad Hincmar.*, sub fin., et refertur dist. 8, c. *Mala consuetudo.*)

Nec sub obtentu cujusquam consuetudinis reatum suum quis tueatur, quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget. (ALEXAND. III, in *Conc. Turon.*, refertur c. *Non satis*, De simon.) (S. GREG., *Decret.*, lib. V, tit. 2, c. 8.)

Nec consuetudo... impedire debet quominus veritas prævaleat et vincat ; nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est : propterea relicto errore sequamur veritatem. (S. CYPR., *Epist. ad Pompeium*, ante fin.)

Facitis quod fieri cernitis, non quod fieri oportere confiditis ; nimirum, quia apud vos plus valet nullam habens consuetudo rationem, quam rerum inspecta natura veritatis examinatione ponderata. (ARNOB., lib. VII *Adversus gentes*, post med.)

Quando paternarum regularum despiciuntur inventa, nec eorum, quæ bene instituta sunt, firmitas vindicatur, hujusmodi impietates necesse est fidei supervenire ; nam, ubi facilis dissolutio est rationabilis constituti, ibi omnis sanctitatis forma corrumpitur, Christus impetitur. Et quis hoc fidelium patienter accipiat, instituta Patrum reverenda calcantur ? (SYMMACH. I Papa, epist. 8, *Ad Orientales*, etc., circa med.)

Interrogemus prophetas, interrogemus apostolos, interrogemus sacrorum canonum edicta, atque cæterorum sanctorum Patrum instituta, et, quod ab eis didicerimus... certissime teneamus ; nullis novis consiliis decipiamur ut ea, quæ ipsi sanxerunt, violare aliquo modo conemur ; quoniam, qui illorum contendit regulis impugnare, restat ut eorum non mereatur consortium obtinere. (ATTO II, Vercellens. episc., *De pressuris ecclesiasticis*, part. II, sub fin.)

Hic plane jure fungitur sacerdotio, qui regulis

(33) Dist. 37, c. *Sacerdotes.*

non obviat Patrum, qui paternum non violat institutum. (S. Petr. Dam., opusc. 26, c. 3, init.)

Consuetudo... plurima sæpe vitia quasi naturalia in neglecta conscientia efficere solet. Consuetudo, sicut philosophi docere solent, est secunda natura. — Adhæsio tam pertinax consuetudinis, ut vix a se eam natura excutiat. — Nisi pertinaci studio et prudenti opera expugnata fuerit consuetudo, leniri potest, vinci vix potest. (S. Bern., *De vita solitaria ad Fratr. de Monte Dei.*)

Multa per patientiam tolerantur, quæ, si in judicium fuerint deducta, justitia cogente cassarentur. (S. Thom., quodlibet 9, art. 15.)

CAPUT XIX.

Non tempori serviat, sed veritati.

Intolerabilius est, quod allegant, oportere scilicet servire tempori ; quasi spiritus Christi et Evangelica norma mutari debeant cum tempore, ac opinionibus et affectibus hominum servire, cum potius omnia tempora sint Evangelicæ institutioni conformanda, et juxta normam Evangelici atque apostolici spiritus reformanda. Officium carnis, non spiritus est, quod nostra tempora non ferant illam antiquorum Patrum modestiam et humilitatem externam. Officium carnis est semper excogitare apparentes rationes, quibus se muniat et commoda sua defendat. Nec desunt ei innumeri doctores et patroni, qui partes ejus tueantur : at verba Dei et sanctorum testimonia firma stant.. promulgata non sunt, ut varientur cum tempore, sed ut illibata permaneant in omni tempore, et eis serviant omnia tempora. (Barthol. a Martyr., arch. Brachar., *Stim. past.* part. II, c. 6, circa med.)

CAPUT XX.

Singularitates probatas sectetur, fugiat vitiosas.

Angusta est porta, et arcta via, quæ ducit ad vitam : et pauci sunt, qui inveniunt eam. (*Matth.* VII, 14.) Considera ergo te de paucis et electis effectum, et ne exemplo ac tepore multitudinis refrigescas : sed vive ut pauci, ut cum paucis inveniri merearis in regno Dei ; *multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* (*Matth.*, XX, 16.) (Cassian., lib. IV *Institut.*, c. 38.)

Multi excusationem dicere solent : Non est ad extrema declinandum, communis via tenenda est. Profecto, si antiqui sancti et pastores non tenuissent extrema, nec declinassent ad apostolicas singularitates, nunquam, neque sancti fuissent, neque Kalendaria nostra suis nominibus ornassent, neque Breviaria gestis suis implessent : qui autem tritam secuti sunt viam, vel ignorantur eorum nomina, vel sordent, nec semen sanctum post se reliquerunt.—Si trita sequenda est via, quare sanctus Gregorius electus in pontificem mox e domo sua omnes sæculares juvenes explosit ? etc. — Profecto non est superba singularitas, quod unus aut alter episcopus hujus ætatis nolit conformari in fulgore status episcopis sui sæculi, imo maxima superbia et damnanda singularitas est eorum qui audacter documentis et exemplis antiquorum Patrum contradicunt. (Barthol. a Martyribus, archiep. Brachar., *Stim. past.*, part. II, c. 6, ante med.)

PARS SEPTIMA.

DE PRÆCIPUIS CLERICORUM MUNIIS.

CAPUT PRIMUM.

Suscepti ordinis munus obire.

ART. I. — *Religionis officiis vacare præcipuum clericorum munus.*

Clericum inter tentationes ab officio suo declinantem vel negligentius agentem ab officio suo removendum. (*Conc. Carthag.* IV, can. 50, ann. 398, refertur dist. 91, c. *Quilibet.*)

Clerici, qui officium suum implere despiciunt, aut vice sua ad Ecclesiam venire detrectant, loci sui dignitate priventur. (*Conc. Aurelian.* II, can. 14, ann. 533.)

Ministerium vestrum explere studete, sanctissima studia religionis et officii vestri rebus aliis potiora ducite. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones*, ante med.)

Quid ergo jam restat, nisi ut ii, qui jam Deo facti sunt sacrificium, et a mundi hujus servilibus sint operibus liberi, et solis divini famulatus vacent, obsequiis mancipati. (S. Petr. Dam., opusc. 18, *Contra clericos intemper.*, c. 2, init.)

Officium vestrum agnoscite, et implete. (*Pontific. Rom., Ad lectorem.*)

ART. II. — *Cur suscepti ordinis munia libenter exercere debeant clerici.*

Sectio prima. — *Quia id Christus præcipit et Ecclesia*

Ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. (*Joan.* XV, 16.)

Minores ordines... per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videbitur, conferantur, ut... in unoquoque munere juxta præscriptum episcopi se exerceant. (*Conc. Trid.*, sess. 23, c. 11.)

Nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ,

aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus. (*Ibid.*, c. 16, *De reformat.*)

Ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et pluribus in locis aliquandiu intermissæ, in usum juxta sacros canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur; illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta synodus decernit, ut in posterum hujuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, omnesque et singulos prælatos ecclesiarum in Domino hortatur et illis præcipit, ut, quantum fieri commode poterit, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, et parochialibus suæ diœcesis, si populus frequens et ecclesiæ proventus id ferre queat, hujusmodi functiones curent restituendas, et ex aliqua parte redituum aliquorum simplicium beneficiorum vel fabricæ ecclesiæ, si proventus suppetant, aut ex utriusque illorum eas functiones exercentibus stipendia assignent : quibus si negligentes fuerint, ordinarii judicio aut ex parte multari aut in totum privari possint. (*Ibid.*, c. 17, *De reform.*)

Non ad dominationem vocati sumus, sed ad opus. (*Conc. Colon.*, part. II, c. 23, ann. 1536.)

Episcopi ex *Trid. conc.* præscripto veteres sacrorum ordinum functiones, quibus in locis intermissæ sunt ad usum revocandas omni diligentia curent. (*Conc. Mediol.* I, part. 2, tit. *De funct. min. ordin.*)

Minorum ordinum functiones ac munera a singulis clericis pro eorum, quibus initiati sunt, ordinum ratione præstentur. — Qui aliquo... ordine initiandus est, testimonium... afferat... de ordinis, quem proxime suscepit, functionibus a se præstitis. (*Conc. Mediol.* IV, part. 2, tit. *Quæ pertinent ad sacram. ordin.* sub fin.)

Illud autem unusquisque clericus sæpe repetat se non ad inertiam atque ignaviam, sed ad spiritualis et ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse. (*Ibid.*, part. III, tit. *De vita et honest. cleric.*)

Clericus prima tonsura initiatus... clericalis vitæ instituta obeat, doctrinæ Christianæ exercitationes adjuvet... sacerdoti celebranti rite ministret; Ecclesiæ solemnitatibus intersit, ut divinorum officiorum ritibus et cæremoniis, disciplinæque ecclesiasticæ usu erudiatur. (*Synod Ferrar.*, ann. 1612, decret. 105, tit. *Cleric.*, etc.)

Nauticam legem laudo, quæ gubernatori futuro primum remos tradit, deinde ad proram eum collocat, sicque prioribus muneribus ipsi commissis tandem eum post diuturnam remigationem ac ventorum observationem ad gubernacula constituit. (S. Greg. Naz., orat. 20, n. 48.)

Sectio secunda. — *Quia munia hæc eximia sunt ac præstantissima.*

Beati servi tui, qui assistunt coram te, omni tempore. (*II Paral.* IX, 7.)

Quicunque clericus alicui Ecclesiæ adscriptus, ubi ordinis a se suscepti functiones obeat, memor complurium sanctorum, qui vel toto vitæ tempore vel multis saltem annis in alicujus etiam minoris ordinis ministerio munereve religiose versati ad altiorem se ordinis gradum provehi passi non sunt. (*Conc. Mediol.* V, part. III, tit. *De initiandis ordin. sacram.*)

In omnes cæremonias pia (Nepotiani) sollicitudo disposita non minus non majus negligebat officium; ubicunque eum quæreres, in ecclesia invenires. — Mens Christo dedita æque in majoribus et in minoribus intenta est. (S. Hier., epist. 3 *Ad Heliodor., de morte Nepotian.* post med.)

Lex nihil, quod ad divinum cultum pertineat, exiguum existimare permittit, aut ejusmodi, quod sacerdotali opera sit indignum. (S. Cyril. Alex., *De adorat. in spir. et verit.*, lib. XII, qui est *De sacerdot.*)

Sectio tertia. — *Quia sancta sunt et difficilia.*

Quomodo sine exercitio doctrina, aut sine usu profectus? Qui disciplinam bellicam vult assequi, quotidie exercetur armis, et tanquam in procinctu positus præludit prælium, et velut coram posito prætendit hoste, atque ad peritiam viresque jaculandi vel suos explorat lacertos vel adversariorum declinat ictus, et vigilanti exit obtutu. Qui navim in mari regere gubernaculis studet, vel remis ducere, prius in fluvio præludit. Qui canendi suavitatem, et vocis affectant præstantiam, prius, sensim canendo vocem excitant. Et qui viribus corporis legitimoque luctandi certamine coronam petunt, quotidiano usu palæstræ durantes membra, nutrientes patientiam, laborem assuescunt. Hæc ipsa natura nos in parvulis docet, quod prius sonos meditantur loquendi, ut loqui discant. (S. Ambr., lib. I *Offic.*, c. 10.)

ART. III. — *Quomodo ordinum suorum munus exercere debeant clerici.*

Qui bene ministraverint, bonum gradum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu. (*I Tim.* III, 13.)

Illud sedulo curet, atque adeo efficiat ut ordinis, quo proxime initiatus est, præscriptas functiones non elate sed humiliter, non raro sed frequenter, non negligenti studio sed accurata vereque clericali sollicitudine et disciplina, pie, recte, æque, rite præstet; alioqui si in sanctis his functionibus negligenter, contraque ac præceptum est, se gesserit, illud norit eo voluntatis testimonio sibi apud episcopum aditum præcludere ad altiorem gradum ascendendum. (*Conc. Mediol.* V, part. III, tit. *De initiand. ordin. sacram.*, ante fin.)

Clerici quicunque Ecclesiæ adscripti ordinis a se suscepti functiones... obeant, ut Trid. conc. statutum est, non elate sed humiliter, non raro sed frequenter, non negligenti quadam consuetudine sed accurata veraque clericali sollicitudine; alioquin si in sanctis iis functionibus negligentes fuerint, norint sese non solum aditum sibi præcludere apud nos ad altiorem gradum ascendendi, sed pœnis præterea gravioribus... fore obnoxios. (*Synod. Ferrar.*, decret. 105, tit. 1.)

Non coronabitur, nisi qui legitime decertet. (*II Tim.* II, 5.) Quid est, legitime? Non sufficit, inquit, si quis in certamen tantum descendat, si solum ungatur aut congrediatur tantum... Sed nisi per omnia certaminis servaverit legem..... ut omnia prorsus observet, quæ certantibus congruunt. (S. Chrysost., hom. 4 *in II Epist. ad Tim.* c. II, longe post init.)

Qui in his, quæ inferiora sunt, diligentiam suam vigilantiamque monstraverint, facile et ad ea, quæ sunt superiora atque excellentiora, pervenient. (Id., hom. 11, *in hæc verba* (*I Tim.* III, 13) : « *Qui bene ministraverint, bonum gradum sibi acquirent,* » post init.)

In sacerdotium ii omnium maxime contumeliosi sunt, qui male illud ac scelerate administrant. (S. Isidor. Pelus., lib. II, epist. 52, *Ad Theodos. episc.*, init.)

Oza fuit percussus a Domino, eo quod in arcam Domini manus devote quidem, sed indigne porrexerit. (Petr. Bles., epist. 10.)

Qui bene ministraverint in minoribus ordinibus, gradum sibi bonum acquirent, ut sint vel fiant sacerdotes vel episcopi in bonum et utilitatem tam sui, quam aliorum. (Hugo card., *in I Epist. ad Tim.* III.)

CAPUT II.

Animarum saluti incumbere.

ART. I. — *Clerici ac præsertim sacerdotes animarum saluti promovendæ se totos devovere debent.*

Si quis ordinatus episcopus non susceperit officium et curam populi sibi commissam, hic communione privetur, quoadusque consentiat obedientiam commodans ; similiter autem presbyter et diaconus. (*Can. apost.*, c. 33.)

Idcirco nempe nos ille elegit, ut simus quasi luminaria, ut veluti fermentum evadamus, ut veluti angeli cum hominibus versemur in terris, ut tanquam viri cum infantibus pueris, quasi spirituales cum animalibus, ut ex contubernio nostro ingentia illi lucra conquirant, ut semina simus, ut fructum lætissimum afferamus; nihil opus esset verbis, si in hunc modum vita nostra sanctitatis luce fulgeret. (S. Chrysost., hom. 10, *in I Epist. ad Tim.*, post med.)

Contra justitiam faciunt hi, qui merito suæ conversationis vel eruditionis electi, otiosum studium fructuosæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt, et, cum possent laboranti Ecclesiæ subvenire, operosæ administrationis laborem fruendæ quietis contemplatione refugiunt. (S. Prosper. sive Jul. Pomer., lib. III *De vit. contempl.*)

Moyses ait (*Deut.* XXV, 5-10) : Ut uxorem fratris sine filiis defuncti superstes frater accipiat, atque ad nomen fratris filios gignat; quam si accipere forte renuerit, huic in faciem mulier exspuat, unumque ei pedem propinquius discalciet, ejusque habitaculum domus discalceati vocetur. Frater quippe defunctus ille est, qui post resurrectionis gloriam apparens dixit : *Ite, nuntiate fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10) : qui quasi sine filiis obiit, quia adhuc electorum suorum numerum non implevit. Hujus scilicet uxorem superstes frater sortiri præcipitur, quia dignum profecto est, ut cura sanctæ Ecclesiæ ei, qui hanc bene regere prævalet imponatur. Cui nolenti in faciem mulier exspuit, quia quisquis ex muneribus, quæ perceperit, prodesse aliis non curat, bonis quoque ejus sancta Ecclesia exprobrans ei quasi in faciem salivam jactat. Cui ex uno pede calceamentum tollitur, ut discalceati domus ejus vocetur; scriptum quippe est : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* (*Ephes.* VI, 15.) Si ergo, ut nostram, sic curam proximi gerimus, utrumque pedem per calceamentum munimus; qui vero suam cogitans utilitatem proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. (S. Greg., *Pastor.* part. I, c. 5.)

Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis petunt. De quo si districte judicentur, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Qua enim mente is, qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorum secretum præponit suum, quando ipse summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad profectum nostrum? (*Ibid.*, in fin.)

Nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. (*Ibid.*, part. II, c. 6, circa init.)

Glorifica manum et brachium dextrum in faciendo *vindictam in nationibus, increpationes in populis* (*Psal.* CXLIX, 7), etc. Si hæc facis, honorificas ministerium tuum, et ministerium te. (S. Bern., lib. II *De consid.*, c. 6.)

Non vos ergo felices, quia præestis; sed si non prodestis, infelices putate. (Id., epist. 42, *Ad Henric. Senon.*, cap. 8, n. 30.)

Vineæ animæ sunt, vel Ecclesiæ... ad has revisendas, corrigendas, instruendas, salvandas anima perfectior invitatur, quæ tamen id ministerii sortita sit non sua ambitione, sed vocata a Deo tanquam Aaron. (Id., serm. 58 *in Cant.*, n. 3.)

Quære ergo non quod tibi expediat, sed quod multis; quære cum Apostolo non datum, sed fructum. (*Philip.* IV, 17.) (Petr. Bles., *De instit. episc.*, c. 1.)

Sic præsis, ut prosis. (*Ibid.*, c. 3.)

O Timothee, depositum custodi! (*I Tim.* VI, 20.)

Bonum depositum custodi. (*II Tim.* I, 14.) Specialiter prælati habent depositum, scilicet curam proximorum et fidelium. (S. Thom. *in I Epist. ad Tim.*, c. VI, lect. 4.)

Si Deum honorare conaris, non aliter melius, quam in hominis salute poteris actitare. (S. Laurent. Justin., *De contempl. Christian. perfect.*, part. II, n. 3, in fin.)

Venit veluti verissimus Pastor ad revocandas oves errantes easque pascendas, sicut per prophetam ait : *Ego requiram oves meas, et liberabo eas de omnibus locis.* (*Ezech.* XXIV.) (S. LAURENT. JUSTIN., *De contempl. Christian. perfect.*, part. II, n. 4.)

ART. II. — *Cur animarum saluti se totos devovere debent ?*

SECTIO PRIMA. — *Ad hoc munus institutus est clericalis ordo.*

Ecce ego... mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum. (*Jerem.* XVI, 16.)

Presbyter, qui cleri vel populi curam non gerit, et eos pietatem non docet, segregetur, et, si in socordia perseveret, deponatur. (*Canon. Apost.*, 57.)

Ecclesiastici summa gubernaculi est gloria Dei et salus animarum : utrumque diligenter tractandum ; cum negligentia in re tanta maledicti piaculo subjiciatur. (*Conc. Aquileiens.*, cap. 5, ann. 1596.)

Est vocatus pastor, sed non electus, qui præest gregi quidem, et lacte ejus utitur, et lana ejus operitur; sed infirmum non requirit, et claudum non colligit, etc. (ORIGEN., *in Epist. ad Rom.*, c. I.)

Id scire oportet, et nequaquam ambigere te, priusquam ordinabaris, tibi vixisse; ordinatum autem illis, quibus ordinatus es. (S. ATHANAS., *Epist. ad Dracont.*, n. 2.)

Nisi quis fuerit bos triturans, et contra gelu et spinas jugum sustinens traxerit, neque ante discesserit, dignus non est (operarius mercede sua). — Oportet ergo doctoribus necessarium victum affatim ministrari, ne deficiant, neque solvantur, neque minimis occupati, magnis seipsos atque alios privent, ut spiritualia operentur nullam sæcularium habentes rationem. (S. CHRYSOST., hom. 15; *in I Epist. ad Tim.*, ante med.)

Habemus duo quædam; unum quod Christiani sumus, alterum quod præpositi sumus : illud, quod Christiani sumus, propter nos est; quod autem præpositi sumus, propter vos est ; in eo quod Christiani sumus, attenditur utilitas nostra ; in eo quod præpositi, non nisi vestra. (S. AUG., serm. 165, *De tempore.*)

Sacerdotibus proprie animarum curandarum sollicitudo commissa est. (S. PROSPER., sive Jul. POMER., lib. II, *Vit. de contempl.*, c. 2.)

Sacerdos, qui alium ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. (S. LEO, epist. 93, c. 15.)

Qua conscientia honorem sibi debitum (sacerdotes) vindicant, qui pro animabus sibi creditis non laborant? (*Ibid.*, c. 16.)

Vos estis sal terræ (*Matth.* v, 13) ; si ergo sal sumus, condire mentes fidelium debemus, etc... ut quisquis sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. (S. GREG., hom. 17 *in Evang.*)

Sacerdotes debent esse condimentum animarum. (*Ibid.*, ante fin.)

Indignus lacte et lana convincitur, si non pascat oves, si non vigilat in custodia gregis, judicium sibi manducat, et vestit : Væ væ tibi, clerice, mors in olla. — Sumptus ecclesiasticos gratis habere te reputas? Cantando, ut aiunt, bona tibi provenire videntur ; sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare; peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur... Venient, venient ante tribunal Christi ; audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata ; quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. (S. BERN., *Declam.*, c. 16, n. 19.)

Tertio dictum *Pasce ;* (*Joan.* XXI, 15 seq.) ; nec *mulge*, seu, *tonde*, vel semel additum est. (ID., *Declam.*, c. 11, n. 12.)

Animarum nec casus reputatur, nec salus : non sunt profecto matres, qui, cum sint de crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Joseph. (ID., serm. *ad clerum*, in *Conc. Rhem.*, n. 4.)

Cæteri divites sunt in latibulis suis, sicut leæna in fovea, ericius in antro, leo in spelunca; tu te omnibus exhibe, cogitans te omnium servum, nec tibi, sed cunctis genitum te vivere credas, datum indoctis doctorem, consolatorem pauperum, solatium oppressorum, patrem orphanorum, defensorem viduarum, et omnibus debitorem. (S. PETR. BLES., *De instit. episc.*, c. 4.)

SECTIO SECUNDA. — *Ad id impellit amor Dei.*

Si diligis me, pasce oves meas. (*Joan.* XXI, 15.) Poterat dicere : Si me amas, Petre, jejunia exerce, super nudam humum dormi, vigila continenter, injuria pressis patrocinare, orphanis patrem te exhibe, viduæ item te maritorum loco habeant; nunc vero prætermissis omnibus his, quidnam ille ait? *Pasce oves meas.* (S. CHRYSOST., lib. II *De sacerdot.*, in fin., c. 1.)

Si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas; sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam... lucra mea, non tua. (S. AUG., tract. 123 *in Joan.*, n. 5, circa init.)

Si diligis me, pasce oves meas. (*Loc cit.*) Si ergo dilectionis est testimonium cura pastionis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, Pastorem summum convincitur non amare. Hinc Paulus dicit (*II Cor.* v, 15) : *Si pro omnibus mortuus est Christus, superest ut, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* (S. GREG., *Pastor.* part. I, c. 5.)

Fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam. (*Matth.* XXIV, 45.) Fidelis es, si... insymbolum publicæ utilitatis conferas, quod tibi cœlestis gratia prærogavit. (PETR. BLES., *De instit. episc.*, c. 1.)

Nullo quidem exercitio congruentius occupatur sponsa (Verbi Dei), quam cum animarum intendit lucris ; hoc etenim sacrificio nihil majus, nihil suavius Verbo redolet. (S. LAURENT. JUSTIN., *De casto connubio*, c. 12, n. 6.)

Sectio tertia. — *Ad id invitat grande præmium.*

Magna sacerdotis gloria est rectitudo subditorum : unde bene egregius prædicator discipulis dicit : *Quæ enim est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum?* (*I Thessal.* xi, 10.) Sed cum sacerdotes vitam discipulorum negligunt, et nullum de eorum profectibus ante Dominum fructum ferunt, quid aliud quam inglorii dicuntur! Quia ante districtum judicem nimirum gloriam tunc non inveniunt, quam modo in subditorum suorum moribus prædicationis studio non exquirunt. (S. Greg., *Moral.* lib. xi, c. 9, init.)

Tanto celerius quisque ab omnibus suis peccatis absolvitur, quanto per ejus vitam et linguam aliorum animæ suorum peccatorum nexibus solvuntur. (S. Greg., apud Barthol. a Martyrib., part. ii, *Stimul. pastor.*, c. 7, circa init.)

Prælatus tot coronas sibi multiplicat, quot Deo animas lucrifacit. (Petr. Bles., epist. 132; item S. Greg., *Pastor.* part. iii, admon. 5.)

Nec utilitates tuas procurabis efficacius, quam si commoditati et saluti fraternæ tua diligentia impendatur. (Id., epist. 132, *Ad abbatem S. Launomari*, circa med.)

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, etc., vivere; et non dare operam ut recte vivatur, vitam perdere est. (Id., *De instit. episc.*, ante med.)

Non habeo nisi modicum olei, quo ungar; imo paululum aceti, quo sub diebus æstivis liceat mihi cum messoribus Booz buccellam panis intingere; illud vero tantillum non recipit portiones; charitas tamen nunquam excidit, et quanto, quæ sua sunt, manu largiore dispensat, tanto plenius crescit, et ex impendio liberali farina viduæ et lecythus exuberat. Manna quidem putrescit, et vermibus scatet, si fuerit reservatum; erogatum autem fideliter fit panis cœlestis, et refectio angelorum. — Gratia Dei obest, si non alii prodest; qui autem Dei donum in usum et utilitatem alienam communicat, plenius meretur habere, quod habet; nam dabitur ei, et abundabit; qui autem e diverso talentum Domini abscondit, quod videtur habere, auferetur ab eo. (*Ibid.*, in Procem.)

Nunquam tibi deficiat, quod per te alteri proficiet. Lucerna non minuitur alteram accendendo, nec soli dispendium infert contemplantium multitudo. (*Ibid.*, c. 2.)

Non enim sempiterna valet carere mercede, quod pro amore Christi utilitati impenditur proximorum. (S. Laurent. Justin., *De institut. et regim. prælat.*, c. 2, in fin.)

Sibi coronam fabricat pretiosorum lapidum varietate decoratam, qui proximorum desudat profectibus. (Id., *De contempl. Christian. perfect.*, post med., part. ii, n. 5.)

Est quippe sacrificium juge et medullatum, quo delectatur Deus, animarum videlicet lucrum. Hoc si obtuleris rationabiliter, plurimam gratiam consequeris et gloriam. (*Ibid.*, num. 7.)

Quantoscunque in hac vita positus converteris ad salutem, super tantos principatum accipies in futuro. Hæc dixit angelus apparens. (S. Hor. abb., in ejusd. Vita, lib. ii *De vitis Patrum*, auctore Rufino, apud Rosweid.)

Sectio quarta. — *Quia, sicut nec soli perire, sic nec soli salvari possunt clerici.*

Cui docendi munus commissum est, is, si annuntiare neglexerit, perinde ut homicida judicatur. (S. Basil., in *Regul. brevior.*, interrog. 45.)

Neque id mihi persuasi salvum fieri quemquam posse, qui pro proximi sui salute nihil laboris impenderit, cum neque miserum illum quidquam juverit', talentum sibi traditum non imminuisse; imo hoc ille nomine periit, quod illud non auxisset duplicassetque. (S. Chrysost., lib. vi *De sacerdot.*, c. 10.)

Si fueris frigidus et marcidus, ad te solum spectans... et dicens in corde tuo... Sufficit mihi anima mea, etc. Eia non tibi venit in mentem servus ille, qui abscondit talentum, etc. Nolite quiescere lucrari Christo, quia lucrati estis a Christo. (S. Aug., tract. 10 *in Joan.*, post med., n. 8.)

Ille, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit: et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? (S. Prosp., sive Jul. Pomer., *De vita contempl.*, lib. i, c. 20.)

Qui culmen regiminum, si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. (S. Greg., *Pastor.* part. i, c. 3.)

Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat.... Si omnino renititur, caveat ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de ejus occultatione judicetur; pecuniam quippe in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. (*Ibid.*, c. 9.)

Talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit. — Audiant quod voce angelica Joannes admonetur, cum dicitur : *Qui audit, dicat, Veni* (*Apoc.* xxii, 17) : ut nimirum, cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat, ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. (*Ibid.*, part. iii, admon. 26, ante med.)

Pensemus quod lucrum Deo fecimus nos, qui talento accepto ab eo ad negotium missi sumus; etenim dicit : *Negotiamini, dum venio.* (*Luc.* xix, 13.) Ecce jam venit; ecce de nostro negotio lucrum requirit : quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstravimus? Quot ejus conspectu animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? — Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo judex veniet, et

rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate terribili inter angelorum atque archangelorum chorum videbitur... In illo tanto examine electorum omnium et reproborum multitudo deducetur, et unusquisque quid sit operatus ostendetur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit; ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens; ibi Andreas post se Achaiam, etc. Nos miseri, quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus? (S. Greg., hom. 17 *in Evang. Luc.*, ante fin.)

Testante Domino per prophetam (*Ezech.* III, 17, 18): *Speculatorem dedi te domui Israel: si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua mala, ille in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram;* sic enim Heli sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, et licet eos delinquentes admonuit, sed tamen non, ut oportebat, redarguit. (S. Isidor., lib. III *De summo bono*, c. 46.)

Soli non potestis perire, quia præire debetis docendo et operando. (S. Bern., *Serm. ad pastores*, in *synod.*, n. 7.)

Vide quot animas de ore leonis, et de faucibus inferni ejeceris, quantum lucri de talento tibi commisso opere, verbo et exemplo retuleris... ad hæc factus es ex tua professione obnoxius; et hæc omnia a te exactissime requirentur. (Petr. Bles., epist. 16, *Ad episc. quemdam*, post med.)

Nec sufficit prælato, si bonus est in se, nisi et alios, quantum est in se, bonos faciat. (Id., *Serm. super hæc verba Joan.* (XV, 16): «*Non vos me elegistis,*» in synod.)

Vivere, et non dare operam ut recte vivatur, vitam perdere est. (Id., *De institut. episc.*, c. 2.)

Sectio quinta. — *Ab aliorum salute promovenda desistere non debet clericus.*

§ I. — *Etsi nullum ex labore suo fructum percipere sibi videatur.*

Tubicinem, etsi nemo ad bellum profecturus sit, tuba tamen canere oportet, suumque munus implere. (S. Chrysost. hom. 6, *in I Epist. ad Tim.* c. II, sub fin.)

Servum Dei non oportet litigare... sed patientem esse... Si enim piscatores, cum sæpe die tota frustra jactaverint retia, non tamen desistunt neque desperant; multo magis nos id facere convenit. (Id., hom. 6 *in II Epist. ad Tim.*, c. II, ante med.)

Noli diffidere, curam exigeris, non curationem. Audisti (*I Tim.* II, 24): *Curam illius habe*, et non *cura*, vel *sana illum*. (*Luc.* X, 35.) (S. Bern., lib. IV *De consider.*, c. 2.)

Paulus loquitur: *Plus omnibus laboravi.* (*I Cor.* XV, 10.) Non ait: Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi, verbum insolens religiosissime vitans: alias noverat..... quia unusquisque secundum suum laborem accipiet, non secundum proventum, et ob hoc in laboribus potius quam in profectibus gloriandum putavit, etc. Ita, quæso, fac tu, quod tuum est; nam Deus, quod suum est, satis absque tua sollicitudine et anxietate curabit. — Planta, riga, fer curam, et tuas explevisti partes: dabit sane incrementum, ubi voluerit; dabit Deus, non tu, ubi forte noluerit, tibi deperit nihil dicente Scriptura (*I Cor.* III, 8): *Reddet Deus mercedem laborum*, etc. (*Ibid.*)

Unum est, quod te absolvit, si egisti cum populo illo, ut possis dicere: *Populo mi, quid tibi debui facere, et non feci?* (*Ibid.* c. 3, in fin.)

Si dixeris: Plaga magna est, et curari non potest. Scias quia major est divina misericordia, quam humana miseria, etc. Stabulario dictum est (*Luc.* X, 35.): *Curam illius habe.* Curam habere, et non curare præciperis. Cura ergo, et labora; nam, si ægrotum non curaveris, implesti tamen medici vices, si nihil ex contingentibus omisisti. Apostolus non dicit (*I Cor.* XV, 10): Plus profui, sed: *Plus omnibus laboravi.* Deus autem mercedem laborum sanctorum non ex proventu laboris, sed ex labore metitur; ideo Paulus (*II Cor.* XII) non in plurima obventione laborum, sed in pluribus laboribus gloriatur. (Petr. Bles., *De institut episc.*, c. ultim. in fin.)

Animare debet rectorem ad laboris tolerantiam, quod non minus meretur in illis, qui deficiunt, vel modicum proficiunt, quam in his, qui maxime proficiunt; non enim dicit Apostolus (*I Cor.* III, 8): *Unusquisque propriam mercedem accipiet*, non secundum suum profectum, sed, *secundum suum laborem.* —Nec Dei operatio in omnibus proficit ad salutem ipsorum. — Omnia, quæ seminantur, non convalescunt. (S. Bonav., *De sex alis Seraphim*, c. 5, in fin.)

Qui thesauros effodiunt, lubenter multam terram exsuperant, ut modicum auri vel argenti reperiant. (*Ibid.*)

§ II. — *Etsi semper indocilem populum experiatur.*

Plus laborat doctor in indocili, quam in docili discipulo; et ideo apud justum æstimatorem laboris plus meretur. In terra sterili et saxosa agricola plus laborat, et si fructus paucior, sed pretium majus; et quæ difficilius elaborantur, sæpe carius venduntur. (S. Bonav., *De sex alis Seraphim*, c. 5, in fin.)

Quid igitur faciam, si et oratio mea sit inutilis futura, silentium vero desperationem resipiens? præteribimusne diligentiam? At negligentia periculosa: quamobrem loquar omnino, loquar adversus ebrios, et apud emortuas aures clamabimus, quanquam, ut in pestilentibus morbis evenit, ii, qui corpora curant, sanos quidem et eo morbo liberos adjumentis quibusdam ad sanitatem servandam facientibus securos reddunt, sic sermo noster ex parte tantum dimidia proficere poterit, custodiam et cautionem his, qui morbo isto nondum laborant, monstrando. — Scitote

me omnino taciturum fuisse, nisi Jeremiæ metuerem exemplum, qui ad populum contumacem atque incredulum loqui minime volens illa passus est, quæ ipse narravit; quomodo videlicet verbum Domini sit illi factum velut ignis in interioribus, et quod membris undique resolvebatur, et ferre non poterat. (*Jerem.* xx, 9.) (S. Basil., hom. 14, *In ebriet. et luxum*, non longe ab init.)

§ III. — *Quamvis ipse ludibrio habeatur.*

Nec vindicet se de illatis injuriis, nec in corde oderit illos, nec curam segnius agat, nec quærat eos a se removere, imo libentius teneat eos.— 1° Ut per hoc et illos et alios ædificet benefaciendo ingratis. — 2° Ut per se virtutis exercitium in eis habeat exemplo summi Pastoris, qui ait (*Luc.* vi, 35) : *Eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos;* cum enim sit proprie officium pastoris docere virtutes, si vitiosos removet a se, quos docebit? Si medicus fugit ægrotos, quos curabit ? Si fortis tyro declinat impetentes se, quomodo assequetur triumphum gloriæ? Si negotiator negligit merces, in quibus magna lucretur, quomodo poterit ditari? — 3° Inde tot sanctificati sunt episcopi et prælati... et ad altiora perfectionis culmina officii sui occasione pervenerunt. (S. Bonav., *De sex alis Seraphim*, c. 5, circa med.)

ART. III. — *Quomodo aliorum saluti incumbere debeant cleri.*

Redemptor noster ad sacerdotis officium non quærit aurum, sed animas. (S. Greg., apud S. Bonav., lib. I *Pharetræ*, c. 20.)

Primo pastori... dicitur : Macta et manduca. (*Act.* xi, 7.) Quod mactatur quippe, a vita occiditur ; id vero, quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo et manduca, dicitur, id est, a peccato eos, in quo vivunt, interfice, et a seipsis illos in tua membra converte... (Id., lib. xviii *Moral.*, c. 20, ante med.)

Quam boni vigiles, qui nobis dormientibus ipsi pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus nostris! Quam boni custodes, qui vigilantes animo atque in orationibus pernoctantes hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculos, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur... Hi sunt, qui multum solliciti pro sibi commissis dominicis ovibus cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illos, et in conspectu Altissimi deprecantur. (S. Bern., serm. 76, *in Cant.*, n. 7.)

Cæterum suis et ipsis (clericis) nec modicus labor esse videtur, et dicebat, qui plus omnibus laboravit. Qui non laborat, non manducet. Et Petro dictum est (*Joan.* xxi, 17) : *Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas.* Idemque tertio repetitum, tertio dictum : *Pasce*, nec : Mulge, seu tonde, vel semel additum est. Speret ergo discipuli locum, gradum ministri, qui Dominicum pascere gregem satagit quam tondere ; pascere vero tripliciter, exemplo conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis. (Id., *Declam.*, c. 11.)

Vectes, quibus arca Dei deferebatur, licet moveri et trahi in varias partes possent, extrahi tamen aut avelli non poterant ; in quo manifestissime figuratur, quod Ecclesiæ prælati, etsi ad varias reipublicæ necessitates distrahuntur ad tempus, a sponsæ amplexibus et a populi sibi crediti sollicitudine minime separentur. (Petr. Bles., epist. 150, *Ad clericos aulæ regiæ*, paulo ante fin.)

Quid est oves pascere, nisi evangelizare subjectis, reddere Deo populum acceptabilem; verbo, opere et exemplo, dirigere vias Domini, et parare Domino plebem perfectam ? (Id., epist. 148, *Ad S. Bathoniens episc.*

Petro cum ter dixisset : *Pasce oves meas*, tria pascua designavit, ac si diceret : Pasce doctrina, pasce vita, pasce morte. (Id., *Serm. in Apoc.*, c. viii, in synod.)

Tu animarum saluti omnia postpone. (Id., *De instit. episc.*, longe post med.)

Ædifica eos (subditos) verbo, actu, vultu, habitu et incessu ; sic te amabilem exhibeas et imitabilem, ut tota conversatio tua ædificet alios ad salutem. (Id., epist. 134.)

Oportet illum, qui animarum præsidendo vult curam gerere, utique intrare per januam ministrando, laborando, orando, et, si necessitas coegerit, etiam moriendo animam suam dare pro ovibus, quemadmodum bonus Jesus Dominus et magister docuit et perfecit... Tale itaque debet esse pastoris animarum ministerium, talis intentio talisque affectus, ut sine intermissione absque fastidio, imo alacri animo, etsi non actualiter semper, habitualiter tamen se pro salute subditorum exponat. (S. Laur. Justin., *De intitut. et regim. prælat.*, c. 2, n. 5.)

CAPUT III.

Regimen seu curam animarum trepidando subire.

ART. I. — *Regimen animarum suscipere præclarum et decorum est.*

Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens. (*Eccli.* xlii, 14.) Nam tu quidem in tui custodia vigilans benefacis, sed qui juvat multos, et melius facit et virilius. (S. Bern., serm. 12 *in Cant.*, ante fin.)

Bonum contritionis unguentum, quod de recordatione peccatorum conficitur, mittiturque in pedes Domini ; quia *cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.* (*Psal.* l, 18.) Cæterum longe melius esse arbitror id, quod devotionis dicitur factum de recordatione beneficiorum Dei, quippe quod et capiti idoneum reputatur, ita ut perhibeat de ipso Deus : *Sacrificium laudis honorificabit me.* (*Psal.* xlix, 23.) Porro utrumque vincit unctio pietatis, quæ de respectu

miserorum fit, et per universum Christi corpus diffunditur, etc. ; optimum revera unguentum, in cujus comparatione cætera nec respicere se ostendit, qui ait : *Misericordiam volo, et non sacrificium.* (*Matth.* IX, 13.) (S. BERN., serm. 12, *in Cant.*, ante fin.)

Amici Sponsi, si tamen amici; at parum dixi, amici, amicissimi sint oportet, qui privilegio tantæ familiaritatis donantur. (ID., serm. 76 *in Cant.*, n. 8, post. med.)

Sanctum Evangelium sub numero trium personarum includit multitudinem universam prælatorum ; proposuit enim nobis (*Joan.* X) bonum pastorem, mercenarium et furem. Si boni pastores estis, *gaudete, quia merces vestra copiosa est in cœlis.* (*Matth.* V, 12.) (ID., *Serm. ad pastores*, in synod., circa init.)

Pastores vicarii Christi. (*Ibid.*, post med., n. 8.)

Senatores orbis terrarum. (*Ibid.*, n. 12, ante fin.)

ART. II. — *Non sine multo timore suscipienda est animarum cura.*

SECTIO PRIMA. — *Quia arduum hoc opus.*

Onus angelicis humeris formidandum. (*Conc. Trid.*, sess. 6, c. 1, *De reformat.*)

Cura animarum scientia scientiarum merito appellanda est. (*Conc. Colon.*, ann. 1536, part. I, c. 2.)

Ars artium et scientia scientiarum mihi esse videtur hominem regere. (S. GREG. Naz., orat. 1, n. 31.)

Quemadmodum, si quis variam quamdam et multiplicem belluam ex multis belluis magnis parvisque, feris ac mitibus conflatam cicurare et ducere aggrediatur, huic in natura adeo præpostera et prodigiosa gubernanda maximus procul dubio labor subeundus sit, maximaque dimicatio ; quippe cum nec vocibus iisdem, nec alimentis, nec manuum blanditiis ac sibilis, nec reliquis denique institutionis modis belluæ omnes delectentur, sed aliæ aliis pro sua quæque natura et consuetudine vel gaudeant vel offendantur, etc., eodem modo, cum commune hoc corpus Ecclesiæ instar compositæ, cujusdam et inæqualis belluæ ex pluribus variisque moribus et rationibus constitutum sit, summopere quoque necesse est prælatum simul et esse simplicem, quantum ad eam, quam ad res omnes adhibere debet, rectitudinem, et rursum quam maxime varium et multiplicem, quantum ad id attinet, ut uniuscujusque animum sibi adjungat. (*Ibid.*, n. 77.)

Alios gubernare exuberantis cujusdam facultatis est. (*Ibid.*, n. 121.)

Vigilantem igitur necesse est illum, qui non tantum sui curam habet, verum etiam reliquorum ; decet esse pervigilem eum, qui ejusmodi est, ac spiritu vivere, et affectus sui flammam operibus ipsis ostendere, ducesque omnes sollicitudine atque industria superare, ut diu noctuque exercitium et castra perlustret, laboret, et sui officii munus diligentissime impleat, atque omnium curam et sollicitudinem gerat. (S. CHRYSOST., hom. 10, *in I Epist. ad Tim.*)

Opus est hæc res, non ludus atque animi oblectatio ; cura, non luxus ; munus referendis rationibus obnoxium, non imperium ab omni censura liberum atque immune ; paterna procuratio, non tyrannica licentia ; dispensatoria præfectura, non ejusmodi potestas, quæ sub reddendarum rationum necessitatem minime cadat. (S. ISIDOR. Pelus., lib. III, epist. 216, *Ad Pallad. diacon.*, post med.)

Pastoralis curæ pondera fugere delitescendo volui. (S. GREG., *Pastor.*, in Prolog.)

Ars est artium regimen animarum. (*Ibid.*, part. I, c. 1.)

Nihil tam onerosum in ordine sacerdotum video, quam rigorem mentis compatiendo flectere, et cum personis supervenientibus animum mutare, et tamen hoc valde est necessarium. (ID., hom. 11, *in Ezech.*, paulo ante fin.)

Pensate ergo, fratres charissimi, quantus speculatori labor sit, et ad sublimia cor tendere, et hoc repente ad ima revocare, et in sublimitate cognitionis intimæ extenuare animum, et propter exteriores causas proximorum, ut ita dicam, subito in cogitatione crassescere. (*Ibid.*, sub fin.)

Hoc tempore talis in regiminis arce debet constitui, qui non solum de salute animarum, sed etiam de extrinseca subjectorum utilitate et cautela sciat esse sollicitus. (ID., lib. VIII, epist. 40, dist. 39, c. *Petrus.*)

Res difficilis et ardua est, ministrare in sacerdotio, animas regere, et juxta verbum Salomonis (*Eccli.* VII, 8) mittere se in turbam populi, et alligare sibi peccata duplicia. (PETR. Bles., epist. 123, circa medium.)

Magnus labor impenditur in vinea excolenda, utpote quæ primum est putanda, secundo fodienda, tertio paxillanda, ad ultimum stercoranda, etc. (ID., serm. 1, in synod., *super hæc verba* (*Exod.* VII, 9) : « *Si dixerit vilis Pharao.* »

Grande onus, negotium multarum vigiliarum, pavendumque ministerium est regimen animarum. (S. LAURENT. JUSTIN., *De regim. prælat.*, c. 16, n. 6.)

Vere in omnibus veluti martyres. (ID., *De compunct. et complanctu Christ. perfect.*, part. I, num. 5.)

Gratia indiget plurima, charitate fervida et sapientia non modica, qui proximorum animas per spiritualem profectum ad vitam resuscitare conatur. (*Ibid.*, part. II, n. 7.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia periculosum.*

Sacerdotes procurationem regendi populi susceperunt ad magnam suam gloriam, et ad grande periculum ; ad gloriam quidem, si diligenter tractaverint populum Dei; ad periculum autem, si negligenter; si enim ille pro negligentia debet timere periculum, qui procurationem suscipit terrenarum rerum de manu alicujus hominis potentis ; quanto magis sacerdotes, qui de manu Dei susceperunt animarum procurationem sanctarum ? (S. CHRYSOST., *Oper. imperf. in Matth.*, hom. 40, paulo post med.)

Miror an fieri possit ut aliquis ex rectoribus sit salvus. (ID., hom. 34, *in Epist. ad Hebr.*)

Quantumlibet fueris peritus gubernandi, nisi inter hujusmodi gubernacula gratiam habeas et pacem, quæ a Deo est; et naviculam simul atque navigantes procella involvet, mergetque profundo. (S. Chrysost., hom. 1, *in Epist. ad Tit.*, post med.)

Qui aliorum actiones puras est effecturus, is quin aliquam ipse sordem contrahat vix fieri potest. (S. Nilus abbas, *lib. ascetic.*, ante med.)

Nullibi operiosius laboratur, nullibi periculosius erratur. (S. Greg., *Pastor.* part. I, c. 1.)

Plerumque in occupatione regiminis ipse quoque boni operis usus perditur, qui in tranquillitate tenebatur, quia quieto mari recte navem et imperitus nauta dirigit; turbato autem tempestatis fluctibus etiam peritus se nauta confundit. Quid namque est potestas culminis, nisi tempestas mentis? (*Ibid.*, c. 9.)

Plerumque contingit ut, qui propria non contentus alienæ progreditur saluti consulere, sui potius cogatur periculum sustinere, cumque alii velut inter procellosa naufragia palpitanti manum porrigit, ipsum quoque præcipitem vorax fluctus involvit. (Petr. Dam., opusc. 12, *De contemptu sæculi*, cap. 27, circa med.)

Nihil periculosius, quam regiminis animarum onus suscipere. (S. Laurent. Justin., *De instit. et regim. prælat.*, c. 4, n. 6.)

Videat celsitudinem ecclesiastici regiminis, imminens periculum patensque præcipitium. — Stant in alto tanquam signum ad sagittam, etc. Sunt veluti scopulus undarum circumquaque impulsione collisus. (*Ibid.*, c. 20, n. 1.)

Nemo nisi valde sanctus absque sui detrimento proximorum curis occupatur. (Id., *De casto connubio*, c. 12, n. 7.

Sectio tertia. — *Quia pro commissis ovibus reddenda ratio.*

Si horremus, dum nobis id judicium subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri sumus... quid illi exspectandum est, qui tam multorum nomine causas sit ipse dicturus? (S. Chrysost., lib. III *De sacerdot.*, c. ult., circa fin.)

Magna diligentia hic opus est, ne, dum prodesse proximo cupis, majoris damni auctor sis; nam quæcunque ille post curationem tuam imprudentem peccata commiserit, futurum est ut horum singulorum pœna cum illo medico communis sit, qui vulnus probe non inciderit. (*Ibid.*, paulo ante finem.)

Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, etc. (*Ezech.* XXXIV, 10 seq.) Quis ad hæc non contremiscat? Quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, nisi qui aut non intelligit, aut futura non credit. (S. Prosp., sive Jul. Pomer., *De vita contemplat. sacerdot.*, lib. I, c. 21.)

Quemadmodum æquum non est, sed dolendum si ab esurientis ore infantis panem diripias: ita et nocet sibi ipsi præses et subjecto, qui illi non semper augendæ coronæ, quantum quidem illum sustinere posse cognoscit, sive irrogandis contumeliis, sive ignominiis afferendis, seu contemnendo, seu illudendo occasionem præbet. (S. Joan. Climac., grad. 4, *De obedient.*, n. 35, in fin.)

Quot regendis subditis præest, reddendæ apud districtum Judicem rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. (S. Greg., lib. XXIV *Moral.*, c. 16.)

Hanc curam animarum quicunque prout decet, administrare neglexerit, malus est, et pene innumerabilium criminum esse censendus est reus. (S. Laurent. Justinian., *De regim. prælat.*, c. 4, n. 5.)

Sectio quarta. — *Quia pauci sunt boni pastores.*

Multi sacerdotes, et pauci sacerdotes. Multi nomine, pauci opere. (S. Chrysost., hom. 43, *Oper. imperfect. in Matth.*, circa init.)

Oportet autem ut dux prudens sit ejusmodi, ut ne hostium quidem cogitationes ignoret, ut iis, qui sub disciplina sua militant, occultas etiam pugnas aperiat, et adversarii prædicens insidias facilem ipsius victoriam paret, et e certamine coronatos educat... raro autem ac difficile talis invenitur. (S. Nil. abb., *Lib. ascetic.*, ante medium.)

Si rebus raritas pretium facit, nihil in Ecclesia pretiosius, nihil optabilius est bono utilique pastore; nempe rara avis est ista. (S. Bern., epist. 249, *Ad Eugen. Pap.*)

ART. III. — *Quales in hoc regimine se exhibere debeant.*

Sectio prima. — *Non lupos.*

Parum est quod illas languentes et infirmas et errantes et perditas non curant; etiam istas fortes et pingues necant, quantum in ipsis est; illæ vivunt de misericordia Dei; tamen, quantum ad pastores malos attinet, occidunt; quomodo, inquis, occidunt? Male vivendo, malum exemplum præbendo. (S. Aug., *Serm. de pastor.*, c. 4.)

Non estis pastores, sed lupi rapaces, quia omnia quasi, quæ facitis, propter lucrum facitis. (Id., *Ad presbyteros suos*, serm. 36, *Ad fr. erem.*, circa med.)

Quidam sunt pastores, quidam mercenarii, quidam lupi..... Lupi sunt, qui carnes comedunt..... Lupi non custodiunt in prosperitate, et occidunt in adversitate. — Lupi peccati materiam vel licentiam ovibus dantes occidunt. (Hugo a S. Victore, lib. I *Miscellan.*, tit. 101.)

Quid ovibus miseris erit tutum, quando lupi funguntur officio pastorum? — An non lupus tyrannus fallax, qui lanam et lac ovium, imo carnes et ossa per violentam exactionem subripit, lassat et opprimit? — An non lupus tyrannus fallax, qui lanam et lac ovium, carnes et ossa per astutiam procurationum et advocationum subripit, cassat et dejicit? — An non demum lupus tyrannus vorax, qui lanam et lac ovium, carnes et ossa per gulam et luxuriam subripit, cassat et inficit? — Tales lupi rapaces, fal-

laces et voraces... rapiunt cavillando : fallunt litigando, devorant luxuriando. (Gerson, in *Concil. Rhem.* II, partitione principali.)

Sectio secunda. — *Non mercenarios.*

§ I. — *Qui seipsos pascunt.*

Væ pastoribus, qui pascebant semetipsos, etc. (*Ezech.* xxxiv, 2.) Pastor veritate Christum annuntiat mercenarius occasione Christum annuntiat, aliud quærens. (S. Aug., serm. 49, *De verbis Domini*, c. 9.)

Quis est ergo mercenarius ? Sunt in Ecclesia quidam præpositi, de quibus Paulus dicit (*I Tim.* VI ; *Tit.* I) : Sua quærentes, non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda consectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur a præposito, et propter hæc servitur Deo, quisquis est talis, mercenarius, inter filios se non computet. (Id., tract. 46 *in Joan.* c. x, ante med., n. 5.)

Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit ; mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit : terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur ; impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur ; istæ sunt enim mercedes mercenarii. (S. Greg., hom. 14 *in Evang.*, paulo post init.)

Væ pastoribus malis, qui pascunt semetipsos, non oves, et utinam solum non pascerent, si non etiam depascerentur. — Mercenarii (sunt) qui lanam et lac accipiunt... mercenarii lucrum appetunt. (Hugo a S. Vict., lib. I *Miscellan.*, tit. 149, circa fin.)

Quærit ergo, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi ; alioquin utique non fugeret, sed sua, imo et seipsum superimpenderet, potius quam gregem suum raptoribus exponeret. — Multi sunt mercenarii, qui in prosperitate leviter discerni non possunt a bonis pastoribus ; habent enim multa cum ipsis communia ; habuerunt namque sanam electionem in ingressu, habent nihilominus mundam conversationem in progressu, pacem Ecclesiæ amant et quærunt, utiliter ac viriliter ecclesiasticis implicantur negotiis, non recusant gravedines oneris ; sed hoc ideo, quia ambiunt gloriam honoris. (S. Bern. ; *Serm. ad past.*, in synod., n. 3.)

Mercenarius est, qui Deo non pro Deo servit, mercenarius est, qui occasione, non veritate Deum annuntiat ; mercenarius est, qui quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, quærit. Hujus panis est sapientia carnis, seu commoditas temporalis. (Petr. Cellens., *De panib.*)

§ II. — *Qui veniente lupo fugiunt,*

Mercenarius autem fugit. (*Joan*, 10, 13.) Non corporis, sed animæ hæc fuga est. Quem vides corpore stare, fugit animo. Cum videt peccatorem, non illi dicit : Peccas,.. non illum objurgat, ne perdat commoda sua... (S. Aug., serm. 49, *De verbis Domini*, n. 12.)

Utrum vero pastor sit, an mercenarius cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest : tranquillitatis enim tempore plerumque ad gregis custodiam, sicut verus pastor, sic etiam mercenarius stat ; sed lupus veniens indicat quo, quisque animo super gregis custodiam stabat, etc. Fugit mercenarius non mutando locum, sed substrahendo solatium ; fugit quia injustitiam vidit, et tacuit ; fugit, quia se sub silentio abscondit. (S. Greg., hom. 14 *in Evang.*, paulo post init.)

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus (*Joan.* x, 13) ; sola enim causa est ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est : ac si aperte diceretur : Stare in periculo ovium non potest, qui in eo quod ovibus præest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit... opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. (*Ibid.*, circa med.)

Lupus venit, et mercenarius fugit, quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, et is, qui locum pastoris tenet, curam sollicitudinis non habet. Animæ pereunt, et ipse de terrenis commodis lætatur. (*Ibid.*, ante med.)

Nunc autem et mercenarii fugiunt, et lupi occidunt : mercenarii fugiunt non mutando locum, sed substrahendo auxilium ; lupi occidunt quia et visibiles corpora laniant, et invisibiles animas necant. — Quidam pastores sunt, quidam mercenarii, quidam lupi... Mercenarii custodiunt in prosperitate, sed non defendunt in adversitate. (Hugo a S. Vict., lib. I *Miscellan.*, tit. 49, circa fin.)

Persecutio indubitanter mercenarios a pastoribus segregat et discernit. (S. Bern., *De conversione ad cleric.*, c. ult.)

Mercenarius est, qui videt lupum venientem, et fugit. (Id., *Serm. ad pastor.*, in synod., n. 2.)

Dum pacis arridet securitas, intentionis ejus palliatur infirmitas ; nihil occultum, quod non revelet ur. Vasa figuli probat fornax ; flante vento adversitatis, statim, quod infirmum est interitionis, ostendit effectus operationis ; videt enim lupum venientem, et fugit. — Fugit mercenarius vel amore blandientis, vel timore persequentis. Unde fugit ? a rectitudine justitiæ, a defensione Ecclesiæ, a liberatione patriæ, ab ultione pupillorum et viduarum. Quo ? ad custodienda, quæ possidet, imo a quibus possidetur. — Si ergo, inquit Christus, me quæritis, sinite hos abire. (*Joan.* xviii, 8.) Majorem utique de suis, quam de se, curam exhibuit. Discant igitur pastores et prælati, cum irascitur erga populum Deus, non se absentare a plebe, etc. (S. Laurent. Justin., *De compunct. et complanct. perfect. Christ.*, n, 18.)

Sectio tertia. — *Sed bonos pastores.*

Ille confirmare jubetur fratres suos, qui dixit : *Omnia dimisimus, et secuti sumus te.* (S. Ambros., *in Luc.* xxii, 30.)

Factus sum sicut oliva fructifera in domo Dei. Præsules enim olivæ comparantur propter vim olei triplicem; nam oleum illuminat, pascit, et fessa membra fovet : sic et præsules illuminare debent verbo, pascere exemplo, et fovere egentes temporali beneficio. (S. Aug., serm. 40, *Ad fratr. erem.*, ante med.)

Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis... (*Thren.* IV, 4.) Cavete ergo ne vobis hodie Dominus dicat : Dispensatorem te posui super familiam meam, et tu panem eis non fregisti. Non ergo dispensator, sed dissipator; non speculator, sed spiculator. — Hic est panis petitus. Amice, commoda mihi tres panes, scilicet vitæ, doctrinæ, et exempli. Hic est panis datus Petro, ut pascat agnos; nam ter ait Dominus Petro ut pascat oves, ut tu, pastor, intelligas oves pascere doctrina, vita, et exemplo. (S. Aug., serm. 42, *Ad fratr. erem.*)

Quidam sunt pastores, quidam mercenarii, quidam lupi; pastores sunt, qui oves diligunt.... Pastores custodiunt in prosperitate, et defendunt in adversitate..... Pastores salutem quærunt. (Hugo a S. Vict., lib. I *Miscellan.*, tit. 101.)

Populus vestrum exspectat verbum, ut erudiatur; vestrum exemplum, ut informetur; auxilium et donum, ut a malo liberetur, et in bono justificetur. (Id., serm. 23, *Ad sacerd.*, in synod., paulo ante fin.)

Bonus pastor, non suam voluntatem facere, sed domini sui quærit utilitatem; ipsi soli servat fidem; ipsi laborat; ipsum honorat; ipsi quærit gloriam, non sibi... *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII, 1); nobis miseris da veniam, da gratiam; tibi serva gloriam, utpote a quo est venia peccatorum et gratia meritorum. — Bonus pastor in omni labore villicationis suæ quærit non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; quod proprium habet charitas; unde, si quandoque excesserit, charitas operit multitudinem peccatorum, sed et ipse advocatum habet in cœlis Jesum Christum. (S. Bern., *serm. ad pastores*, in synod. n. 2.)]

Operarius inconfusibilis postulat non duo tantum, sed tria, quia funiculus triplex difficile rumpitur; non enim postulat disciplinam et scientiam, quas possunt habere et mercenarii; sed dicit (*Psal.* CXVIII, 66) : *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me.* Quæ tria in solis filiis requiruntur : quid enim prodesset disciplinam habere in conversatione, scientiam in prædicatione, nisi adsit bonitas in intentione? (S. Bern., *Serm. ad pastores, in synodo*, n. 4.)

Quam boni vigiles, qui nobis dormientibus ipsi pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris? Quam boni custodes, qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur. (Id., serm. 76 *in Cantic.*, circa med.)

Attendite vobis (pastores) et pretioso deposito, quod vobis creditum est : civitas est, vigilate ad custodiam concordiamque ; sponsa est, studete ornatui ; oves sunt, intendite pastui. (*Ibid*, post med.)

(Ad munus pastorale) opus est viro... fideli, qui non, quæ sua sunt, quærat. (*Ibid.*, sub finem.)

Nocte et die æstu urebar et gelu, etc. (*Gen.* XXXI, 40.) Circa pastorale officium tria ponuntur, scilicet assiduitas, patientia, sollicitudo : primum est, quia sine intermissione debet curam gregis gerere, unde dicit : Nocte ac die ; nocte orando, die erudiendo.. Secundum, debet prælatus propter gregis salutem omnia sustinere... unde dicit, æstu, id est fervore instantis persecutionis.. gelu, id est timore futurorum. Tertium est, quia præest in sollicitudine... et hoc expellit somnum negligentiæ; unde subditur : Fugiebatque somnus ab oculis meis. (S. Thom., Prologo *in II Epist. ad Tim.*)

Si diligis me, pasce oves meas (*Joan.* XXI, 17); pasce verbo, pasce exemplo, pasce subsidio ; pasce verbo prædicationis doctæ, pasce exemplo conversationis sanctæ, pasce subsidio charitatis piæ; prædicatio docta fundatur in fide... conversatio sancta roboratur in spe... subventio pia consummatur in charitate.. quisquis hoc modo paverit oves suas triplici pabulo salutari, verus imitator censendus est pastoris boni. (Gerson., Serm. *In conc. Rhem.*)

Pastor, ut sui mercedem non amittat laboris.. pascat oves verbo, pascat exemplo, pascat terrena substantia; sic Dominus Jesus Petro mandavit, dicens : *Petre amas me?* (*Joan.* XXI, 17) etc. Voluit trina repetitione insinuare pastoribus, quatenus ovibus sub regimine suo constitutis deberet corporibus morituris alimoniam temporalem, animabus semper victuris doctrinam spiritualem, atque earum moribus exemplo suo bene vivendi disciplinam præbere moralem. (S. Laurent. Justin., *De regim. prælat.* c. 18, n. 6.)

Formam veri Pastoris vis nosse, non venit Filius hominis ministrari, sed ministrare, et animam suam redemptionem dare pro multis. (Id., *De compunct. et complanct. Christianæ perfect.*, n. 19, part. I.)

(Vide et describe pastorum malorum descriptionem apud Prophetas citatos, et serm. S. Bern. LXXVII *in Cant.*; *Zach.* X, 3; XI, 3-6; XIII, 7; *Ezech.* VII, 26; XXII, 25-31 ; *Ezech.* XXXIV, integr. ; X, 20-22; *Jerem.* XII, 10, 11 ;XXIII, 1, 2 ; XXV, 34 ;*Mich.* III.)

APPENDIX AD CAP. III.

De residentia. — Inter oves sibi commissas residere.

ART. I. — *Pastores ab ovili suo abesse non debent.*

Vigilent (prælati) sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, et ministerium suum impleant ; implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo Judice requirendus, custodiæ minime incumbant, cum certissimum sit non admitti pastoris excusationem, si lupus oves

comedit, et pastor nescit. Ac nihilominus, quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus ac divinis humana præferentes in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos : placuit sacrosanctæ synodo antiquos canones, qui temporum atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes innovare, quemadmodum virtute præsentis decreti innovat, etc. Deinde pœnæ decernuntur in non residentes. (*Conc. Trid.*, sess. 6, *De reform.*, c. 1.)

Episcopis inferiores, quævis beneficia ecclesiasticam personalem residentiam de jure sive consuetudine exigentia, in titulum sive commendam obtinentes, ab eorum ordinariis... opportunis juris remediis residere cogantur ; nullique privilegia seu indulta perpetua de non residendo aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur, etc. (*Ibid.*, c. 2.)

Ne vero ea, quæ de residentia sancte et utiliter jam antea sub felicis recordationis Paulo III sancita fuerunt, in sensus a sacrosanctæ synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat ; illis inhærendo declarat sacrosancta synodus omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus ecclesiis quibuscunque, quocunque nomine et titulo præfectos, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales sint, obligari ad personalem in sua ecclesia vel diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur. (Id., sess. 23, *De reform.*, c. 1.)

De residentia in ecclesiis a rectoribus facienda videtur nobis consulendum facto potius, quam statuto ; exstant enim concilia Romanorum Pontificum luce clarius loquentia super eo ; propter quod major requiritur exsecutio statutorum, quam edictio sanctionum. (*Conc. Londonense*, ann. 1237, c. 13.)

Si quis curatum habet beneficium, apud ecclesiam, ubi beneficium habet, resideat, et officio satisfaciat ; alioqui nihil recepturus. (*Conc. Colon.* II, ann. 1549. *De 3 medio reformandi Ecclesiam*, c. 9.)

Sanctum Tridentinum concilium mandat episcopis ut in diœcesi sua quisque resideat... servandum erit omnino Tridentini decreti mandatum. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, tit. 11, c. 1, 2.)

Personalis residentiæ munus ut revera per eos præstetur, qui illius generis beneficia ecclesiastica obtinent, omnem rationem canonum jure, Tridentinisque sanctionibus præscriptam episcopus ineat : a quo munere non excusetur, neque qui beneficium ecclesiamve habet, de cujus titulo adhuc lis et controversia pendet ; nec vero item, qui nondum sacerdotio aut eo ordine, quem beneficium illud requirit, initiatus est, nec præterea qui justa aliqua causa impedimentove detinetur, etc., quominus eo initietur. (*Conc. Mediol.* v, part. III, tit. *De residentia*, init.)

Curati, possessione adepta, ordines sacros secundum tempora a canonibus constituta suscipere non negligant, ut ministerium sibi creditum quam citissime per seipsos adimplere possint, sub pœnis a jure constitutis. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. 35, *De rectorib. eccles. parochial.*, can. 4.)

Resideant, ut Missas parochiales per seipsos celebrent, et suo muneri satisfaciant. (*Ibid.*, can. 5.)

Parochialis munera curæ atque officia non per alios, sed ipsimet parochi animarumve curatores obeant ac præstent. (*Conc. Aquens.*, ann. 1585, tit. *De parochis et animarum curatoribus*, ante med.)

Quæ de episcopis a sacra Tridentina synodo super hac re decreta constitutaque sunt, ea omnia, qua fieri poterit diligentia, religiosissime observentur. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, tit. 7, *De resid.*, init.)

Omnes curam animarum habentes residere debent in suis parochiis, sub pœnis a sacris constitutionibus et Tridentina synodo latis. — Non censeantur residere, qui tres menses in anno etiam per diversa intervalla absentes fuerint, et qui intra fines parochiæ non habitaverint ; nec enim gregem pascere creditur, qui semel in die et quasi cursim illum intuetur. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, c. 32, post med.)

Vides quantum ministrorum obsit absentia, dum sua quærunt, non quæ Jesu Christi. (S. Aug., epist. 180, *Ad Honorat.*, et nunc 228, n. 9.)

Quando est commune periculum, magisque timendum est ne quisquam id facere credatur non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quam vivendi prosit officio, nulla ratione faciendum est, istud est fugiendum. (*Ibid.*, n. 10.)

Pervenit ad nos Pimenium Amalphitanæ civitatis episcopum in Ecclesia sua residere non esse contentum, sed foris per diversa loca vagari... Idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, ut supradicto episcopo interminari non desinas, quatenus hoc de cætero facere non præsumat, sed in Ecclesia sua sacerdotali more resideat : quem si forte non emendari post tuam interminationem cognoveris, in monasterio eum deputare, et nobis curabis modis omnibus indicare, ut qui facere debeas nostra iterum præceptione cognoscas. (S. Greg., lib. v, epist. 23, *Anthemio subdiacon.*, refertur causa 7, q. 1, c. 20, *Pervenit.*)

Quid opus est tantam sollicitudinem, vigilantiam adhibere ad digniorem eligendum, quantam jura omnia clamant, si satis episcopo est alios Ecclesiæ suæ ministros delegare ? (Dominic. Sot., lib. x *De just. et jure*, q. 3, art. 1, longe ante fin.)

Quod autem te episcopo assertum curavimus, de cunctis etiam parochialibus pastoribus subinde est intelligendum. (*Ibid.*, sub fin.)

Indubie tenenda est pars affirmativa (scilicet tempore necessitatis usque ad mortis perpessionem

pastorem ut resideat obligari). Quam hic expresse divus Thomas in priori conclusione affirmat, quandoquidem ait propter nullum imminens personale periculum licere episcopo Ecclesiam suam tempore necessitatis deserere, idque confirmat testimonio Christi, quod ideo in sensu præceptorio intelligit, sic scilicet, quod non sit bonus pastor bonitate, quæ ad gratiam amicitiamque Dei retinendam necessaria est, nisi ubicunque necessitatis casus occurrerit cum periculo vitæ gregi suo favore et auxilio præsens usque ad mortem adfuerit. (*Ibid.*, art. 4, longe post init., c. 4.)

Cum pascere gregem sit juris divini, id quoque, sine quo id explicari non potest, juris sit divini necesse est. (Gentian. Hervetus, *Epist. ad Alphons. Salmeron.* Soc. Jes., in *Conc. Trid.*, paulo post init.)

Quam, quæso, est perversum eorum judicium, qui Pontificis auctoritatem eos tueri existimant, qui non esse juris divini residere existimant, etc. (*Ibid.*, longe post init.)

Videntur igitur mihi sex quædam res esse, quæ reformatione indigeant, nec sine periculo negligantur... Tertia res est absentia pastorum ab Ecclesiis; quid enim prodest idoneum eligi, si non resideat? Et, ut vetera prætermittam, concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 1, declarat præcepto divino teneri pastores animarum oves suas agnoscere, etc... Quæ omnia implere non posse, qui gregi suo non assistunt, et per se notum est et ab eodem concilio explicatur... atque hoc ut præcipuum, in quo vehementer timeo, ne offendam eos ad quos pertinet dare operam ut episcopi resideant; video enim in Ecclesiis Italiæ desolationem tantam, quanta ante multos annos fortasse non fuit; sed jam neque divini juris, neque humani residentia esse videatur. (Bellarm., *Epist. ad Clem.* VIII.)

Fateor quidem aliquos episcopos a residentia per obedientiam excusatos, neque illud inficior posse summum Pontificem certis de causis atque ad tempus episcopos aliquos a residentia eximere; sed nescio an Deo placeat ut tantus numerus episcoporum longo tempore tanto cum animarum detrimento a propriis Ecclesiis absit, quos certe suo muneri satisfacere non posse perspicuum est. (Id., *ibid.*)

(*Zachar.* II.) *O pastor et idolum derelinquens gregem!* Ad vivum profecto exprimit naturam ingeniumque pastoris derelinquentis gregem; est enim nihil aliud, quam pastoris idolum, nempe imaginem tantum præ se ferens gerens et personam pastoris, ut sculptus lapis re tamen ipsa carens. (Id., *Admonit. ad episc. Theonens. nepotem suum.*)

Neque ferre potest apud se atque intra fines et ditionem suam (Academia Parisiensis), ut, quod ubique terrarum et in aliis damnat, et severis judiciis et pœnis coercendum a religiossimis Ecclesiæ Patribus et episcopis censet, illud ipsa (scilicet Academia Paris.) sciens videnśque in opprobrium suum in magistris et professoribus suis ullomodo patiatur exsistere aut conspici; nempe, ut in scholis suis cujuscunque gradus professionis et ordinis habet docentes et regentes magistros assiduæ illi et quotidianæ operæ ac labori totum per annum aut etiam plures mancipatos atque addictos, qui tamen simul pastores animarum et parœci sint; qui gregi perinde ac ovibus Christi in ecclesia sancta ejus in opus ministerii præesse atque ad earum salutem orationi et ministerio verbi instantes esse debeant; nec vero possint sine scelere sacram hanc militiam deserere... Propterea, ut omnino se testificetur coram Deo et hominibus Academia alienam esse et immunem prorsus a tali scelere... Altero rursus decreto prohibet ne quisquam, qui sit parochus et pastor animarum, assumatur in professorem, etc. (*Decret. Academiæ Paris.*, pridie Kal. Septemb. 1652, apud Cl. de la Place, *De residentia pastorum.*)

ART. II. — *Cur pastores inter oves suas residere debeant.*

Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; sacrosancta synodus eos admonet et hortatur ut divinorum præceptorum memores factique forma gregis in judicio et veritate pascant et regant. (*Conc. Trid.*, sess. 23, *De reform.*, c. 1.)

Scias, charissime frater, quod, si perniciosum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus? Ubi non dicimus quod persecutorum non fugiamus, maxime paganorum, insidias, cum ad tempus sæviunt... sed quod præcipue nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, imo qui et horum pastores sumus Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus resistere pro certo conveniat. (Nicol. Papa, c. *Sciscitaris*, causa 7, q. 1, c. 47.)

Dicendum quod in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationi finis; obligant autem se episcopi ad exsequendum pastorale officium propter subditorum salutem; et ideo ubi subditorum salus exigit personæ pastoris præsentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. (S. Thom., 2-2, q. 185, art. 5, in corp.)

Episcopus tenetur ex præcepto divini juris ad residendum personaliter in suo episcopatu... Ad

illud tenetur episcopus sub præcepto divino, quod necessarium est ad finem episcopi, qui est cura animarum; sed residentia episcopi est necessaria ad curam animarum : ergo episcopus tenetur sub divino præcepto ad personaliter residendum in suo episcopatu. (Deinde singulas partes hujus syllogismi probat. — Cajet. *in S. Thom.*, 2-2, quæst. 185, art. 5.)

Pascere gregem officium personale est, quod personæ præsentiam exposcit; ergo eodem Evangelico jure tenentur suis Ecclesiis residere. Quæstionem hanc (scilicet de necessitate residentiæ) temporum iniquitas celebrem fecit; nam ejus affirmatio, si vel de solo pastoris nomine existimetur, a Deo perspicaciter veritatem suam oculis objicit, ut in quæstionem evocari penitus renitatur : quare apud antiquos admonitam quidem ubilibet videre poteris, disputatam vero vix uspiam. (Domin. Soto, lib. x *De justitia et jure*, q. 3, art. 1, paulo post init.)

Constantissimum est Ecclesiarum præsules imo et animarum omnes pastores non usque ad parœcos inter suos greges residere teneri... ecquis enim mente sanus in quæstionem compellet utrum janitor, cui cura claudendi recludendique commissa est, ad januam assistere debeat; et cui navis gubernatio incumbit, ad clavum sedere; et utrum dux in bello, dum geritur, ei miles in acie debeat exsistere? (*Ibid.*, post init.)

Si illi episcopi, qui assidue resident, et totis viribus in curam animarum incumbunt, neque suscipiunt alia tractanda negotia, vix tamen onus reginiinis ferunt, et nimis cum ingenti periculo præsunt, ut de S. Aug. loquitur lib. x, *Confess.* c. 4, et notum est ex *Apologet.* S. Greg. Naz., ex *Dialogo* S. Greg. quomodo non falluntur ii, qui longe ab ovibus suis absunt et alienis negotiis complicantur, et tamen muneri suo episcopali se satisfacere confidunt? (Bellarm., *Epist. ad Clem. VIII.*)

ART. III. — *Quam gravis culpæ teneantur pastores non residentes.*

Si quis autem, quod utinam nunquam eveniat! contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta synodus præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III impositas et innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, etc. (*Conc. Trid.*, sess. 23, *De reform.*, c. 5.)

Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum et pœnas de curatis inferioribus et aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, sacrosancta synodus declarat et decernit; ita tamen ut quandocunque eos causa prius per episcopum cognita et probata abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant, discedendi autem licentiam in scriptis gratis concedendam ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant. (*Ibid.*)

Non exiguum sibi damnum conciliat pastor, qui extra ovile dormit ovium, somnolentia enim pastorum, luporum est gaudium. (S. Ephr., *De timore Dei, ad imit. Proverb.*, longe post init.)

Si beneficium est curatum, non residere absque rationabili causa peccatum communiter mortale est, pro quanto damnum infert animarum, nisi propter imperfectionem actus excusetur a mortali; infert enim contrarium naturali justitiæ, qua tenetur ipsemet ex suscepto officio gerere ovium Christi curam, quæ regulariter sine residentia non potest haberi, ut debet, cum etiam præsentes et sollicite studentes circa animas vix regant, ut tenentur... est etiam contra debitam charitatem Christo, nam amor ejus non est apud eum, qui parvipendit, quæ maxima sunt Christi, salutem scilicet animarum sibi commissarum; etenim experientia testatur quam male se habeant in spiritualibus et in temporalibus Ecclesiæ Christianæ propter absentiam pastorum. (Cajetan., *Summul.*, verb. *Benefic.*, n. 6.)

Peccatum est nimis grave mortale, non residere in Ecclesia propria absque causa; sive enim residentia sit de jure divino, sive humano, quod nos non intendimus modo definire, omnes conveniunt esse mortale, et magnæ damnationis. (Tolet., *Institut. sacerd.*, lib. v, c. 4, n. 1.)

ART. IV. — *Quibus pœnis subjaceant.*

Cum igitur Ecclesia vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, et curam ejus per semetipsum valeat exercere. Quod si aliter fuerit actum, et qui receperit, quod contra sanctos canones accepit, amittat; et qui dederit, largiendi potestate privetur. (*Conc. Lateran.* III, ann. 1179, c. 13.)

Ordinamus et statuimus ut prælati et curam animarum habentes in suis Ecclesiis corporaliter resideant, et ad hoc a suis episcopis per subtractionem fructuum compellantur. (*Conc. Viennense*, ann. 667, sub Clem. IV, c. 12; item *Conc. Nannetense*, ann. 1264, sub Urbano IV, et S. Ludov., c. 6; item *Conc. apud Castrum Gonterii*, ann. 1231, sub Greg. IX, et S. Ludov., c. 4; item *Conc. Ravenn.* IV, ann. 1317, rubric. 9; *Conc. Exoncense*, ann. 1287, c. 19; *Conc. Andegav.*, ann. 1373, c. 17.)

Quorum fundationes personalem residentiam requirunt, illi aut ipsi resideant, aut a proventuum perceptione suspendantur, et fructus illi in alios pios usus convertantur. (*Conc. Colon.*, ann. 1536, part. III, c. 12.)

Eos autem, qui præter causas ab eodem concilio expressas abfuerint, præter mortalis peccati crimen, quod incurrunt, pro rata portione absentiæ fructus Ecclesiarum, quibus præesse deberent, percipere non posse, sed eos in fabricæ utilitatem vel pauperum usum conferendos esse. Nos igitur, cum tam salutare et necessarium decretum aliaque generis

ejusdem et quorumcunque pastorum assiduitatem seu residentiam pertinentia velimus in nostra provincia diligentissime observari, statuimus ut, qui provinciæ nostræ episcopi in Ecclesiis suis non resederint... teneantur fructus temporis, quo abfuerint, in instaurationem ecclesiarum, etc... impendere... Eadem omnino etiam quoad culpam et amissionem fructuum de parochis et aliis quibuscunque beneficium ecclesiasticum, cui adjuncta est animarum cura, obtinentibus declaramus atque decernimus. (*Conc. Burdigal.*, tit. 19, *De pastorum residentia*, init., ann. 1583; item *Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. 14, *De parœcis et presbyteris*; item *Conc. Rothomag.*, ann. 1581, tit. *De curatorum officiis*, circa init.)

Qui a curatis beneficiis contra Trid. concilii præceptum deinceps abfuerint, eosque, quos pro temporis absentia suos non fecerint, iis, quibus ex eodem concilio debentur, fructus non solverint, ii ornandis reficiendisque eorum Ecclesiis aut loci pauperibus attribuantur. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, tit. *De Resid.*, init.)

Qui beneficio aut ejus fructibus gaudet, is aut resideat aut fructus non percipiat, aliisque decreti pœnis subjaceat. (*Ibid.*, in fin.)

Clericos in Ecclesiis tuæ jurisdictionis beneficia, quæ residentiam exigunt, assecutos, si ad alterius diœcesim absque licentia tua morandi causa transierint, liceat sibi : si moniti non redierint, dictis beneficiis, nisi excusationem rationabilem ostenderint, spoliare. (Greg. IX, c. *Clericos, De clericis non residentibus.*)

Tenetur curatis residere : hæc autem residentia est sic intelligenda, ut juxta concilium Tridentinum sess. 23, cap. 1, *De reformat.*, non possit abesse absque legitima causa; alias perdit omnes reditus pro tempore absentiæ. (Tolet., *Instruct. sacerdot.*, lib. v, c. 5, n. 7.)

ART. V. — *Quid præstare debent residentes?*

Ne quis se defunctum munere suo putet, si otiosus in Ecclesia desideat, intelligat quoniam præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini et sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum aliarumque personarum curam paternam pro viribus gerere; quæ omnia nequaquam ab his præstari et impleri possunt, qui gregi suo non assistunt, neque invigilant. (*Conc. Rhemens.*, statut. 1, ann. 1564.)

Boni pastoris munus est gregem suum agnoscere, eumdemque pascere, et ab injuria prohibere; quod minime facere possunt, quos contingit ab ovium suarum caulis diutius abesse. (*Conc. Burdig.*, tit. 19, *De pastor. resident.*, init. ann. 1583.)

Non sit inutilis ac otiosa et sine fructu eorum residentia. (*Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. 14, *De præsbyteris et parœcis*, post init.)

Parochi præterea perpetuo Ecclesiæ suæ assistant, et gregi invigilent, sint zelantes in salute fidelium procuranda. (*Conc. Aquens.*, ann. 1583, tit. *De paroch.*)

Ex sacris canonibus residentia est accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa; id quod duobus præsertim Tridentinæ synodi verbis egregie exprimitur : *ut pascant et regant* ; quorum primum ad vitæ innocentiam, ad salutaris verbi prædicationem, ad sacramentorum administrationem et bonorum exemplum pertinet; secundum ad disciplinam restituendam, ad mores purgandos, et juris ecclesiastici ditionem, ad bonorum laudem et vindictam malorum sustinendam spectat. (*Conc. Aquileiens.*, c. 5, ann. 1596.)

Qui curam animarum ex officio susceptam habent, rei debent, quam sustinent, quæ singulis periclitatur momentis, præsentem operam dare ; atque hi quidem, ut corporali insistunt residentia, ita piis debent conatibus urgere, ne quid propter illorum injuriam aut nequitiam pereat, et reddendæ rationis obligatione malum custodem obstringat. (*Ibid.*, cap. 6, init.)

Quod de episcoporum residentia a sacro Tridentino concilio et Summorum Pontificum constitutionibus cautum est, hoc non est intelligendum, ut præsentia assideant, nihil præterea agant; cum ex sacris canonibus residentia sit accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa; id quod duobus præsertim Tridentinæ synodi verbis egregie exprimitur : *Ut pascant et regant.* (*Ibid.*, cap. 5, ante med., ann. 1596.)

Cum sacerdotia populi curandi, non sacerdotis nutriendi gratia sint instituta, eos pastores tanquam custodes super muros Jerusalem positos plebs fidelis exspectet, quorum ora et linguæ clament quotidie, manus plantent et ædificent, oculi vero pervigiles ab aquilone malum omne consurgens prospicientes superno collustrati lumine avertant, placuit omnino nobis ea, quæ de residentia pastorum ab ultimo provinciali cauta sunt, innovare. (*Conc. Burdig.*, ann. 1624, cap. 11, *De pastorum residentia.*)

Residentia dicitur, assiduitas commorationis in loco beneficii causa servitii ecclesiastici personaliter præstandi. Ex quo collige cum Sylv. (verb., *Residentia*, init.) Si clericus in loco sui beneficii commoretur quidem, sed officium nunquam præstet, v. g. canonicus nunquam ad chorum, ad capitulum veniat, non esse censendum residere, quia frustranea est ejus residentia, quippe fine et effectu suo destituta. (Layman., lib. iv, tract. 2, cap. 6, n. 1.)

ART. VI. — *Quænam sint causæ legitimæ excusantes a residentia.*

Neque abesse posse nisi ex causis, et modis infra scriptis... (deinde subjiciuntur illæ causæ), Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. (*Conc. Trid.*, sess. 23, *Decret. de reform.*, c. 1.)

Neque ab eisdem nisi ex causa necessaria et ob

evidentem Ecclesiæ utilitatem, quæ a metropolitano, vel, eo absente, ab antistite antiquiore syngrapha seu scripto approbetur, abesse posse. (*Conc. Burdigal.*, tit. 19, *De past. resid.*, init., ann. 1583.)

Relatum est nobis quod, cum in Lateranensi concilio statutum sit, ut personæ tali Ecclesia vel beneficium Ecclesiasticum conferatur, quæ residere in loco, et curam ejus per se valeat exercere, nonnulli ad Ecclesias præsentati hoc se posse affirmant, sed efficere contradicunt... Cum igitur verba accipienda sint effectu, tales si præsentati fuerint, non debent admitti, et admissi, poterunt amoveri, nisi forte de licentia suorum prælatorum, vel studio litterarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse. (Alexand. III, can. *Relatum;* S. Greg., *Decret.* lib. III, tit. 4, c. 4.)

Quæsivisti præterea ut, cum interdum canonici, quibus studiorum gratia est indultum ut in absentia sua fructus percipiant præbendarum suarum, accepta licentia se ad villas transferunt, vel castella, in quibus nullum est vel minus competens exercitium studiorum, utrum præbendarum suarum fructus sint talibus conferendi? Ad quod breviter respondemus eis, qui hujusmodi fraudem committunt, cum fraus et dolus nemini debeat patrocinium impertiri, præfatam indulgentiam competere non debere. (Innoc. III, c. *Tuæ fraternitatis*, De clericis non resident.; S. Greg., *Decretal.*, lib. III, tit. 4, c. 12.)

Ecclesiarum suarum prosequentes utilitatem censeri debent residentes. (Bonifac. VIII, c. *Cum non deceat;* Sixt., *Decret.* lib. I, tit. 6, c. 30.)

An propter intemperiem aeris, relicto ibi vicario approbato ex ordinarii consensu, parochus non inde oriundus possit alibi habitare. Congregatio censuit non posse; si tamen rector infirmus esset, et in loco parochialis curæ curari non potest defectu medicorum medicinarumve, tunc posse ab ordinario dari ei dilationem trium vel quatuor mensium, ut in locis vicinioribus maneat, recuperandæ sanitatis causa, posito interea ab ipso ordinario in parochiali vicario, cum congrua portione ex reditibus parochialis. — A residentia non excusatur exercens officium subcollectoris apostolici, vel inquisitoris, neque etiam excusat lis super eadem parochiali mota. (*Declaratio cardinal. interpret. Conc. Trid.*, in cap. 1 *Decretal.*, *de reform.*, sess. 23.)

(Ut beneficiatus excusetur a peccato non residendo) duo concurrere debent, scilicet causa rationabilis et honesta et licentia sui prælati, ut in cap. relatum, *De cleric. non resid.*, in text. et gloss. Non ergo sufficit sola prælati licentia sine honestate causæ, quia prælatus non potest sine causa dispensare contra jus. (Gabr. Biel., in IV *Sentent.*, dist. 5, q. 8, dub. 2, ante med.)

A residentia excusant tria: necessitas impedimenti, qualitas negotii, et conditio personæ... Ex Ecclesiæ bono sumenda est ratio præsentiæ aut absentiæ. (Cajetan., in *S. Thom.*, 2, 2, q. 185, art. 5.)

Ex his, quæ dicta sunt, elicitur causas omnes, ob quas licite præsul potest a sua Ecclesia abscedere, nullatenus existimandas esse respectu suæ propriæ personæ, quandoquidem et vitam ipsam Ecclesiæ debeat, sed tantum respectu boni Ecclesiæ, cui fidem habet obligatam. Quare etsi Cajetanus in præsentiarum easdem causas sub tribus generibus complectatur, quæ sunt necessitas impedimenti, qualitas negotii et conditio personæ; ad commodum tamen Ecclesiæ sunt omnes referendæ. (Soto, lib. X *De just. et jure.*, art. 4.)

Quænam sunt justæ causæ a continua residentia excusantes? Respondeo cum Azorio lib. VII, cap. 4, q. 44, posse eas ad quatuor capita revocari, quorum meminit conc. Trid., sess. 2, c. 1, cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulet. (Layman., lib. IV, tract. 2, c. 6, n. 5.)

CAPUT IV.

Divinum Officium recitare.

ART. I. — *De divini officii excellentia.*

(Vide *Conc. Colon.*, ann. 1536, part. I, c. 2.)

Quorum celebritate et frequentia in militanti Ecclesia, triumphantis figura tanquam exemplaris imitatione exprimitur. (*Conc. Aquileiens.*, ann. 1586, tit. *De divinis offic.*, init.)

Ubi psalmus cum compunctione; ibi et cum angelis suis Deus adest. (S. Ephrem., *Ludicris abstinendum esse*, circa med.)

Psalmus dæmonas propellit; psalmus telum in timoribus nocturnis; psalmus divinorum requies laborum; psalmus infantibus tutela; psalmus senibus consolatio, mulieribus ornamentum decentissimum; hic festa collustrat; hic eum, qui secundum Deum est, dolorem procreat; psalmus siquidem ex lapideo licet corde lacrymas excitat; psalmus angelorum opus, cœlestis vitæ ratio et institutum, spiritalisque quidam suffitus; hic mentem illuminat; hic in cœlum reducit; hic homines Deo familiares colloquio reddit, animam lætificat. (*Ibid.*, paulo ante med.)

Psalmus est vox Ecclesiæ... angelorum opus, cœlestis reipublicæ in commune proposita functio, spirituale thymiama. (S. Basil., in Procœmio *Psal.* post med.)

Psalmorum cantus... illius (cœlestis) hymnodiæ præludium est. (S. Greg. Naz., orat. 40, in fin., n. 52.)

Angelorum militia est semper esse in Dei laudibus. (S. Ambros., epist. 82, *Ad Vercellens. Eccles.*)

Cantica fidelia, et soni pietatis excludentes turgidum spiritum. (S. Aug., *Confess.*, lib. IX, c. 4, n. 8.)

Orationum officium velut peculiare sacrificium studiosius celebrant. (Cassian., lib. II *Instit.*, c. 12, in fin.)

Majores nostri arma religionis dixere psalmo-

diam. (S. Joan. Climac., *Scal. parad.*, grad. 4, *De obed.*, n. 13.)

Psalmodia est opus incorporearum virtutum Deo administrantium, et indivulse assistentium, juxta quod dicitur : *Laudate Dominum de cœlis*, etc. — Psalmodia sane juge est sacrificium laudis. — Certe quid opus est ut explicem quantum gratiæ et spiritualis lætitiæ inferatur cordi ejus, qui cum compunctione et pervigili attentione psallit Domino ? Norunt plane, qui didicerunt doctrice experientia. (B. Antioch., hom. 105, init.)

Septem canonicarum horarum officia, quasi septem baptismatum lavacra in sanctæ Ecclesiæ sunt gremio constituta, ut septem offensionum maculas, quas ex quotidiana vitæ hujus conversatione contrahimus, totidem, ut ita loquar, orationis quotidianæ fluentis expiare curemus. (S. Petr. Damian., *De Horis canonic.*, c. 1.)

Elisæus, cum sibi spiritus prophetiæ deesset, psaltem sibi applicari præcepit, ut per laudem psalmodiæ ad eum spiritus prophetiæ descenderet. Vox psalmodiæ, cum per intentionem cordis agitur omnipotenti Deo, ad cor iter paratur, ut intentæ menti vel prophetiæ, vel compunctionis gratia infundatur ; *unde sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* (*Psal.* xlix, 23.) In sacrificio igitur laudis fit Jesu iter ostensionis ; Jesus enim Salvator dicitur in psalmodia : igitur devotæ menti semper gratia infunditur cœlitus. (Hugo a S. Victore, *Miscellan.*, cod. 2, lib. i, tit. 130.)

Opus Dei. (S. Bonav., *Specul. discipl. ad novit.*, part. ii, c. 1, circa med.)

ART. II. — *De divini officii recitandi obligatione.*

Districte præcipientes in virtute obedientiæ ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote. (*Conc. Lateran.*, c. *Dolentes*, De celebrat. Missæ.)

Debitum suæ servitutis pensum. (*Conc. Mogunt.*, capitul. *Ad mores pertinent*, cap. 53, ann. 1549.)

Nisi velut lege quadam solvere hæc pietatis officia saltem statutis temporibus adigamur, totum diei spatium oblivione aut desidia vel occupationibus involuti absque orationis interpellatione consumimus. (Cassian., *Institut.* lib. iii, c. 3.)

Sit sane in ore tuo perpes ac jugis psalmus. — Psalmodia, canon noster dicitur. Sane quemadmodum unus aliquis agricola, nisi suum canonem plenum ac bonum reddiderit, in carcerem conjicitur, suspenditur, etc. Ita continget monacho, cum per oscitantiam sibi præscriptum transmiserit canonem ; is enim gratia mox destituitur, suis addicitur inimicis, illorum succumbit pedibus et proculcatur, nec unæ afflictionum procellæ talem adoriuntur. (B. Antiogh., hom. 105.)

Nemo Dei se æstimet servum, si Dei potissimam negligat servitutem, quæ appropriato vocabulo Dei servitium nuncupatur. (S. Bonav., *Specul. discipl. ad novit.*, part. i, c. 16.)

ART. III. — *De modo recitandi Officii.*

Sectio prima. — *Digne.*

Nec perfunctorio modo, et irreligiose officia peragantur divina. (*Concil. Burdigal.*, ann. 1624, cap. 9, n. 4.)

Debemus non passim ventilare preces nostras inconditis precibus, nec petitionem commendandam modeste Deo tumultuosa loquacitate jactare, quia Deus non vocis sed cordis auditor est. (S. Cypr., *De orat. Domin.*, post init.)

Psallite Domino sancti ejus. (*Psal.* xxix, 5.) Non si quis psalmi verba ore proferat, hic mox psallit Domino ; sed quicunque corde puro expromit psalmodiam, et quicunque sunt sancti erga Deum justitiam servantes, hi demum Domino psallere rhythmis spiritualibus, concinno et consentaneo ordine poterunt. (S. Basil., *in psal.* xxix, longe ante med.)

Eum, qui pro civitate ipsa tota ; quid dico, civitate ? imo vero pro universo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat ; qualem, quæso, esse oportet ? (S. Chrysost., lib. vi *De sacerdot.*, c. 4.)

Quid prodest quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua ? (S. Aug., *in psal.* cii, ad ỹ 21, n. 28.)

Cura Officii diligens, maxima status integritas ; neglectus Officii, maxima vitæ corruptio, maxima religionis deformitas. — Tanto amplius reverentiæ et diligentiæ studium divino debetur Officio, quanto id Deo immediatius exhibetur. — Parisiis, ut fertur, cum quidam theologus unius horæ canonicæ incepisset Officium, superveniente episcopo ad loquendum cum eo, caput sine locutione inclinatus, horam inceptam episcopo exspectante finivit, causam subinferens, quod majori domino loquebatur. — Quidam propter interruptiones in Officio factas gravissimo afflictus purgatorio memoratur. (S. Bonav., *Specul. discipl. ad novit.*, part. i, c. 16.)

Sectio secunda. — *Attente.*

§ I. — *Quam necessaria sit attentio recitantibus officium.*

Psallentium in Ecclesia Domino mens concordare debet cum voce, ut impleatur illud Apostoli (*I Cor.* xiv, 15) : *Psallam spiritu, psallam et mente.* Quoniam, quamvis ubique Dominum per potentiam divinitatis noverimus esse, præcipue tamen eum, cum divino assistimus officio, per gratiam nobis credimus adesse. (*Conc. Aquisgran.*, lib. i, c. 132, ann. 1816.)

Non suffecerit preces istas horarias utcunque præmurmurasse ; sed. . . Presbyter ex intimo affectu elevataque mente in solum Deum nocturnum hoc diurnumque suæ servitutis pensum exsolvat ; *Maledictus enim, qui facit opus Domini negligenter.* (*Jer.* xlviii, 10.) (*Conc. Colon.* i, part. ii, c. 8, ann. 1536.)

Omnes, qui Horis canonicis persolvendis deputati sunt, dent operam ut collectis animis, quoad fieri potest, debitum pensum absolvant, nec ita se habeant, ut, dum voce psallunt, quidvis potius quam Deum animo cogitare videantur, semper caventes ne propheticum illud audiant (*Matth.* xv, 8) : *Labiis quidem me honorant*, etc. — Quid est voce psallere, mente autem domum aut forum circuire, nisi homines fallere, et Deum irridere. — Grave admodum est, quod Scriptura dicit (*Jer.* xlviii, 10) : *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* — Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet quod precatur ? — Quæ autem segnitia est, alienari et rapi ineptis cogitationibus et profanis, cum Dominum deprecaris ? Quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam cum Deo loqueris ? Quomodo te audiri a Deo postulas, cum teipse non audias ? Vis esse Deum memorem tui, quando tu ipse memor tui non sis... hoc est, quando oras Deum, majestatem Dei negligentia orationis offendere, hoc est, vigilare oculis, et corde dormire ? (S. Cypr., *De orat. Dominica*, longe post med.)

In concinnendis Psalmis attenti persistamus, oremusque voce exerta et constanti, aversati studium omne multivariæ cogitationis et curiosæ sollicitudinis. (B. Antioch., hom. 105.)

Psallere sine devotione, est quasi æs sonans et cymbalum tinniens. — Duo necessaria sunt in psalmodia, intellectus et cordis immaculati devotio. (Petr. Bles., serm. 56, *Ad sacerdot.*, post med.)

Quandoque, dum psallimus, facimus castella in animo, et imaginamur vanitates et insanias falsas : labia sunt in canticis, et animus in patinis... non est hic Psalmus jucundus decoraque laudatio. (Id., serm. 59, *Ad sacerdot.*, *Vid.* plura *ibid.*)

Hoc autem in omni occasione observent ut, quod orantes dicunt, ex animo semper dicant ; non enim vocibus, sed rebus agitur apud Deum. (S. Bonav., *Specul. discipl.* part. ii, cap. 1, circa med.)

§ II. — *Quibus attendere debeat, qui Officium recitat.*

Semper versiculum decantatissimum animo volventes. (*Conc. Trevirens.* ii, ann. 1549, c. 6, *De Horis canon.*)

Verba singula notet, interpretationem studio assequatur, unde mens animusque ad aliquem salutarem affectum incendatur. — Magna animi attentione se ad verba sententiasque psalmi accommodet, ita ut laudet, gemat, extimescat, sicut psalmorum voces indicant, et, quod denique ore profert, animo primum concipiat. (*Conc. Mediol.* v, part. iii, tit. *Quæ ad divina Officia pertinent*, post med.)

Ad verba adjungat animo cogitationem vel amoris vel reverentiæ, vel humilitatis ; atque ita quidem affectum aliquem excitet, ut, si de virtute verba psalmi profert, desiderio accendatur imitationis ; si de peccatis intime doleat... et sic de aliis, item quæ psalmo significantur. (*Ibid.*, *Vid.* plura *ibid.*)

Si orat psalmus, orate ; et, si gemit, gemite ; et, si gratulatur, gaudete ; et, si sperat, sperate ; et, si timet, timete ; omnia enim, quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum est. (S. Aug., *in psal.* xxx, enar. 4, circa init., num. 1.)

Stude intelligere ea, quæ dicis, si potes ; si vero non potes intelligere, reverere, quia, sicut dicit Sapiens (*Eccle.* xxxii, 14) : *Per reverentiam accedet tibi bona gratia.* (S. Bonav., *Reg. novit.*, c. 1.)

§ III. — *Quænam cogitationes repellendæ.*

Non decet ullomodo ut inter preces aliud agatur, seu necessarium sit, seu non necessarium. (S. Joan. Climac., grad. 19, sub fin.)

Hæc solemnis consuetudo dæmonibus inolevit : si quando unum aliquem viderint animo alacri psallentem aut orantem, cogitationes tunc suggerunt rerum prospectui necessariarum, mentem interim psallentis per hæc alio detorquent, nempe ad rerum illarum indaginem, ut .. totius perdat dulcedinem psalmodiæ. (B. Antioch., hom. 105, circa med.)

Unde vos moneo, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus... pure vero, ut nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis ; nec solas dico vitandas cogitationes vanas et otiosas ; vitandæ sunt et illæ, illa duntaxat hora et illo loco, quas officiales fratres pro communi necessitate quasi necessario frequenter admittere compelluntur ; sed ne illa quidem profecto recipere tunc consuluerim, quæ forte paulo ante in claustro sedentes in codicibus legeratis, qualia et nunc me viva voce disserente ex hoc auditorio Spiritus Sancti recentia portatis : salubria sunt, sed minime illa salubriter inter psallendum revolvitis ; Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quidquid aliud, quam debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris. (S. Bern. serm. 47 *in Cant.*, sub fin., n. 8.)

Spiritus Sanctus aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu (*Sap.* i, 5) ; quæ secundo loco ponuntur cogitationes sine intellectu, ipsæ sunt vanæ, illæ et otiosæ... non repente perimentes, sed sensim et paulatim corrumpentes, occupantes tempus, necessaria impedientes ; et animum inficientes non tam cogitationes quam ex variis vel imaginariis recordationibus simulacra quædam cogitationum. (*De vita solitar.*, *Ad fratr. de Monte Dei*, int. Oper. S. Bern., c. 15, sub fin.)

Voluntas neglecta facit cogitationes otiosas et indignas Deo ; corrupta perversas, quæ separant a Deo ; recta necessarias ad usum vitæ ; pia efficaces ad fructum spiritus et ad fruendum Deo. (*Ibid.*, c. 16, n. 61.)

Cum fueris in Ecclesia vel alibi ad divinum Officium celebrandum, non sis ibi cum vagatione cordis, interponendo nociva et cogitanda diversa, quia dicit Bernardus : Magna abusio est habere os in

choro et cor in foro. (S. Bonav., *Reg. novit.*, reg. 1, circa init.)

Sectio tertia. — *Devote.*

Non vocis tantum modulatione, sed devotione cordis debitum suæ servitutis pensum absolvant; et ad divina Officia peragenda corpore pariter et mente se componant, quo simul et Deo cultum gratum exhibere, et populo consideranti devotionem augere valeant. (*Conc. Mogunt.*, capitul. *Ad mores pertinent*, cap. 53, ann. 1549.)

Qui canunt, multa cum attentione et compunctione canant. (*Synod. in Trullo*, can. 5.)

Nec clamans, sed amans cantat in aure Dei; audit enim ille vocem cordis, sine qua sonum oris contemnit; quare videndum est ut, qui spiritu psallunt, et mente psallant. (*Conc. Trevir.* II, ann. 1549, c. 6, *De Horis canonic.*)

Quas tibi voces dabam in psalmis illis, et quomodo in te inflammabar ex eis, et accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum adversus typhon generis humani. (S. Aug., lib. IX *Confess.*, c. 4, n. 8.)

Quantum flevi in hymnis et canticis tuis; suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter : voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum, et exæstuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis. (*Ibid.*, c. 6, in fin.)

Quis autem veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat? — *Qui timetis Dominum, laudate eum.* (*Psal.* XXI, 24.) Ut Deum non serviliter, sed libere colatis; eum amare discite, quem timetis, et poteritis laudare, quod amatis. (Id., epist. 120, et nunc 140, c. 18.)

Immolantes hostiam laudis jungamus sensum verbis, et affectum sensui, exsultationem affectui, gravitatem exsultationi. (S. Bern., serm. 1 *in Cant.*)

Psallite sapienter, cibus in ore, psalmus in corde sapit... offeramus cum apostolis in cœlesti convivio et in Dominica mensa favum mellis; mel in cera, devotio in littera est; alioquin littera occidit, si absque spiritus condimento glutieris; si autem cum Apostolo (*I Cor.* XIV, 15) psallas spiritu, psallas et mente, cognosces et tu de illius veritate sermonis, quem dixit Jesus (*Joan.* VI, 64) : *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* (Id., serm. 7 *in Cant.*, n. 5.)

Sic delectabitur in crassitudine anima tua. — Sic placebis principibus. (*Ibid.*, n. 6.)

Si psallitis, psallite sapienter : Psallamus, inquit Apostolus (*Ibid.*), ore, psallamus et mente, offerentes cum apostolis favum mellis. Quid est favus, nisi mel in cera? Et quid est mel in cera, nisi devotio in littera? Quidam sunt, qui, ex quo versum incipiunt, videtur eis longissimus, quo ad finem veniant, et singula verba ita currendo præcipitant, ut in favo Domini non remaneat mel aut cera; versum unum sub clausula una glutiunt, et canticum Domini decurrunt, et perfunctoriis synaleæptiis dimidiant. (Petr. Bles., serm. 12, *De vita, moribus et offic. prælator. et cleric.*)

Duo necessaria sunt in psalmodia, intellectus et immaculati cordis devotio; et tunc non solum angeli, sed Dominus angelorum venit, ac se libentissime interponit, et evenit quod dicitur per Prophetam (*Psal.* C, 1) : *Psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* — Quid prodest psalmus, nisi devotione comitetur? Psallere sine devotione, est quasi æs sonans et cymbalum tinniens. Id., serm. 56, *Ad sacerdot. in, Levit.* VI, 12, longe ante fin.)

ART. IV. — *De iis quæ circa celebrationem divini Officii in choro servanda sunt.*

Sectio prima. — *Quædam circa intentionem servanda.*

Utinam optando a Deo optimo maximo consequi possimus, ne quisquam lucri causa divinis interesset, alioqui non accessurus sacra, veluti quem nummi magis quam Dei amor in templum trahit, quæstum pietatem esse putantem : qui non dubium ex numero eorum est, de quibus Isaias dixit (I, 23) : *Omnes diligunt munera, sequuntur retributionem.* — Quare viderint clerici ut eorum mens et intentio tota in Deum referatur, ut cum David confiteantur Deo in directione cordis... in via etiam testimoniorum Domini delectentur, sicut in omnibus divitiis : optandum ut psalmus ille centesimus decimus octavus, qui toties non sine causa in ecclesiis replicatur, ore simul et correspondente singulis verbis mente decantetur, et cum eodem psalte et animo dicamur (*Psal.* LIII, 8) : *Voluntarie sacrificabo tibi et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.* (*Conc. Colon.* I, ann. 1536, part. III, c. 13.)

Antea vero quam eo conveniat, paululum attente secum cogitet et loci illius sanctitatem, et conveniendi causam, et divinarum laudum, quarum munus angelorum est, officia, quæ castissime ab omnibus concelebrari oportet. (*Conc. Mediol.* V, part. III, tit. *Quæ ad divina Officia pertinent.*)

Ipsa quoque ecclesiasticæ dignitatis Officia in turpem quæstum et tenebrarum negotium transiere; propter hoc tondentur, propter hoc frequentant ecclesias, Missas celebrant, psalmos decantant. (S. Bern., serm. 6 *in psal.* XC : « *Qui habitat,* » sub fin., n. 7.)

Sectio secunda. — *Servanda ante ingressum in chorum.*

1. Studio quodam intimæ pietatis, cujus splendor foris etiam eluceat, unusquisque... ad chori disciplinam sese instruat. — Hac ipsa in cogitatione firmiter inhærens, nec quidquam quidem mente animoque concipiet ab ejus loci religione alienum, nedum aget, quod Dei oculos offendat. — Paret se propterea etiam atque etiam diligenter sancta intimi animi meditatione et religiosa oratione, ut exteriorem quoque cultum divinorum Officiorum salutariter exsequatur. — Dum superpelliceum, qui ami-

tus ex tela linea candida constat, induit, cogitet quam personam sustineat, nempe a sordibus labeque puram, qualem vestitus ille indicat. — Cum chori vestibus indutus alium vestitum, quo foris utitur, contegat, sicque aliam personam habitu gerat, caveat ne quidquam etiam in sacristia agat admittatve, quod cum actione non recte conveniat, ob quam illum habitum induit. — Ne in colloquiis quidem ab ea actione alienis se occupet, nisi curæ præsit quæ id necessario postulet. (*Conc. Mediol.* v, part. III, tit. : *Quæ pertinent ad divina Officia.*)

Sectio tertia. — *In ipso ingressu in ecclesiam et chorum.*

Terribilis est locus iste; non est hic aliud, nisi Domus Dei. (*Gen.* xviii, 17.)

Mox, ut auditum fuerit signum, festinato omnes ad ecclesiam conveniant... Qui sequitur, aut tarde ad Matutinum aut ad aliud quodlibet divinum obsequium peragendum occurrerit, dignum ut non cum aliis in choro, sed omnium ultimus, aut certe, ut erubescere discat, in loco hujuscemodi negligentibus a prælatis constituto stet. — Ecclesiam non pompatice, aut inhoneste, vel incomposite, sed cum reverentia et Dei timore ingrediantur. — Studendum solerter ut, cum ecclesiam vel ad divinæ laudis debita solvenda vel ad agenda Missarum solemnia intramus, semper angelicæ præsentiæ memores, cum timore et veneratione competenti, cœleste compleamus Officium. *Conc. Aquisgran.*, ann. 816, lib. I, c. 131.)

In chorum ne properanter quasi distributionum quæstu incitatus accedat, sed gravi incessu. (*Conc. Mediol.* v, part. III, tit. *Quæ ad divina Officia pertinent.*)

Introeuntes ecclesiam, divini Officii sive celebrandi sive audiendi gratia frontem aqua benedicta aspergant, et signo crucis sese muniant, ac genu flexo adorent, præsertim clerici simul atque chorum ingressi erunt. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. I, *De adorando Deo*, can. 8.)

Cum itaque aderit hora divini Officii celebrandi, quisque cum omni alacritate primus in excubiis Domini inveniri studeat, non vanum nec inane reputans, aut in die æternæ retributionis negligendum, si alios semper prævenire studuerit, ac prior Dominum salutare, et plus damnationis quam laudis habere; adeoque tepidi, fastidiosi, negligentis otiosique animi indicium esse ad ultimum campanæ motum exspectare, et avari irreligiosique animi præ se ferre notam, desinente campanarum sono, ad ecclesiam certatim accurrere, et instar venatoris canis hiante ore spiritum trahere. — Ubi quisque templum fuerit ingressus, corpore et mente ante tabernaculum corporis Dominici in genua provolutus, per virtutem et mysterium illius sacramenti, sese Deo brevi et ardenti oratione commendet, atque in illum tanquam in unicum divini cultus principium, medium et finem, omnem intentionem atque attentionem animi configat; indeque mox cum silentio in chorum ad locum suum se conferat. (Octavius Frangipanus, episcopus Tricariensis, *Director. discip. ecclesiast.*, tit. *De divinis Officiis.*)

Ingredientibus porro nobis in domum Dei, ne mente evagemur ac distrahamur; sed contemplationi operam det interior noster homo. (S. Ephrem., *De timore Dei.*, *Proverb.*, longe post init.)

Sectio quarta. — *Post ingressum in chorum.*

§ I. — *Quæ spectant corporis compositionem, et habitum in choro.*

Nec cum baculis in choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum et psallendum est. (*Conc. Aquisgran.*, lib. I, c. 131, ann. 816.)

Cum in choro fuerint, gravitatem servent, quam locus et Officium exposcunt. (*Conc. Senon.* ann. 1528, tit. *De decret. mor.*, c. 18; *Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. 13, *De capitulis, dignitat. et canonic.*)

In choro pro temporis et Officii ratione ex instituto et more Ecclesiæ sedeant, stent, flectant genua, caput aperiant, et submittant, cæteraque ejus generis adhibeant; omnes vero æque idem faciant. — Ne vagentur in choro vel ecclesia. — Neve locum mutent, ne occasione quidem genua flectendi. (*Conc. Mediol.* I, part. I, tit. *Quomodo versandum in choro.*)

Dum sancta Evangelia in ecclesia recitantur, sacerdotes et cæteri omnes non sedentes, sed venerabiliter in conspectu Evangelii stantes, discooperto capite Dominica verba intente audiant et fideliter adorent. (*Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. *De capitul. dignit. et canonic.*)

In choro clerus ne vagetur oculis; incomposito corporis situ ne stet, vel sedeat; non moveatur huc illucque. (*Conc. Aquens.* ann. 1585, tit. *De choro*, sub fin.)

Porro si usquam vultu, moribus, affectu totiusque exterioris et interioris hominis compositione declaranda in Deum pietas atque religio est, ea in templo, in choro, in ipsis divinis Officiis ac publicis religione Officiis declaranda est; parum enim in Deum pius ac religiosus esse convincitur, qui hic irreligiosus esse invenitur. — Non hac illacque vano animo curiosoque oculo circumspiciat. — Sed nec locum quidem mutet. — Sive stent, sive in genua procumbant, sive sedeant, ab omni indecoro innixu sive in scamnum sive in murum vel aliquid aliud abstineant, sed decenter sine vaga dispositione. (Octav. Frangipan., episc. Tricariens., *Director. eccles. discipl.*, tit. *De divinis Offic.*)

Sit autem orantibus sermo et precatio cum disciplina, quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare; placendum est divinis oculis et habitu corporis et modo vocis; nam, ut impudentis est clamoribus obstrepere, ita contra congruit verecundo modestis precibus orare. (S. Cypr., *De Orat Dominica*, circa med.)

Et cum ecclesiasticis illis Officiis rite credatur angelicam semper adesse præsentiam dicente Scri-

ptura (*Psal.* CXXXVII, 1) : *In conspectu angelorum psallam tibi*, etc., quanto putamus adversus nos zelo moventur, dum in conspectu illius nos irreverenter sedere conspiciunt, cui scilicet ipsi trementes assistunt. (Petr. DAMIAN., opusc. 39, *Contra sedentes tempore divinor. Offic.*, cap. 3, circa init.)

Reverentiam in Officio honesta corporis dispositio, quæ mentis devotionem non mediocriter promovet, attestatur. — In choro non stent in stallis suis molliter aut quasi fractis genibus resoluti. — Dispositio corporalis honesta devotionis provocat affectum et designat. (S. BONAV., *Specul. discipl.*, part. II, c. 1.)

Honestas in choro in exteriorum actuum gravitate, in corporis decenti et uniformi dispositione accipi potest. Sane in populo gravi laudatur Deus; gravitas autem inquietudinem, dissolutionem et tumultum excludit; inquietudo in motu membrorum consistit, sive capitis in circumagendo, sive oculorum in circumspiciendo per chorum, vel alibi, etc., sive manuum in fricando vel volvendo curiose librorum folia vel aliud superflue faciendo, sive pedum in discurrendo, ut si quis oratorium frequenter exeat, aut per chorum frivolis occasionibus inventis discurrat... Dissolutio vero in verbis aut risu, quibus in choro vanissimum est dissolvi, et in cantu considerari potest, etc. Tumultus in choro per vocis susurrium, per importunitatem spuendi seu excreandi, seu per impetuosam elevationem et depositionem sedilium fieri solet, etc. — Sedilia vero debent non passim cum pede, sed cum manu elevari, et caute deponi, ne aliquis ex hoc sonitus in domo Dei audiatur. (*Ibid.*, c. 15, *De discip. Officii in choro*, paulo post init.)

In corporis dispositione decenter et uniformiter sint in choro; decenter, quod sine vaga dispositione vel turpi; vaga, ut quando chorum ingressi, vel intrante vel astante conventu, nunc segniter resident, nunc stantes quidem hac et illac membrorum ut languentium incongrua quadam exagitatione se girant, nunc statuæ instar stallo affixi et e regione dispositi, velut sui obliti, nec ad altare demissis, ut decet, luminibus ante inceptum Officium oraturi se vertunt, vel alias irreligiose disponunt, sed nudato etiam aliquando capite circumquaque, ut cervus in saltu, vel ruralis in theatro, gyrovagando respectibus, oculos in advenientium vel coastantium vultus infigunt, suoque indisciplinato intuitu collateralium orationem, quam ipsi negligunt, etiam impediunt; turpis autem erit, si sint ibi molliter aut remisse, se in stallis suis brachiis tibiisque resolutis notabiliter incurvando, aut in partem unam penitus, ut possunt, protenso in alteram partem corpore accubando, ita ut lecti mollitiem quærere videantur... aut, dum sedent, pedes suos usque ad scabellum formæ contiguum licentius extendendo, etc., uniformitas est in prostratione et inclinatione specialiter, quanquam in aliis generaliter observanda, etc. — Non est devoti, sed pigri, rigido stante corpore, tenui motu corporis inclinare. (*Ibid.*)

§ II. — *Quæ spectant exteriorem chori disciplinam.*

Nemo, dum Horæ in communi publice cantantur, legat vel dicat privatim Officium. (*Conc. Basileens.*, sess. 21, c. 5; *Trevirens.*, ann. 1549; *Narbon.*, ann. 1609, et alia passim.)

In choro colloquia nulla permittantur, sed intendant omnes divino cultui. Qui contra fecerit, nisi monitus quiescat, privetur ejus Horæ distributione. (*Concil. Camerac.*, ann. 1565, tit. *De cultu et cæremon. et Offic. divin.*, c. 9.)

Ac ne Horas quidem canonicas privatim absolvere audeat, sed concinnat, ac una cum fratribus Deum honorificet. Contrarium qui fecerit, tanquam absens habeatur. (*Conc. Trevirens.* II, ann. 1549, c. 6, *De Horis canonic.*)

Facessant somnus, risus, joci, rixæ, colloquia — Ne in choro, ubi communi Officio opera datur, privatim Officium dicant. — In choro etiam in matutino Officio clericali biretto, non pileo utantur. (*Concil. Mediol.* I, part. II, c. *Quomodo versandum in choro.*)

Ne quis canonicus dignitateve præditus, aut ecclesiæ cujusvis minister, clericusve quicunque, dum horariis divinarum precum interest, aut processiones, funera vel functiones ecclesiasticas obit, superpelliceo aliove sacro indumento indutus chirotecis etiam manus induat. (*Conc. Mediol.* IV, part. II, tit. *De his quæ ad divina Officia pertinent*, post med.)

Non pigri, non somnolenti, non oscitantes adestote, non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu. (*Ibid.*, part. III, tit. *Monitiones*, circa med.)

Chori disciplina plena religionis est, plena pietatis, ac propterea sancte ab iis observanda est, qui in eum locum conveniunt ad Dei laudes concelebrandas. (*Conc. Mediol.* V, part. III, tit. *Quæ ad divina Officia pertinent.*)

Cum in choro fuerint, gravitatem servent, quam et locus et Officium exigunt; non inter se aut cum aliis confabulantes seu colloquentes, non dormientes, aut litteras seu scripturas alias legentes... ne, ubi peccatorum est venia petenda, ibi gravius peccandi detur occasio. (*Conc. Turon., De capitul. dignit. et canonic.*, ann. 1583.)

Neve litteras, libros aliave scripta legant. (*Conc. Mediol.* I, tit. *Quomodo versand. in choro; Conc. Senon.*, ann. 1528; *Turon.*, ann. 1583, tit. 13, *De capitulis, dignit. et canonicis.*)

Omnes denique in templo ita se suasque actiones componant, ut sibi non cum homine, sed cum Deo rem esse intelligant. (*Conc. Rhem.*, ann. 1583, tit. *De cultu divino*, n. 6.)

Non legat aliud in choro, præterquam Officium quod tunc cantatur. (*Conc. Aquens.*, tit. *De choro*, ann. 1585.) — Non flores in manu teneat.

In choro colloquia non permittantur, non dormiat aliquis, non nugetur. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, c. 30.)

Huc atque illuc per templum non vagetur aut conabulandi gratia in sacristiam aut sacrarium vel alium angulum secedat, sed nec locum mutet, nec e choro egrediatur, nisi peractis ex toto divinis Officiis. (Octav. Frangip., episc. Tricariens., *Director. discipl. eccles.*, tit. *De divinis Officiis.*)

Quod prælatus sit odiosus laicis contingit, si negligit cultum divinæ laudis *Malach.* II, 8, 9. *Irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum; propter quod dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis.* (S. Thom., *in I Tim.* III, lect. 2, paulo ante med.)

Dormitatio in Officio tunc maxime imputatur, et omissi dicitur restitutione Officii redimenda, quando manum in sinu tenendo, vel segniter appodiando, ei occasionem quis præstat, aut subrepentem viriliter non repellit. (S. Bonav., *Specul. discipul.*, part. I, c. 15, paulo post init.)

Cessent vana, et multo satius fœda in ecclesia et profana colloquia; cessent confabulationes quælibet, ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. (Greg. X, *De immunit.*, lib. VI, c. 2.)

§ III. — *De interna religione in choro.*

Dum in choro estis, memores estote adesse Christum Jesum Dominum, cui servite cum timore et tremore. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones* ante med.)

Cum in choro est, animum mentemque ab omnibus curis, perturbationibus et cogitationibus a rei, quæ geritur, sanctitate alienis, quoad ejus fieri potest, abducat, seseque totum in Dei cultu colligat, etc. (*Conc. Mediol.* V, part. III, tit. *Quæ ad divina Officia pertinent.*)

Pietas, cultus Dei est; nec colitur ille, nisi amando. (S. Aug., epist. 120, et nunc 140.)

Antequam eo conveniat, paululum attente secum cogitet, et loci illius sanctitatem, et conveniendi causam, et divinarum laudum, quarum munus angelorum est, Officia, quæ castissime ab omnibus celebrari debeant.— Dum superpelliceum, qui amictus ex tela linea candida constat, induit, cogitet quam personam sustineat, nempe a sordibus labeque puram, qualem vestitus ille indicat. — Illud etiam cogitet quam ob causam eo se contulerit; tum sibi statuat se in conspectu Dei omnipotentis et in corona innumerabilium angelorum et sanctorum esse. — Qua in cogitatione videat, perpetuoque reputet se eo loco consistere, ut Deo sanctissimum cultum venerationemque tribuat, atque ab eo et sibi et aliis omne bonum deprecetur. (*Conc. Mediol.* V, part. 15, tit. 16, *Quæ ad divina Officia pertinent.*)

ART. V. — *De modo recitandi Officium divinum extra chorum.*

Quantum ad præparationem, et devotionem.

Ad quam (devotionem in Officio) se disponere et præparare debent juxta id quod scriptum est (*Eccli.* XVIII, 23) : *Ante orationem præpara animam tuam.* (*Conc. Basileens.*, ann. 1435, sess. 21, c. *Qualiter Horæ can. dicendæ sunt extra chorum.*)

Sane in Officio Dei curanda ubique magnopere reverentia et honestas, cum ubique sit eadem ejus, cui tunc loquimur et adstamus, deitas et majestas. (S. Bonav., *Specul. discipl.*, part. I, c. 16.)

Quando fuerint duo vel plures, quasi chorum sibi constituant, et psalmos atque hymnos accipiant alternatim, ut est consuetudinis conventui; congruus ordo est in omnibus ubique provide disciplinato servandus. Ordinatum animum ordinis decor et condecet et condelectat; inordinati vero est animi etiam in exterioribus ordinem non curare; et tamen ordinationis exterioris religio attentionem excitat et affectum. (*Ibid.*, sub fin.)

Oratione namque aliqua utiliter prævenitur Officium. — Nec sibi de gratuitis orationibus blandiatur, si circa necessaria, quæ primo loco habende sunt, desidiosi exstiterint. (*Ibid.*, part. II, c. 1, circa med.)

Quantum ad compositionem et statum corporis.

Ne qua item occasione in diversa rapti desint officio suo, districtius prohibemus ne deambulando Horas dicant, sed in aliquem locum orationi aptum tantisper concedant, ne mentis evagatio, quæ ex tumultuaria deambulatione nasci solet, fructum orationis intercipiat. (*Conc. Trevir.* ann. 1549, c. 6, *De Horis canonicis.*)

Si quando extra chorum Officium dixerint, diligentiam nihilominus et honestatem prædictam debent, in quibus poterunt, studiose servare, ut dimissis omnibus quæcunque in manibus fuerint, stantes cum reverentia juxta traditionem ecclesiasticæ disciplinæ... Creatori suo debitas cum devotione laudes exsolvent flectentes genua vel inclinantes pro tempore cum timore Dei. — Si quando eos ad sedendum debilitas evidens vel nimia lassitudo compellat, saltem ad inceptionem Officii, ad invitatorium, hymnos, ad Orationem Dominicam, et a capitulo in ante surgere non omittant. — Si etiam in lecto ægritudinis decumbant, reverentiam nihilominus aliquam faciant, prout possunt. (S. Bonav., *Specul. discipl. ad novit.*, part. I, c. 16.)

Nec aliam ei (Officio divino) occupationem admisceant; cessent manus; oculorum evagatio reprimatur, ut mens ab exteriori cura penitus libera soli valeat Deo vacare. (*Ibid.*, part. II c. 1, paulo post med.)

Si quando per viam Officium dixerint, et si non vacat continue, dum illud dicunt, ab itineratione quiescere, saltem ad collectam præcedentium collectivam, quando omnino tota est in Deum intentio colligenda, in uno sistant loco; imo, si tempus exegerit, et locus permiserit, cum reverentia genuflectant, ut in oratione communi totum Officium venerentur. — Irreverentes et pigros se noverint, si debitas Deo laudes sedendo vel jacendo exsolvant, nisi necessitas evidens cogat. (*Ibid.*, ante fin.)

Quantum ad locum.

Tali in loco, unde a devotione non retrahantur. (*Conc. Basileens.*, ann. 1439, c. *Qualiter Horæ canon. dicendæ sunt extra chorum*, sess. 21, c. 5, ann. 1435.)

Omnes ecclesiastici etiam beneficiati Horas canonicas attente ac distincte dicant deposita omni sollicitudine sæculari, nullaque colloquia intermisceant, ac Deum precaturi locum hujuscemodi sibi deligant, in quo a pietate ac devotione non abducantur. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. 12, *De celebrand. divin. Offic.*, can. 12.)

Debet autem ipsas (Horas canonicas) reddere in ecclesia, si potest, juxta illud psalmi LXVII, 27 : *In ecclesiis benedicite Deum.* Aliter reddat ubique, et honeste, quando commode poterit. (*S. Thom.*, opusc. 65, *De sacerdot. offic.*, part. I, *De Horis canon.*, art. unic., circa init.)

Quantam ad pronuntiationem.

Quoscunque etiam alibi beneficiatos seu in sacris constitutos, cum ad Horas canonicas teneantur, admonet hæc sancta synodus, si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, ut non in gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictiones, nec colloquia vel risus intermiscendo, sed sive soli sive associati diurnum nocturnumque Officium reverenter verbisque distinctis peragant. (*Conc. Basileens.*, ann. 1435, c. *Qualiter Horæ canon. dicendæ sunt extra chorum.*)

Caveant item, qui... extra chorum Horas privatim legunt, ne somnolente, aut truncatis verbis, aut intra fauces compresso spiritu preces demurmurare, vel, ut ethnicus quidam ait : Rabiosa silentia rodere videantur ; sed articule, distincte, diserte, et cum attentione, integre omnia pronuntient. (*Concil. Trevirens.* II, ann. 1549, c. 6, *De Horis canonic.*)

Versum unum sub clausula una glutiunt, et canticum Domini decurrunt, perfunctoriis synalephis dimidiant. (Petr. Bles., serm. 59, *in sacerdotes*, paulo ante fin.)

Debent dicere Officium distincte, continue, integre et ordinate ; distincte, ne verbum masticando, vel exiliter proferendo, vel nimium festinando, dicenda confundant ; continue, ut interruptiones in eo non fiant, interloquendo, nisi urgente necessitate, etc. ;... ordinate denique Officium in substantia, tempore et modo omnibus exsequi studeant, postpositiones, implicationes, variationes facile non admittant. (S. Bonav., *Specul. discipl.*, part. . c. 16.)

Officium suum in choro, et extra non perfunctorie quidem simiaticis, ut aiunt, labiis, sed devote semper et integre dicere studeant. (*Ibid.*, circa med.)

Quantum ad tempus.

Tempus quoque congruum servent, nec facile præter necessitatem diurnas Horas, sive Primam, sive Completorium saltem canonicum, sive alias nocturnas convertant. (*Ibid.*, sub finem.)

CAPUT V

Sacramenta pie administrare.

ART. I. — *De administratione sacramentorum in genere.*

Sectio prima. — *De excellentia illius muneris.*

§ I. — *Ex dignitate sacramentorum*

In quibus (sacramentis), tanquam in vasis cœlestibus salutis remedia continentur. (*Conc. Londin.*, ann. 1237, c. 2.)

Instrumenta, quibus nobis gratia morte et Passione Christi acquisita infunditur. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, *De sacramentis in genere.*)

Gratiam sacramenta seu vasa quædam divina continent, eamque rite suscipientibus conferunt. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583.)

Sacramentis quasi mediis quibusdam præstantissimis cultus Deo sanctissimus plenissimusque pietatis exhibetur. (*Conc. Rhem.*, ann. 1583, tit. *De sacramentis.*)

Dona Dei liberaliter et gratis concessa. — Vasa gratiæ sunt sacramenta. — Non vulgaris, sed cœlestis res agitur, cum sacramenta tractantur. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, c. 13, *De sacram. in genere.*)

Sacratissima signa. (S. Dionys., c. 1, *De eccles. hierarch.*)

Signa mystica. (S. Basil., *Epist. ad Amphiloch.*, can. 72 et 80.)

Vestimenta Christi sacramenta ipsius, quæ potuerunt dividi per hæreses. (S. Aug., *in psal.* XXI, enarr. 2, post med., ad v. 9.)— De latere Christi sacramenta Ecclesiæ profluxerunt cum dormiret in cruce. (Id., *in psal.* XL, post med., ad v. 9 ; *in psal.* LVI, post med. ad v. 5 ; *in psal.* CIII, concion. 4, v. 26.)

Sacramenta signacula rerum divinarum sunt visibilia, sed res invisibiles in eis honorantur. (Id., *De catechizandis rudibus*, c. 26, circa init.)

Sacramento divina virtus assistit. (Id., *De baptismo contra Donatist.*, lib. III, c. 10, ante finem.)

Sacrosancta signacula. (Id., *Exposit. Epist. ad Rom. inchoatæ*, post med., n. 18.)

§ II. — *Ex eorum utilitate.*

(Ecclesiæ sacramenta sunt) per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel incepta augetur, vel amissa reparatur. (*Conc. Trid.*, sess. 7, in Procem.)

Quo major et uberior est sacramentorum fructus, quam ut ejus vis explicari facile possit, eo diligentius et intima animi pietate et externo cultu ac veneratione tractanda sunt. (*Conc. Mediol.* I, part. II, tit. *De iis quæ ad sacram. admin. generatim pertinent* init. ann. 1565.)

Ecclesia nihil habet pretiosius, nihil ad æternam salutem consequendam magis necessarium, quam a Christo septem instituta sacramenta, quibus omnis justitia vel cœpta augeatur, vel amissa reparetur. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, tit. 8, *De sacramentis.*)

Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora. (S. Aug., *in psal.* LXXIII, post init., n. 2.)

Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum et ideo contempta sacrilegos facit ; impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. (Id., lib. XIX *contra Faustum Manichæum*, cap. 11, sub fin.)

Temporalia sacramenta alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ. (Id., *in psal.* CXLVI, ante med., v. 3.)

Ab ipsa patientia Dei... saluberrima sacramenta constituta sunt. (Id., *De vera relig.*, c. 17.)

Inter omnes quærentium faciem Dei Jacob occupationes nihil æque memoria pariter et usu dignum arbitror, ut ecclesiastica sacramenta simul et officia; illa enim de fide et moribus rite considerata docent et instruunt, hæc rerum auctori pro donis quotidianis vectigalia rependunt, ut ampliora promereantur divinæ largitatis beneficia. (Hugo a S. Victor., lib. I *De sacram.*, in Prolog.)

Sunt quoque sacramenta ornamenta Ecclesiæ militantis, quæ in Cantico dicitur (VI, 3) : *Terribilis ut castrorum acies ordinata ;* et quidem terribilis, quia fortis, munita per sacramentum confirmationis ; acies, quia conjuncta et unita per sacramentum Eucharistiæ : ordinata per ordinem ; ex hac acie quidam subtrahuntur per mortem, ad hos restaurandos est matrimonium ; quidam prosternuntur per culpam, ad hos relevandos est pœnitentia ; hanc aciem quidam ingrediuntur, ut prælientur, et hoc per baptismum ; quidam egrediuntur ut coronentur, et hoc per extremam unctionem. (S. Bonav., *Antiloq.*, part. III, sect. 47, paulo ante fin.)

Constituta sunt ab ipsa incarnata Sapientia pro salute hominum septem sacramenta pro diversitate salvandorum. Primum est intrantium, ut est baptismus ; secundum est pugnantium, ut est confirmatio ; tertium est vires resumentium, ut est Eucharistia ; quartum est resurgentium, ut est pœnitentia ; quintum exeuntium, ut est extrema unctio ; sextum ministrantium, ut est ordo ; septimum novos milites introducentium, ut est matrimonium : horum etenim sacramentorum magna est utilitas. Baptismus ordinatus est contra originale peccatum ; pœnitentia contra mortale ; extrema unctio contra veniale ; ordo contra ignorantiam ; Eucharistia contra malitiam ; confirmatio contra impotentiam ; matrimonium contra concupiscentiam, quam temperat et excusat. Disponunt quoque hæc sacramenta ad septem virtutes habendas : baptismus est sacramentum fidei, confirmatio spei, Eucharistia charitatis, pœnitentia justitiæ, extrema unctio perseverantiæ, quæ est fortitudinis complementum. (S. Laurent. Justin., *Lign. vitæ*, tract. 8, *De spe.*, c. 5, n. 4.)

Venit (Christus) sicut peritissimus languentium animarum medicus, confecitque spiritualia medicamenta, ecclesiastica videlicet sacramenta, quatenus fideliter ac digne illis utentes ex gehennæ atque iræ filiis efficeret Dei filios, et sibi perpetuos cohæredes. (Id., *De grad. perfect.*, c. 3, n. 1.)

Sectio secunda. — *Quomodo administranda sunt sacramenta.*

§ I. — *Cum puro corae, et decenti habitu.*

Sacerdotes in sacramentorum administratione semper superpelliceum et stolam adhibeant. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, tit. 1.)

Prohibemus autem curatis ac quibuscunque presbyteris, ne ullum sacramentum conferant, ac ne quidem confessiones audiant, nisi in superpelliceo, stola, ac habitu sacerdotali, sed maxime in conscientiæ puritate. (*Conc. Rothom.* ann. 1581, tit. *De sacram.*, circa init.)

Ad virtutis culmen omni animi pietate, sanctitate ac religione contendere is profecto debet, cui sacramenta tractanda sunt, vel ministranda. — Atque ut intus candida innocentiæ stola exornati esse debent, ita etiam extrinsecus mundo superpelliceo stolaque ejus coloris qui sacramento ministrando congruat, induti sint semper. (*Conc. Aquens.*, ann. 1585, tit. *De sacrament.*)

Summa cum sanctitate et veneratione Christianis veniunt et tractanda et suscipienda sacramenta. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, part. II, c. 1, *De sacram.*)

Sit parochus, ad quem administratio sacramentorum spectat, purus et ab omni labe lethalis peccati alienus, ne, dum aliorum quærit salutem, seipsum condemnet, sibique æternæ damnationis sit minister, et illi dicatur a Deo : Signa novi, sacramentum approbo, gratiam largior ; tu vero labiis et corde es pollutus, quis es? — Ut populus intelligat non vulgarem sed cœlestem rem agi, cum sacramenta tractantur. *Conc. Narbon.*, 1609, c. 13, *De sacram. in genere.*)

Neque enim potest quisquam peccatis suis æger minimeque sanus immortalium sanitatum remedia ministrare. (S. Ambros., *De viduis*, c. 10, n. 65.)

Fideliter, humiliter, devote et pie. (S. Laurent. Justinian., *De instit. et regim. prælat.*, cap. 10, n. ult.)

§ II. — *Cum reverentia, et præscriptis cæremoniis.*

Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. (*Conc. Trid.*, sess. 7, *De sacrament. in genere*, can. 13.)

Quanta cum reverentia et puritate, et quanta cum externi cultus munditia sacramenta quibus quasi quibusdam instrumentis nobis gratia morte et passione Christi acquisita infunditur, tractari debeant. (*Convent. Melodun.*, *De sacram. in genere*, ann. 1579.)

Sacramentorum contemptus, ut ait divus Augustinus, homines sacrilegos facit ; impie enim contemnitur, sine quo pietas stare non potest. — Ac, ne sacerdotum in sacris tractandis negligentia, et incuria populi pietatem imminuat, præcipimus ut

præscriptas... cæremonias, non solum diligenter, sed etiam summa cum animi attentione et religione observent. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, num. 8, *De sacram.*)

In sacramento, sicut etiam in omnibus aliis... si aliquid de substantialibus omittatur, non conficitur sacramentum; si vero aliquid de accidentalibus, solum conficitur, sed graviter peccant, qui scienter omittit, quia facit contra præceptum Ecclesiæ. (S. Thom., in IV, dist. 3, art. 2.)

§ III. — *Secluso turpi quæstu et absque omni labe avaritiæ.*

Gratis accepistis, gratis date. (*Matth.* X, 8.)

Illud præterea diligenter caveant, ne pro illis administrandis ab ullo vel omnium rerum inope sacerdote verbis aut etiam signis quidquam prorsus vel minimum quovis modo petatur exigaturve... Non avaritiæ tantum labe notatus, sed etiam Simoniacæ pravitatis reus. (*Concil. Aquens.*, ann. 1585, tit. *De sacram.*)

Ut nullus sive episcopus, sive presbyter, sive diaconus immaculatam præbens communionem ab eo, qui communicat, ejus participationis gratia obolos vel quamvis aliam speciem exigat; non est enim venalis gratia nec pro pecuniis Spiritus sanctificationem impartimur; sed ea iis qui digni sunt absque ulla est calliditate communicanda; si quis vero... exigere visus fuerit, deponatur, ut Simoniaci erroris, ut maleficii æmulator. (*Synod. Trullan.*, can. 23, ann. 692.)

Sacramenta ecclesiastica, in quibus tanquam in vasis cœlestibus salutis remedia continentur, nec non oleum sanctificatum et chrisma a ministris Ecclesiæ, pure atque devote, qualibet exclusa cupiditatis labe, statuimus et statuendo præcipimus exhiberi, nulla difficultate in eis adhibita exhibendis, prætextu consuetudinis alicujus, qua dicantur ab eis qui ea recipiunt aliquibus aliqua persolvenda. (*Conc. Londin.*, ann. 1237, c. 2.)

Exsecrabilis quorumdam sacerdotum avaritia usque ad sacramentorum ipsorum contemptum in injuriam nonnunquam irrumpit, dum sine numerato pretio conferre sacramenta detrectant. Quorum pravam cupiditatem sacris etiam conciliis invisam et damnatam comprimere volentes, omnibus nobis subjectis parochis seu Ecclesiarum ministris serio prohibemus, ne quid de sacramentorum administratione a quoquam velut debitum aut exigant aut recipiant... Sed ultra id etiam oblatum quasi non debitum modeste recusent. Quod si aliquis subditus ultro dare aliquid voluerit, non obstamus quin, quod libera voluntate et ex charitate offertur, recipere valeant. (*Conc. Mogunt.*, sub Carolo V, ann. 1549, c. *Ad mores pertinent*, tit. 92.)

Cum sacramenta Ecclesiæ non solum sine Simoniæ labe, verum etiam sine avaritiæ suspicione præbenda sint, caveant omnes ne in eorum administratione quidquam exigant, aut etiam verbis vel signis directe vel indirecte petant. (*Concil. Mediol.* I, part. II, tit. *De iis, quæ ad sacram. administr. generatim pertinent.*

Ad hæc noverint rectores animarum, cum sacramenta sint dona Dei liberaliter et gratis concessa, non solum sine Simoniæ labe, verum etiam sine avaritiæ suspicione esse exhibenda. — (Sicut Giezi lepra) sic etiam percutiuntur omnes, qui pro sacramentis pecuniam petunt... Si sacramentum dare distuleris, etiamsi fueris omni paupertate vallatus, non pastor es, non minister Christi es, sed mercator. Non igitur petas... nam facto pacto sacramentum vendidisti, et Salvatorem tuum prodidisti cum Juda. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, c. 13, *De sacram. in gen.*)

Quoniam, quod gratis accepimus, gratis dare mandamur, et ideo nihil a prædictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis suæ causas adire despiciant. (Gelas. I Papa, epist. 9, *Ad episc. Lucaniæ*, c. 5.)

Pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant. (S. Isidor. Hispal., lib. II *Offic. eccles.*, c. 2.)

Quod enim ad animarum institutum est lucrum, ad temporalem torquent quæstum, nescientes quod nihil majus acquiri valet, quam animarum insudare profectibus, qui sacramentis mediantibus fiunt. (S. Laurent. Just., *De compunct. et complanctu Christianæ perfect.* part. I, n. 18.)

ART. III. — *De administratione sacramentorum in specie.*

Sectio prima. — *De administratione baptismi.*

§ I. — *Quanti faciendum hoc munus ob excellentiam et effectus baptismi.*

Episcoporum sit magna sollicitudo presbyteris suis tradere baptismi sacramentum, et quid in eodem renuntiandum quidve credendum sit. (*Conc. Turon.* III, ann. 813, sub Carolo Magno.)

Divinum et vivificans lavacrum. (S. Cyril. Hierosol., cateches. 1 mystagog., circa init.)

Adoras pro te mortuum; patere cum eo per baptismum contumulari. (S. Basil., hom. 13, quæ est *Exhortatio ad baptism.*, post. init.)

(In baptismo) animæ purgationem tibi Rex munificus pollicetur. (*Ibid.*, longe post. init.)

Domini baptisma omnem humanam rationem superat, et gloriam habet quodcunque humanum desiderium ac votum excellentem, ac majore gratiæ et virtutis supereminentia reliqua superat, quam solis splendor cæteras stellas excellit. (Id., *De baptism.*, c. 2, longe post. init.)

Optimi Dei gratia, commemoratione verborum unigeniti viventis Dei Filii et sanctorum ipsius evangelistarum prophetarumque et Apostoli, qui nobis rationem baptimatis Domini nostri Jesu Christi sufficienter declararunt, instructi sumus quod ignis quidem baptisma, et omnem malitiam arguit, et justitiæ, quæ secundum Christum est, capacem reddit,

odiumque malitiæ indit, et desiderium virtutis. (S. Basil., lib. I *De baptism.*, c. 3, init.)

Baptisma splendor est animarum, vitæ in melius mutatio. — Baptismus carnis est abjectio, spiritus affectatio. — Cœlestis regni clavis... servitutis depulsio, vinculorum solutio. — Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum est et præstantissimum. — Donum vocamus gratiam; baptismum unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum. — Huic scilicet (baptismo) gratulantur cœli; hunc angeli propter splendoris cognationem celebrant : hic beatitudinis illius simulacrum gerit. — Magnum atque admirandum salutis nostræ mysterium. — Ex veteribus novos, ex humanis divinos efficit, absque igne nos rursus conflans, et absque confractione nos rursus effingens. — Secundæ vitæ ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum. (S. Greg. Naz., orat. 40, *In sanctum baptisma*, post init.)

Cum autem per spiritum regeneramur in spem vitæ, per baptismum conteritur caput antiqui serpentis in aquis. (Petr. Bles., serm. 10, in *Dominic. infra octav. Ephiphan.*, paulo post init.)

Medicamentum optimum et tanquam cæterorum fundamentum, fidei signaculum, lavacrum salutiferum, et æternæ vitæ janua. — Ad medendum originalem culpam (Christus) baptismatis instituit sacramentum. (S. Laurent. Justin., *De grad. perfect.*, c. 3, n. 2.)

Qui fiet ut citra illarum (nempe sacerdotum manuum) opem, aut gehennæ ignem evitare quis possit, aut repositæ in cœlo coronæ præmia assequi? Hi enim sunt; hi sunt, inquam, quibus tum concreditæ sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus a Deo est commissus; per hos ipsos Christum induimus; una cum Dei Filio sepelimur; beati illius capitis membra efficimur : quo nomine sacerdotes merito plus vereri debemus, quam vel principes vel reges, verum etiam majori honore, quam parentes proprios honestare. (S. Chrysost., lib. III *De sacerdot.*, c. 5.)

§ II. — *Quæ observanda in administratione baptismi.*

Sacerdos baptizaturus primum, quam actionem susceptus sit, diligenter ipse animadvertat. — Ad tanti muneris functionem sancte graviterque accedat. — Nemini liceat quemquam intra domesticos parietes baptizare (nisi instet periculum.) (*Conc. Mediol.* I, part. II tit. *De baptism. administrat.*)

In baptismo sacerdos baptizans præsentem adesse non patiatur... quemquam a fide Christiana aversum. — Fideles vero, qui præsentes adsunt, pie religioseque omnique animi attentione adesse sæpe moneat, memoria tacite, studioseque repetentes, quæ Deo, cum baptismum ipsi susceperunt, sancte spoponderunt. (*Conc. Mediol.* V, part. I, tit. *Quæ ad baptism. pertinent.*)

Parochus præmoneat... quam religiosa in Deum pietate, quam humili spiritu et quanta etiam vestitus moderatione compatres commatresque adesse debeant : ne vero illum vel ornamentum vel aliud quidquam quod mundi hujus pompam præferat adhiberi patiatur, cum minime consentaneum sit in ipso vitæ Christianæ ingressu statim iis rebus studeri, quibus potissimum solemni sponsione renuntiatur. (*Ibid.*; *Conc. Narbon.*, tit. 14, *De baptism. sacram.*, ann. 1609.)

Ac cum omnium sacramentorum primum locum sibi vindicet baptisma, præcipimus omnibus hoc sacramentum administraturis, ut in ejus administratione decenter et honeste se gerant.—Conferant illud, cum primum fuerint rogati, ne propter moram puer incidat in periculum. (*Conc. Rhem.* ann. 1583, tit. *De baptism.*

Quoniam autem in baptismo unusquisque pie ac religiose profitetur se operibus Satanæ renuntiare ejusque pompas deserere, id parochus, cum usu venerit, populum doceat præsertimque baptismi tempore non solum quomodo et quam simplici amictu ad illud infans deferendus sit, sed quam religiosa in Deum pietate, quam humili spiritu et quanta etiam vestitus moderatione compatres commatresque adesse debeant, nec vero ullum vel ornamentum vel aliud quidquam, quod mundi hujus pompam præ se ferat, adhiberi patiatur, cum minime consentaneum sit in ipso vitæ Christianæ ingressu iis rebus studeri, quibus potissimum solemni sponsione renuntiatur. (*Conc. Aquens.*, ann. 1585, *tit. De baptism. sacram.*, post med.)

Et quoniam Christiani et Satanam et mundi fastus pompasque in ipso baptismate ejurant, absurdum sane videtur magnifico adeo luxu inanibusque sumptibus diem, quo baptismus confertur, transigi. Solemnem itaque illam musicam, concentuum concomitationem, risus jocosve effusiores, et illas per ecclesiam deambulationes tollimus. Oscula demum in ecclesia omnino dari prohibemus. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, c. 14, *De baptismi. administr.*)

Sectio secunda. — *De administratione sacramenti pœnitentiæ.*

§ I. — *Quam excellens, difficile et periculosum hoc munus.*

Qui terram incolunt atque in ea versantur, his commissum est ut ea, quæ in cœlis sunt, dispensent; iis datum est ut potestatem habeant quam Deus optimus neque angelis neque archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est (*Matth.* XVIII, 18) : *Quæcunque alligaveritis in terra, erunt alligata et in cœlo.* — Quænam, quæso, potestas hac una major esse queat? Pater omne judicium dedit Filio. Cæterum video omne judicium a Deo Filio illis traditum; nam quasi jam in cœlum translati ac supra naturam humanam positi atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid multa? Si cui rex aliquis ex subditis suis hunc honorem detulerit, ut

potestatem habeat quoscunque velit in carcerem conjiciendi, eosdemque rursus laxandi, beatus ille et admirandus judicio omnium fuerit : at vero qui tanto majorem a Deo accepit potestatem, quanto cœlum terra pretiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant, etc. (S. Chrysost., lib. III *De sacerdot.*, cap. 5, circa init.)

Canum lingua vulnus dum lingit, curat ; et doctores sancti, dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tanguut. (S. Greg., hom. 40, *in Evang.*, paulo post init.)

Sarciendæ vitæ salutare pharmacum (est pœnitentia.) (B. Antioch., hom. 77, init.)

Licet assistant angeli præsidentis imperium exspectantes, et administratorii spiritus assignata sibi ministeria sortiantur, nullus tamen eorum ligandi atque solvendi possidet potestatem. (S. Petr. Dam., serm. 26, *De S. Petro apostolo*, est 1 *De S. Petro.*)

Confessio bonum animæ ornamentum. — Peccatorem purgat. — Justum reddit purgatiorem. — Peccatoris vita. — Justi gloria. — Via, quæ viatorem suum nunquam fefellit. — Nunquam deseruit, nisi deserentem se. (S. Bern., *Serm. de 7 grad. confess.*, n. 2.)

Pœnitentia est baptismus, non quod in ea sit baptismi iteratio, sed quia sepulturam criminum facit, et nos humilitati Christi consepeliens, complantans morti ejus in spem vitæ æternæ nos regenerat, ut simus quasi modo geniti infantes. (Petr. Bles., serm. 10, in *Dominic. infra oct. Epiph.*)

Licet Beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cœlorum commisit. (Innoc. III, *Epist.*)

Hujus sacramenti minister est homo, sed indulgentiæ largitor est Deus : corporis auditum præbet sacerdos, Dominus autem scrutator est mentium ; juxta doloris mensuram præstatur et donum. Illum plane solvit sacerdos, quem prævenit gratia, confessio manifestat. Fetebat in monumento Lazarus quatriduanus ; vocatus a Domino surrexit, exiit foras et ab apostolis solutus liber est abire permissus ; his paucis verbis erudimur quid in hoc sacramento minister, quid confessio, quidve in spiritu summus operetur Sacerdos. (S. Laurent. Justin., *De obed.*, c. 15, n. 2.)

Ars artium est regimen animarum. (S. Greg., *Pastor.*, part. I, c. 1, init.)

Confessarii vitæ duces ac magistri. (*Conc. Mediol.* IV, part. III, tit. *Monitiones.*)

Cura animarum scientia scientiarum merito appellanda est. (*Conc. Colon.*, ann. 1536, part. I, c. 3.)

Erudimini, qui judicatis terram (*Psal.* II) ; ac si diceretur : Tunc maxime erudimini, quando judicatis terram ; ibi enim major adhibenda est cautela et diligentia, ubi nulla opitulatur doctrina ; nec enim in decretis Patrum, neque in authenticis scriptis veterum expresse exaratum est de judicio pœnitentium ; in aliis vero quæ ad vos spectant, habetis sufficientiam Scripturarum. (Petr. Bles., serm. 3 in synod., *in psal.* II, paulo post init.) (34)

Videte quid faciatis ; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, et quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. (*II Paral.* XIX, 6.)

Episcopus confessarios sacerdotes etiam regulares... præcipue moneat, quantum quamque grave vel ad salutem vel ad perniciem animarum onus sustineant. (*Conc. Aquens.*, ann. 1685, tit. *Quæ ad pœnit. sacram. pertinent. ; Conc. Mediol.* IV, ann. 1576, part. II, tit. *Quæ pertinent ad sacram. pœnit.*, circa med.)

§ II. — *Qualis esse debeat sacramenti pœnitentiæ minister.*

Pius.

In iis (Confessariis) probandis hanc rationem habeant episcopi, ut pii, bene morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute solliciti et fideles custodes sint eorum quæ in confessione dicuntur. (*Conc. Mediol.* I, p. II, tit. 6, *Quæ pertinent ad sacram. pœnit. administr.*, ann. 1565.)

Ornatus virtutibus sit cujus universæ totius ipsius vitæ actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse. — Virum integrum, nec ulli distractioni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, minime libenter gerendis se negotiis admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minime iracundum, injuriarum immemorem, natura propensum ad eos docendos qui ad ipsum accedant, quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat, severum atque constantem, cui denique nihil sit præstantius honore Dei. (S. Basil., *Serm. de abdicat. sæcul.*)

Doctus.

Unde inter omnia vos hortamur atque monemus ut in accipiendis pœnitentiis non ad illlos curratis, in quibus nec religiosa vita nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum, quam ad salutem ducunt, teste Veritate quæ ait (*Matth.* XV, 14) : *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt ;* sed eos, qui religione et Scripturarum doctrina instructi viam veritatis et salutis vobis ostendere valeant. (S. Greg. VII, in *Conc. Rom.*, c. 5, ann. 1080.)

Confessores canones pœnitentiales bene noverint, etc. (*Conc. Mediol.* I, part. II, tit. 6, *De administ. sacram pœnit.*, sub fin.)

Magnopere necessarium judicamus ut sacerdos, qui a confessionibus est, sit integer, eruditus ac silentii tenax ; alioqui, si ad quæstum intentus sit,

(34) Hic sermo est 39 in edit. Busæi, sed in nova edit. Paris., ann. 1672, non reperitur ; sed Petro Manducatori tribuitur cum aliis prætermissis et relatis a Busæo sub nomine Petri Bles.)

si ad malum sollicitet, si curiosior explorator sit, si pertinacibus blandiatur, si intricatam conscientiam extricare nesciat, si denique vel ebriosus, vel iracundus, vel levis, vel secreti minime tenax, dissipandis magis quam pascendis ovibus videtur idoneus. (*Conc. Colon.*, c. 33, ann. 1636.)

Divinarum Litterarum scientiam habeat. (S. Basil., *Serm. de abdicat. sæcul.* longe ante med.)

Caveat spiritualis judex ut, sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ; oportet enim ut sciat cognoscere quidquid debet judicare; judiciaria enim potestas hoc expostulat, ut, quod debet judicare, discernat. (S. Aug., *De pœnit.* dub.; *Decret.* part. II, caus. 33, q. 3, dist. 6, c. 1 : *Qui vult,* post med.)

Nulla ars doceri præsumitur, nisi prius intenta meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium, regimen animarum ? Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum ? Et tamen sæpe qui nequaquam] spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. (S. Greg., *Pastoral.*, part. I, c. 1, init.)

Horrendum profecto est videre quosdam sacerdotes nostri temporis, qui sacram Scripturam, in qua animarum regiminis ars sufficientissime traditur, et jura canonica et scripta doctorum, in quibus plenissime declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt, et tamen cordis medicos in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt, quando qui pigmentorum vim nesciunt, videri carnis medici erubescunt. (S. Bonav., Præfat. opusc. quod *Confessionale* inscribitur.)

Prudens.

Sacerdos sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum. (Innoc. III, in conc. gen. *De pœnit. et remiss.*, c. *Omnis;* S. Greg. *Decret.*, lib. V, tit. 38, c. 12.)

Tales seligantur audiendis confessionibus, si labores curionis non sufficiant, qui sint pietate, doctrina et prudenti judicio præditi, ne animarum medela impuris et imperitis et imprudentibus committatur chirurgis. (*Statuta Eccles. Gallican.*, in *Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. *De pœnit.*)

Ut autem injunctæ pœnæ satisfacere valeant pœnitentes, sacerdos non se præbeat nimis severum, neque tamen ita lenem, ut pene contemptu ad rursum peccandum pœnitentem potius invitet, quam ad novæ vitæ genus ineundum. (*Concil. Rhem.*, ann. 1583, tit. *De pœnit.*)

Summa vigilantia acerrimeque in omnes partes animi circumspectione operam dato, ut aliquem tibi invenias... qui divinarum Litterarum scientiam habeat. (S. Basil., *Serm. de abdicat. sæcul.*, longe ante med.)

Confessorem eligas compassivum, probatum in tentationibus, et in via continentiæ se exercentem, cui sæpe confitearis et aperias omnes defectus clare et lucide, et stimulos quibus molestaris. Sit ille discretus, charitativus, humilis et intelligens, sic quod possis ad ipsum confidenter recurrere, ut sciat tibi remedium adhibere. (S. Bonav., *De modo confitendi et puritate conscientiæ*, c. 16 (35).

§ III. — *Quibus deneganda absolutio.*

Adhuc peccare volenti.

Impœnitenti et adhuc peccare volenti non est tribuenda absolutio; alioquin, qui talem conatur absolvere, seipsum quoque propria auctoritate transfigit, ac per hoc absque profectu alterius sibi ipsi plurimum nocet. (S. Laurent. Justin., *Serm. in festo B. Mariæ Magd.*, n. 2.)

Ablata non restituenti.

Caveant confessores, ne ante debitam satisfactionem illos absolvant, quibus, cum facultas adsit aliena restituendi, vel legata, quæ ad pias causas facta sunt, persolvendi, illisque ut id facerent superiori confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt, exceptis iis qui periculose ægrotant. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, tit. 6, *Quæ pertinent ad sacram. pœnit. administr.*, post med.)

Neminem parochi absolvant eorum, qui cum præcedente confessione se ablata restituturos aut legata ad pias causas soluturos essent polliciti, cum facultas adfuisset, neglexerint. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, num. 12, *De pœnit.*)

Inimicis reconciliari recusanti.

Quicunque miles et negotiator vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si, culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit, et recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, nisi vel derelinquat negotium, vel officium deserat, et odium ex corde dimittat, bonaque, quæ injustæ abstulit, restituat, etc. (S. Greg. VII in *Conc. Rom.*, c. 5, ann. 1078; eadem habet S. Bonav. in *Confessionali*, c. 4, particul. 1.)

Qui renunt satisfactiones vel restitutiones qualescunque facere, absolvi non debent, neque sacramentorum participationi admitti nisi in articulo mortis et ne in articulo mortis quidem, qui injurias sibi illatas dimittere renuunt; carent enim qui

(35) Quidam hoc opusc. tribuunt S. Thomæ Aquin.

hujusmodi sunt charitate et misericordia. (*Statuta Eccles. Gallic.*, in *Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. *De pœnit.*)

Post confessionem absolutio nemini concedatur, qui non fuerit reconciliatus cum proximo, si quem oderat, saltem in voto. (*Conc. Rhem.*, ann. 1583, tit. *De pœnit.*)

Occasiones peccandi deserere nolenti.

Sicut enim falsum baptisma non lavat originale peccatum, ita post baptismum falsa pœnitentia non delet nefas commissum; ideoque valde necessarium est ut qui se aliquod grave crimen commisisse cognoscit, animam suam prudentibus et religiosis viris committat, ut per veram pœnitentiam certam peccatorum suorum consequatur veniam, etc... Quoniam qui aliena bona diripuit, et ea cum possit reddere, et emendare noluerit .. vel qui hujusmodi negotiationibus aut officiis implicitus fuerit, quæ sine fraude, sine falsitate, sine invidia, sine deceptione fratrum exercere non possit, nec ad Dominum conversus, nec de perpetratis facinoribus veram pœnitentiam facere credendus est. (Greg. VII, in *Conc. Rom.*, c. 5, ann. 1080.)

Episcopus confessarios sacerdotes etiam regulares... præcipue moneat, etc... quam caute in pœnitentium absolutione agere (debeant), cum præsertim vel de restitutione vel de occasionibus, quibus ad mortalia peccata aditus fit, abjiciendis agitur. (*Conc. Aquens.*, ann. 1585, tit. *Quæ ad pœnit. sacram. pertinent.*)

Falsa est etiam pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali vel officiali non recedit, quod sine peccatis agi nullatenus prævalet, aut si odium in corde gesserit, aut si offenso cuilibet non satisfacit, aut si offendenti offensus non indulgeat. (S. Bonav., *Confessional.*, c. 4, particul. 1.)

Scandalum non reparanti.

Non usurarios nec concubinarios publicos absolvant. (*Statut. Eccles. Gallic.*, in *Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. *De pœnit.*)

Quæ scire tenetur ignoranti.

Quicunque rationis usum attigerit, sub reatu peccati mortalis, omnes Symboli apostolici, quo Ecclesia utitur, articulos scire tenetur saltem quoad substantiam, item Dei et Ecclesiæ præcepta, quæ sub peccato mortali observanda sunt. Ubi ergo pœnitens hæc ignoraverit, si quam primum ad ea discenda non acquieverit, absolvi non debet; imo si ad ea discenda se dispositum significaverit, interrogandum num alias de ea negligentia a confessore, sive ipse sit, sive alius, aut pastor, monitus fuerit, si quidem pro modulo diligentiam ad hoc non adhibuerit, tandiu illi absolutio differatur, donec huic officio pœnitens satisfecerit. Quod si nondum monitus fuerit, absolvatur quidem, sed de supradictis, ut poterit, instruatur. (*Acta Ecclesiæ Mediol.*, part. IV, *Instr. confess.*, circa med.)

§ IV. — *Quomodo administrare debeant sacramentum pœnitentiæ.*

In loco manifesto.

Sacerdotes, nisi ex causa necessaria, mulieres ante solis ortum vel post ejus occasum confitentes ne audiant. — Nec sine causa necessaria in privatis ædibus cujusdam maris vel feminæ confessionem audiant. (*Conc. Mediol.* I, part. II, tit. *De administr. sacram. pœnit.*)

Ne extra ecclesiam oratoriumve confessionem audiant, præterquam ægrotantium, etiam virorum, nisi ob urgentem causam. (*Conc. Mediol.* V, part. I, tit. *Quæ ad sacram. pœnit. pertinent*, ann. 1579.)

Non in privatis ædibus, nisi necessitatis causa, sed palam in ecclesia excipiantur confessiones, aut inter religiosos in locis eo destinatis. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. *De pœnit.*)

(Confessionale) in aperto, et non in obscuro ecclesiæ loco collocetur. — Omnes vero videant ne extra ecclesiam oratoriumve confessionem audiant, præterquam ægrotantium, nisi ob urgentem causam. (*Conc. Aquens*, ann. 1585, tit. *Quæ pertinent ad sacram. pœnit.*)

Sacerdos, qui angelus Domini exercituum dicitur, intelligat ut non tenebrarum sed lucis angelum se ostendat, sedens pro confessionibus audiendis in loco manifesto et omni suspicione carente, ubi videri possit ab omnibus, et non audiri; quærendo enim latibula tenebrarum, male agere se ostenderet. (S. Bonav., opusc. quod inscribitur *Confessionale*, c. 1, partic. 1.

Fidelibus modeste et humiliter compositis.

Confessarius quicunque in sede, tanquam pro tribunali judex, sedendo sacram confessionem audiat pœnitentium, quales, quales sint etiam in summo aliquo dignitatis constituti. (*Conc. Mediol.* V, part. I, tit. *Quæ pertinent ad sacram. pœnit; Conc. Aquens.*, tit. *Quæ pertinent ad sacram. pœnit.*)

Itaque pœnitens, cum ad confessarium... accedet, intimo animi dolore, omnique humilitate, non subjectis pulvinaribus, si necessitas aliud non postulat, sese ad illius pedes projiciat ac prosternat, id quod ab apostolicis usque temporibus in more usuque positum est, ut se reum agnoscat atque profiteatur mortis æternæ. (*Conc. Aquens.* ann. 1585, tit. *Quæ pertinent ad sacram. pœnit.*, paulo ante fin.; *Conc. Mediol.* V, part. I, tit. *Quæ ad pœnit. pertinent*, ann. 1579.)

Judex constitutus cum sit sacerdos ut solvat aut liget, pœnitentes non audiat nisi pro tribunali sedendo, pœnitente genua flectente, palam et intra ecclesiam hora diurna, nullisque subjectis pulvinaribus, ut se reum agnoscat atque profiteatur. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, c. 16, *De sacram. pœnit.*)

Moneant parochi et concionatores frequenter fideles pro percipiendo salutari pœnitentiæ fructu, ad eam cum humilitate animi et corporis demissione

accedant : ideoque quosvis nobiles et milites armis præcinctos accedentes, nisi depositis prius armis, non admittant : mulieres autem vano cultu ornatas fucatas ac pulvere pigmentario conspersas graviter reprehendant, et ut pœnitentis Magdalenæ vestigia legant, et fracto veluti alabastro caput Christi in pauperibus et pedes odoribus vitæ æternæ perfundant, et velo capita, ex Apostoli præcepto, obumbrent, præcipue hortentur. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1624, c. 5, *De sacram.*, num. 8.)

Cum mansuetudine et discretione peccatores excipiendo.

Oportet autem eos qui solvendi et ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare et ejus qui peccavit, ad conversionem promptum studium, et sic morbo convenientem afferre medicinam, ne, si in utroque immoderatione utatur, ab ejus, qui laborat, salute excidat ; non enim simplex est morbus peccati, sed varius, et multiformis, et multas incommodi propagines germinans. Ex quibus malum multum diffunditur, et ulterius progreditur, donec viribus medentis consistat ; quare qui medicinæ scientiam in spiritu profitetur, oportet eum primum ejus qui peccavit affectionem considerare, et sive vergit ad sanitatem, sive contra, propriis moribus provocat in se morbum aspicere ; quomodo ejus quæ intercedit vitæ rationis conversionisque curam gerat : et si artifici non reluctatur, et ulcus animæ auget per impositorum medicamentorum abjectionem, et sic misericordiam, prout dignus est, impertiri ; omnem enim rationem init Deus ; isque, cui pastoralis traditus est principatus, ut errantem ovem reducat ; et ei quod est a serpente vulneratum medeatur ; et neque per desperationis præcipitia impellat, nec ad vitæ dissolutionem et contemptum frena relaxet : sed una quidem omnino ratione sive per acriora et astringentia, sive per molliora et leniora medicamenta affectioni resistat, et ad ulceris obductionem annitatur fructus pœnitentiæ examinans, et sapienter dispensans et gubernans hominem, qui ad superiorem illuminationem vocatur. (*Conc. Trullan*, sive *Quinisextum.*, ann. 692, can. 102, init.)

Quemadmodum a sancta Tridentina synodo (sess. 24, cap. 8) jussum est publice peccantibus publicam pœnitentiam imponant. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, titul. *Quæ pertinent ad sacram. pœnitentiæ administr.*, in fin.)

Ut autem injunctæ pœnæ satisfacere valeant pœnitentes, sacerdos non se præbeat nimis severum, neque tamen ita lenem, ut pœnæ contemptu ad rursum peccandum pœnitentem potius invitet, quam ad novæ vitæ genus ineundum. (*Conc. Rhem.* ann. 1583, capitul. *De pœnitentia*, num. 4.)

Quando ab aliquo publice crimen commissum fuerit... debitam huic pro culpæ ratione pœnitentiam publice injungi oportet..... Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis expedire judicaverit. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, titul. 12, *De pœnit.*, versus med.)

Complures recensere possim, quos constat in extrema mala adactos non ob aliud, nisi quod digna ab eis pœna, et quæ peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temere ad delictorum modum oportet et mulctam ipsam adhibere ; sed tanquam conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, ne qua fiat ut dum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem facias ; ac dum eum qui lapsus est erigere atque emendare studes, casus ipse major per te reddatur. Nam, qui infirmi sunt ac remissi, et magna ex parte mundi hujus deliciis illecebrisque illaqueati.... ii, si sensim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, possint utique, si non penitus, attamen ex parte eximere se ac liberare malis peccatisque, quibus occupantur ; quos si justa statim animadversione emendes, fiet ut minori etiam illa correctione quam sustinere poterant prives..... multa quidem opus est pastori prudentia, sexcentis etiam, ut sic dicam, oculis, ut recte undique humani animi habitum circumspicere possit. (S. Chrysost., lib. II *De sacerdotio*, c. 4, post init.)

Etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes ; nonne melius est propter misericordiam rationem reddere quam propter crudelitatem ? Ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, utquid sacerdos ejus austerus ? Vis apparere sanctus ? circa tuam vitam esto austerus ; circa alienam autem benignus. Audiant te homines parva mandantem, et grandia videant facientem. (Hom. 43 *Operis imperfecti*, *in Matth.* XXIII, inter Opera S. Chrysost. circa, med.)

Diligens igitur inquisitor et subtilis investigator sapienter et quasi astute interroget a peccatore quod forsitan ignorat, vel verecunde velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates ejus non dubitet investigare, et locum, et tempus, etc..... Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere et secum onus portare : habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate personarum..... Semper eum juvet leniendo, spem promittendo, consolando, et cum opus fuerit, etiam increpando. (S. Aug., *De vera et falsa pœnit.*, circa fin., apud S. Bonav., *in Confessionali*, c. 2, particul., 1, sub fin.

Quotiescunque (beato Ambrosio) aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret ; videbatur enim sibi cum jacente jacere. (Paulin., presbyter, in *Vita S. Ambrosii.*, longe post med.)

Nonnulla autem occulta subtiliter sunt scrutanda ; ut quibusdam signis erumpentibus rector in subditorum mente omne quod clausum latet inveniat ; et interveniente correptionis articulo ex minimis majora cognoscat. Unde recte ad Ezechielem dicitur (VIII, 8) : *Fili hominis, fode parietem.* Ubi

mox idem propheta subjungit (VIII, 9) : *Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum, et dixit ad me : Ingredere, et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.....* Per Ezechielem quippe præpositorum persona signatur, per parietem duritia subditorum. Et quid est parietem fodere, nisi acutis inquisitionibus duritiam cordis aperire? Quem cum fodisset, apparuit ostium : quia, cum cordis duritia vel studiosis percunctationibus, vel maturis correptionibus scinditur, quasi quædam janua ostenditur, ex qua omnia in eo qui corripitur cogitationum interiora videantur, etc. (S. GREG. Papa I, *Regulæ pastoralis* part. II, c. 10, al. cap. 21, paulo post init.)

Habet itaque in labiis sacerdos scientiam obstetricandi, sive abstrahendi dolores vulnerum, cruores plagarum et prurigines cicatricum : unde et vulnera Lazari lingunt canes divitis..... Inclinet igitur se sacerdos condescendendo infirmitatibus lapsorum, sicut et Christus inclinans se digito scribebat in terra. (*Joan*, VIII, 6.) Non circumliget carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, id est non perfunctorie aut verbo tenus compatiatur delinquenti et confitenti, quia hujuscemodi tactu non sanctificatur quidquid tetigerit. (*Agg.* II, 13.) (PETR. Cellens., *De panibus*, c. 20, sub fin.)

Vide..... cum (peccata) judicas, ne in his judicandus exsistas (36). (Serm. 39, in synodo, circa fin.)

Ecce ovicula Domini sedet ad pedes tuos confitens, ad pedes confessoris flens et gemens tanquam conscia erroris sui, ut aperiat coram Domino os suum, exspectans judicium Dei per os tuum. Quid incumbit tibi agendum, sacerdos Dei summi? Primo duo tibi occurrunt, confortatio et exhortatio. Vide peritum medicum : in ingressu suo confortat ægrotum. Vade, et tu fac similiter, ne desperet de magnitudine peccati, ne de enormitate commissi, ne de multitudine criminum. Propone ei exempla de Petro, qui, præsente Domino, Dominum negavit, qui per pœnitentiam conversus confortavit fratres suos. Dic ei de Paulo, qui de persecutore Ecclesiæ factus est vas electionis. Dic ei de muliere, quæ fuerat in civitate peccatrix, quomodo facta est apostolorum apostola. Post hæc brevem subdas exhortationem, dicens : *Effunde sicut aqua cor tuum, fili, coram Domino* (*Psal.* LXI, 9), etc. Tandem audi confessionem pœnitentis patienter. Quo audito, transi de porta ad portam per medium castrorum, sicut fecit Moyses accinctus gladio, consecrans manus suas etiam in sanguine propinquorum. Transire de porta ad portam, est diligenter inquirere causas peccaminum, initiales scilicet et finales, etc. Vide autem, cum hæc judicas, ne in his judicandus exsistas..... Discrete ergo judicate, qui judicatis terram, ne tandem districte judicet vos Dominus Jesus Christus. Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare (37) (Serm. 39, in synod.)

Non debet etiam confessor pœnitentis horrere peccata, quantumcunque enormia, turpia, magna, inaudita, vel inusitata sint ; quia, ut dicit Joannes (VIII, 7) : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Aut enim confessor fuit, vel est, vel erit, aut esse potuit in similibus peccatis, vel majoribus. Unde præcipit Deus (*Deut.* XXIII, 7) : *Non abominaberis Idumæum*, id est peccatorem rubore confusionis dignum, quia frater tuus est ; vel Ægyptium, id est peccatorem peccatorum angustiis tribulatum. Idumæus namque *rufus* vel *rubens* interpretatur, Ægyptius *angustia sive tribulatio.* (S. BONAV., *Confessional.*, cap. 1, partic. 4.)

Studeat etiam confessor cavere ab acceptione personarum... Attende diligenter, o judex pœnitentialis, quod tibi dicitur (*Levit.* XIX, 15, 16) : *Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis...* Considera universaliter omnibus confessoribus esse dictum (*Deut.* I, 16, 17) : *Audite illos ; et quod justum est judicate, sive civis ille, sive peregrinus, nulla erit distantia personarum ; ita parvum audiatis, ut magnum ; non accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* (*Ibid.*, partic. 6.)

Post hæc sacerdos incipiat audire confessionem ipsius. Interrogando, si peccator nesciat confiteri, et adjuvando per inquisitionem, discrete tamen, ita quod sollicitus sit usitata peccata singulatim requirere ; inusitata vero per circumstantias generales et valde remotas caute investigare ; ne inexpertis detur materia vel occasio quod ante nesciverant perpetrandi. (*Ibid.*, c. 2, partic. 1.

Sciat ergo confessor studiosus quod, si discrete in omnibus prædictis se circa confitentem habuerit, non tantum salvat ipsum confitentem, sed etiam se ipsum insuper, et operit multitudinem peccatorum, ac ampliora gaudia vitæ cœlestis sibi conquirit, sicut beatus Jacobus dicit, qui, cum disseruisset de sacerdotibus et confessione, statim subintulit dicens (*Jac.* V, 20) : *Scire debet quoniam qui converteris peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam a morte, et operit multitudinem peccatorum.* (*Ibid.*, c. 4, particul. 3, sub fin.)

SECTIO TERTIA. — *De administratione sacramenti Eucharistiæ.*

§ I. — *De excellentia illius muneris, et quantum cavere debent sacerdotes ut illo digne fungantur*

Cum nihil habet Christiana religio sacramento Eucharistiæ præstantius et augustius... (*Conc. Rhem.*, ann. 1583, tit. *De Euch.*, init.)

Quemadmodum corporibus, sic et animis sua sunt alimenta tribuenda ; ne si multo tempore jejuni languidique permanserint, in laboriosa vitæ humanæ

(36) Hic sermo tribuitur Petro Comestori; *Biblioth. PP. Lugdun.*, t. XXIV.

(37) Hic sermo tribuitur eidem auctori, in eodem opere.

peregrinatione et via deficiant. Ideoque pane vitæ, qui de cœlo descendit, nimirum sacrosancto Christi corpore, quod in Eucharistia vere continetur, parochi populos sibi commissos pascere satagant, et assiduis cohortationibus ad hunc cœlestem cibum invitent. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1593, num. 11, *De Eucharistia.*)

Eucharistiæ sacramentum salutis nostræ pignus, in cujus præsentia contremiscunt angeli, videntes ibi contineri mundi et cœli redemptionem, uti omnium sacramentorum excellentissimum est, ita majori devotione ac reverentia tractandum. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, c. 5, *De custodia Euchari stiæ.*)

Magna est et supereminens cœlestis dignitas sacramenti. Et quis poterit ad eam? (Petr. Bles., epist. 123, *Ad Richard. Londonens. episc.*, circa init.)

Magnum... hoc est sacramentum supra omnem æstimationem, supra omnem intelligentiam, supra omnem eminentiam, in quo salus est mundi, pretium sæculi, pretium sine pretio, pretium impretiabile. De ipso Apostolus loquens (*I Tim.* III, 16) : *Magnum est*, inquit, *sacramentum hoc pietatis, manifestatum in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum gentibus, creditum mundo, assumptum in gloria.* Verbum prophetæ est (*Isa.* LII, 11) : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Quanto mundiores esse oportet, qui in manibus et in corpore portant Christum? (*Ibid.*, post init.)

Corpus Christi est pretium animæ, thesaurus indeficiens, inæstimabilis, impollutus, inconsumptus, incorruptus. Hoc thesauro emuntur cœlestes divitiæ, possessio gloriæ, regnum infinibile, pax interminabilis, inconcussa securitas et æternitas vitæ. *Hic est panis vivus, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo.* (*Joan.* VI, 33.) Væ igitur illis, quibus corporis Christi dispensatio credita est... si non dijudicant corpus Christi... Prælatorum... est... remissio cauta et circumspecta, et est remissio stulta et dissoluta. Remissio cauta fructuosa est... Hæc est remissio sive levitas, in qua nec Deus nec homo offenditur. (Petr. Comestor, serm. 55 *Ad sacerdotes*, paulo post med.)

Vos, o milites Christi... vestro intendite ministerio... Pervigil tantum circa mysterium hoc studium adhibete, atque pro viribus laborate, ut mysteriorum Dei idonei dispensatores sitis. (S. Laurent. Justin., *Serm. de Euchar.*, num. 31.)

§ II. — *Quædam in administratione sacrosanctæ Eucharistiæ religiose observanda.*

Ne sacra administrentur populo sine loci honesta et decenti pro ecclesiæ facultate præparatione. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 10, *De Euchar. sacrosancto sacram.*, in fin.)

Erit in hoc diligentia sacerdotis et parochi curare, ut omnia, quæ tanto sacramento adhibentur, decore, honeste, ac reverenter fiant. (*Conc. Aquense*, ann. 1585, tit. *Quæ ad sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum pertinent*, circa med.)

Sit vero communicantium mappa munda et nitida; ut si (quod absit) aliquando e manu decideret sacra hostia, eam non humi, sed in dicta mappa reservatam recipiant sacerdotes. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, c. 18, *De sanctissimo Eucharistiæ sacram.*)

§ III. — *Quædam speciatim observanda circa dignos, et ad frequentem communionem rite præparatos.*

Ad frequentem communionem cum fidei sinceritate, spei confidentia, charitatis ardore ac animarum puritate populi excitandi sunt. (*Convent. Melodun.* ann. 1579, tit. 10 *De Eucharistiæ sacrosancto sacram.*)

Cum nihil habeat religio sacramento Eucharistiæ præstantius, nihilque ad sancte et inculpate vivendum efficacius ejusdem frequentissima participatione, dolemus tantam esse Christianorum hujus temporis incuriam, ut semel tantum in anno sumant tam salutaris sacramenti subsidia. Quare parœci, et qui ad divini verbi prædicationem asciscuntur, deinceps de frequentis communionis antiquo usu, ejusdemque miris fructibus et utilitate disserant, et fidelibus persuadere nitantur nullum esse modum aptiorem et compendiosiorem, quo sopitis et exstinctis hæresibus Ecclesiæ apostolicæ facies nostro sæculo redeat. Nos quoque fideles omnes hortamur, et per viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus ut quam sæpissime, saltem vero diebus solemnibus communicent; et quotiescunque postulaverit ingruens aliqua necessitas, quæ vitam humanam in discrimen et periculum adducat. (*Concil. Rhem.*, ann. 1583, c. *De Eucharist.*)

Pastores omni studio ac diligentia commissum sibi Christianum populum exhortari debent, cum ad singularem erga omnia sacramenta religionem et reverentiam adhibendam, tum ad frequentem augustissimi Eucharistiæ sacramenti et confessionis usum... a sanctis olim Patribus pie statutum fuerat, ut saltem ter quotannis, videlicet Natali Domini, Resurrectione atque Pentecoste omnes, qui veri censeri vellent Christiani, Eucharistiam sumerent. Et quamvis propter charitatis ardorem magna ex parte in animis hominum restinctum, nullo jam Ecclesiæ præcepto ad frequentiorem quam annum utriusque hujus sacramenti usum fideles obligentur, nihilominus et Deo gratissimum est, et piorum animis saluberrimum, ex purissimis divinæ gratiæ fontibus aquam æternæ vitæ sæpius haurire. Nam quod per se semper optimum est, non potest non semper utilissimum esse. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, tit. *De sacramentis.*)

Quemadmodum corporibus, sic et animis sua sunt alimenta tribuenda; ne si multo tempore jejuni languidique permanserint, in laboriosa vitæ humanæ peregrinatione et via deficiant. Ideoque pane vitæ, qui de cœlo descendit, nimirum sacrosancto Christi corpore, quod in Eucharistia vere continetur, parochi populos sibi commissos pascere satagant,

et assiduis cohortationibus ad hunc cœlestem cibum invitent. (*Conc. Burdigal.* an. 1583, tit. *De sacram., De Eucharistia.*)

Frequentissimam populo communionem, debitamque in ea sumenda reverentiam parochi, concionatores et confessarii crebris hortationibus suadebunt. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, part. II, tit. 5, *De Euchar et sacra commun.*, num. 8.)

(Eucharistiæ sacramentum) frequentius ac rarius, juxta cujusque fidei magnitudinem, conscientiæ puritatem, actualem devotionem, gratiæ affluentiam, atque ignitum charitatis affectum, percipi congruit. (S. Laurent. Justin., *De perfectionis gradibus*, c. 3, num. 3.)

§ IV. — *Quædam observanda circa indignos.*

Ad sacram communionem convictos concubinarios, feneratores, blasphemosque, juratores, aut alios publice peccantes, si non admiserint, sed procul abegerint curati, donec mores emendasse perspexerint, non maximo vacabit fructu. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 10, *De Euchar. sacrosancto sacram.*)

Quotiescunque autem sacerdos in voluntate peccandi mortaliter, permanentibus licentiat corpus Christi, peccat mortaliter, quia Christum cum Juda trahit, ut secundario crucifigatur... Hoc quidam pestiferi et idiotæ non attendentes dant largam licentiam communicandi luxuriosis, exactoribus, usurariis, concubinariis, et hujusmodi monstruosis ira et odio plenis. O magna et infelix præsumptio, licentiare aliis tam ingens flagitium, quod sibi nullus hominum licentiare posset... quod nec Papa, nec angelus, nec Petrus, nec omnes angelorum exercitus possent licentiare, cum sententiam judicis Paulus voce præconia proclamaverit (*I Cor.* XI, 27) : *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini...* Tam grave peccatum est, Christum indignis licentiando tradere, ut ipse Judex per se clamet (*Matth.* XXVI, 24) : *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur : Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille...* Unde in nullo casu, sanis, nec infirmis, nec sacerdotibus, nec aliis peccare volentibus debet sacerdos corpus Christi licentiare vel indulgere, quia præcipit Dominus (*Matth.* VII, 6) : *Nolite sanctum dare canibus*, id est, ad vomitum peccatorum redire volentibus. (S. Bonav., *Confession.*, cap. 4, particul. 3, post med.)

§ V. — *Quædam circa juvenes ad sanctissimam communionem prima vice accedentes.*

Adolescentibus, qui tunc primum Eucharistiam sumere voluerint, parochus non præbeat, nisi eos ante aliquot dies examinarit, et de vi et de ratione sacramenti diligenter instruxerit. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, *De iis quæ pertinent ad sacram. Eucharistiæ.*)

Juvenes primum ad tanti sacramenti sumptionem admitti volentes per dies aliquot, antequam admittantur, ad fidei sinceritatem, usum et fructum tanti sacramenti diligenter instituantur. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 10, *De Euchar. sacrosancto sacramento.*)

Quæ tanto animarum dispendio in locis quibusdam increbuit sero nimium communicandi consuetudo, sanctius erit immutanda, adolescentesque ii, quos de sumendo mysterio satis decernere posse parochi vel confessarii judicarint, ad communionem sunt recipiendi, imo etiam impellendi. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, part. II, c. 5, *De Eucharist. et sacra commun.*)

Non admittant parochi infantes ad susceptionem tanti sacramenti, quod cibus est grandium ; sed eos tantum, quorum sit probata vita et modestia ; qui, quod ore sumpserint, mente ruminare possint. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, cap. 18, *De sanctissimæ Eucharistiæ sacram.*)

§ VI. — *Quædam observanda circa ægrotos.*

Venerabile corporis Christi sacramentum ad ægros non proferant rectores, nisi stola et superpelliceo decenter ornati, lumine et campanula præeunte, quo populus moneatur officii sui, tum erga sacramentum, tum vero erga laborantem infirmum. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, tit. sive art. *De pastorum resid. et officio*, c. 3.)

Ut sanctissima Eucharistia ad ægrotos summa cum religione deferatur, parochi populum sæpissime hortentur, ut frequens semper prosequatur. Quamobrem etiam sodalitates corporis Christi in parochiis instituant. Cum vero deserenda erit, tum cum campanæ sonitu præmoneant. Lumina, tintinnabulum et decorum vasculum velo etiam decenter contectum, ac præterea, ubi fieri poterit, umbellam adhibeant. Duas autem sacræ Eucharistiæ particulas deferant, ne eis ad ecclesiam redeuntibus populus inane vasculum adoret. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, tit. 4, *Quæ pertinent ad sacram. Eucharistiæ.*)

Et, cum sacram hostiam defert ad ægrotos, velo aliquo honesto aut peplo vasculum tegi curet, præeunte uno saltem clerico cum campanula et tæda accensa. (*Conc. Rhem.*, ann. 1583, capitul. *De Euchar.*, sub fin.)

Ipsum vero venerabile sacramentum, summa cum religione parochus amictu lineo et stola indutus ad ægrotos deferat, uno aut altero ad minus, qui tintinnabulum et facem ardentem gestet, præcedente. Populus autem moneatur in concionibus ut tum in viis publicis sanctissimum Christi corpus adoret, et ægroti usque domum, quoad fieri poterit, magna cum veneratione atque pietate prosequatur. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, *De Eucharistia*, num. 11.)

Parochus ægroto illum allaturus accurate præmoneat..... ut ægrotantis cubiculum ab omni sorde, omnique inquinamento purgetur, et amota omni re profana pro apparatu, et sacris imaginibus, ubi potest, exornetur ; tum præterea mensa mappa nitida puraque constrata, cruce aliaque effigie sacra, cum

delabris et candelis cereis saltem binis instructa apparetur; in qua super corporali pyxis cum sanctissimo sacramento collocari possit. Sit etiam vas vitreum ad ablutionis usum.... clerici.. qui comitantur, superpelliceum adhibeant.... omnes præsertim ecclesiastici homines hymnos et psalmos pœnitentiales aliosve intima animi pietate simul cum parocho, sed alternatim pronuntient, atque alii item religiose orent. — Cum quis sacerdoti sanctissimi corporis Domini sacramentum ad ægros ferenti, aut eidem inde redeunti obviam fit, dum vel equo, vel curru, vel jumento vehitur, ubi primum illum id ferentem viderit, inde statim descendat, humique flexis genibus tandiu in adoratione permaneat, quoad ille cum sacramento transierit. (*Conc. Aquense*, ann. 1585, tit. *Quæ ad sanctiss. Euchar. sacram. pertinent.*, paulo post med.)

At vero omnis, sive sacerdos, sive clericus, sive laicus, quicunque eidem sanctissimo sacramento obviam fiet, pro Christianæ religionis cultu, domum usque ejus, cui ministrandum est, et ad ecclesiam quoque, quo reditur, pia veneratione prosequi et comitari omnino studeat, nisi necessitate causave urgenti vehementer impediatur.... familia vero, quæ domi habitat ubi ægrotus est, sanctissimo Sacramento ad ecclesiam usque, vel saltem extra januæ fines obviam procedat cum cereis accensis, et omni alio interiori et exteriori pietatis cultu, depositisque plane armis. (*Ibid.*)

Si ad ægros deferenda est (Eucharistia) quanta fieri poterit veneratione; si ita facultas ferat, cum umbella, frequentia concomitante, et ob id sæpius monendo populos deferatur. (*Concil. Tolos.*, ann. 1590, part. II, c. 5. *De Euchar. et sacra commun.*)

Ut sacro pabulo refecti ex hac vita discedant Christi fideles, cum primum infirmum intra parochiam sciverit parochus, illum invisat, horteturque ad sacrum pœnitentiæ et altaris sacramentum suscipiendum, eidemque de peccatis suis pœnitenti et confesso illud rogatus citissime deferat, dato campanæ signo, ut populus accedat, illud idem comitaturus. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, c. 5, *De custodia Eucharistiæ.*)

Jt autem, quantum fieri potest, debitus honos tanto sacramento a cunctis fidelibus, dum ad ægrotos defertur sacro illo viatico muniendos, exhibeatur, moneantur sæpe fideles, ut pro charitate et pio in Deum affectu sacramentum augustissimum comitentur, cernui adorent, auxilium et munimen infirmo implorent, ac demum in ecclesiam usque religiose Christo famulaturi pergant. Sed curent etiam parochi ut, qui in infirmorum domibus degunt, antequam pignus redemptionis nostræ eo deferatur, cum cereis accensis præcedant illud et subsequantur. (*Conc. Burdigal.* ann. 1624, c. 5, *De sacramentis, De Eucharistia*, num. 4.)

Sed in omnibus parochiis piam fidelium sodalitatem, qua salutari veluti modo quamplurimi ad sanctissimum sacramentum comitandum impellantur, instituere utile, sanctum et fructuosum. Quapropter solliciti sint in hoc episcopi, curentque ut per parochos et concionatores proposita concessæ indulgentiæ gratia fideles ad id salubriter alliciantur. (*Ibid.* 1 num. 5.)

Sectio quarta. — *De administratione sacramenti extremæ unctionis.*

§ I. — *Quædam ante illius administrationem observanda.*

Extremæ unctionis sacramentum curet parochus ut ægroto, dum integris est sensibus, adhibeatur. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1585, part. II, tit. *De iis quæ pertinent ad extremæ unctionis administr.*)

Hoc curet diligenter ut die noctuque ad extremæ unctionis sacramentum... ministrandum præsto sit et paratus. (*Concil. Mediol.* IV, ann. 1576, part. II, tit. *De iis quæ pertinent ad extremam unctionem, et reliqua erga morientes officia.*)

Caveat parochus ne in eo administrando negligentiam aliamve moræ culpam contrahat. Alioqui si ad illius ministrationem accersitus ire neglexerit, cum rationem Deo reddet, tum pœna ab episcopo graviter plectatur. Ut porro ad omnem hujus sacramenti in tempore administrandi diligentiam... proposito sibi exemplo sanctissimi episcopi Malachiæ accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus est, quod culpa sua mulier quædam sacramenti hujus gratia fraudata decesserit, ut totam noctem orando, gemendo, lacrymando consumpserit; lacrymarumque vi, quasi maximo imbre pro oleo sancto, quod non ministravit, mortuam perfuderit; mane autem exaudivit Dominus sanctum suum, ita ut e morte tanquam e somno excitata, e lecto sese erigens, sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps a morbo convaluerit. (*Conc. Mediol.* V, ann. 1579, part. I, tit. *De iis quæ pertinent ad sacram. extremæ unctionis.*)

Curent parochus et parentes ut infirmi adhuc mentis sanæ tantum sacramentum sumant cum omni in Deum fiducia, et omnium terrenarum rerum abjecta cura; et piis adhortationibus eorum ad cœlestis beatitudinis desiderium corda accendantur, ut se a Deo ad cœlos vocari gaudeant, percepta Eucharistia et unctione sacra. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 14, *De extrema unctione.*)

Parochus etiam non exspectet ut rogetur de eo conferendo, sed sedulitate sua præveniat ægrotum de vita periclitantem : caveatque ne vel mors unctionem præveniat, vel morbo invalescente semimortuus non sentiat. (*Conc. Rhem.*, ann. 1583, cap. *De extrema unctione.*)

Quamvis sacramentum extremæ unctionis ægrotis sit administrandum qui in extremum vitæ discrimen ac periculum adducti esse videntur; tamen non eo usque differendum est, dum æger omnibus pene sensibus destitutus sit. Quapropter parochis præcipimus ut omnes curæ suæ creditos frequenter moneant, ne sint in hac re lentiores, aut negligentiores,

cum inter eos aliquis periculose laborare videbitur. Curent etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani et impia opinione abducere, qua plerique sinistre de hujus sacramenti virtute sentiunt, perinde ac si mortem ægris acceleret : cum certum sit ex apostoli doctrina Deum, non animæ tantum, verum etiam corpori, si expedierit, virtute hujus sacramenti salutem conferre. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, num. 13, *De sacram. extremæ unctionis.*)

Administretur tempestive a sacerdote extrema unctio olei sancti, ita ut Christianus mente adhuc integra sacramenti efficaciam agnoscere possit. Doceantur infirmi eam percepturi quis sit ejus fructus, et non esse exspectandum ad eam suscipiendam finem vitæ. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. 28, *De extrema unctione*, can. 1, 2.)

Cum callidus serpens et hostis humani generis calcaneo insidiari, hominemque in extremo spiritu oppugnare maxime soleat, ægrotos parochi, quanta maxima fieri poterit charitate, visitabunt, consolabuntur, instruent, ultro sese etiam non vocati iis offerent, dabuntque sedulo operam ne in id tempus sacra extremamque unctionem differant, quo novissima conflictati valetudine auctiorique morbo tam profuturi sacramenti commoda, quod frequenter nimium accidit, satis agnoscere non possint. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, part. II, c. 9, *De extrema unctione*, num. 1.)

§ II. — *Quædam in illius administratione observanda.*

Parochus... cum ad ungendum infirmum accesserit, diligenter eum consoletur, et hortetur ut bono animo sit; et a curis ac desideriis hujus vitæ ad cœlestis beatitudinis cogitationem erigat, ut abjecto mortis metu se a Deo in æternam requiem vocari gaudeat. Omnes vero qui adsunt moneat ut preces Christo Domino pro eo faciant. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, *De iis quæ pertinent ad extremæ unctionis administr.*)

Extremæ unctionis sacramentum ministraturus, quot commode potest, presbyteros et clericos adhibere studeat superpelliceo indutos, qui ipsum et ministrantem et precantem pietatis orationisque studio in eo ministerio adjuvent. Quod si plures habere non potest, unum saltem omnino adhibeat clericum sibi ministrantem... curet... ut domestici simul omnes qui adsunt, pro eo Deum pie precentur. (*Conc. Mediol.* IV, ann. 1576, part. II, tit. 6, *De iis quæ pertinent ad extremam unctionem et reliqua erga morientes officia*, circa med.)

Præsentes vero, ut pro infirmo orent, adhortentur. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 14, *De extrema unctione.*)

Quoties ad infirmum extrema deferetur unctio, parocho, quotquot poterunt, clerici astabunt, signum campanæ dabitur, quo preces populi ad hoc officium sæpius a parochis monendi in morituri gratiam excitentur. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, part. II, c. 9, *De extrema unctione*, num. 2.)

§ III. — *Quædam post illius administrationem observanda.*

Ubi sacramentum ægro ministrarit... eum brevibus et suavibus ardentibusque verbis excitare ad desiderium vitæ æternæ, et ad spem de divina misericordia concipiendam, ne opportune desistat. — Ubi hoc officium pie accurateque præstiterit, si æger adhuc vivit... ne eidem præsens adesse omniaque salutaria officia præstare omittat. (*Conc. Mediol.* IV, ann. 1576, part. II, tit. *De iis quæ pertinent ad extremam unctionem et reliqua erga morientes officia.*)

Tum, cum prope moribundus est, in illius animæ commendatione, quam maxima potest intima animi pietate statas religiosas sanctasque preces recitet, curetque toto eo tempore ut domestici simul omnes qui adsunt pro eo Deum pie precentur. (*Ibid.*; *Conc. Aquense*, ann. 1585, tit. *De iis quæ pertinent ad sacram. extremæ unctionis.*)

Nec putet suo satisfactum officio sacerdos, si semel tantum ægrotum inviserit, dum unctio fuit adhibenda : sed quam diutissime poterit eum consoletur, et inculcet quæ spectant ad salutem, sicut in Manuali præscriptum reperiet; eique, quousque e vivis excesserit, assistat et operam impendat. (*Conc. Rem.*, ann. 1583, *De extrema unctione.*)

Eos præterea adesse oportet morientibus, eosque sanctis admonitionibus et piis precibus omni ratione juvare; ut quod eis superest vitæ in vera et catholica fide possint explere, ne propter peccatorum suorum multitudinem atque gravitatem ullo modo de divina misericordia desperent. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, tit. 13, *De sacram. extremæ unctionis.*)

Quia adversarius noster tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; et præsertim morientibus instat, et insidias tendit, ac nititur recordatione peccatorum e fiducia misericordiæ divinæ eos dejicere. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. 28, *De extrema unctione.*)

Cum callidus serpens et hostis humani generis calcaneo insidiari, hominemque in extremo spiritu oppugnare maxime soleat, ægrotos parochi, quanta maxima fieri poterit charitate, visitabunt, consolabuntur, instruent, ultro sese etiam non vocati iis offerent. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, part. II, c. 9, *De extrema unctione*, num. 1.)

Sectio quinta. — *De administratione sacramenti matrimonii.*

§ I. — *Quam religiose exercendum hoc munus.*

Matrimonium res sacra est, sancta et arcta conjunctione divinitus instituta, cum nondum inter homines peccatum natum esset. Quare nec suscipi, nec tradi nisi sancte ac religiose debet; nec in profanis rebus haberi vinculum, cujus Deus auctor et conjunctor est. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, tit. 15, *De matrimonio*, cap. 1, initio.)

Religiosam animi præparationem requirit matrimonii ratio et sanctitas. (*Conc.Mediol.* III, ann. 1573, tit. 17, *De iis quæ ad matrimonii sacramentum pertinent.*)

Cum constet matrimonium a Deo institutum, ut et Christi ac Ecclesiæ sacram et inseparabilem adumbraret conjunctionem, et proinde esse honorabile connubium, teste Apostolo; summo ideo in pretio haberi debet, ac maximo cum honore contrahendum est ac celebrandum. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 25, *De matrimonio*, init.)

§ II. — *Quædam circa administrationem matrimonii observanda.*

Circa locum.

Matrimonia in facie Ecclesiæ fieri mandat synodus, ac pastoribus præcipit, ut doceant conjuges non tantum esse honorificum, sed utile, faustum et auspicatum, si res sacra cujusmodi matrimonium est, loco sacro celebretur; et uberiorem divinæ benedictionis fructum iis exspectandum qui pie ac religiose ritum Ecclesiæ secuti fuerint, quam his qui contempserint. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, *De matrimonio*, c. 7.)

Ne parochus ullo alio loco quam in ecclesia ipsa, quæ sacramentorum proprius locus est, sponsos matrimonio jungat. (*Conc. Mediol.* II, ann. 1569, tit. 1, decret. 28.)

Fiat benedictio nuptialis... neque in privatis domibus. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. 27, *De matrimonio*, can. 5.)

Circa tempus.

Ne solemnes nuptias liceat celebrari nisi post diluculum. (*Conc. Mediol.* III, ann. 1573, tit. 17, *De iis quæ ad matrimonii sacrament. pertinent*, paulo post init.)

Nec noctu metu præstigiorum fieri debent benedictiones, sed diu. (*Convent. Melodunens.*, ann. 1579, tit. 15, *De matrimonio.*)

Porro matrimonii benedictio non nisi sub finem Missæ, cui interfuerint contrahere volentes, nec ante quartam matutinam, nec post meridiem conteratur. Peccare autem graviter admonemus eos, qui noctu vel clanculum benedictionem nuptialem sibi dari procurant propter metum maleficii. Maleficium enim se vitare posse credere debent, si eo pietatis affectu ad conjugium accedant, qui præscribitur in sacris Litteris, videlicet ut cum timore Domini et amore filiorum magis quam libidine impulsi copulentur, devote susceptis... pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentis. (*Conc. Rem.*, ann. 1583, tit. *De matrim.*, post med.)

Fiat benedictio nuptialis... in Missa ab aurora usque ad meridiem... non post prandium, neque noctu. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. 27, *De matrimonio*, can. 5.)

Circa contrahentes.

Sponsi, cum in ecclesiam conveniunt vel ad marendum est... Dum conspicis Dominum immolatum et illic situm sacerdotem sacrificio incumbentem, ac trimonium contrahendum vel accipiendam benedictionem, ne parochus ulla cujusvis generis musicæ instrumenta afferri patiatur. Quod si ab ipso moniti id facere contempserint, tandiu eis matrimonii celebrationem aut benedictionem differat, quoad sancte, uti debent, ob id ad ecclesiam accesserint. (*Conc. Mediol.* II, ann. 1569, tit. 2, decret. 28.)

Fieri debent unptiarum benedictiones... nubentibus sacramento pœnitentiæ et piis præmunitis precibus. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579 tit. 15, *De matrimonio.*)

Benedictionem autem nuptialem impuberibus, aliisve, nisi jejunis et confessis, non esse impertiendam sancimus; rectores hac in re religione obstringentes, eorum conscientiam onerantes. Quibus mandamus conjuges monere ut id observent, ne tam divino sacramento verba obscena, risus et jocos inverecundos, ut fere fit, misceri patiantur. (*Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. 9, *De matrimonio*, paulo post med.)

CAPUT VI.

De sacrosancto Missæ sacrificio.

ART. I. — *De hujus sacrificii ac illius celebrationis excellentia.*

Necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur. (*Conc. Trid.*, sess. 22, ann. 1562, in decret. *De observand. et evitand. in celebrat. Miss.*, paulo post init.)

Qui in sacerdotio sancto constituti sunt... eam functionem gerunt, qua nulla major excogitari potest. (*Conc. Mediol.* III, ann. 1573, tit. 10, *De iis quæ partim ad ordinis sacramentum, partim ad clericorum honestatem ac studia pertinent*, circa med.)

Cum augustius habeat Ecclesia catholica nihil... sacrificio altaris. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 10, *De Eucharistiæ sacrosancto sacramento.*)

Eminet autem inter omnia, quæ in sacris habentur mysteriis et actionibus, Missæ sacrificium et rei dignitate, et sacerdotis præstantia, et fructus excellentia. (*Conc. Aquileiens.*, ann. 1596, n. 4, *De divinis Officiis*, paulo post init.)

Pignus redemptionis nostræ, et quotidianum humanæ reconciliationis incrementum ac sacrificium, quanta debeat reverentia celebrari, et qua cordis puritate ad illud accedere teneatur sacerdos, satis expresse notant qui angelis superiores asserunt sacerdotes, dum sæpius agunt celebrando, quod semel in utero Virginis actum est. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, cap. 19, *De Missæ sacrificio*, init.)

Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classem ordinemque refe-

preces fundentem, tum vero turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubificri : etiamne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes ? ... Adest enim sacerdos non ignem gestans, sed Spiritum sanctum : is preces diuturnas fundit, non quo flamma cœlitus delapsa sacra apposita absumat, sed ut gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, et puriores reddat argento igni excocto purgatoque. (S. Chrysost., *De sacerdotio*, lib. III, c. 4, init.)

Divinus Maris.. cum... longo tempore desiderasset videre offerri spiritale et mysticum sacrificium, rogavit ut divini doni illic fieret oblatio. Ego vero (Theodoretus, Cyri episcopus) lubenter parui, et jussi sacra vasa afferri (pagus enim haud longe aberat) et pro altari usus diaconorum manibus, mysticum divinum et salutare obtuli sacrificium. Ille autem omni spiritali implebatur voluptate, et existimabat seipsum cœlum videre, dicebatque se nunquam tantam cepisse lætitiam. (Theodoret., Cyri episc., *De vitis Patrum*, interprete Gentiano Herveto, apud Heribertum Rosweydum, lib. IX, cap. 20, *De vita Maris.*)

Quanta luce credis te circumfundi, sancte sacerdos, in præsentia tantæ majestatis in tam solemni adventu et conventu Trinitatis et totius militiæ cœlestis ? Quantam æstimas claritatem adesse et inesse toti curiæ cœlesti ? Tantam nimirum, quantam ferre non posses, nisi virtus Altissimi tuæ infirmitati ad ferendum obumbraret. (*Instruct. sacerdotis*, seu, *De præcipuis mysteriis nostræ religionis*, cap. 8, in fin., t. V Operum S. Bern.)

Deliciari et gaudere debemus in sacramento altaris, in cujus confectione fidelis minister invenit se ipsum in medio Patris et Filii et Spiritus sancti, astantibus etiam ex omni latere supernis ordinibus. (*Serm. de excellentia sanctissimi sacramenti et dignitate sacerdotum*, num. 8, t. V Operum S. Bern.)

Magna dignitas, mira potestas, excelsum et expavendum officium. (Hug. de S. Victor., *Specul. Ecclesiæ*, cap. 5, *De ordinibus clericorum*, post med.)

Scio et aperte profiteor tempore immolationis in ipsa hora incensi cœlos ad vocem sacerdotis aperiri, angelos præsentes assistere, unum et idem ex visibilibus et invisibilibus fieri, et operatione sancti Spiritus terrena cœlestibus jungi. (Petr. Bles., epist. 123, *Ad Richar., Londonens. episc.*, circa init.)

Terribilis... locus est, in quo Deo Patri ejus Unigenitus immolatur. (*Ibid.*, circa med.)

Injunctum (nobis) magnæ dignitatis obsequium et officium debitæ servitutis. (S. Bonav., *De præparatione ad Missam*, c. 5, post. med.)

Quo (sacramento) nihil sanctius et devotius potest esse in cœlo et in terra, et quod est admodum præcipuum indicium divinæ dignationis et dilectionis ad hominem... hoc est memoriale totius dilectionis suæ, et quasi compendium quoddam omnium beneficiorum suorum, quod nobis reliquit in Incarnationis, redemptionis, glorificationis et justificationis figuram in hoc inclusit. (Id., *De institutione novit.*, part. I, c. 11, circa med.

Magna prorsus et admiranda sacerdotum est dignitas. Maxima illis collata potestas. Sua namque prolatione eloquiorum cœlestium, et ad eorum pene libitum corpus Christi de panis transsubstantiatur materia ; descendit de cœlo in carne Verbum, et altaris verissime reperitur in mensa. Hoc illis prærogatur ex gratia, quod nusquam datum est angelis. Assistunt Deo ; illum contrectant manibus ; tribuunt populis ; in seque suscipiunt. Verum angelorum, sive astantium, sive ministrantium... vice funguntur. (S. Laurent. Justin., *Serm. de Eucharist.*, num. 27, circa med.)

Sectio prima. — *Excellentia hujus sacrificii ex variis ejus nominibus desumpta.*

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Calicem Salutaris accipiam. (*Psal.* CXV, 12, 13.)

Sacrificium verum et plenum. (S. Cypr., epist. 63, *Ad Cæcilium*, non procul a fin.)

Salutaria illa mysteria... Eucharistia, id est gratiarum actio, nuncupantur ; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exsolvere. (S. Chrysost., hom. 26 *in Matth.*, post med.)

Sacramentum unitatis, vinculum pacis, consortium charitatis, expiationis sacrificium, devotionis oblatio, honoris delatio, exhibitio fidei, pabulum sanctitatis atque immolatio pietatis. (S. Laurent. Justinian., *De institutione et regimine prælatorum*, c. 21, num. 3, circa med.)

Sectio secunda. — *Ex sacerdote offerente.*

Idem ipse sacerdos et sacrificium Jesus Christus. (*Conc. Lateran.*, ann. 1216, tit. *De fide catholica.*)

Sacerdos in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. (*Conc. Florent.*, in decret. *De unione Armenorum*, ann. 1439, multo post med.)

Idem... nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit. (*Conc. Trid.*, sess. 22, an 1562, c. 2, circa med.)

Per Jesum Christum offert Ecclesia. (S. Iren., lib. IV *Adv. hæreses*, c. 33, in fin.)

Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur. (S. Cypr., epist. 63, *Ad Cæcilium*, non procul a fin.)

Christus.... ipse offerre manifestatur in nobis. (S. Ambros., *Enarr. in psal.* XXXVIII, num. 25.)

Tu... es, qui offers et offerris, assumis et distribueris, Christe Deus noster. (S. Chrysost., in *Liturgia*, circa med., in oratione quæ incipit : *Nullus eorum qui carnalibus cupiditatibus et voluptatibus est irretitus.*)

Domine Jesu, Deus noster, Salvator noster, sacerdos noster, hostia nostra. (S. Petr. Cluniac., *Epist.*

contra Petrobrusianos hæreticos, tit. *Contra id, quod dicunt Missam nihil esse, nec celebrari debere*, longe ab init.)

In mysterio isto Dominus Jesus ipse sacerdos et hostia. (S. Laurent. Justinian., *Serm. de Euchar.*, num. 28, circa med.)

Sectio tertia. — *Ex victima oblata.*

Idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit. (*Hebr.* ix.) (*Conc. Trid.*, sess. 22, ann. 1562, c. 2, circa init.)

(Christus) ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. (S. Ambros., *Enarr. in psal.* xxxviii, num. 25, circa fin.)

Christus assistit, quando Christus immolatur. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. (*I Cor.* v, 7.) (Id., *in Luc.* i, lib. i, num. 28, circa med.)

Ecclesia... offert quidem Domino Deo suo sacrificium spiritus contribulati... Offert sacrificium justitiæ... Offert et sacrificium laudis... sed longe acceptabilius offert sacrificium, eum scilicet, qui juxta Apostolum per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo... Offert Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui nec immolatus moritur, nec divisus minuitur, nec comestus consumitur. Offert ipsum pro seipsa, qui se obtulit pro ipsa; et quod ille fecit semel moriendo, hoc illa facit semper offerendo. (S. Petr. Cluniac., *Epist. contra Petrobrusianos hæreticos*, tit. *Contra id, quod dicunt Missam nihil esse, nec celebrari debere*, non procul ab init.)

Christus... in se ipso immortaliter et incorruptibiliter vivens pro nobis in mysterio altaris quotidie immolatur. (Petr. Bles., epist. 123, *Ad Richard., London. episc.*, circa init.)

Sectio quarta. — *Ex fine et effectibus.*

Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. (S. Aug., lib. x *De civ. Dei*, c. 10; *Conc. Trid.*, sess. 22, ann. 1562, cap. 2, circa med.)

Eminet autem inter omnia quæ in sacris habentur mysteriis et actionibus Missæ sacrificium... fructus excellentia : Dominus enim noster Jesus Christus Unigenitus Patris, candor æternæ lucis et figura substantiæ illius, portans omnia verbo virtutis suæ, tanquam sacerdos constitutus a Deo secundum ordinem Melchisedech in æternum, cum ingrederetur in Sancta sanctorum per sanguinem suum, semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri obtulit in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub primo Testamento, ut repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Hoc vero sacrificium, quod cruente oblatum est, et memoria ac repræsentatione in Ecclesia frequentatur, et usque in finem sæculi permanebit, cujus salutaris virtus in remissionem eorum quæ a nobis quotidie committuntur applicatur, quanta deceat spiritus innocentia, reverentia, metu, humilitate tractare, res ipsa indicat, ipsa loquitur et contestatur. (*Conc. Aquilciense*, ann. 1596, num. 4, *De divinis Officiis*, paulo post init.)

Hoc sacrificium et a terra nos liberat, et transponit in cœlum, atque ex hominibus angelos facit. (S. Chrysost. hom. 26, *in Matth.* viii, longe ante fin.)

Hæc... singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat. Quod licet surgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur; ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur, ejus sanguis... in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra Passionem Unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri? (S. Greg. Papa I, apud S. Greg. Papam VII, lib. i, epist. 47, *Ad comitissam Mathildem.*; *Vid.* eumd. sanctum doctorem, *Dialog.*, lib. iv, c. 57, et *Hom. in Evang.*, lib. ii, hom. 37, ante fin.; *Vid.* pariter Ven. Bedam, *Hist. Eccles. gentis Anglorum*, lib. iv, c. 22.)

Scio quia hostia hæc singulariter animas ab æterno interitu salvat, dum Unigeniti Dei mortem salubre mysterium repræsentat. Scio et aperte profiteor tempore immolationis in ipsa hora incensi cœlos ad vocem sacerdotis aperiri, angelos præsentes assistere, unum et idem ex visibilibus et invisibilibus fieri, et operatione sancti Spiritus terrena cœlestibus jungi. Magnum itaque hoc est... supra omnem æstimationem, supra omnem intelligentiam, supra omnem eminentiam, in quo salus est mundi, pretium sæculi, pretium sine pretio, pretium impretiabile. (Petr. Bles., epist. 123, *Ad Richard., London. episc.*, circa init.)

Cum nihil habeamus quo possimus Deum et sanctos pro sua dignitate laudare, quam Christum sacramentaliter Deo Patri offerre et immolare. (S. Bonav., *De præparat. ad Missam*, c. 8, post med.)

(Cum in altari Christus immolatus) clamat idem Redemptor ad Patrem, corporis sui cicatrices ostendens, quatenus ab æternis suppliciis sua homines interpellatione custodiat... vides perspicue nullum acceptabilius Deo offerri sacrificium ad exsolvendum laudes, sive ad exhibendum gratias, seu ad impetrandum indulgentiam, vel ad gloriam promerendum, quam corporis et sanguinis Christi sacrosanctum mysterium, in cujus oblationis hora, quantum fas est credere, aperiuntur cœli, mirantur angeli, sancti laudant, exsultant justi, capti visitantur,

compediti solvuntur, infernus luget, sanctaque in spiritu mater beata lætatur Ecclesia. Quamobrem recte colligitur quanta cum veneratione ibi debeat astare sacerdos, cui consecrandi hostias, offerendi incensum, atque intercedendi pro populo est impensa auctoritas. (S. Laurent. Justin., *Serm. de Euchar.*, n. 27, init.)

Nihil profecto hoc sacrificio acceptabilius Deo Patri pro reconciliandis peccatoribus, nihil pro expiandis sceleribus, pro captivis fidelibus redimendis utilius in Ecclesia offerri potest..... in ipso..... Dominus quotidie mystice immolatur; qua quidem immolatione a vitiorum purgamur squaloribus, mundamur ab infidelitatis tenebris, Deo reconciliamur per mortem Filii ejus..... Ipsis profecto pontificibus ac sacerdotibus licet non tantum semel in anno, neque per sortes, ut olim in Veteri Testamento, sed diebus singulis introire Sancta sanctorum, et tam pro seipsis, quam pro populi reconciliatione offerre hostiam laudis divinæ majestatis obtutibus. (Id., *De instit. et regim. prælatorum*, c. 10, n. 6, fere ab init.)

Quamobrem et solemnis est illa Ecclesiæ precatio. Quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, toties opus nostræ salutis exercetur, nimirum uberrimi illi cruentæ hostiæ fructus per hoc incruentum sacrificium ad nos manant. (*Catechismus conc. Trid., Ad parochos*, part. II, *De sacramentis*, tit. *De Euchar.*, num. 84.)

Sectio quinta. — *Per comparationem cum aliis sacrificiis.*

Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt. (S. Aug., lib. x *De civit. Dei*, c. 20.

Ut ergo umbræ cederent corpori, et cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novo tollitur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, et legalis festivitas, dum mutatur, impletur. (S. Leo Papa I, serm. 7, *De Passione Domini*, circa init.)

Hoc sacrificium servabatur tempori gratiæ, quod congruum non fuerat dari in tempore iracundiæ. Habuit bovem Judæus; habet Christum Christianus, cujus sacrificium tanto Judaicis victimis excellentius est, quanto Christus bove major est. Congrua tunc fuit servilis hostia servis; servata est nostris diebus liberatrix Victima jam filiis et amicis. (S. Petr. Cluniac., *Epist. contra Petrobrusianos hæreticos*, tit. *Contra id, quod dicunt Missam nihil esse, nec celebrari debere*, longe ab init.)

Ergo legem lex, agnum Deus Agnus abegit. (Petr. Bles., *De sacrosanctis venerabilis Euchar. mysteriis*, metrice, cap. 4, post. med.)

Nihil in sacrificiis majus esse potest quam corpus et sanguis, nec ulla oblatio hac potior est; sed hæc omnes præcellit. (*De consecrat.*, dist. 2, can. 8, *Nihil.*)

Deus qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti. (*Secret. Dominic. septimæ post Pentec.*)

ART. II. — *De modo offerendi sanctissimum Missæ sacrificium.*

Munde, et recte, et legitime. (S. Iren., lib. IV *Adv. hæreses*, c. 34, longe ante med.)

Oportet... nos oblationem Deo facere... in sententia pura et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione ferventi. (*Ibid.*, post med.)

Indigne sumis, si non accedis reverenter, circumspecte et considerate. (S. Bonav., *De prævarat. ad Missam*, c. 5, circa init.)

Altaris ministerium ob reverentiam corporalis præsentiæ Salvatoris, munditiæ, reverentiæ, diligentiæ, honestatis et circumspectionis studium speciale requirit. (Id., *Specul. disciplinæ ad novit.*, part. I, c. 17, init.)

Sectio prima. — *Munde seu circumspecte.*

§ I. — *Mundities cordis.*

Statim... ut sensit (Isaac) vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait : Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. (*Gen.* XXVII, 27

Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. (*Cant.* IV, 11.

Satis... apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate... peragatur. (*Conc. Trid.*, sess. 22, ann. 1562, in decret. *De observandis et evitandis in celebratione Missæ*, paulo post init.

Si... tales quærimus ad sacros ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium mentes et corpora præpediat; quanto magis, si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, et prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysterium nostræ salutis tractare? Sitque hujusmodi semper juxta sacrorum canonum statuta in hac vita depositus. (S. Martin. Papa I, *Epist. ad Amandum, Trajectensem episc.*)

Astans coram symbolis hierarcha manus abluit, et una cum ipso omnes sacerdotes. Lectio constructionis hujus hyperbato seu transgressione constat; quod nimirum, qui lotus est, non opus habeat aliorum membrorum lotione, quam summitatum seu extremitatum. (*Joan.* XIII, 10.) (S. Dionys., sive alius, *De eccles. hierarch.*, cap. 3, sect. 10, init.)

Necesse est sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus, inter cœlestes illas virtutes medius staret. (S. Chrysost., lib. III *De sacerdotio*, c. 4, circa init.)

Thymiama... ex aromatibus compositum facimus,

cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. (S. Greg. Papa I, *Moral.*, lib. I, *in Job* I, c. 36, num. 54, paulo post init.)

Si is, qui nuptialibus non ornabatur induviis (*Matth.* XXII, 11, 12, 15), manuum pedumque loris addictus in tenebras projicitur ultionis ; quid illi sperandum est, qui cœlestibus triclinibus intromissus, non modo non est spiritalis indumenti decore conspicuus, sed ultro etiam fetet sordentis luxuriæ squalore perfusus ? (S. Petr. Damian., opusc. 18, *Contra cleric. intemper.*, dissert. 1, cap. 4, post med.)

Quid est... alienum ignem Domino sacerdotes offerre, nisi ardore libidinis inflammatos sacrosanctis altaribus propinquare ? (*Ibid.*, dissert. 2, cap. 4, circa med.)

Filii Aaron idcirco cœlestis ignis incendio concremati sunt (*Levit.* x), quia alienum ignem offerre in Dei sacrificio præsumpserunt... Cavendum valde est ne alienum ignem, hoc est libidinis flammam, vel cujuscunque vitii fomitem inter salutares hostias deferamus. (Id., opusc. 26, *Contra inscitiam et incuriam cleric.*, cap. 1, circa med.)

Utinam forcipe de altari unus de summo ordine (*Isa.* VI, 6) seraphim labia mea emundaret tam ad loquendum, quam ad edendum panem sacerdotalem ; ausu namque temerario tam periculosum quam præsumptuosum est, immundis labiis sive illotis manibus contrectare sacrosancta mysteria, quæ digna tantum ministeriis contingi apostolicis arguunt irreverentes, condemnant impudentes, deificant humiles. (Petr. Cellens., *De panibus*, c. 20, *De pane sanctificato et sacerdotali*, post med.)

Verbum prophetæ est (*Isa.* LII, 11) : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Quanto mundiores esse oportet, qui in manibus et in corpore portant Christum, quibus Apostolus dicit (*I Cor.* VI, 20) :.. *Glorificate, et portate Christum in corpore vestro !* (Petr. Bles., epist. 123, *Ad Richard., Londonens. episc.*, paulo post init.)

Væ... illis, quibus corporis Christi dispensatio credita est, si non est præcisus umbilicus eorum. (Id., serm. 55, *Ad sacerdotes*, post med.)

Ne, si peccatis obnoxii offerant, eorum oblatio sit quasi qui victimat filium in conspectu patris. (Joan. Steph. Durantus, lib. II *De ritibus Ecclesiæ catholicæ*, cap. 42, § 4.)

§ II. — *Mundities corporis.*

Qua puritate oportebit custodire nostri corporis atque animæ castitatem, quos necesse est quotidie sacrosanctis Agni carnibus vesci, quas neminem immundum contingere etiam veteris Legis præcepta permittunt ? (Joan. Cassian., *De cœnobiorum institutis*, lib. VI, c. 8.)

Constat quod nulli periculosius ea (sacra mysteria) contingunt, quam luxuriosi et incesti. (Paschas. Ratbert., *De corpore et sanguine Christi*, c. 22, ante fin.)

Nunquid ignoras Dei Filium adeo carnis elegisse munditiam, ut ne quidem pudicitia conjugali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali ? Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo virgo sit Mater, Ecclesiæ fides est, ut virgo fuerit et is qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutricio virgine tractaretur, et hoc cum adhuc parvulus vagiret in cunis ; a quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cum jam immensus regnat in cœlis. (S. Petrus Dam., opusc. 17, *De cœlibatu sacerdotum*, c. 3, paulo post init.)

Accinctis autem renibus... Agnum jubemur comedere... ut castitate præcincti... comedamus Agnum... Sciendum quia Agnum Dei sine macula, qui Virginis est Filius, luxuriosi et incesti sumunt periculosius ; quia, cum in sacramento Christi ei uniri debeamus conformitate passionis et munditiæ, nihil sic adversatur passioni crucis, ut voluptas ; nihil sic munditiæ, ut fœditas... angelicam in terris vitam ducamus, quatenus castitatis munditia corde et corpore Christi munditiæ conformes, ne cœlesti alimonia indigne reficiamur. (Algerus, *De sacram. corporis et sanguinis Domini*, lib. I, c. 22, post med.)

Dispositio corporalis honesta devotionis provocat affectum et designat. (S. Bonav., *Specul. discipl. ad novit.*, part. II, c. 1, sub fin.)

§ III. — *Mundities altaris, sacrorum vasorum et ornamentorum.*

Præcipimus quoque ut oratoria, vasa, corporalia et vestimenta prædicta munda et nitida conserventur ; nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. (Innoc. III, in *Conc. gen.*, *De custodia Eucharistiæ*, lib. III *Decretal.*, tit. 44, c. 2, *Relinqui.*)

Ornamenta et instrumenta altarium pro celebratione Missæ pura ac munda sint, præsertim corporalia ac purificatoria. Quamobrem etiam in vino albo, ubi possit, tantummodo ad Missæ sacrificium sacerdotes utantur. Calices ex metalli genere jure permisso adhibeantur, eoque pretiosiori, quantum per facultates licuerit. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, tit. 5, *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, ante med.)

Caveant sacerdotes et præcipue curati, ne sacra vasa, ut calices, pixides, imo ne urceoli quidem, fontes baptismales, et vasa sacri olei, nec sacerdotalia qualiacunque ornamenta sordibus scateant. Corporalia, mappæ, et alia linteamina sacris usibus deputata, nitida et munda sint, juxta Pauli præceptum, ne cum Corinthiis sordidissimis ad divina irreverenter accedentibus jure redarguamur. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 17, *Tres caus ob quas male audit clerus.*

Missam quisquis celebraturus est, nec accedat

illotis, ut aiunt, manibus, et habitu sordido vestimentorum aut ornamentorum altaris. (*Conc. Remense*, ann. 1583, capitulum *De Eucharistia*, ante med.)

Observandum est ut mensa Christi, id est altare, ubi corpus Dominicum consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces et vota populi in conspectu Dei a sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, et mundissimis linteis et pallis diligentissime cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum sanctorum reliquiis et Missale. (*Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. *De Eucharistia et Missæ sacrificio*, ante med.)

Quam... illota conscientia ac polluta accedant ad sacrificandum, aut quam parum studiose ac pie dijudicent corpus Domini, satis arguunt sordes calicum, corporalium, mapparum atque omnium ornamentorum, quibus decet venerari tantum religionis Christianæ sacramentum et sacrificium. (*Conc. Aquense*, ann. 1585, tit. *De celebratione Missæ*, circa init.; *Conc. Rothomag.*, ann. 1581, capitul. *De sacrificio Missæ*, circa init.)

Alia... utensilia nunquam otioso situ neglecta marcescunt, cum sacerdotalia ornamenta, quibus sacris altaribus deservitur, sæpe a tineis comesta reperiantur. (S. Petr. Damian., opusc. 21, *De fuga dignitatum ecclesiastic.*, c. 1, ante med.)

Quantæ confusionis opprobrium est, quod nonnulli circa sacri altaris utensilia tantæ negligentiæ sunt, et tam segnis incuriæ, ut stanneos vel etiam supparis cujuscunque metalli calices longo situ scabredinis inhorrescere patienter aspiciant, in squalido linteo Dominicum corpus offerant et involvant; et, quod non dignaretur potens quilibet, qui tamen vermis est, propriis adhibere labiis, in hoc isti corpus non verentur imponere Salvatoris! Quid porro de conscissis ac putrescentibus sacrorum altarium prandeis; quid de diversis vasis ad ecclesiastica ministeria necessariis; quid denique de sacerdotalibus eloquar indumentis? Quid postremo de cŏdicibus dicam, in quibus nimirum hæc ipsa quoque legere inoffense non possumus, quæ tenaci adhuc memoria reservamus? Quæ nimirum omnia oculis subjecta cernentibus et levibus excutiunt risum, et sapientes provocant ad lamentum. (Id., opusc. 26, *Contra inscitiam et incuriam clericorum*, c. 1, post med.)

Insuper curam habeas diligenter de munditia et nitore paramentorum altaris et sacrorum vasorum, ut cum honore et omni diligentia tractetur ille, qui est angelis et archangelis tremebundus. (S. Bonav., *De præparat. ad Missam*, c. 4, in fin.)

Singularem hostiæ cultum singularis decet munditia. Ad res quoque necessarias, ut sunt corporalia, panni calicis, ipse calix et Missale, est reverentia adhibenda, quam munditiæ studium maxime probat. (Id., *Specul. discipl. ad novit.*, part. I, c. 17, ante med.)

Sectio secunda. — *Recte seu reverenter.*

§ I. — *Cum pura intentione.*

Certe graviter dolemus atque animo inhorrescimus, ubi videmus passim tantis mysteriis indignos, ac conductitios illos, ac indignos sacerdotes, publicis etiam ac manifestis criminibus contaminatos sese (idque irreverenter, et interdum magis lucelli ac stipis, quam Dei causa) sacris ingerere, quorum instat interitus, et perditio non dormitat. (*Conc. Colon.*, ann. 1536, part. II, capitul. 9.)

Quoad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a Simoniaca labe vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant. (*Conc. Trid.*, sess. 22 ann. 1562, decret. *De observandis et evitandis in celebr. Missæ*, circa med.)

Non enim longe absunt a Simoniaca labe et turpi quæstu, ex concilii Tridentini auctoritate, qui non alio quam pecuniarum intuitu Missas frequentant. (*Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. 14, *De parœcis, presbyteris et aliis clericis*, longe post med.)

Pacta et conditiones sordidas, quæ Simoniam sapiunt, in Missarum celebratione vitabunt.... Quod ex devotione pro Missarum celebratione per fideles sacerdoti in eleemosynam erogatur, ipse recipiat. (*Conc. Narbonense*, ann. 1609, cap. 19, *De Missæ sacrificio*, circa med.)

Sindone, quam solemus corporale nominare, admonetur omnis, scilicet populus et ministri altaris, nec non et sacerdos, ut.... sicut illud nitet suo splendore, ita intentio offerentium simplicitate niteat coram Deo. (Amalar. Fortunatus, Metensis diac., *De ecclesiasticis officiis*, c. 19, circa med.)

Non potest sacerdos illa intentione celebrare... ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter. (S. Thom., opusc. 65, *De officio sacerdotis*, tit. *De Horis canonicis*, paulo ante fin.)

Primo vide quid desideres, ne propter avaritiam, aut tumorem, aut vanam gloriam, aut consuetudinem, aut alicujus mundanæ complacentiæ, aut temporalis favoris causa accedas; sicut multi diebus istis abutuntur ad sui perditionem, quod est datum ad salutem. (S. Bonav., *De præparat. ad Missam*, cap. 8, circa init.)

Dirige mentem tuam ad debitam intentionem et propositum circa ea quæ agere debes. Tria autem sunt, quæ celebraturus intendere debes, scilicet Deum per latriam colere, Christi mortem memorari, et totam Ecclesiam juvare. (*Ibid.*, cap. 9, init.)

§ II. — *Cum debita veneratione.*

Nec dubitare licet, ubi corporis et sanguinis Dominici geruntur mysteria, supernorum civium adesse conventus. Unde studendum solerter est ut, cum ecclesiam vel ad divinæ laudis debita solvenda vel ad agenda Missarum solemnia intramus, semper angelicæ præsentiæ memores cum timore et venera-

tione competenti cœleste compleamus officium. (Bæda, *in Luc.; apud Conc. Aquisgranense*, ann. 816, lib. I, c. 32, circa med.)

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris Litteris cum vocari (*Jerem.* XLVIII, 10), *qui facit opus Dei negligenter*. Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur : satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia et puritate atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. (*Conc. Trid.*, sess. 22, decret. *De observandis et evitandis in celebratione Missæ*, init.)

Dum divina celebrantur, ad altare vel intra chori cancellos nulli laici, multo minus feminæ, sese intrudant. (*Conc. Remens.*, ann. 1583, capitul. *De Eucharistia*, num. 7.)

Nec vero quis, vel vir vel mulier, gradibus altaris hæreat, aut prope altare sit, dum sacrum fit : ideo sacerdos celebraturus hærentes inde longius abscedere jubeat : quo celebrante, id ministrans clericus præstet. (*Conc. Aquense*, ann. 1585, tit. *De celebrat. Missæ*, post med.)

Videat præterea ne laicorum, qui intersunt, quos omnes, præcipue tamen feminas, ab altaris septis et gradibus arceri jubemus, indecoris actionibus tanti sacrificii dignitas veneratioque dedecoretur. (*Conc. Tolosan.*, ann. 1590, part. II, cap. 6, *De Missarum celebratione*, num. 5.)

Curent sacerdotes circumstantes omnes, uti invitantur, elevare corda, spiritum dimittere, quod exteriori corporis dispositione denotent; et idcirco stantes, irreverenter sedentes, aut capite operto esse... non permittant. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, tit. 19, *De Missæ sacrificio*, circa med.)

Præsul... reverenter simul, et, ut pontificem decet, post sacras illas divinorum operum laudes, de sacrificio dignitatem suam superante se purgat, ad Christum prius exclamando : Tu dixisti : *Hoc facite in meam commemorationem.* (S. Dionys., sive alius, *De eccles. hierarch.*, cap. 3, sect. 12, paulo ante med.)

Et tu ergo etiam ante illud tempus stupendum venerare, et obstupesce, et assurge, antequam videas expansas vestes, stragulas, et tapetes, et procedentem angelorum chorum, in ipsum cœlum ascende. (S. Chrysost. hom. 36, *in Epist. I ad Cor.* XI, post med.)

Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri? (S. Greg. Papa I, lib. IV *Dialog.*, c. 58, in fin.)

Plurimum coram sanctis altaribus frequentiam angelorum vultumque Dei contemplantem divina obsequia observare oportet et vereri. (Paschas. Ratbertus abbas, *De corpore et sanguine Christi*, in Præfat., prope fin.)

§ III. — *Cum magno pietatis sensu.*

Qui ordinate vult aliquid Deo offerre, primum seipsum offerat, videlicet juxta Apostolum (*Philip.* IV, 18), *hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.* (*Conc. Aquisgran.* II, ann. 836, *Ad Pippinum regem Aquitaniæ*, lib. I, c. 10.)

Unusquisque nostrum habet in se holocaustum suum, et sui ipse succendit altare, ut semper ardeat. (Origen., hom. 9 *in Levit.* XVI, longe post med.)

Cum ego nossem... nullum magno et Deo, et sacrificio, et pontifice dignum esse, nisi qui prius seipsum Deo hostiam viventem, sanctam exhibuerit, ac rationabile obsequium gratum atque acceptum ostenderit, Deoque sacrificium laudis ac spiritum contritum obtulerit (quod solum sacrificium is qui omnia dedit a nobis exposcit); quo tandem modo externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem? (S. Gregor. Naz., *Apologet.*, orat. 1, num. 161.)

Hoc est..... vere sacrificium primitivum, quando unusquisque offert hostiam, et a se incipit, ut postea munus suum possit offerre. (S. Ambros., *De Cain et Abel*, lib. II, cap. 6, paulo post init.)

Cum ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lacrymis defluens semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. (S. Greg. Papa I, *in Evang.*, lib. II, hom. 37, loquens de S. Cassio, Narniensi episc., num. 9, circa init.)

Necesse est ut, cum hæc agimus (nempe Missam celebramus) nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus : quia, qui Passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. (Id., *Dialog.*, lib. IV, cap. 59, init.)

Tunc (sacerdoti) hostia proderit, si seipsum hostiam faciens velit humiliter et efficaciter imitari quod agit. (Petr. Bles., epist. 123, *Ad Richardum, Londonensem episc.*, longe ab init.)

In sacrificiis altaris... magnus ignis devotionis et dilectionis exigitur; quia ibi est tota nostra salus. Certe indevotissimus est sacerdos, qui ibi non conteritur, ubi Filius Altissimi ante Patris oculos immolatur. Sane sacerdos devotus et prudens, dum mensæ divinæ assistit, nihil cogitat nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum. Ponit ante oculos cordis sui Christi humilitatem et patientiam, Christi angustias et dolores; Christi opprobria, sputa, flagella, lanceam, crucem, mortem devote et sollicite recolit, et se in ipsa memoria Passionis Dominicæ crucifigit. (Id., serm. 56, *Ad sacerdotes*, multo post med.)

Intrinsecos motus gestus exterior attestatur.

(S. [Bonav., *Specul. disciplinæ ad novitios*, part. II, cap. 1, paulo ante fin.)

Improbum... est atque indignum altaris ministrum ea videlicet hora, qua sacramentorum cœlestium immolationi incumbit, passim, per... cogitationum inutilium vagari campos, qui tota animi intentione debuit in Deum esse suspensus... Totus igitur sacerdos, cum ministraturus est sancta, se reducat in se, omnemque cordis hebetudinem, tumorem animi ac mentis fluctuationem, devotionis, pro posse, censura compescat, quatenus in spiritu Deo spiritualiter inhærendo deserviat. At vero hoc nunquam perficere poterit, nisi assuescat ambulare in spiritu, passionum impulsus ac exteriorum cohibere fragores. (S. Laurent. Justinian., *Serm. de Eucharistia*, num. 33, in fin.)

Sectio tertia. — *Legitime seu ordinate.*

§ I. — *Quantum ad locum.*

In medio Ecclesiæ laudabo te. (*Psal.* xxi, 23.)

Fabricati sunt limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos: et murus erat inter me et eos. (*Ezech.* xliii, 8.)

Ne populus distrahatur a Missa parochiali, et ab auditione mandatorum Dei et Ecclesiæ, prohibemus ne in capellis, etc. (*Conc. Senonense*, ann. 1528, decret. *Morum* 15, init.)

Ut irreverentia vitetur... ne... patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda et visitanda sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscunque peragi. (*Conc. Trid.*, sess. 22, ann. 1562, decret. *De observandis et evitandis in celebratione Missæ.*)

Missæ in ecclesiis tantum publice, non privatim in ædium oratoriis, ab episcopo non temere unicuique concedendis, nisi pernecessarium sit, accedatque episcopi venia, celebrentur. (*Conc. Tolosan.*, ann. 1590, part. II, cap. 6, *De Missarum celebratione*, num. 3.)

Satius... est Missam non cantare (*Conc. Paris.*, lib. I, c. 47, et capitul. 7, 334), aut non audire, quam in illis locis ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas non habet legem. (S. Greg., epist. 18, lib. III.) Unde scriptum est (*Deut.* xii, 13) : *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco.* (Felix Papa IV, epist. 1, *Ad omnes episcopos*, cap. 1, longe ante fin.)

Missarum solemnia nequaquam alibi nisi in ecclesia celebranda sunt, non in quibuslibet domibus, et in vilibus locis, sed in loco quem elegerit Dominus, juxta illud quod scriptum est (*Ibid.*) : *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris; sed in loco quem elegerit Dominus, ut ponat nomen suum ibi.* (Theodulf., Aurelian. episc., *Capitulorum* cap. 11.)

Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus, etc. Ideo... præcipit in templo et ad altare Domini hostias offerri ; ut, ubi integra est religio, ibi cultus exhibeatur. (*Glossa ordinar.*, hic.)

§ II. — *Quantum ad tempus.*

Postremo ne superstitioni locus aliquis detur... ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent. (*Conc. Trid.*, sess. 22, ann. 1562, decret. *De observandis et evitandis in celebrat. Missæ*, post med.)

Non celebretur Missa parœcialis ad nutum nobilium aut laicorum, sed consueta et opportuna hora. (*Conc. Bituric.*, ann. 1384, tit. 23, *De Missa*, can. 8.)

§ III. — *Quantum ad ritus.*

Cum... natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiorie in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis ac pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. (*Conc. Trid.*, sess. 22, ann. 1562, cap. 5, *De solemnibus Missæ sacrificii cæremoniis.*)

Postremo ne superstitioni locus aliquis detur... ne sacerdotes... ritus alios aut alias cæremonias et preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ ac frequenti et laudabili usu receptæ fuerint. (Id., eadem sess., decret. *De observandis et evitandis in celebrat. Missæ*, post med.)

Præcipimus autem ut sacerdotes in Missæ celebratione cæremonias a Romana Ecclesia institutas ad unguem servent, neque alias adhibeant. (*Conc. Mediol.*, ann. 1565, part. II, tit. 5, *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ.*)

In ea sanctissimi sacrificii actione ab erroribus vel levissimis omnino cavete. Quæ de illo pie riteque celebrando præscripta sunt, ea vos studiose diligenterque servate. (*Conc. Mediol.* IV, ann. 1576, part. III, tit. 7, *Monitiones*, paulo post init.)

In celebratione vero omnes ritus ac cæremoniæ, quæ in Missali Romano præscribuntur, exacte et religiose observentur, nullis prætermissis, nullisque omnino adjectis. (*Conc. Burdig.*, ann. 1583, tit. 5, *De iis quæ in sacrasancto Missæ sacrificio divinisque Officiis vel observanda vel cavenda sunt*, circa med.)

Ne quod, proh dolor! pluribus in locis et a multis temporibus fit nimis licenter, sacerdotes populum sibi commissum a devotione potius revocent, quam ad sacrorum et tremendorum mysteriorum meditationem, contemplationem et debitam eis impendendam venerationem invitent : eisdem districtissime inhibemus, ne Missis celebrandis se immisceant, nisi prius a peritis et exercitatissimis sacerdotibus docti

ritus et cæremonias in tam celebri sacrificio summa cum reverentia necessario observandas, earumque vim, effectum et rationem didicerent : quas cæremonias innovare, aut aliis ab Ecclesia minime receptis et approbatis uti non permittimus. (*Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. 8, *De Eucharistia et Missæ sacrificio*, ante med.)

In celebratione Missæ omnes ritus et cæremoniæ, quæ in Missalibus præscribuntur, exacte et religiose observentur, nec quidquam addatur aut detrahatur. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. 23, *De Missa*, can. 13.)

In celebratione Missæ, etiam edicto et pœnis propositis, episcopi caveant ne sacerdotes... ritus alios aut alias cæremonias et preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, et frequenti ac laudabili usu receptæ sunt. (*Conc. Aquileiens.*, ann. 1596, rubric. 4, longe post init.)

Appone diligentiam magnam in signis et actibus, majorem in verbis, maximam in intentione. (S. Bonav., *De præparatione ad Missam*, cap. 13, *Quomodo sacerdos celebrans habere se debeat infra sacrum canonem.*)

ART. III. — *Quædam specialiter circa Missæ sacrificium observanda.*

Sectio prima. — *Quomodo sacerdos celebraturus præparare se debet.*

Antequam celebrent, se colligant ; et orantes mentem in tanti ministerii cogitatione defigant... Sacris vestibus induti cum nemine colloquantur, neque loquentibus dent aures, mentemque et oculos ab omnibus amoveant, quibus distrahi possint : neque a sacristia exeant, nisi cum ad altare eundum erit ; quod tum graviter et modeste fiat. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, tit. 5, *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, circa med.)

Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tam alti mysterii meditatione toto animo defixi. (*Conc. Mediol.* IV, ann. 1576, part. III, tit. 7, *Monitiones*, longe post init.)

Nunquam sacerdotes celebrabunt sine præcedentibus conscientiæ examine, precibus ac meditationibus. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 11, *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, circa med.)

Celebraturi sacerdotes conscientiam suam prius diligenter excutiant atque examinent, et piam aliquam meditationem præmittant. Peccatorum vero confessionem octavo quoque die aut sæpius faciant. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1563, tit. 5, *De iis quæ in sacrosancto Missæ sacrificio divinisque Officiis vel observanda vel cavenda sunt*, ante med.)

Missam non celebret nisi digne præparatus sacerdos. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. 23, *De Missa*, can. 4.)

Ut paratiores sacerdotes ad celebrationem Missæ accedant, confiteantur peccata sua, quoties celebraturi sunt, aut saltem singulis hebdomadis. (*Ibid.*, can. 16.)

Celebraturi purgata primum conscientia se in sacrarium recipiant, ubi repertis his, et in Missali perlectis, quæ in Missa sunt recitaturi... intra dictum sacrarium et non alibi induent se vestibus sacris. (*Conc. Narbon.*, an. 1609, c. 19, *De Missæ sacrificio*, paulo post init.)

(Sanctus) Carpus... nunquam sacros mysteriorum ritus auspicabatur, nisi prius ipsi inter præparatorias preces propitia quædam visio apparuisset. (S. Dionys. Areopagita, aut alius, epist. 8, *Ad Demophilum monac.*, *De propria operatione ac clementia*, sect. 6, init.)

Sit... usque ad Missarum peragenda mysteria saliva linguæ nostræ virgo vel casta, ut vel se sub virginali taciturnitatis censura coerceat, vel sub pudicæ quodammodo locutionis moderamine sobria verba depromat. (S. Petr. Damian., opusc. 26, *Contra inscitiam et incuriam clericorum*, cap. 1, post med.)

Sectio secunda. — *Quædam circa celebrationem Missæ observanda*

Qui legit Missam, cum reverenda modestia, clare, distincte et exerte legat omnia usque ad Canonem ; ut qui audiendi sacri causa astat, quod legitur intelligat, atque ad pietatem excitetur. (*Conc. Colon.* I, ann. 1536, part. II, c. 13.)

Ab omni indecoro et absurdo capitis, oris et reliqui corporis motu abstineant. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, tit. 5, *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, circa med.)

Propter erroris casum, qui in omni parte Missæ gravis, in Canone gravior, in ipsa vero Consecratione gravissimus est, Missam legant, non vero memoriter dicant, aut canant. (*Ibid.*, post pauca.)

Ut pileum, birretum, aut subbirretum, chirothecas, sudariolum, aut quodcunque denique hujus generis in altari ne ponant. (*Ibid.*, post med.)

Ne vero quis, vel vir, vel mulier, gradibus altaris hæreat, aut prope altare sit, dum sacrum fit. Ideo sacerdos celebraturus hærentes inde se longius abduci jubeat ; quo celebrante hoc ministrans clericus præstet. (*Conc. Mediol.* III, ann. 1573, tit. 11, *De iis quæ pertinent ad Missæ sacrificium*, circa fin.)

Porro venerabunda ac devota ad altare eorum actio et pronuntiatio præ se ferat et ostendat fidem et intentionem, quam habere debent de Christi et angelorum in sacrificio præsentia. (*Conc. Rothom.*, ann. 1581, capitul. *De sacrificio Missæ*, num. 4 ; *Conc. Aquense*, ann. 1585, tit. *De celebratione Missæ.*)

Secreto pronuntianda submissa voce recitentur, neque memoriter quidquam, sed in libro omnia legantur. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, tit. 5, *De iis quæ in sacrosancto Missæ sacrificio divinisque Officiis vel observanda vel cavenda sunt*, circa med.)

Sacerdotes non celebrent operto capite, nisi infirmitas urgeat. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. 23, *De Missa*, can. 14.)

Non memoriter dicatur Missa. (*Conc. Bituric.*, an. 1584, tit. 23, *De Missa*, can. 15.)

Celebraturi super altare nihil reponant, neque pileum, neque vestimentum, neque librum, præter Missale. (*Ibid.*, can. 17.)

Super altare quoque se non appodient inhoneste ; nec manus suas hac et illac inordinate deducant. Quando se vertunt ad populum, non erigant oculos, ut videant assistentes... Circa sumptionem calicis caveant ne ipsum sumendo, vel calicem exguttando per nimiam extractionem tumultum quemdam vel sibilum cum labiis faciant, aut post sumptionem digitos lambant. (S. Bonavent., *Specul. disciplinæ ad novitios*, part. I, c. 17, multo post med.)

Nec nimium præceps, aut festinus, nec etiam æquo tardior sit, aut prolixior, majoremque ædificationis publicæ, quam proprii sui affectus rationem semper habeat. (Octavius Myrtus Frangipanius, primum Tricaricensis, postea Caiacensis seu Calatinensis episcopus, in *Directorio disciplinæ eccles.*, tit. *De divinis Officiis.*)

Sectio tertia. — *Quid post celebratam Missam agere debent ; et de gratiarum actione.*

Edent pauperes, et saturabuntur.... Reminiscentur, et convertentur ad Dominum. (*Psal.* XXI, 27, 28.)

Peracta Missa, pro summi beneficii munere Deo gratias agant. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, versus fin.)

Expleta vero Missa, calix cum patena, et corporalium theca cum vestibus sacerdotalibus, in mundo loco sub sera recondantur. (*Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. *De Eucharistia et Missæ sacrificio*, circa init.)

Si homines, cum quibus eadem est natura nobiscum, parvum aliquando ac vile nobis beneficium præstiterint, exspectant a nobis gratitudinem.... quanto magis id nobis faciendum in iis quæ a Deo accepimus, qui hoc solum ob nostram utilitatem vult fieri ? Nam sicut, cum grati sumus hominibus qui nobis benefecerunt, illos clariores reddimus ; ita et, si in Deum fuerimus grati, nos ipsos illustriores facimus ; quoniam non ut nostra celebratione opus habens hoc fieri vult ; sed ut, quidquid lucri est, iterum ad nos redeat, et dignos faciamus nos ipsos majoribus subsidiis. Quamvis autem non possimus id facere ut dignum est (qui enim hoc fieri posset, cum tam fragiles natura simus ? Et quid dico humanam naturam ? Ipsæ etiam incorporeæ et invisibiles Virtutes, et Principatus, et Potestates, et Cherubim, et Seraphim, ut dignus est, glorificare illum non possunt, etiamsi juxta vires suas gloriam illi offerant), nihilominus justum fuerit pro viribus gratiarum actionem offerre, et indesinenter glorificare Dominum nostrum et per benedictionem crebram, et per vitam optimam. (S. Chrysost., hom. 26, *in Gen.* VIII, prope fin.)

Post patenæ, vel calicis, aut corporalium tactum, non sunt manus communicandæ communibus ante factam post tactum hujusmodi lotionem. (S. Bonav., *Specul. disciplinæ ad novitios*, part. I, cap. 17, in fin.)

Peracto denique sacrosancto Missæ sacrificio, non minori cura quam ad antecedentem Missæ præparationem requirebatur, quisque in omni silentio ac quiete actionum, locutionum, sensuum et cogitationum sese contineat ; et, si per occupationes diu non potest, paulisper tamen, et per quartam nimirum aut octavam saltem horæ partem devote secum meditetur, et intenta cogitatione perpendat quis, quid egerit, et qua fide, qua devotione, quo fine, quo fructu hoc ipsum peregerit. (Octavius Myrtus Frangipanius, primum Tricaricensis, postea Caiacensis seu Calatinensis episcopus, in *Directorio disciplinæ eccles.*, tit. *De divinis Officiis.*)

ART. IV. — *De sacerdotibus celebrantibus.*

Sectio prima. — *De raro celebrantibus.*

Curet episcopus ut ii (sacerdotes) saltem diebus Dominicis ac festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. (*Concil. Trid.*, sess. 23, ann. 1563, capit. 14, *Quinam ad presbyteratum assumendi : assumptorum quod munus*, vers. fin.)

Qui sacerdotes estis, Missæ sacrificium sæpius facite sancte ac religiose. (*Conc. Mediol.* IV, ann. 1576, part. III, tit. 7, *Monitiones*, paulo post init.)

Sic vivendum est, ut panem illum supersubstantialem semper accipere valeamus ; quia væ ei qui se alienum fecerit ab eo ; et multum væ illi qui spurcus et immundus accesserit. Utrobique grande periculum ; ideo magna necessitas instat ne indigni inveniamur. (*De ordine vitæ et morum institutione*, cap 2, num. 4, vers. med., inter Oper. S. Bern.)

O quantæ angustiæ me undique affligentes ! Accedere indigne, horrendum est judicium : non accedere ex notabili negligentia vel contemptu, damnabilis est culpa. (Beda.) Nam cum sacerdos est absque peccato mortali, et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, et non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, angelos lætitia, peccatores venia, justo subsidio et gratia, in purgatorio exsistentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates. Quia, sicut ait Ambrosius (38-43) : Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, toties in remissionem effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur : qui semper pecco, semper debeo accipere medicinam. Item privat se omnibus talibus provenientibus ex sacra communione, quæ sunt peccatorum remissio,

(38-43) S. Ambros., lib. IV *De sacram.*, cap. ult., refertur *De consec.*, dist. 2, cap. *Si quotiescunque*.

fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi et corporis ejus mystici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, spei elevatio, charitatis exercitatio, devotionis augmentatio, et angelorum convitatio. Item non complet sibi injunctum magnæ dignitatis obsequium, nec officium exercet debitæ servitutis Dei, et tamen scriptum est (*Jerem.* XLVIII, 10) : *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* Item contemnit Christi præceptum de observantia hujus sacramenti ; ideo Christus comminatur : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* (*Joan.* VI, 54), etc. Item abjicit viaticum suæ peregrinationis, exponens se periculo mortis, quia nisi recipiat alimentum corporis Christi et vitæ vegetationem, efficitur sicut aridum membrum, ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum. Ultimo, quantum in se est, evacuat divinum cultum et latriam Creatori debitam, ingratus de beneficiis. Unde dicitur in *Numeris* (IX, 13) : *Si quis mundus est*, scilicet a peccato mortali, *et in itinere non fuerit*, scilicet aliter impeditus, *et non fecerit phase, anima illa de populo suo exterminabitur ; quia sacrificium non obtulit Deo Domino tempore suo.* (S. BONAV., *De præparatione ad Missam*, c. 5, paulo post init.)

SECTIO SECUNDA. — *De tepide celebrantibus.*

Qualis esse debeat, qui Christo ministrat, ostenditur ; oportet enim primo carere variarum illecebris voluptatum, vitare internum corporis animique languorem, ut corpus et sanguinem Christi ministret. Neque enim potest quisquam peccatis suis æger, minimeque sanus immortalium sanitatum remedia ministrare. Vide quid agas, sacerdos, nec febrienti manu corpus Christi attingas. (S. AMBROS., *De viduis*, c. 10, num. 65.)

Ad sacratissimum... corpus Christi nimis accedit periculose, qui in judicio Solem justitiæ non attendit. (PETR. BLES., serm. 56, *Ad sacerdotes, in Levit.* VI, circa med.)

Passionem Christi evacuant, totumque negotium nostræ redemptionis irrident, qui cum summa humilitate et diligentia non attendunt cum quanta reverentia caro et sanguis Christi debeat confici, quam devote tractari, quam sancte suscipi, quam industrie dispensari. (ID., serm. 18 *in Cœna Domini*, non procul a fin.)

Cave ne nimis tepidus et inordinatus accedas et inconsideratus, quia indigne sumis, si non accedis reverenter, circumspecte et considerate. (S. BONAV., *De præparat ad Miss.*, cap. 5, circa init.)

De ipsis potissimum, qui divinam sortiti gratiam tepefacti sunt, et insensibiliter sacrosancta tractant mysteria infideliterque, Apostolum arbitror dixisse, quando ait (*Hebr.* VI, 4-6) : *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus verbum Dei bonum virtutesque sæculi futuri, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* (S. LAURENT. JUSTIN., *Serm. de Eucharist.*, num. 10.)

SECTIO TERTIA. — *De indigne celebrantibus.*

Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis : In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, et dicitis : In quo polluimus te? In eo quod dicitis : Mensa Domini despecta est. (*Malach.* I, 6, 7.)

Propriæ salutis prodigus impura conscientia et illotis, ut dicitur, manibus tremendo altaris sacrificio assistit... Cumque non minimam malorum hujus tempestatis partem huic malo acceptam ferimus, quod tam impure, non dijudicando corpus Domini, sacrosancta hæc mysteria tractantur. (*Conc. Moguntinum*, ann. 1549, c. 56, circa init.)

Audet... scelestas blasphemias suas (neque enim preces dixerim) in divinis mysteriis Christiformiter pronuntiare. Non est iste sacerdos, non est ; sed inimicus, dolosus, illusor sui, et lupus in gregem Dominicum ovina pelle armatus. (S. DIONYS. Areopag., aut alius, epist. 8, *Ad Demophilum monac.*, sect. 2, in fin.)

Polluimus panem, id est corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, et sordidi mundum sanguinem bibimus, et dicimus : *Mensa Domini despecta est.* Non quod aliquis audeat dicere, et quod impie cogitat scelerata voce proferre ; sed opera peccatorum despiciunt mensam Dei. (S. HIER., *Explan. in Malach. prophet. ad hæc verba*, cap. I : *Ad vos, o sacerdotes.*)

Judæ... osculum Dominus non ideo suscepit, ut pacem proditoris acciperet, sed ut suam ab alieno reciperet. (S. PAULIN., episc. Nolanus, epist. 2, *Ad Severum*, longe post med.)

Desperatus incurrit, qui in ipsis dominantis oculis offendit ; et excusatione caret, qui facinus ipso judice teste committit. (S. Petr. CHRYSOLOG., serm 26, *De fideli dispensatore*, paulo post init.)

Qui peccant... ac sacrosancta mysteria contingere minime verentur, totus (dæmon) se insinuat ; istud nempe perfectæ stupiditatis et corruptionis argumentum esse merito existimans. Quod etiam in proditore quoque fecit. Non enim quemadmodum tu putas, eo in ipsum ingressus est, quod Dominicum corpus contemneret, sed... Dominum quidem prodere in animo haberet, nec tamen mysteria percipere recusaret ; idcirco eum abduxit. Nam si eum erga divinum mysterium religiose affectum id deprecantem conspexisset, fortasse ipsum tanquam adhuc sanæ ac sobriæ mentis præteriisset. (S. ISIDOR. Pelus., lib. III, epist. 364, *Nilammoni diacono.*)

Quantum ad seipsumnuptialis edulii munditiam polluit. (S. Petr. DAMIAN., opusc. 18, *Contra clericos intemperantes*, dissert. 1, cap. 4, vers. fin.

Nullus... gravius convincitur peccare, quam presbyter, qui vel per imperitiam vel reprobam vitam,

dum indigne ministrat, quantum ad se, salutaris Victimæ sacramenta contaminat. Regi plane vel sublimiori cuique personæ si quis per vitium detractionis obloquitur, vel etiam in diripienda sive demolienda rerum suarum facultate grassatur, facile redit in gratiam, si digne satisfaciens emendat offensam. At, si manibus excedit, si in ejus personam audacter prosilit, si hostiliter irruit, quia non pecuniaria, sed criminalis est causa, nihil ab eo aliud exigitur, quam vindicta... Ita nimirum aliud est in Deum per diversos modos humanæ fragilitatis excedere, aliud in sacrosancti corporis ejus et sanguinis oblatione peccare. Sicut aliud est promulgata regiæ legis edicta negligere, aliud ipsum specialiter regem vibrato propriæ manus jaculo sauciare. Multis... sceleribus plebs Israelitica se frequenter immiscuit, sed nunquam se tam crudeliter polluit, quam tunc cum Dominum crucifixit. Et certe qui Dominicum corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Jesum particeps esse convincitur. Quibus nimirum expavescenda nimis est apostolica illa sententia (*Hebr.* VI, 4-6) : *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* A nullo plane Deus omnipotens majoris injuriæ præjudicium tolerat, imo deterius nemo peccat, quam sacerdos qui prohibentibus canonibus indigne sacrificat. Aliter, in quocunque modo peccantes quasi Dominum in rebus ejus offendimus; indigne vero sacrificantes velut in personam ejus manus injicere non timemus, cum scriptum sit (*I Reg.* II, 25) : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* (S. PETR. DAM., opusc. 26, *Contra inscitiam et incuriam clericorum*, c. 2, init.)

Si manducans et bibens indigne, sive communicans tantum, judicium sibi manducat et bibit; multo magis qui indigne sacrificat. (SIMEON, archiep. Thessalonic., *Pia admonit. ad sacerdotes.* Reperitur ad calcem partis II *De sacris ordinationibus* ejusdem Simeonis.)

Quicunque... ad altare Domini accedit inquinatus luxuria, juxta Filium Virginis idolum ponit Veneris. Qui sacra illius verba sacramenti ore immundo profert, in faciem Salvatoris spuit. Et cum in os immundum sanctissimam carnem ponit, eam quasi in lutum platearum projicit. (Serm. 38, in synod., *super verba Osee* XII, 13.)

Ad altare accedentes orationem incipimus : *Aufer a nobis, Domine, iniquitates nostras*, et altari osculum infigimus. Nonne Christus e contra potest stare, et dicere (*Luc.* XXII, 48) : *Juda, tradis osculo Filium hominis?* (Serm. 42, in synod., *super verba Thren.* II, 10.)

Fit ei mensa Domini in laqueum, et in retributiones, et in scandalum. (Serm. 47, *Ad sacerdotes et prælatos, super verba psal.* XLVIII.)

Quam perditus ergo est, qui redemptionem in perditionem, qui sacrificium in sacrilegium, qui mysterium in parricidium, qui vitam convertit in mortem. Prohibet Dominus in Lege Moysis (*Exod.* XII, *Num.* I), ne de agno paschali comedat peregrinus, advena, vel immundus. Quanta ergo, et quam damnabili temeritate sacerdos indignus ministrare præsumit, qui, ut verbo utar Apostoli (*Hebr.* X, 29), *Filium Dei conculcat, et sanguinem testamenti pollutum ducit, in quo sanctificati sumus, et spiritui gratiæ contumeliam facit?*... Illis... qui carnalibus desideriis insumuntur, calix Domini vertitur in fel draconum... Angelorum panis aufertur, et eis manna cœlestis putrescit, pluitque super eos Dominus sicut pulverem carnes... Qui debuerant esse vicarii apostolorum, et filii Petri, facti sunt socii Judæ, et præambuli Antichristi. Verbum quippe Gregorii est : Qui Christi corpus indigne conficit, Christum tradit, ut Christus, dum traditur, dicat (*Luc.* XXII, 21) : *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* Augustinus super illum versiculum : *Dederunt in escam meam fel* (*Psal.* LXVIII, 22) : Gravius, inquit, peccant offerentes indigne Christum regnantem in cœlis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. Et idem : Magis peccant, qui tradunt Christum peccatoribus membris, quam qui tradidit ipsum crucifixoribus Judæis. Et adaptat sacerdotibus pravis illud lamentabile verbum Christi : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* (*Ibid.*, 22.) Verbum beati Hieronymi est : Perfidus Judæus, perfidus Christianus; ille de latere, iste de calice sanguinem Christi fundit... Repositum fuit illud pretiosissimum corpus in sindone munda et in monumento novo (*Matth.* XXVII, 59, 60); iste autem in ore adhuc potu hesterno fetente, et in sentina ventris adhuc præcedente crapula æstuante demergit eum, quem angeli prospicere concupiscunt, quem prospiciendo delectationes æternas accipiunt. Nonne potius antichristianus, quam Christianus judicandus est, qui, quantum in se est, Christum jam factum impassibilem ita tractat indigne, ita probris afficit, ita crudeliter interimit, et sepelit inhoneste? (PETR. Bles., epist. 123, *Ad Richardum, Londonensem episc.*, non procul ab init.)

Indignus est, qui aliter celebrat mysterium Eucharistiæ, quam a Christo traditum est, et qui non devota mente accedit ad Eucharistiam, vel in voluntate peccandi manens; et iste talis est reus corporis et sanguinis Domini, id est, mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur. (Hæc glossa apud S. Bonav., *Confessional.*, cap. 4, particul. 3, paulo ante fin.)

Dum incredulus et pollutus præsumit contingere sancta atque immaculata mysteria, Judam imitatur... qui percepta panis intincti buccella sceleratior factus... Hinc est, quod sumentes indigne præ cæteris delicta graviora committunt, et pertinaciores in malo.

atque ad emendationem vitæ tardiores sunt. Quonam modo in sceleribus non excellunt alios, dum Regem gloriæ atque universorum conditorem contemnunt, et irreverenter tractant? Nempe, qui tales sunt, si sacramenta cœlestia Christi corpus verum ejusque sanguinem esse non dubitant, qua temeritate, quave impudentia tremendam in se nequaquam verentur percipere majestatem? Scelus hoc grande est, et nefas pessimum. (S. Laurent. Justin., *Serm. de Euchar.*, num. 9, circa med.)

A talium se (angeli) avertunt consortio, ipsorumque orationes despiciunt, utpote Deo odibiles ac sibimetipsis contrarias; stupent tamen, et divinam super eos glorificant patientiam, protelatamque justæ animadversionis sententiam. (*Ibid.*, num. 12, circa init.)

Tales sacerdotes non sunt mei sacerdotes, sed veri proditores; ipsi enim et me vendunt quasi Judas, et me produnt (inquit Christus ad sanctam Brigittam, in ejus *Revelat.*, lib. I, c. 47, multo post med.).

Sectio quarta. — *De frequenti celebratione Missæ.*

Immolo quotidie... immaculatum Agnum in altari (aiebat sanctus Andræas apostolus, ut referunt Acta ejus passionis ab Achaiæ presbyteris conscripta).

Sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus. (S. Cypr., epist. 54, circa med.)

Quotidie cœlesti pane saturati dicimus (*Psal.* xxxiii, 9) : *Gustate et videte quam suavis est Dominus.* (S. Hier., lib. II, *in Isa.* v, 20, circa med.)

Illius bibimus sanguinem... et quotidie in sacrificiis ejus de genimine vitis veræ... rubentia musta calcamus; et novum ex his vinum bibimus. (Id., *Epist. ad Edibiam*, quæst. 2, circa med.)

Debemus... quotidianas carnis ejus et sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter Victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat. (S. Greg. Papa I, lib. IV *Dialog.*, apud S. Greg. Papam VII, lib. I, epist. 47, *Ad comitissam Mathildem.*)

Multi vestrum, fratres charissimi, Cassium Narniensis urbis episcopum noverunt, cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre, ita ut pene nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valde etiam concordabat vita; nam cuncta quæ habebat in eleemosynis tribuens, cum ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lacrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. (Cujus exitum, postquam sanctus Gregorius retulit, subjungit :) Lavate ergo, fratres charissimi, lacrymis maculas peccatorum, eleemosynis tergite, sacris hostiis expiate. (Id., *Hom. in Evang.*, lib. II, hom. 37, num. 9, *De S. Cassio episcopo Narniensi*, init., et num. 10, sub fin.)

ART. V. — *De Missa solemni.*

Etsi, Propheta testante (*Psal.* xlvi), doceamur psallere Deo et singulis horis psallere sapienter, multo fortius hoc debemus attendere, quando Missa præsertim solemniter celebratur, ubi angelicæ Hierarchiæ invocantur, et in tali tanto mysterio, ut sancti testantur, assistunt, debemus voce, spiritu et mente psallere humiliter et devote. Cum igitur Missa in aliqua ecclesia nostræ provinciæ in nota celebratur, debent omnes maxime sacerdotes et clerici in ecclesia ipsa, quantum possunt, assistere celebranti, ac omnis clamor, strepitus et tumultus in eadem ecclesia conquiescere. (*Conc. Ravennat.* IV, ann. 1317, *De celebratione Missarum*, rubric. 12.)

In Missis quæ in choro canuntur.... quoniam.... quædam ad doctrinam pertinent et eruditionem fidelium, ut Epistola, Evangelium, Symbolum; quædam ad laudes; quædam vero ad preces : statuit sancta synodus ut, quæ ad eruditionem leguntur, aut canuntur, ita legantur et canantur, ut præsentes distincte exaudire singula verba possint. Quare in Symbolo canendo placet nec organanec musicam adhiberi, nisi sit simplex, ac talis ut singula verba sine repetitione possint intelligi. Quæ vero ad laudes pertinent, ut sunt hymni, *Gloria in excelsis*, *Sanctus*, in his musica locum habeat, sed nec lasciva, nec choreis potius quam choro congruens, sed gravis ac movens pios affectus. Quæ vero in Missis ad preces referuntur, ea sive legantur, sive canantur, sic fiant, ut affectus deprecantis potius quam exsultantis lætitia demonstretur. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, tit. 6, *De cultu, cæremoniis, et Officio divino*, c. 3, init.)

Ut autem ad tanta mysteria possit animus fidelium esse devotior, cultusque sincerior, musica illa levis et garrula procul omnino arceatur; sed, si qua adhibenda videtur, sit illa gravis et æqualis, non redolens impudicas cantilenas, sed integras canticorum ecclesiasticorum verba sensumque referens. Idem volumus observari in organorum sono. (*Conc. Rem.*, ann. 1583, capitul. *De Eucharistia.*, num. 18.)

ART. VI. — *De prima novi sacerdotis Missa.*

Dum vero a novitiis sacerdotibus hujus sacri primitiæ celebrantur, serio mandamus choreas et omnino sæculares pompas omittendas, et convivia non permittenda, nisi inter paucos amicos, et ea sobria tamen, et quæ sine luxu in timore Domini ineantur. (*Conc. Mogunt.*, ann. 1549, capitul. 60.

Sacerdote primitias celebrante, gratulatione publica æquum est auspicium tanti ministerii hilariter excipi; sed ita tamen id conceditur a sancta synodo, ut eam gratulationem ac lætitiam nulla turpitudo vitiet. Absit igitur in convivio temulentia, ludicra omnia, cujusmodi sunt saltationes, choreæ, et hujusmodi reliqua prorsus tollantur. Servetur autem decorum per omnia, ac sacerdotalis dignitatis habeatur ratio. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, tit. 8, *De vita et honestate clericorum*, cap. 7.)

Tollant episcopi sumptuosa convivia, ludos, choreas, et omne inanium oblectamentorum genus, cæterosque omnes abusus, qui populi temeritate,

aut sacerdotum avaritia, in novæ, ut vocant, Missæ celebrationem irrepserunt. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, vers. med.)

Primam Missam sacerdos celebraturus, a cæremoniarum magistro... institutus sacrarum cæremoniarum disciplina, Missæ sacrificium ante ne faciat, quam illum episcopus, aut is cui ipse id curæ dederit, illis rite obeundis cæremoniis satis instructum noverit ac probarit. (*Conc. Mediol.* III, tit. 11, *De iis quæ pertinent ad Missæ sacrificium*, circa med.)

A novarum, ut vulgo dicitur, Missarum celebratione choreæ, sumptuosa convivia, et alii, si qui antehac irrepserunt, abusus abigantur. (*Convent. Melodun.*, ann. 1579, tit. 11, *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, in fin.)

Ne Missam novam episcopi celebrari permittant a quovis sacerdote, qui non fuerit peritus cæremoniarum... Qui vero primæ Missæ celebrandæ facultatem impetrat, is sedulo moneatur ut quotidie primum celebraverit, eum totum in sanctis pietatis Officiis omni animi religiosi studio ponat, ac ne ludis, comessationibus, minus autem choreis, aut inanibus aliis spectaculis se immisceat. (*Conc. Aquense*, ann. 1585, tit. *De celebrat. Missæ*, ante med.)

Missæ primæ convivia, si quæ sint, non sumptuosis dapibus, profusioribusque epulis splendescant, sed parcis tantum sumptibus modicoque apparatu celebrentur. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, part. II, tit. *De Missarum celebratione*, num. 6.)

In Missis autem novis, quod ad avaritiæ labem pertinet, importunas et illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe turpi quæstu non longe absunt, omnino ex Tridentini concilii decreto prohibemus. (*Conc. Aquileiense*, ann. 1596, rubric. 4, longe ab init.)

Dum celebrantur, ut vulgo dicitur, novæ Missæ, non sint choreæ : et eas ducere tam sacerdoti primam Missam celebranti, quam aliis omnibus districte prohibemus : tunc vitentur sumptuosa convivia; et alia omnia, quæ luxum sapiunt, abigantur : sed in sacerdotibus sit omnis modestia, quæ audientes Missam ad devotionem commoveat; secus agentes arbitrio ordinarii puniantur. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, tit. 19, *De Missæ sacrificio*, paulo post med.

Ac ne demceps sub specie pietatis in celebratione Missarum subrepat avaritia, quibuslibet sacerdotibus sive ordinis sæcularis sive regularis prohibemus, ne pro Missis novis celebrandis patrem et matrem, atque adeo patrinum et matrinam sibi eligant et asciscant; sed potius aurem inclinantes, populumque et domum patris sui obliviscentes, sacris mysteriis et Deo toti vacent et incumbant. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1624, tit. 3, *De Officiis divinis*, c. 6.)

CAPUT VII.

Cantum ecclesiasticum studiose addiscere; et pie graviterque vocem divinis laudibus accommodare.

ART. I. — *De cantu ecclesiastico.*

Tales ad legendum, cantandum, et psallendum in ecclesia constituantur, qui non superbe, sed humiliter debitas Domino laudes persolvant, et suavitate lectionis ac melodiæ et doctos demulceant, et minus doctos erudiant, plusque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam adulationem. Qui vero hæc docte peragere nequeunt, erudiantur prius a magistris; et instructi hæc adimplere studeant, ut audientes ædificent. (*Conc. Aquisgran.*, ann. 816, lib. I, c. 133, init.)

Cum in ecclesiis Dei psalmodia cantanda præcipiatur, ut fidelium devotio excitetur, in hoc nocturnum diurnumque Officium et Missarum celebritates assidue a clero ac populo sub maturo tenore distinctaque gradatione cantentur, ut eadem distinctione collibeant, et maturitate delectent. Propterea præcipimus ut in ecclesiis sint musici cantus distincti ac discreti, moventes cor ad devotionem compunctionemque. Porro in ecclesiis prætextu musici cantus non sunt audiendæ publicæ cantilenæ et lascivæ... Curent ergo sacerdotes et clerici sic suos cantus instituere, ut modesta honestaque psallendi gravitate, placidaque et grata modulatione sic audientium aures deliniant, ut provocent excitentque ad devotionem compunctionemque, non ad lasciviam cordisve aut animi titillationem. (*Conc. Senon.*, ann. 1528, Decret. *Morum*, n. 12, init.)

Neque... ecclesiasticæ melodiæ sua deest energia. (*Conc. Trevir.* II, ann. 1549, decret. 5, *De cultu divino diligenter et religiose exsequendo, deque disciplina chori observanda.*)

Quicunque aliquem ordinem suscepturus est, de eo periculum experimentumve fiat.... in cantus peritia ad ordinis quem tunc suscipiet functiones rite recteque obeundas necessaria. (*Conc. Mediol.* IV, ann. 1576, part. II, tit. 8, *Impedimento irretiti hi sunt*, post med.)

Sacerdotem clericumque cujusvis ordinis in canticis, hymnis, psalmis cæterisque ecclesiastici cultus Officiis religiosa modulatione concelebrandis, divinisque laudibus sancte concinendis ita versari convenit, ut voce sua sacris dicata abuti non debeat ad profana, cantiones et modulationes. (Id., part. III, tit. *De vita et honestate clericorum*, ante med.)

Qui... ingenue et ex animo psallit, animo renovatur, et templum Spiritus efficitur. Neque enim leve et parvum quidpiam psalmorum modulationem existimaveris. Videtur illa quidem aures tantum demulcere, et suaviter afficere : atqui reipsa animum quoque excitat. Sic etiam beatus Elisæus cum a regibus quibusdam, ut futura prædiceret, rogaretur : *Mihi vero virum qui psallendi sciens sit adducite*, inquit. (*IV Reg.* III, 15.) Qui cum venisset, inter psal-en-

dum, tradunt sacræ Litteræ, Spiritus sanctus super Elisæum cecidit; ergo et Spiritus sanctus vocibus modulantium oblectatur, et velut incantationibus devocatur et allicitur, siquidem in prophetæ animo acquievit... Quid est ergo, quod dicit : *Date virum, qui psallendi sit sciens?* Non sane ideo, ut Spiritum sanctum modulatione oblectari demonstret; sed ut illo cantante, prophetæ mente renovata, digna in quam Spiritus sanctus sese insinuaret efficeretur. (S. Chrysost., *Serm. de uno legislatore*, ante med.)

Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum, et exæstuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis. (S. Aug., *Confess.*, lib. ix, c. 6, in fin.)

Cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, et nunc ipso quod moveor non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco..... magisque adducor... cantandi consuetudinem approbare in ecclesia; ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. (*Ibid.*, lib. x, c. 33, circa fin.)

Nonnunquam etenim psalmi cujuscunque versiculus occasionem orationis ignitæ decantantibus nobis præbuit, interdum canora fraternæ vocis modulatio ad intentam supplicationem stupentium animos excitavit. Novimus quoque distinctionem gravitatemque psallentis etiam astantibus plurimum contulisse fervoris. (Cassian. collat. 9 *De oratione*, c. 26, circa med.)

Propter carnales autem in ecclesia, non propter spirituales, consuetudo est instituta canendi, ut, qui a verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur... Omnes enim affectus nostri pro sonorum diversitate vel novitate, nescio qua occulta familiaritate excitantur magis, cum suavi et artificiosa voce cantantur. (S. Isidor., Hispal. episc., *De officiis ecclesiasticis*, lib. i, c. 5, circa med.)

Multi... reperiuntur, qui cantus suavitate commoti sua crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectuntur ad lacrymas, ex qua psallentis insonuerit dulcedo suavissima... Cujus operis (psallendi) ministerium quicunque fideliter intentaque mente exsequitur, quodammodo angelis sociatur. (Id., *Sentent.*, lib. iii, c. 7, in fin.)

Cantus in ecclesia cœli lætitiam significat, de qua exsultant sancti in Domino. (Hug. a S. Victor., *Specul.*, *De mysteriis Ecclesiæ*, cap. 3, circa fin.)

Duo chori psallentium designant angelos, et spiritus justorum quasi reciproca voce Dominum laudantium. (Honorius Augustodun., *Gemma animæ*, *De antiquo ritu Missarum*, lib. i, c. 140, circa med.)

ART. II. — *De obligatione cantandi in choro.*

Psallite Deo nostro... sapienter. (*Psal.* xlvi, 7, 8.)

Cum psallendi gratia conveniant, juncta ac clausa labia tenere non debent, sed omnes, præsertim qui majori funguntur honore, in psalmis, hymnis et canticis Deo alacriter modulentur. (*Conc. Basileense*, sess. 21, ann. 1435, tit. 3, *Quomodo divinum Officium in ecclesia celebrandum sit*, circa med.)

Cum psallendi gratia conveniant... muta aut clausa labia nemo tenuerit; sed omnes pariter, senes cum junioribus, laudent nomen Domini in psalmis, hymnis et canticis, Deo alacriter modulantes. (*Conc. Colon.* i, ann. 1536, part. iii, cap. 5, circa init.)

In choro cum psallitur, canonici omnes, qui in choro fuerint, et sacellani psallant : nec sint in sedibus suis otiosi; nec putent se functos officio, si vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, tit. *De cultu, cæremoniis et Officio divino*, c. 7.)

Omnes in choro divina Officia, ut temporis ratio postularit, alternis vocibus canant, recitent attenteque audiant. (*Conc. Mediol.* i, ann. 1565, part. ii, tit. 53, *Quomodo versandum in choro*, initio.)

Cum... psallendi gratia... considcant, muta aut clausa labia non teneant; sed omnes, præsertim qui majore funguntur honore, in psalmis, hymnis et canticis Deo alacriter modulentur. (*Conc. Turon.*, ann. 1583, tit. 13, *De capitulis, dignitatibus et canonicis*, longe ante med.)

Lingua (sacerdotis)... divinæ... melodiæ plectrum. (S. Greg. Naz., *Apologet.*, orat. 1, num. 163, circa med.)

Dicas psalmum in corde tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, dicente Apostolo : *Psallam spiritu, psallam et mente.* (S. Hier., epist. 95, al. 4, *Ad Rusticum monac.*, post med.)

ART. III. — *De modo cantandi in choro.*

Non cursim et festinanter.

Psalmi... in ecclesia non cursim, atque excelsis et inordinatis seu intemperatis vocibus, sed plane ac dilucide, et cum compunctione cordis recitentur : ut et recitantium mens illorum dulcedine pascatur, et audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur. (*Conc. Aquisgran.*, ann. 816, lib. i, c. 137, circa med.

Non cursim ac festinanter, sed... tractim, et cum pausa decenti, præsertim in medio cujuslibet versiculi psalmorum, debitam faciendo inter solemne et feriale Officium differentiam. (*Conc. Basileens.*, sess. 21, ann. 1435, tit. 3, *Quomodo divinum Officium in ecclesia celebrandum sit*, circa init.)

Statis ergo ac debitis horis laudes divinæ non cursim ac festinanter, sed tractim; non truncate, sed integre, distincte, devote reverenterque ab omnibus,

decantentur persolvanturque. (*Conc. Colon.* I, ann. 1536, part. III, c. 5, init.)

Statuimus... ut laudes divinæ per singulas horas non cursim ac festinanter, sed tractim servatis intervallis decentibus ratione dierum festorum... reverenter et alacriter absolvantur, nequaquam sublato in alterum clamore, ne vel insanire, vel animi lascivia gestire videantur potius quam fervore spiritus exsultare, semper versiculum decantatissimum animo volventes. (*Conc. Trevirens.* II, ann. 1549, tit. 6, *De Horis canonicis*, ante med.)

Non cursim, non perturbate, non oscitanter, sed leniter, distincte ac studiose faciant. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, tit. 53, *Quomodo versandum in choro*, circa init.)

Non inordinata voce.

Eos, qui in ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, et naturam ad clamorem urgere, nec aliquid eorum, quæ Ecclesiæ non conveniunt, et apta non sunt, ascissere ; sed cum magna attentione et compunctione psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre. (*Conc. Trullan.*, sive *Quinisextum*, ann. 692, can. 75.)

Quotidie tamen se obsequium præstare Deo arbitrantes, verba divinæ laudis ululant, aut certe sibilant, et audientes et intuentes sono vocis et motu corporis scandalizant, non ædificant. (Hugo a S. Victor., lib. II *Allegoriarum in Matth.*, cap. II, petition. 4, circa med.)

Dissolutio... in cantu considerari potest, ut si quis punctos in nota nunc diminuens, nunc pro suo libitu addens, muliebriter frangat, aut in falsetum extollat. (S. Bonav., *Specul. disciplinæ ad novitios*, part. I, c. 15, ante med.)

Præterquam enim quod præceps et inordinatus cantus cultui Dei plus detrahat, quam adjiciat, populum magis scandalizet, quam ad pietatem et devotionem excitet : magnam quoque animi impotentiam atque imperfectionem cantorum arguit, eosque potius effreni quodam animi impetu rapi, quam rectæ rationis imperio duci convincit. (Octavius Myrthus Frangipan., primum Tricaricensis postea Caiacensis seu Calatinensis episc., *Director. disciplinæ eccles.*, tit. *De divinis Officiis.*)

Sed strenue et cum gravitate.

Sic canatur et a clero, ac presbytero, et reliquis, ut non tantum aures voluptatem, sed mentes utilitatem capiant. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, titul. 6, *De cultu, cæremoniis, et Officio divino*, cap. 3, circa init.)

Sit ergo cantus religiosus et modestus... Cantus funebris et Quadragesimæ sit gravis, tempori et rei conveniens. (*Conc. Bituric.*, ann. 1584, tit. 12, *De celebratione divini Officii, Horis canonicis, et cantu ecclesiastico*, can. 1, init.)

Cantus... plenus sit gravitate ; nec lasciviam resonet, nec rusticitatem : sic suavis, ut non sit levis : sic mulceat aures, ut moveat corda ; tristitiam levet, iram mitiget ; sensum litteræ non evacuet, sed fecundet. Non est levis jactura gratiæ spiritualis levitate cantus abduci a sensuum utilitate, et plus sinuandis intendere vocibus, quam insinuandis rebus. (S. Bern., epist. 398, num. 2, in fin., al. 312.)

Unde vos moneo, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis semper interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes ; sed virili (ut dignum est) et sonitu et affectu voces sancti Spiritus depromentes. (Id., serm. 46 *in Cant.*, n. 8, ante med.)

Nec vocem curialiter frangas in cantando ; quia, si quæris Deo placere, quanto cantabis simplicius, tanto magis ei placebis ; si quæris auditoribus placere, inanis est gloria tua. Si tibi placeas, vana levitas est. Si ædificationem auditorum in cantando quæris, quanto magis cantando vanitatem fugis, tanto magis ædificas... Intentio in divino Officio debet magis esse ad hoc, ut ex verbis sacræ Scripturæ elicias spiritualem intellectum et devotionis affectum, quam ut curialitatis exprimas notas, e. cantando vocem exaltes. (S. Bonav., *De institutione novit.*, part. I, c. 33, ante med.)

ART. IV. *De cantoribus seu psalmistis.*

Non oportet ab idiotis psalmos compositos et vulgares in ecclesiis dici. (*Conc. Laodicen.*, ann. 364, can. 59, ex interpretatione Isidori Mercatoris.)

Lectores in ecclesia in habitu sæculari ornati non psallant. (*Conc. Brachar.* II, ann. 563, capitul. 11.)

Tales ad legendum, cantandum et psallendum in ecclesia constituantur, qui non superbe sed humiliter debitas Domino laudes persolvant, et suavitate lectionis ac melodiæ et doctos demulceant, et minus doctos erudiant ; plusque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam adulationem. Qui vero hæc docte peragere nequeunt, erudiantur prius a magistris et instructi, hæc adimplere studeant, ut audientes ædificent. (*Conc. Aquisgran.*, ann. 816, lib. I, cap. 133, init.)

Studendum summopere cantoribus est, ne donum sibi divinitus collatum vitiis fœdent, sed potius illud humilitate, castitate, et sobrietate, et cæteris sanctarum virtutum ornamentis exornent : quorum melodia animos populi circumstantis ad memoriam amoremque cœlestium, non solum sublimitate verborum, sed etiam suavitate tonorum, quæ dicuntur, erigat... Providendum est illis quando temperate, quandoque submisse divinum agatur Officium : scilicet ut secundum numerum clericorum, et Officii qualitatem, et temporis prolixitatem cantum protendant, et voces moderentur cæterorum. Sonum etiam vocalium litterarum bene atque ornate perstrepant. His vero, qui hujus artis minus capaces

sunt, donec erudiantur, melius convenit ut sileant, quam cantare volendo, quod nesciunt, aliorum voces dissonare compellant. Psalmi namque in ecclesia non cursim, et excelsis atque inordinatis seu intemperatis vocibus, sed plane ac dilucide et cum compunctione cordis recitentur : ut et recitantium mens illorum dulcedine pascatur, et audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur ,quoniam quamvis cantilenæ sonus in aliis Officiis excelsa soleat edi voce, in recitandis tamen psalmis hujusmodi vitanda est vox. (*Conc. Aquisgran.*, cap. 137, init.)

Psalmistarum... cantibus ad affectum Dei mentes audientium excitantur. Psalmistam autem et voce et arte præclarum illustremque esse oportet, ita ut ad oblectamenta dulcedinis incitet mentes auditorum. Vox autem ejus non aspera , non rauca, vel dissonans, sed canora erit, suavis, liquida, atque acuta, habens sonum, et melodiam sanctæ religionis congruentem, non quæ traducem exclamat artem, sed quæ Christianam simplicitatem in ipsa modulatione demonstret ; nec quæ musica vel theatrali arte redoleat, sed quæ compunctionem magis audientibus faciat. Antiqui enim pridie quam cantandum erat, cibis abstinebant : psallentes tamen legumine in causa vocis assidue utebantur. (S. Isidor. Hispal., *De ecclesiasticis Officiis*, lib. II, cap. 12, circa med.)

Sunt quidam voce dissoluti, qui vocis suæ modulatione gloriantur... tumentes elatione aliud cantant quam libri habeant : tanta est levitas vocis forsitan et mentis. Cantant ut placeant populo, magis quam Deo. Si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, et facis eam non tuam, sed suam. Habes in potestate vocem tuam, habeto et animum. Frangis vocem, frange et voluntatem. Servas consonantiam vocum, serva et concordiam morum ; ut per exemplum concordes proximo, per voluntatem Deo, per obedientiam magistro. Cave ne , sicut delectaris altitudine vocis, delecteris elatione mentis. (*De interiori domo*, seu *De conscientia ædificanda*, c. 28, num. 59, init., inter Oper. S. Bern.)

CAPUT VIII.

Ritus et cæremonias in secreto per exercitationem addiscere, in publico summa cum religione et reverentia exercere.

ART. I. — *Religiose tractandæ sunt cæremoniæ.*

Quia signacula religionis.

(Mysticos ritus) Ecclesia in baptismo adhibet... non temere, sed ut viva quædam incitamenta fidei et pietatis ad formandam religionem necessaria ; nimirum quibus manuducitur vulgus ad intelligendum et retinendum mysteria Christi. (*Conc. Colon.*, ann. 1536, *Enchirid. Christianæ institutionis, De sacramento baptismi*, § 8, init.)

Non decet ad sacras ullas functiones quemlibet accedere nisi sancte. (*Conc. Trid.*, sess. 13, ann. 1551, cap. 7, *De præparatione, quæ adhibenda est, ut digne quis sacram Eucharistiam percipiat*, init.

Cæremoniæ omnes, quæ signacula sunt pietatis et religionis Christianæ, quasque vel ab apostolis, vel ab Ecclesiæ catholicæ traditione quasi per manum accepimus ; ut sancte et pie sunt invectæ, sic religiose conserventur in Ecclesiis. In his autem, ubi fides et devotio accesserit, Spiritus sanctus operatur ac præsentium mentes movet efficaciter. (*Conc. Camerac.*, ann. 1565, tit. 6, *De cultu, cæremoniis et Officio divino*, c. 6, init.)

Omnis divini cultus et religionis ratio, qua solum præpotentem Deum pie sancteque colimus, in duas potissimum partes distribuitur; in precationes nimirum et sacrificium, quibus et interior et exterior cultus (adhibitis utrinque solemnibus cæremoniis) integre perficitur. (*Conc. Burdigal.*, ann. 1583, tit. 2, *De iis quæ ad divinum cultum ac religionem spectant*, init.)

Clericus.... Missæ sacrificio ministrandi cæremonias usumque accurate ediscat. (*Synod. Ferrariensis*, ann. 1599, tit. *De functionibus obeundis, et clericorum vita et officiis*, decret. 105, *Clericus prima tonsura*, ante med.)]

Clerici aut alii sacerdotes, qui in missæ sacrificio ministrant, dum eam functionem obeunt, Horas canonicas e libro ne recitent, nec alias preces modo aliquo peragant, quæ externam attentionem requirant, sed toto intimæ pietatis studio ad ministerium attenti sint, quod tunc pie religioseque exsequi debent. (*Ibid.*, decret. 115.)

Neque enim fas est sacris professoribus vel initiatis quidquam prorsus operari , quod sacri sui ordinis sacrosanctis constitutionibus repugnet ; imo nec iisdem dissentire, si divinam..... appetant claritatem ; et ad illam sancte, uti decet, aspiciant ac pro cujusque sacrarum mentium capacitate transformentur. (S. Dionys. Areop., aut alius, *De cœlesti hierarchia*, cap. 3, § 2, longe ante med.)

Per experientiam..... eorum, quæ faciunt, ad ea, quæ postea agenda fuerint, cautiores fiunt. (S. Bonav., *Specul. discipl., ad novit.*, part. I, c. 7, post med.)

Quia devotionis fidelium adminicula.

Cum... natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione : quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ hoc in sacrificio latent, contemplatione excitarentur. (*Conc. Trid.*, sess. 22, ann. 1562, cap. 5, *De solemnibus Missæ sacrificii cæremoniis.*)

Primi sacri ordinis nostri moderatores, supersubstantialis Dei principatus sacro ipsi munere pleni, et in posteros illud ipsum derivatum a divina bonitate missi, cum et ipsi, utpote divini, promotionem deificationemque posterorum affatim desiderarent, sensibilibus figuris super cœlestia, et quod unitate collectum est varia cum distinctione tum multitudine, nec non in humanis divina, et in materiis immateriata, atque in nostratibus rebus supersubstantialia, qua scriptis qua non scriptis institutionibus, in sacratissimis oraculis nobis tradiderunt : nec id propter profanos tantum, quibus vel ipsa signa tangere nefas sit, sed quod noster, ut dixi, sacra ordinandi ritus cum illorum comparatus symbolicus exsistat, sensibilibus signis opus habens ad diviniorem nostri ex illis ad intelligibilia sublimationem. (S. Dionys. Areopag., aut alius, *De ecclesiastica hierarchia*, c. 1, § 5, init.)

Si tu incorporeus esses, nude ipsa dona incorporea tradidisset tibi : quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. (S. Chrysost., hom. 83, *in Matth.* xxvi, longe post med.)

Carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant (clerici ornamentis). (S. Bern., *Apolog. ad Guillelmum abbatem*, c. 12, num. 38, circa med.)

Quod Apostolus de linguarum dono admonuit, cum inquit sine fructu esse, si quæ aliquis loquitur, a fidelibus non intelligantur (*I Cor.* xiv, 14) ; idem fere ad ritus et cæremonias transferri potest : imaginem enim et significationem earum rerum præ se ferunt, quæ in sacramento geruntur : quod si illorum signorum vim et potestatem fidelis populus ignoret, non magna admodum cæremoniarum utilitas futura esse videbitur. Danda est igitur pastoribus opera, ut eas fideles intelligant, certoque sibi persuadeant, si minus necessariæ sint, plurimi tamen faciendas, magnoque in honore esse oportere. Id vero tum instituentium auctoritas, qui sine controversia sancti Apostoli fuerunt, tum finis, cujus causa cæremonias abhiberi voluerunt, satis docet ; ita enim sacramentum majori cum religione, ac sanctitate administrari, ac veluti ante oculos poni præclara illa, et eximia dona, quæ in eo continentur, et in animos fidelium immensa Dei beneficia magis imprimi perspicuum est. (*Catech. conc. Trid., De sacram. baptism.* num. 59, circa init.)

Quia negligentia in iis observandis severe punienda.

Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. (*Deut.* xxviii, 15.)

Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. (*Conc. Trid.*, sess. 7, ann. 1547, can. 13.)

ART. II. — *Quomodo religiose tractandæ.*

Studiose discendæ.

Audi, Israel, cæremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie, discite ea, et opere complete. (*Deut.* v, 1.)

Districte præcipimus ut episcopi promovendos in sacerdotes diligenter instruant et informent vel per seipsos vel per alios viros idoneos super divinis Officiis et ecclesiasticis sacramentis, qualiter ea valeant rite celebrare. (*Conc. Lateran.* iv, ann. 1215, c. 27, *De instructione ordinandorum*, init.)

Ad discendum, quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest ; quia, etsi senes magis decet docere, quam discere, magis tamen discere quam quid doceant ignorare. (S. Aug., epist. 166, num. 1, circa med., al. 28.)

Sæpe... illa, quæ in publico necessaria sunt, prius in secreto exercitationis usum exposcunt : quia, si prorsus ea in occulto negligimus, ubi postmodum eis, dum opus est, in publico non valemus ; et tunc aut prorsus a disciplina deficientes intuentibus scandalum facimus, aut inepte id, quod in nobis non est, simulare conantes irrisionem excitamus. (S. Bonav., *Specul. disciplinæ ad novitios*, part. i, c. 7, in fin.)

Exacte faciendæ.

Custodi... cæremonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias. (*Deut.* vii, 11.)

Observa, et cave ne quando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas... cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie. (*Deut.* viii, 11.)

Quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut... custodias... cæremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi. (*Deut.* x, 12, 13.)

Quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentius tamen et magis sollicite ibi est servanda, ubi neglecta generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis exemplum. (S. Bonav., *Specul. disciplinæ ad novitios*, part. i, c. 7, circa fin.)

Earum spiritalis significatio indaganda.

Quia quorumdam in Evangelio reproborum ligari manus et pedes præcipiuntur, quid aliud isti agunt, qui manus suas coram Domino ligant, nisi Deo quodammodo dicunt (*Matth.* xxii, 13) : Domine, ne manus meas ligari præcipias, ut mittar in tenebras exteriores, quoniam jam ego eas ligavi, et ecce ad flagella paratus sum ? Hinc etiam pectus percutimus, signantes videlicet, quod nequiter egimus, displicere nobis : ac ideo, antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire ; et antequam extrema ultio veniat, commissum pœnitentia digna punire. (Nicolaus Papa I, *Ad consulta Bulgarorum*, resp. 54, post med.

Quod autem in fine (Officii) voce puerili dicitur : Benedicamus Domino, significat quod omnis laus nostra puerilis est ad comparationem Dei, quem laudamus, et quod quidquid hic dici potest, minus est a laude Dei. Ac si dicat Ecclesia : Laudamus, sed laudando non sufficimus, quia supereminentia Dei eloquium nostrum superat et intellectum, quia *accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* (*Psal.* LXIII, 7, 8.) Unde ab omnibus consequenter, Deo gratias, dicitur, quia placet, ut pium est, in laude Dei superari. (HUGO DE S. VICTOR., *Specul. de mysteriis Ecclesiæ*, c. 3, circa med.)

Absque spirituali intelligentia et interiori gustu exteriores cæremonias exercendo ad perfectionis non ascenditur culmen. (S. LAURENT. JUSTINIAN., *De compunctione et complanctu Christianæ perfectionis*, num. 25.)

CAPUT IX.

Sacerdoti sacrum facienti modeste ac religiose servire.

Quilibet ecclesiæ deputatus clericus, si... ad ecclesiam ad sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur. (*Conc. Toletan.*, ann. 400, capitul. 5.)

Celebranti sacerdoti unus saltem minister adsistat, isque clericus, ubi possit, et talari veste et superpelliceo indutus... sacerdote rem divinam faciente, ministri... composito corpore, nullo gestu, modeste, ut debent, sacerdoti assistentes inserviant. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, tit. 5, *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, sub fin.)

Clericus ne sacerdoti in altari ante ministret, quam in illius ministerii functione rite instructus sit et ab eo probatus, qui in urbe aut etiam in singulis urbis regionibus et in unaquaque plebe cæremoniarum muneri... præfectus est. (*Conc. Mediol.* IV, ann. 1576, part. II, tit. 8, *Impedimento irretiti hi sunt*, longe ante fin.)

Clericus sacerdoti Missam celebranti ministrans semper indutus sit superpelliceo puro et mundo, eoque non lacero neque ulla ratione indecenti : si contra fecerit, tum ipse, tum ecclesiæ præfectus, tum sacerdos etiam, qui sibi ministrare permiserit, plectatur arbitratu episcopi. (ID., titul. 10, *Quæ pertinent ad sanctissimum Missæ sacrificium, et divina Officia*, paulo ante med.)

Clericus, qui in Missæ sacrificio ministrat, dum eam functionem obit, ne preces horarias, neve aliud quidpiam de libro aliove officio recitet ; sed toto intimæ pietatis studio ad ministerium attentus sit, quod tunc pie religioseque exsequi debet. (*Conc. Mediol.* IV, ann. 1582, tit. 15, *Quæ ad Missam pertinent*, in fin.)

In celebratione Missæ sacerdos ne se conferat ad altare, nisi clericum in decenti habitu et cum superpelliceo mundo cum manicis sibi inservientem habuerit. (*Conc. Aquens.*, ann. 1585, tit. *De celebratione Missæ*, post. med.)

Qui celebranti presbytero inserviet, clericus, quoad fieri poterit, seligetur : is superpelliceo vesteque talari instructus, antequam sacristia celebraturus egrediatur presbyter, rebus ad Missam necessariis, qua poterit venustate et munditie altare instruat et exornet. (*Conc. Tolos.*, ann. 1590, part. II, *De Missarum celebratione*, num. 4.)

Clericus prima tonsura initiatus... clericalis vitæ instituta obeat... Missæ sacrificio ministrandi cæremonias usumque accurate ediscat. In ecclesia sibi ascripta sacerdoti celebranti rite ministret. (*Synod. Ferrar.*, ann. 1599, tit. *De functionibus obeundis et clericorum vita et officiis*, decret. 103, *Clericus prima tonsura*, init.)

Ministrantes celebrantibus induantur toga talari, nec ad id admittantur feminæ, quibus nec est licitum parare altare. (*Conc. Narbon.*, ann. 1609, c. 19, *De Missæ sacrificio*, circa med.)

Altaris ministerium ob reverentiam corporalis præsentiæ Salvatoris, munditiæ, reverentiæ, diligentiæ, honestatis et circumspectionis studium speciale requirit... Corporalem quoque munditiam requirit corporalis præsentia Salvatoris... Reverentiam debent ministri altaris tam ad sacerdotem, quam ad ministerium, et res etiam de propinquo ad ipsum ministerium pertinentes habere. Circa sacerdotem ut, quando secum altari assistunt, per aliquantulam capitis inclinationem, et sui elongationem ab eo, ac per humilem debiti exhibitionem officii reverentiæ signum ostendant. Si vero sederit, et ipsi tantum in superpelliceis fuerint, nequaquam juxta ipsum in sedilibus, videlicet coæqualibus sedi ejus, sed ad scabellum ejus potius, si aptus fuerit locus, vel alibi sedeant. Venerentur eum decoro, ut convenit, comitatu, et maxime quando se vertit ad populum, ei adsint ; quem ubique ut in Officio, sic et eo expleto in vestiarium revertentem deducant, ut acies ordinata ; ad altare deinde, si opus fuerit, reversuri, ministerio reverentiam exhibent, si motu debito et habitu ipsi ministerio convenienti assistant et ministrent... Ministris vero diligentia debet esse circa ea, quæ necessaria sunt celebranti, et circa munditiæ custodiam, ac conversationis vasorum et pannorum pertinentium ad altare. Ministrorum est ut præinduti celebraturum cum diligentia præparent, ejusque indumenta post Officium plicent ; et quæ ipsi sacrum ministerium exsequenti opportuna fuerint, hora, tempore, et loco congruis offerant. Nunquam ad Missam privatam legendi vel orandi gratia solo vel sedibus se totaliter prosternant, nec latitent post cortinas ; sed palam coram altari, non tamen a latere celebrantis assistant, versus eum, circa quem tunc oculus debet esse, aspectum quasi continue directuri ; non tamen in faciem ejus, maxime post canonicis incœptionem intendant... Vasa et pannos munde tractent apud eos et teneant... debet, qui ministrat ad Missam, superpelliceum... conservare, ne cum eo aliquatenus nares emungat, vel sudores a facie, vel alias undecunque detergat ; nec ipsius

manicas maxime ad pulverem, super ligna, lapides, vel super terram exponat... De aliis indumentis, quoties ea plicant, sollicite caveant ne unquam manicæ terram tangant... vasa quoque altaris et utensilia in locis suis diligenter, ut convenit, præparata reponant. Vestimenta etiam plicare non negligant et aptare... In omnibus... quæ ministerium Dei contingunt, speciali... diligentia opus est. Si agendis ministeriis terreni regis studiosissimam homines curam impendunt, quantam putas æterni Regis ministeriis impendendam? (S. Bonav., *Specul. disciplinæ ad novitios*, part. I, cap. 17, init. *Vid.* plura *ibid.*)

Ad Missas postpositis omnibus, tanto majori promptitudine ac devotione ministrent, quanto Deo ibi familiarius servitur. Calicem et corporalia si tetigerint reverenter et mundissime tractent; manusque post tactum hujusmodi, antequam apponant communibus, lavent. (*Ibid.*, part. II, cap. I, sub fin.)

Ad Missas libenter ministra, quia hoc est officium angelorum; ipsi enim Deo ubique ministrant devotissime. In hoc enim ministerio multiplex fructus est: 1° boni operis exercitium est; 2° opus charitatis est promovens proximum in bono; 3° opus devotionis est, quia Deo appropinquat in oratione; 4° opus angelicum est, cum quibus Deo ibi præsenti ministras, sicut et illi. Ex hoc non solum sacerdos, cui ministras, tunc orare pro te specialiter, sed et omnes circumstantes, quorum vices geris, debent; imo tota Ecclesia ubique terrarum, quia tu geris vicem omnium fidelium, qui Deo suo de cœlo venienti cum gratissima gratiarum actione deberent ministrare, si possent adesse. Et vix potest esse quin Dominus speciali gratia remuneret etiam in præsenti, qui libenter et devote ministrat ad illud sacramentum, quo nihil sanctius et devotius potest esse in cœlo et in terra, et quod est admodum præcipuum indicium divinæ dignationis et dilectionis ad hominem. (Id., *De institutione novitiorum*, c. 11, init.)

Celebrantibus autem Missas libentissime servias cum profunda cordis et corporis humilitate, reverentia et devotione... Nec exspectes quod alius te invitet, sed tu potius sollicita sacerdotes, et sis semper sollicitus circa omnia servitia facienda. (Id., *Regul. novitiorum*, c. 7.)

Nequaquam congruit, ut quis sordescentibus indumentis... regis debeat ministrare convivio. Cæterum si mortalibus quispiam honoris dignitate sublimatus famulantium sibi infirmorum et pauperum abhorret obsequia; quid, quæso, regum omnium spiritualiter acturus est Rex? Observat equidem uniuscujusque sibi ministrantis vitam, mentem discutit, intentionem pensat, dijudicat effectus, devotionem videt, rimatur cogitatus, atque juxta interioris hominis dispositionem exhibitæ ministrationis gratificat munus. (S. Laurent. Justinian., *Serm. de Eucharistia*, num. 28, circa init.)

—

CAPUT X.

De prædicatione verbi Dei.

ART. I. — *De natura illius muneris.*

Sectio prima. — *De excellentia illius muneris.*

Ex encomiis prædicatorum.

(Prædicatores sunt tentorium Domini.) Extendit nubes Dominus, dum ministris suis viam prædicationis aperiens eos in mundi latitudinem circumquaque diffundit... Cum prædicatores sancti in mundum mittuntur, iter Deo faciunt... Deus enim, qui per semetipsum non localiter ubique est, per prædicatores suos in mundi partes localiter ambulat... Iter quippe per eos agit, dum humanis cordibus eorum se eloquio infundit. Atque in hoc itinere tentoria Dei sunt hæc eadem corda sanctorum, quibus quasi in via tegitur, dum per hæc ad mentes hominum veniens agit, quæ disposuit, et non videtur.... unde et recte nunc nubes istæ ejus tentorium dicuntur, quia ad nos Deus per gratiam veniens intra prædicatorum suorum mentes operitur. An Paulus ejus tentorium non erat (*Rom.* xv, 19), cum ab Jerusalem per circuitum usque ad corda mortalium veniens in ejus mente Dominus quiescebat? Nubes quippe erat hominibus, tentorium Deo : quia, quem prædicando infundebat audientibus, hunc invisibiliter in mente retinebat. Idem rursus dum catenis vinctus (*Act.* xxviii, 15), Romam peteret Paulus occupaturus mundum, latens in ejus pectore quasi sub tentorio ibat Deus : quia et occultus videri non poterat, et per verba prædicationis proditus, iter inchoatæ gratiæ sine cessatione peragebat. (S. Greg. Papa I, *Moral.* lib. xxvii, 36, *in Job* c. xi, num. 19, init.)

In carne... Dominus ad Ecclesiam veniens mensuras terræ lineis mensus est..... Hujus terræ occultæ vel lineæ tendebantur, quando prædicatores sancti agente Spiritu in alias partes mundi vocabantur, ut irent; ab aliis vero partibus arcebantur, ne accederent. Paulus namque apostolus, cum Macedoniæ prædicare negligeret, per visum illi apparuit vir Macedo, qui diceret (*Act.* xvi, 2, 9) : *Transiens in Macedoniam adjuva nos.* At contra, sicut scriptum : *Tentabant apostoli ire in Bithyniam, et non permisit eos spiritus Jesu.* (*Ibid.*, 7.) Dum ergo prædicatores sancti et vocantur ad Macedoniam, et ab Asia prohibentur, ista occultarum mensurarum linea illic ducta est, hinc reducta. (*Ibid.*, lib. xxviii, *in Job* xxxviii, c. 6, num, 15, circa init.)

Bene cum in typo Ecclesiæ tabernaculum figeretur, ad Moysen dicitur (*Exod.* xxvi, 32) : *Facies columnas quatuor, et bases earum vestles argento....* Bases ergo argento vestitæ quatuor columnas tabernaculi sustinent; quia prædicatores Ecclesiæ divino eloquio decorati, ut cunctis se exemplum præbeant, quatuor evangelistarum dicta et ore et operibus portant. (*Ibid.*, num. 17 circa med.)

Prædicatores sunt venturi Domini præcones. (*Luc.* x, 1.) Bene autem dicitur, quia misit eos ante la-

ciem suam in omnem civitatem et locum ; quo erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Dominus sequitur... Hinc namque eisdem prædicatoribus Isaias dicit (*Isa.* XL, 3) : *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Hinc illis Psalmista ait (*Psal.* LXVII, 5) : *Iter facite ei, qui ascendit super occasum*, Super occasum namque Dominus ascendit; quia, unde in Passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit... Ei ergo, qui ascendit super occasum, iter facimus, cum nos ejus gloriam vestris mentibus prædicamus, ut eas et ipse post veniens per amoris sui præsentiam illustret. (ID., *in Evang.*, lib. I, hom. 17, num. 2, init.)

(Sacerdotes) per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis indices. (*De vita contemplativa*, lib. II, c. 2, circa med., inter Opera S. Prosperi.)

Quid est autem quod Maria portat Jesum in utero.... Simeon portat in brachiis? Significant... Maria prædicatores.... Simeon bonos operatores. Qui enim aliis evangelizat, quasi Jesum in utero portat, ut cum aliis, vel potius alios ei pariat. De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat (*Galat.* IV, 19) : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* (S. BERN., *De diversis*, serm. 51, ante med., al. 7 et 8, ex parvis.)

(Prædicatores) coadjutores... Dei sunt. (ID., *in Cant.* serm. 77, num. 7, post med.)

Opus fac evangelistæ, id est evangeliza; hoc enim est nobile opus; quia ad hoc Christus est missus. (S. THOM., *in II Epist. ad Tim.*, c. IV, lect. 1.)

Ex ipso verbi ministerio.

Apostoli, in quorum locum episcopi successerunt, satis nobis aperuerunt verbi Dei prædicationem esse præcipuum illorum munus, qui in episcopali sede collocantur. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, tit. 6, *De prædicatione verbi Dei*, init.)

Ipsam verbi distributionem... nostrorum omnium primum dicam. (S. GREG. Naz., orat. 1, num. 64, circa init.)

Est et aliud novum sacrificium, quod peragitur per Evangelii prædicationem. Id est, sermo doctrinæ, de quo Paulus apostolus ait : *Administrantes Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto.* (*Rom.* XV, 6.) Vides, quam declaravit, etiam Evangelii prædicationem offerri Deo? (S. CHRYSOST., *Hom. in psal.* XCV, ante med.)

Una quædam post operum præstationem ars accurationis via tenenda sequendaque est, nempe per sermonem evangelicum doctrina..... medicamenti instar,... Hoc et jacentem animam suscitamus, et tumescentem compescimus : hoc et supervacanea amputamus; et quæ desunt, supplemus; cæteraque omnia conficimus, quæ ad animi conferunt incolumitatem. (ID., *De sacerdotio*, lib. IV, cap. 2, longe ante med.)

(Prædicatio) salutis et plurimorum bonorum conciliatrix est. (*Ibid.*, lib. V, cap. 1, circa fin.)

Pietate et recta prædicatione verbi veritatis nihil honorabilius sacerdotibus. (FLAVIAN., archiep. Constantinopol., *Epist. ad S. Leonem Papam I*, epist. 2, init., inter Oper. S. Leonis, post ejus octavam.)

Quid ergo mentes auditorum, nisi scyphi sunt, quæ a sanctis prædicatoribus vino scientiæ replentur? (S. GREGOR. Papa I, *in Exech.*, lib. I, hom. 6, num. 8, circa fin.)

Quid mirum, si et sancti doctores asserantur vites; ut, quod Salvator mundi per naturam, hoc illi glorientur habere per gratiam? Qui nimirum, dum triumphum Dominicæ Passionis prædicare non cessant, quasi per doctrinæ suæ botros arentia corda nostra vino beati cruoris inebriant. (S. Petr. DAMIAN., opusc. 22, *Contra clericos aulicos*, cap. 4, post. med.)

Noli..... nimis insistere oculis contemplationis, quia meliora sunt ubera prædicationis. (S. BERN., *in Cant.* serm. 9, num. 8, in fin.)

Inter cætera.... quæ ad pastorale spectant officium, sanctæ prædicationis virtus excellit... Tantæ... virtutis est prædicatio, quod animam revocet ab errore ad veritatem et a vitiis ad virtutes ; prava mutat in recta, aspera convertit in plana ; instruit fidem, erigit spem et roborat charitatem ; evellit nociva, plantat utilia, et fovet honesta; via vitæ, scala salutis, et janua paradisi. (INNOC. III, Præfat. Oper. suorum, paulo post init.)

Sermo sapientiæ et scientiæ, quo ad populum fit exhortatio, donum est Spiritus sancti, ornamentum prælationis, munusque specialiter impensum tam ad profectam accipientium, quam etiam audientium. (S. LAURENT. JUSTINIAN., *De institutione et regimine prælat.* cap. 7, num. 2, post med.

Licet prædicatio corpore Christi minor sit dignitate; eam tamen recipientibus major est efficiendi potestate. (S. BERN. Senensis, *Dom. I in Quadragesima*, serm. 10, *De observantia Sabbati*, cap. 11, tit. *Quando et quare ex debito necessarium sit audire divinum verbum*, post med.)

SECTIO SECUNDA. — *De necessitate illius muneris.*

§ I. — *Prædicationis necessitas ex officio sacerdotum desumpta.*

Ob officium sacerdotum.

Clama, ne cesses; quasi tuba, exalta vocem tuam. (*Isa.* LVIII, 1.)

Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. (*Isa* LXII, 6.)

Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. (*Act.* VI, 2.)

Pro Christo..... legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. (*II Cor.* V, 20.)

Prædica verbum, insta opportune : importune argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. (*II Tim.* IV, 2.)

Profecto penitus abhorret a sacerdotum ordine ac facultate, quisquis illustrandi vi caret. (S. DIONYS. Areopag., aut alius, epist. 8, *Ad Demoph. monac.*, § 2, circa med.)

Doctoribus parturientibus filios fidei pietate sua Dominus adjuvat, ut hujusmodi fetus edant. (S. Hier., aut alius, *in Job* xxvi sub fin.)

Paulus... cum de sacerdotibus verba facit : *Qui bene præsunt*, inquit (*I Tim.* v, 17), *presbyteri duplici honore digni* habeantur, maxime ii, qui laborant in sermone ac doctrina. Hic enim demum doctrinæ terminus consummatissimus, cum sacerdotes tum factis tum verbis eos, quos erudiunt ad beatam vitam a Christo institutam conducunt. Neque enim nuda facta satis sunt ad hoc ut alios edoceas, nisi et cum his verba accedant... Annon audis quid Ephesiorum presbyteris scribat Christi organum illud electum? (*Act.* xx, 31) : *Propter quod vigilate*, inquit, *memores quod per triennium nocte ac die non cessaverim cum lacrymis monere unumquemque vestrum.* (S. Chrysost., *De sacerdotio*, lib. iv, c. 8, circa med.)

Bona conversatio sacerdotis sine verbo tenet quidem sanctos in sanctitate per suum exemplum ; adducere autem ignorantem ad scientiam veritas non potest. (Auctor *Operis imperfecti*, *in Matth.* v, hom. 10, paulo post init. inter Oper. S. Chrysostomi.)

Cum non solum, secundum Apostolum, nos oporteat formam præbere fidelibus, sed etiam eos ipsos fideles, qui nobis divinitus instituendi commissi sunt, instruere debemus. (*De vita contemplativa*, lib. i, c. 18, ante med., inter Opera S. Prosperi.)

(Sacerdos) ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, ut non solum bene vivendo alios exemplo suæ conversationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando... Sancte vivere debet propter exemplum, et docere propter suæ administrationis officium. (*Ibid.*, c. 20, post init.)

De pontifice officium suum curante propheta sic loquitur (*Ezech.* xxxiii, 9) : *Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, et tu animam tuam liberasti.* Hic certe satis evidenter ostenditur quod, sive proficiant, sive non proficiant auditores, tacere eis non debeant sacerdotes : nec ideo rei sint, si forte eorum verba populi non audiunt, vel audita contemnunt : sed si ab eis corrigendis absistunt... nec verbo doctrinæ populi contumaces emendati proficiunt, ipsi sibi causa suæ perditionis exsistunt ; et doctores suos, quorum... verba despiciunt, involvere criminibus suis omnino non poterunt. (*Ibid.*, c. 22, circa init.)

Ipsis enim proprie animarum curandarum sollicitudo commissa est, qui... Prædicatores cœlestium. (*Ibid.*, lib. ii, cap. 2, circ. init.)

Messis quidem multa, operarii autem pauci... (*Matth.* ix, 37.) Ad messem multam operarii pauci sunt, quod sine gravi mœrore loqui non possimus : quia, etsi sunt qui bona audiant, desunt qui dicant : Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde reperitur operator ; quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus. (S. Greg. Papa I, *in Evang.*, lib. i, hom 17, num. 3, circa init.)

Quasi... inter bruta animalia petra salis debet esse sacerdos in populis. Curare namque sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat ; ut, quisquis sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. Sal etenim terræ non sumus, si corda audientium non condimus. Quod profecto condimentum ille veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. (*Ibid.*, num. 9, post med.)

Est et... quod me de vita pastorum vehementer affligit... Ministerium prædicationis relinquimus, et ad pœnam nostram, ut video, episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Relinquunt namque Deum hi, qui nobis commissi sunt ; et tacemus. In pravis actibus jacent, et correptionis manum non tendimus. Quotidie per multas nequitias pereunt, et eos ad infernum tendere negligenter videmus. (*Ibid.*, num. 14, init.)

Pensemus ergo qui unquam per linguam nostram conversi ; qui de perverso suo opere nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt ; quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit ; quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Pensemus quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento ab eo ad negotium missi sumus ; etenim dicit (*Luc.* xix, 13) : *Negotiamini, dum venio.* Ecce jam venit ; ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? (*Ibid.*, num. 16, post med.)

Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo Judex veniet, et rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet... In illo tanto examine... Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Regis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus ; et oves, quas ex nutrimento nostro debuimus ostendere, non habemus? Hic Pastores vocati sumus, et ibi gregem non ducimus? (*Ibid.*, num. 17, init.)

Non negligamus curam proximi, ut quisquis ad nos jungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur... Quisquis ad sacerdotem junxerit, sale sermonis illius conditus recedat. Hæc... vobiscum sollicite cogitate ; hæc et proximis vestris impendite : omnipotenti Deo fructum vos reddere de negotio, quod accepistis, parate. (*Ibid.*, num. 18, circa med.)

Moyses... illos a parte Dei denuntiavit exsistere,

qui delinquentium scelera incunctanter ferirent; dicens (*Exod.* xxxii, 26, 27) : Si quis Domini est, jungatur mihi; ponat vir gladium super femur suum; ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum. Gladium quippe super femur ponere, est prædicationis studium voluptatibus carnis anteferre... Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo Domini amoris excitatur; profecto esse se Dei denegat, qui, in quantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat. (*Regulæ pastoralis*, part. III, c. 25, al. 49, circa med.)

Præconis... officium suscipit, quisque ad sacerdotium accedit, ut ante adventum Judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos vero, si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit (*Act.* II, 3, 4), quia nimirum, quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc Moysi præcipitur ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur : ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni speculatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est (*Exod.* xxviii, 35) : Audiatur sonitus, quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur : quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. (Epist. 25, al. 24, paulo ante med.; refertur dist. 43, cap. 1, *Sit rector.*)

Si sacerdotes Domini sumus, etiam ex ipso officio angeli, id est nuntii sumus; et populo ea quæ Dei sunt, nuntiare debemus. (Hugo de S. Victore, serm. 23, *Ad sacerdotes in synod.*, paulo post init.)

Dictum est : *Si diligis me, pasce oves meas.* (*Joan.* xxi, 17.) Quid est oves pascere, nisi evangelizare subjectis, reddere Deo populum acceptabilem verbo... et parare Domino plebem perfectam? (Petr. Bles., epist. 148, *Ad S. Bathoniensem episcopum*, circa med.)

Nonne nobis in Timotheo præceptum (*II Tim.* iv, 2) : *Insta opportune, importune?* Nonne in Levitico præcipitur ut a sacerdote ingrediente et egrediente tabernaculum sonitus audiatur? (*Exod* xxviii, 35.) Nonne per prophetam dicitur (*Isa.* lviii, 1) : *Clama, ne cesses; exalta vocem tuam. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes* (*Isa.* lxii, 6); tota die et tota nocte non tacebunt. (Id., serm. 61, *Ad sacerdotes*, circa med.)

Ob crimen sacerdotum mutorum.

Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. (*Prov.* xi, 26.)

Impio... mors debetur : sed ei a speculatore via vitæ nuntianda est, et ejus impietas increpanda. Si vero speculator taceat, ipse impius in iniquitate sua morietur... Sed sanguinem ejus Dominus de manu speculatoris requirit, quia ipse hunc occidit, quia eum tacendo morti prodidit. In quibus utrisque pensandum est quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atque præpositorum; quia, ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur... O quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat (*Act.* xx, 26, 27) : *Mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non esset... In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot accidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus. (S. Greg. Papa I, *in Ezech.*, lib. VI, hom. 11, num. 9, circa init.)

Nos, qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro peccatis suis obtulere, si comedimus et tacemus, eorum procul dubio peccata manducamus. Pensemus ergo cujus sit apud Deum criminis peccatorum pretium manducare, et nihil contra peccata prædicando agere. (Id., *in Evang.*, lib. I, hom. 17, num. 8, circa med.)

Moysi præcipitur ut tabernaculum sacerdos (*Exod.* xxviii, 33) ingrediens tintinnabulis ambiatur : ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est (*Exod.* xxviii, 35) : *Ut audiatur sonitus, quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur*, si de eo sonitus non audiatur; quia iram contra se occulti Judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. (Id., *Regul. pastor.*, part. II, c. 4, al. c. 15, circa med.)

Si indigentibus proximis ipsi, quas haberent, pecunias absconderent, adjutores procul dubio calamitatis exstitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui, dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt... Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui, dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. (*Ibid.*, part. III, c. 25, al. c. 49, admonit. 26 paulo post init.)

Ob pœnas non prædicantibus impositas

Si me dicente ad impium (*Ezech.* xxxiii, 8) : *Impie, morte morieris; non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero ejus de manu tua requiram...* Hoc est dicere : Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, et vivat; et te, qui non increpasti, et ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam... Ecce quale periculum prædicatoribus, nisi strenue utiliterque prædicaverint. (*Conc. Paris.* VI, ann. 829, lib. I, c. 5, post med.)

Ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, ut... fiduciaiiter prædicando singulis ante oculos peccata sua constituat... certus quod ei nihil sua justitia suffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur : quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sceleris sui dabit ; ille autem, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato ? (*Ibid.*)... *Si me dicente ad impium : Impie, morte morieris ; si non fueris locutus, ut custodiat se impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero ejus de manu tua requiram...* Hoc est dicere : Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, et vivat ; et te, qui non increpasti, et ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam. Quis, rogo, tam saxei pectoris ; quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat ? (*De vita contemplativa*, lib. I, c. 20, paulo post init. ; inter Oper. S. Prosperi.)

Pensemus cujus damnationis sit sine labore hic percipere mercedem laboris... Illa in nostrum stipendium sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio vel prædicationis, ut dignum est, insudamus... Discretus pastor prærogat talentum verbi, ne ad damnationem suam de Ecclesia stipendium sumat alimenti. (S. Gregor. Papa I, *in Evang.*, lib. I, hom. 17, num. 8, paulo post init.)

Si populos fames attereret, et occulta frumenta ipsi servarent, auctores, procul dubio mortis exsisterent. Qua itaque plectendi sunt pœna considerent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Unde et bene per Salomonem dicitur (*Prov.* XI, 26) : *Qui abscondit frumenta, maledicitur in populis.* Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur ; quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur... Unde et bene per prophetam dicitur (*Jerem.* XLVIII, 10) : *Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine.* Gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. De quo rursum gladio dicitur (*Deut.* XXXII, 42) : *Et gladius meus manducabit carnes.* Hi itaque, cum apud se sermonem prædicationis occultant, divinas contra se sententias terribiliter audiant (*Matth.* XV, 24, 30.) Audiant quod talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit... Audiant quod voce angelica Joannes admonetur, cum dicitur (*Apoc.* XXII, 17) : *Qui audit, dicat : Veni.* Ut nimirum, cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat ; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. (Id., *Regulæ pastoralis*, part. III, c. 25, al. c. 49, admonit. 26, paulo post init.)

Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. (S. Isidor. Hispal., *Sentent.* lib. III, c. 46, init.)

Hortamur vos (Domini sacerdotes) paratos esse ad docendas plebes vestras. Qui Scripturas scit, prædicet Scripturas ; qui vero nescit, saltem hoc, quod notissimum habet, plebibus dicat, ut declinent a malo, et faciant bonum, inquirant pacem et sequantur eam. (*Psal.* XXXVI, 27)... Nullus ergo excusare se poterit quod non habeat linguam, unde aliquem possit ædificare. (D. Ivo, episc. Carnot., *Decret.*, part. VI, *De clericorum conversatione, ordinatione et correctione et causis*, c. 154, ex S. Aug., init.)

Ob mercedem prædicantibus promissam.

Fulgebunt... qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. (*Dan.* XII, 3.)

Si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum ; scire debet quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. (*Jac.* III, 19, 20.)

Presbyteri, qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina... (*I Tim.* V 17.) Quid est autem duplici honore ?... an duplici pro eo positum, quod est magnum ? (S. Chrysost., *in I ad Tim.* V, hom. 15, longe ante med.)

Facere et docere eximiæ cujusdam ac singularis laudis est : facere autem, non autem docere, minorem laudem habet ; altera enim parte claudicat... *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* (*Matth.* V, 19.) (S. Isidor. Pelus., *Epistol.* lib. III, epist. 120, init.)

Anima quæ benedicit, impinguabitur (*Prov.* XI, 25) ; *et qui inebriat, ipsa quoque inebriabitur.* Qui enim exterius prædicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit : et, dum vino eloquii auditorum mentem debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit. Audiant quod David hoc Deo in munere obtulit, quod prædicationis gratiam, quam acceperat, non abscondit dicens (*Psal.* XXIX, 10, 11) : *Ecce labia mea non prohibebo : Domine, tu cognovisti, justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi.* (S. Greg. Papa I, *Regulæ pastoralis*, part. III, admonit. 26, c. 25, al. cap. 49, longe ante med.)

§ II. — *Ex indulgentia populorum.*

Valde periculosum est, et a religione christiana alienum, quod post tanti doni (scilicet baptismi) perceptionem unusquisque fidelis, cum ad intelligibilem ætatem venit, mysterium baptismatis dicere et intelligere negligit ; atque eo intellecto, secundum illud vivere non satagit. Quod periculum... ad negligentiam pertinere sacerdotum, qui id solerter de-

qui delinquentium scelera incunctanter ferirent; dicens (*Exod.* XXXII, 26, 27) : Si quis Domini est, jungatur mihi; ponat vir gladium super femur suum; ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum. Gladium quippe super femur ponere, est prædicationis studium voluptatibus carnis anteferre... Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo Domini amoris excitatur; profecto esse se Dei denegat, qui, in quantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat. (*Regulæ pastoralis*, part. III, c. 25, al. 49, circa med.)

Præconis... officium suscipit, quisque ad sacerdotium accedit, ut ante adventum Judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos vero, si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit (*Act.* II, 3, 4), quia nimirum, quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc Moysi præcipitur ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur : ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni speculatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est (*Exod.* XXVIII, 35) : Audiatur sonitus, quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur : quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. (Epist. 25, al. 24, paulo ante med.; refertur dist. 43, cap. 1, *Sit rector.*)

Si sacerdotes Domini sumus, etiam ex ipso officio angeli, id est nuntii sumus; et populo ea quæ Dei sunt, nuntiare debemus. (HUGO DE S. VICTORE, serm. 23, *Ad sacerdotes in synod.*, paulo post init.)

Dictum est : *Si diligis me, pasce oves meas.* (*Joan.* XXI, 17.) Quid est oves pascere, nisi evangelizare subjectis, reddere Deo populum acceptabilem verbo... et parare Domino plebem perfectam? (PETR. BLES., epist. 148, *Ad S. Bathoniensem episcopum*, circa med.)

Nonne nobis in Timotheo præceptum (*II Tim.* IV, 2) : *Insta opportune, importune?* Nonne in Levitico præcipitur ut a sacerdote ingrediente et egrediente tabernaculum sonitus audiatur? (*Exod* XXVIII, 35.) Nonne per prophetam dicitur (*Isa.* LVIII, 1) : *Clama, ne cesses; exalta vocem tuam. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes* (*Isa.* LXII, 6); tota die et tota nocte non tacebunt. (ID., serm. 61, *Ad sacerdotes*, circa med.)

Ob crimen sacerdotum mutorum.

Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. (*Prov.* XI, 26.)

Impio... mors debetur : sed ei a speculatore via vitæ nuntianda est, et ejus impietas increpanda. Si vero speculator taceat, ipse impius in iniquitate sua morietur... Sed sanguinem ejus Dominus de manu speculatoris requirit, quia ipse hunc occidit, quia eum tacendo morti prodidit. In quibus utrisque pensandum est quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atque præpositorum; quia, ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur... O quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat (*Act.* XX, 26, 27) : *Mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non esset... In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot accidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus. (S. GREG. Papa I, *in Ezech.*, lib. VI, hom. 11, num. 9, circa init.)

Nos, qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro peccatis suis obtulere, si comedimus et tacemus, eorum procul dubio peccata manducamus. Pensemus ergo cujus sit apud Deum criminis peccatorum pretium manducare, et nihil contra peccata prædicando agere. (ID., *in Evang.*, lib. I, hom. 17, num. 8, circa med.)

Moysi præcipitur ut tabernaculum sacerdos (*Exod.* XXVIII, 33) ingrediens tintinnabulis ambiatur : ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est (*Exod.* XXVIII, 35) : *Ut audiatur sonitus, quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur*, si de eo sonitus non audiatur; quia iram contra se occulti Judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. (ID., *Regul. pastor.*, part. II, c. 4, al. c. 15, circa med.)

Si indigentibus proximis ipsi, quas haberent, pecunias absconderent, adjutores procul dubio calamitatis exstitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui, dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt... Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui, dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. (*Ibid.*, part. III, c. 25, al. c. 49, admonit. 26 paulo post init.)

Ob pœnas non prædicantibus impositas

Si me dicente ad impium (*Ezech.* XXXIII, 8) : *Impie, morte morieris; non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero ejus de manu tua requiram...* Hoc est dicere : Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, et vivat; et te, qui non increpasti, et ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam... Ecce quale periculum prædicatoribus, nisi strenue utiliterque prædicaverint. (*Conc. Paris.* VI, ann. 829, lib. I, c. 5, post med.)

Ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, ut... fiducialiter prædicando singulis ante oculos peccata sua constituat... certus quod ei nihil sua justitia suffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur : quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sceleris sui dabit ; ille autem, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato ? (*Ibid.*)... *Si me dicente ad impium : Impie, morte morieris ; si non fueris locutus, ut custodiat se impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero ejus de manu tua requiram...* Hoc est dicere : Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, et vivat ; et te, qui non increpasti, et ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam. Quis, rogo, tam saxei pectoris ; quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat ? (*De vita contemplativa*, lib. I, c. 20, paulo post init. ; inter Oper. S. Prosperi.)

Pensemus cujus damnationis sit sine labore hic percipere mercedem laboris... Illa in nostrum stipendium sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio vel prædicationis, ut dignum est, insudamus... Discretus pastor prærogat talentum verbi, ne ad damnationem suam de Ecclesia stipendium sumat alimenti. (S. Gregor. Papa I, *in Evang.*, lib. I, hom. 17, num. 8, paulo post init.)

Si populos fames attereret, et occulta frumenta ipsi servarent, auctores, procul dubio mortis exsisterent. Qua itaque plectendi sunt pœna considerent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Unde et bene per Salomonem dicitur (*Prov.* XI, 26) : *Qui abscondit frumenta, maledicitur in populis.* Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur ; quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur... Unde et bene per prophetam dicitur (*Jerem.* XLVIII, 10) : *Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine.* Gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. De quo rursum gladio dicitur (*Deut.* XXXII, 42) : *Et gladius meus manducabit carnes.* Hi itaque, cum apud se sermonem prædicationis occultant, divinas contra se sententias terribiliter audiant (*Matth.* XV, 24, 30.) Audiant quod talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit... Audiant quod voce angelica Joannes admonetur, cum dicitur (*Apoc.* XXII, 17) : *Qui audit, dicat : Veni.* Ut nimirum, cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat ; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. (Id., *Regulæ pastoralis*, part. III, c. 25, al. c. 49, admonit. 26, paulo post init.)

Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. (S. Isidor. Hispal., *Sentent.* lib. III, c. 46, init.)

Hortamur vos (Domini sacerdotes) paratos esse ad docendas plebes vestras. Qui Scripturas scit, prædicet Scripturas ; qui vero nescit, saltem hoc, quod notissimum habet, plebibus dicat, ut declinent a malo, et faciant bonum, inquirant pacem et sequantur eam. (*Psal.* XXXVI, 27)... Nullus ergo excusare se poterit quod non habeat linguam, unde aliquem possit ædificare. (D. Ivo, episc. Carnot., *Decret.*, part. VI, *De clericorum conversatione, ordinatione et correctione et causis*, c. 154, ex S. Aug., init.)

Ob mercedem prædicantibus promissam.

Fulgebunt... qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. (*Dan.* XII, 3.)

Si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum ; scire debet quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. (*Jac.* III, 19, 20.)

Presbyteri, qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina... (*I Tim.* V 17.) Quid est autem duplici honore ?... an duplici pro eo positum, quod est magnum ? (S. Chrysost., *in I ad Tim.* V, hom. 15, longe ante med.)

Facere et docere eximiæ cujusdam ac singularis laudis est : facere autem, non autem docere, minorem laudem habet ; altera enim parte claudicat... *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* (*Matth.* V, 19.) (S. Isidor. Pelus., *Epistol.* lib. III, epist. 120, init.)

Anima quæ benedicit, impinguabitur (*Prov.* XI, 25) ; *et qui inebriat, ipsa quoque inebriabitur.* Qui enim exterius prædicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit : et, dum vino eloquii auditorum mentem debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit. Audiant quod David hoc Deo in munere obtulit, quod prædicationis gratiam, quam acceperat, non abscondit dicens (*Psal.* XXIX, 10, 11) : *Ecce labia mea non prohibebo : Domine, tu cognovisti, justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi.* (S. Greg. Papa I, *Regulæ pastoralis*, part. III, admonit. 26, c. 25, al. cap. 49, longe ante med.)

§ II. — *Ex indulgentia populorum.*

Valde periculosum est, et a religione christiana alienum, quod post tanti doni (scilicet baptismi) perceptionem unusquisque fidelis, cum ad intelligibilem ætatem venit, mysterium baptismatis dicere et intelligere negligit ; atque eo intellecto, secundum illud vivere non satagit. Quod periculum... ad negligentiam pertinere sacerdotum, qui id solerter de-

bent annuntiare... nulli dubium est. (*Conc. Paris.* VI, ann. 829, lib. I, c. 9, in fin.)

Una quædam post operum præstationem ars accurationis via tenenda sequendaque est, nempe per sermonem evangelicum doctrina. Siquidem... hoc cibus... hoc medicamenti instar, hoc ignis loco, hoc ferri vice; ac si vel utere vel secare opus, hoc ipso uti necesse. (S. CHRYSOST., *De sacerdotio*, lib. IV, c. 3, paulo post init.)

Episcopum necesse est in singulos propemodum dies sementem facere, ut ipsa saltem assuetudine doctrinæ sermonem auditorum animi retinere possint. (*Ibid.*, lib. VI, c. 8, circa init.)

Multum... omnino ad Ecclesiæ ædificationem confert, si præsules doctrinæ gratia polleant : quæ nisi adsit, plurima ecclesiasticæ disciplinæ peribunt. (ID., *in I ad Tim.* V, hom. 15, ante med.)

Quomodo audient sine prædicante? (*Rom.* X, 14.) Si ergo quilibet sine prædicante non audit, sive auditu non credit, sine fide non intelligit, sine intellectu bene non agit; verbum Dei prædicandum est, ut audiens credat, credens intelligat, et intelligens bonum opus perseveranter exerceat. (*De vita contemplativa*, lib. I, c. 19, post med., inter Oper. S Prosperi.)

Clavis... apertionis est sermo correptionis, quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam, qui perpetravit. (S. GREGOR. Papa I, *Regul. pastor.* part. II, c. 4, longe ante med.)

SECTIO TERTIA. — *Quam difficile prædicationis munus.*

Divini... verbi et excelsi distributionem, quam omnes hac ætate profitentur, si qui est alius, qui præfidenti animo suscipiat, aut cujusvis ingenii esse censeat, hunc ego solertiæ nomine admiror, ne dicam stultitiæ. Mihi quidem res non vulgaris parvique spiritus esse videtur, verbi perinde ac tritici mensuram tempestive cuique daré, et dogmatum nostrorum veritatem cum judicio dispensare. (S. GREGOR. Naz., *Apologet.*, orat. 1, num. 64, circa med.)

Hæc... commemoravimus, ut... planum fiat ei, qui de tantis rebus disputationem habet, præsertim apud multitudinem, quæ ex variis ætatibus animique affectionibus conflata est, ac musici cujusdam instrumenti multis fidibus constantis in modum variis pulsibus opus habet, difficile ejusmodi orationem invenire, quæ omnes concinnare ac scientia lumine collustrare possit. (*Ibid.*, num. 72, circa med.)

Pensare... Doctor debet quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, et quantum loquatur. Si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit. Scriptum quippe est (*Gen.* IV, 7 sec. LXX) : *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti.* Recte autem offerimus, cum bono studio bonum opus agimus : sed recte non dividimus, si habere discretionem in bono opere postponamus. (S. GREG. Papa I, *in Ezech.*, lib. I, hom. 11, num 12, circ. init. — Vide plura *ibid.*, num. 13-20.)

ART. II. — *De prædicatore verbi divini. — Quæ sint ei necessariæ dotes.*

SECTIO PRIMA. — *Competens ætas.*

Adolescens, loquere in causa tua vix. (*Eccli.* XXXI, 10.)

Cum prædicandi officium privilegiatum exsistat, ad cujus exsecutionem exigitur industria personarum pollentium ætate, gravitate morum, vitæ sanctitate, scientia et sermone ; et indifferenter alicubi admittantur... statuimus et districtius prohibemus, quod ad prædicationis ministerium, qui trigesimum ad minus non attingit annum, cujuscunque religionis exsistat, de cætero in aliqua Ecclesia nullatenus admittatur. (*Conc. Ravennat.* II, ann. 1311, rubric. 13.)

Redemptor noster, cum in cœlis sit conditor, et ostensione suæ potentiæ semper doctor angelorum, ante tricennale tempus in terra magister noluit fieri hominum : ut videlicet præcipitatis vim saluberrimi timoris infunderet, cum ipse etiam, qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam nonnisi perfecta ætate prædicaret... Vigilanti consideratione pensandum est quod, cum Jesus annorum duodecim dicitur, in medio Doctorum sedens, non docens, sed interrogans invenitur. (*Luc.* II, 46.) Quo exemplo scilicet ostenditur ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per Divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministravit. (S. GREGOR. Papa I, *Regulæ pastoral.* part. III, c. 25, al. cap. 49, admonit. 26.)

Apostolus Timotheum instruens qualem deberet eligere in ministerium verbi Dei : *Non neophytum*, inquit (*I Tim.* III, 6), *ne forte subito elatus in superbiam incidat et in tentationem diaboli.* Periculosum est neophytis et nondum in sancta religione firmatis exire in publicum, et usurpare officia perfectorum. Nam filius Sunamitidis (*IV Reg.* IV, 18, 19), quoniam adhuc tener et puerulus egressus est ad messores, revertens ad matrem, et clamans. Caput meum doleo, exstinctus est. Dina filia Jacob, nisi in publicum exisset (*Gen.* III, 1, 2), Sichem raptoris sui violentiam declinasset. Inter Jacob mansuetudines computatur (*Gen.* XXV, 27), quod domi sedebat, quando Esau durus et hispidus exterius venabatur. (PETR. Bles., epist. 13, *Ad monach.* novitium, paulo post initium.)

SECTIO SECUNDA. — *Legitima missio.*

Quia... valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, prædicationis officium tutius declinatur : nec tamen declinari pertinaciter debet, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas cognoscitur. (S. GREG. Papa I, *Regul. pastor.*, part. I, c. 7, post med.)

Nemo nisi vocatus se ingerat ; nullus nisi impellente necessitate vel obedientia urgente se occupet.

(S. Laurent. Justinian., *De triumphali Christi agone*, c. 7, num. 2, post med.)

Sectio tertia. — *Doctrina non vulgaris.*

Cum oportet, qui docendorum aliorum munus sortitus est, imprimis hujusmodi certaminum (de dogmatibus) peritia valere... Ob unius hominis imperitiam multus populus in extremam perniciem præceps rapitur. (S. Chrysost., *De sacerdotio*, lib. iv, c. 9, longe ante med.)

Si laudum... titillationem forti animo contemnens (concionator), tamen non exhibuerit doctrinam sale ac gratia conditam, fiet ut a multis despicabilis habeatur, nullo prorsus lucro commodove ab animi magnitudine illa accepto. (*Ibid.*, lib. v, c. 2, paulo post init.)

Qui nihil didicit, aliorum doctor efficitur; et quasi æs sonans aut cymbalum tinniens usurpat prædicantis officium, cum sit truncus inutilis et idolum mutum... Episcopus illitteratus, præco est mutus. (Petr. Bles., epist. 25, *Ad Octavianum Romanæ Ecclesiæ cardinalem*, paulo post init.)

Sectio quarta. — *Vita inculpata.*

§ I. — *Sanctus sit et ab omni vitio alienus.*

Ubi vita reprehensibilis fuerit, dogma item hujusmodi sit necessarium est. (S. Chrysost., *in I ad Tim.*, c. i, hom. 5, longe ante med.)

Vos estis sal terræ... Vos estis lux mundi... (*Matth.* v, 13, 14.) Prius autem vocavit eos sal, postea autem lux... quia prius est bene vivere; secundum autem bene docere... qui autem non facit quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat... non solum neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat : quis enim non moveatur ad peccandum, cum viderit ipsos doctores pietatis peccantes ? (Auctor *Operis imperfecti, in Matth.* v, hom. 10, paulo post init. ; inter Oper. S. Chrysost.)

Non confundant opera tua sermonem tuum ; ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis ? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. (S. Hier., epist. 34, al. 2, *Ad Nepotianum*, circa med.)

Qui de Deo sermonem excitaturus est, hunc vitæ ac morum virtutibus elucere oportet. Nam qui vitio delectatur, huic ne de ipsius quidem justitiis, nedum de ipso linguam movere permittitur : quod videlicet divinis legibus contumelia inferatur, cum per impuram et scelestam linguam proferuntur. *Peccatori enim*, inquit ille, *dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ?* (*Psal.* xlix, 16.) Ac per Isaiam iis succensus, qui, cum optimæ vitæ nulla cura tangantur, ipsius tamen consilia reprehendunt, his verbis utitur (*Isa.* lviii, 2) : *Scire vias meas volunt, tanquam gens, quæ justitiam fecerit, et legem Dei sui non dereliquerit.* Quod si qui ipsius vias, hoc est, consilia curiosius exquirunt, summæ audaciæ notam non effugiunt, annon illi ultra omnem audaciam progrediuntur, qui impuræ linguæ opera de ipsomet Deo sermonem movent ? Atque illud taceo, quod apud Lacædemonios, qui sermones actionum umbras esse non immerito definierunt, ei qui turpiter vixisset, ne probam quidem sententiam pronuntiare licebat. (S. Isid. Pelus. *Epist.*, lib. iii, epist. 232, init.)

Quem lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit. Neque enim torpenti nobis est mente transeundum, quod apud Salomonem mulier filium, quem vigilans lactare consueverat, dormiens, interemit ; quia nimirum magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum, quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occidunt, et negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. (S. Greg. Papa I, *Moral.* lib. xxi, *in Job*, c. xxxi, num. 16, circa init.)

Sic propheta describit sua, ut significet nostra. Nam quid est hoc, quod ei jacenti dicitur : *Sta super pedes tuos, et loquar tecum ?* (*Ezech.* ii, 1.) Adhuc in infirmitatis confusione jacentibus præberi non debet auctoritas prædicationis. Sed, cum jam in bono opere surgimus, cum jam recti stare cœperimus, dignum est ut ad lucrandos alios in prædicationem mitti debeamus. Jacenti ergo non præcipitur ut ad prædicationem pergat, ne infirmus quisque hoc, quod verbo ædificare potest, destruat... Unde recte quoque per Psalmistam dicitur (*Psal.* xxx, 3, 4) : *Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fœcis ; statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos ; et immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro.* Prius enim de luto pravitatis educitur, ut ejus pedes per fidem in petra solidentur... gressus ejus directi sunt, ut post directionem gressuum, id est, post perfectionem boni operis, in ore acciperet etiam novum canticum prædicationis. Sic Saulus (*Act.* ix, 3, 4), dum superbus Damascum pergeret, Redemptoris voce prostratus jacuit. Et qui prædicator futurus erat, non tamen mox ut prædicaret, quod viderat, audivit ; sed ei jacenti dicitur (*Act.* ix, 7) : *Ingredere in civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere.* Jacens ergo hoc solum audire potuit, ut surgens disceret, quod audiret ; surgens vero hoc didicit, ut quæ cognoverat prædicaret. (Id., *in Ezech.*, lib. i, hom. 9, num. 4, init.)

Illa... vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat ; quia, quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat ut fiat. (Id., *Regul. pastor.* part. ii, c. 3, circa init.)

Qui.... verba Dei humiliter non loquuntur, profecto admonendi sunt ut, cum medicamenta ægris apponunt, prius virus suæ pestis inspiciant, ne alios medendo ipsi moriantur. (*Ibid.*, part. iii, c. 4, al. cap. 48, admonit. 15, circa med.)

Sicut in numismate metallum, figura, et pondus inquiritur : ita in omni doctore ecclesiastico quid sequatur, quid doceat, quemodo vivat. Per quali-

tatem igitur metalli doctrina, per figuram similitudo patrum, per pondus humilitas designatur. Qui vero ab his tribus discrepaverit, non metallum, sed terra erit. (S. Isidor., episcopus Hispal., *Sentent.*, lib. III, c. 36, in fin.)

Qui bene docet, et male vivit, videtur ut cereus aliis, dum bona exponit, lucem præstare; se vero in malis suis consumere, atque exstinguere. Qui bene docet, et male vivit, videtur bonum malo conjungere, lucem tenebris miscere, veritatem mendacio mutare. (*Ibid.*, c. 37.)

Nec ad proferendum jam cœlestem sermonem idonea suppetit lingua, quæ prius est tam prolixis terrenæ locutionis ambagibus dissoluta. (S. Petr. Damian., opuscul. 21, *De fuga dignitatum ecclesiasticarum*, c. 1, paulo post. init.)

Joathan... in montem Garizim ascendit, et voce magna clamavit. (*Deut.* XXVII, 12.) Prius ascendit, et postmodum clamavit.... Quia, nisi doctor virtutum prius culmen ascendit, inaniter clamat. Sicut per Isaiam dicitur (*Isa.* XL, 9) : Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. (Id., opusc. 22, *Contra clericos aulicos*, c. 4, paulo post med.)

Si doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum est ne non tam nutriat doctrina uberi, quam sterili vita noceat. (S. Bern., *in Cant.*, serm. 16, num. 10, sub fin.)

Loqui de Deo, quietæ valde et liberæ mentis est. (S. Greg., *in Ezech.*, hom. 11, post med.) Tunc namque bene dirigitur lingua in sermone, cum secure sensus quieverit in tranquillitate. (S. Bonav., *Pharetr.*, lib. IV, c. 34, paulo post init.)

Regimini animarum.... priusquam..... se miles Christi tradat... suas assuescat calcare passiones, sua vitia resecare, antiquatas consuetudines reformare, comprimere ventrem, linguam circumcidere, domare carnem, mores corrigere, et quidquid deforme est, sub disciplinæ vigore compescere, quatenus ex se discat quid de aliis debeat agere, quidve sentire, atque cæterorum passiones impassibiliter coercere. Ridiculum equidem de se intuentibus facit, qui voluntarie delinquendo, aliorum conatur errata corrigere. (Id., *De triumphali Christi agone*, c. 7, num. 2, post med.)

Approbata conversatio et irreprehensibilis vita prædicatio efficacissima esse censenda est. (S. Laurent. Justinian., *De institutione et regimine prælatorum*, cap. 7, num. 2, multo post med.

Ab hac utique privatâ prædicationis forma ac verbi Dei pronuntiatione præsul nullus excipitur. (*Ibid.*, num. 3, init.)

§ II. — *Quæ verbis prædicat, factis confirmet.*

Qui... fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur, in regno cœlorum. (*Matth.* V, 19.)

Cœpit Jesus facere et docere. (*Act.* I, 1.)

Paulus.... cum.... de sacerdotibus verba facit : *Qui bene præsunt*, inquit (*I Tim.* V, 17), *presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime ii, qui laborant in sermone ac doctrina.* Hic enim demum doctrinæ terminus consummatissimus, cum sacerdotes tum factis tum verbis eos, quos erudiunt, ad beatam illam vitam a Christo institutam conducunt. (S. Chrysost., *De sacerdotio*, lib. IV, cap. 8, circa med.)

Sic illuminate, docete, non ut verba vestra tantummodo audiant homines, sed ut opera vestra bona videant, ut, quos illuminaveritis per verbum quasi lux, condiatis per exempla operum vestrorum quasi sales : quoniam, qui docet, et facit quod docet, vere ille docet. (Auctor *Operis imperfecti in Matth.* V, hom. 10, circa med., inter Oper. S. Chrysost.)

Considera autem quomodo conversatio bona prædicatoris prædicationi suæ præstat virtutem, ut etiam indomabilia domet corda. (Id., *in Matth.* XXI, hom. 40, longe ab init.)

Non confundant opera tua sermonem tuum; ne, cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. (S. Hier., epist. 34, al. 2, *ad Nepotianum*, paulo ante med.)

Perdit enim auctoritatem docendi, cujus sermo opere destruitur. (Id., epist. 82, al. 83, *Ad Oceanum*, multo post med.)

Non potest dicere contemptoribus admonitionis suæ : Futurum cogitate judicium, quod ipse forte non cogitat; amatoribus mundi : *Nolite diligere mundum* (*I Joan.* II, 15), si eum mundi amor oblectat; ambitiosis : Ambitioni finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat; ebriosis : Ebrietatem cavete, si se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat; sumptuosis dapibus crudus non potest suis abstinentiam laudare, quam calcat; vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere... inimicitiarum tenax non audebit animos dissidentium sacerdotali tranquillitate componere; justitiam prædicare judicibus erubescit, quam ipse personæ potentis favore corrumpit; et quidquid boni non facit aut mali committit, nec jubebit fieri, nec vetabit, quia necessariam docendi auctoritatem contrarietate suæ actionis aut amittit aut minuit. (*De vita contemplativa*, lib. I, c. 15, circa med., inter Oper. S. Prosperi.)

Dixi... plus... fideles catholicos bonis exemplis quam luculentis verbis posse proficere, eamque esse summam perfectamque doctrinam, quam conversatio spiritualis ostenderit, non quam inanis sermo jactitarit; nec a vobis in die judicii verba quærenda, sed opera : nec facile persuaderi esse possibile, quod docet lingua, si a lingua vita dissentiat; illud autem probari possibile, quod sive prædices, sive non prædices, faciendo confirmas, et imitari volentibus cum quadam delectatione ipsius

possibilitatis inculcas. (*Ibid.*, c. 17, ante medium.)

Si totam conscientiæ diligentiam transferant maledicaces ad linguam, et studiosius eloquentiam velint curare, quam vitam : si supercilio vanæ loquacitatis elati dicta sua magis cupiant laudari, quam fieri ; nec sint de sanctitate operis, sed de sermonis elucubrati venustate solliciti ; nunquid non tales merito æramento sonanti, aut tinnienti cymbalo comparantur, qui in modum tinnientis æramenti vel cymbali præclara magis quæque appetunt sonare, quam facere ; nec erubescunt a se ipsis aliter vivendo, quam prædicant, discrepare ; qui, ut quoquo modo turpitudinem suæ conversationis obnubilent, honesta prædicare non cessant, non ut auditores sui eorum prædicatione proficiant, sed ut ipsi videantur curare, quæ prædicant ! (*Ibid.*, lib. III, c. 14, paulo post init.)

Vita sine sermone magis prodesse solet, quam sermo sine vita. Nam illa etiam tacens prodest ; hic autem etiam clamans molestiam affert ; at, si sermo et vita in unum occurrant, omnis philosophiæ simulacrum efficiunt. (S. Isidor. Pelus., *Epist.* lib. II, epist. 275, *Ad Herac. clarissim.*)

Qui... non facit, eum ne verba quidem facere convenit... ridiculum hic sese præbebit ; cavillorum enim ac sannarum materia auditoribus erit. (*Ibid.*, lib. III, epist. 189, *Ad Zozim. presbyter.* circa init.)

Radix verbi virtus est operis. Et ille sermo ab audiente libenter accipitur, qui a prædicante cum compassione animi profertur. (S. Gregor., Papa I, *in Ezech.*, lib. I, hom. 11, num. 2, circa init.)

Tunc vere aliis recta prædicamus, si dicta rebus ostendimus. (Id., *in Evang.*, lib. I, hom. 47, num. 10, init.)

Admoneri debent ut considerent ne a virtute dicti vivendi qualitate discordent, ne loquendo aliud, et ostendendo aliud prædicent. (Id., *Regul. pastor.* part. III, c. 24, al. c. 48, admonit. 23, post med.)

Prædicator quisque plus actibus quam vocibus insonet ; et bene vivendo vestigia sequacibus imprimat, potiusquam loquendo quo gradiantur ostendat. (*Ibid.*, c. 40 ; al. cap. 44, circa init.)

Tam doctrina quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor : nam doctrina sine vita arrogantem reddit : vita sine doctrina inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est ; ita ut, quod doceat verbo, instruat exemplo : vera est enim illa doctrina, quam vivendi forma sequitur ; nam nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque sermone prædicat, explere opere negligat ; tunc enim prædicatio utiliter profertur, quando efficaciter adimpletur. Unusquisque doctor et bonæ actionis et bonæ prædicationis habere debet studium ; nam alterum sine altero non facit perfectum : sed præcedat justus bene agere, ut sequenter possit bene docere. Omnis utilis doctor plebibus subjectis ita se præstare debet atque insistere doctrinæ, ut, quanto clarêt verbo, tanto clarescat et merito. (S. Isidor. Hispal. episc., *Sentent.* lib. III, c. 36, init.)

Qui bene et male vivit, videtur ut cereus aliis, dum bona exponit, lucem præstare ; se vero in malis suis consumere atque exstinguere. Qui bene docet, et male vivit, videtur bonum malo conjungere, lucem tenebris miscere, veritatem mendacio mutare. (*Ibid.*, cap. 37, in fin.)

Sermo quidem vivus et efficax, exemplum operis est plurimum faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile, quod suadetur. (S. Bern., *Serm. in natali S. Benedict. abbatis*, num. 7, in fin.)

Validior operis, quam ori vox. Fac ut loqueris, et non solum me facilius emendas, sed te quoque non levi liberas probro. (Id., *in Cant.*, serm. 59, num. 3, circa fin.)

Male doces, si male agens bene loqueris ; fortior est enim vox operis, quam vox oris. (Petr. Bles., epist. 157, *Ad vicarium suum*, post med.)

Prædicator... debet habere aurum, argentum, et balsamum, videlicet sapientiam, et eloquentiam, et honestatem ; ut, quod dicat, intelligat ; et, quod dixerit et intellexerit, agat : nam, qui fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum. Alioquin dicetur ei : *Medice, cura teipsum* (*Luc.* IV, 23) : similis ficulneæ, quæ folia sine fructu producit. (Innoc. III, Præfat. suorum Oper. ante med.)

Litteras mortis suæ portant viri litterati, qui sciunt et docent, et non faciunt. Istæ sunt litteræ sine sigillo, id est, scientia sine vita ; et ideo non creditur eis. (S. Thom., Præfat. in *Epist. canonic.*, multo post med.)

Quantam vero auctoritatem præstet doctrinæ vita laudabilis, et experientia diuturna virtutum, insinuat mundi conversio et numerositas aggregata fidelium. Non enim per eloquentiam profunditatemque humanæ scientiæ, sed per virtutum exempla, contemptum videlicet terrenorum, voluntariam paupertatem, parcitatem victus, vestium nuditatem, tolerantiam tormentorum, et pro salute animarum laborum perpessionem assiduam apostoli Domini successoresque illorum fundavere Ecclesiam. Sano flagrantissimum odorem sanctitatis ipsorum signis sequentibus, divina nihilominus cooperante clementia, orbis universi Christianæ religionis jugo colla subegit. Parum profecto profuisset verborum phalerata facundia, nisi in prædicatoribus Christi concurrisset et vita. Non autem minus ædificant bonorum operum exempla, quam verba. Cæterum ubi conveniunt sanctitas vitæ et veritatis prædicatio, ibi multiplex animarum exuberat fructus. Quamobrem quicunque utiliter gregi Dominico præesse desiderat, prius conversationem suam virtutibus ornatam habere studeat, sicque verbum Dei cum omni fiducia loquatur ad plebem. Prius, inquam, conversationem habeat sanctam, quæ illi ad salutem necessaria esse cognoscitur ; postea vero eloquia divina pronuntiet.... approbata conversatio et irreprehensibilis vitæ prædicatio efficacissima esse censenda est. (S. Laurent. Justinian., *De institut. et regimine prælatorum*, cap. 7, num. 2, ante med.)

§ III. — *Gratia sit et virtute plenus.*

Tunc autem verbi semen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. (S. Gregor. Papa I, *Regul. pastor.* part, II, c. 7, multo post med.)

Ipsa veritas, quæ repente, quos vellet, roborare potuisset, ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquam plene discipulos de virtute prædicationis instruxit, illico adjunxit (*Luc.* XXIV, 49) : *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* In civitate quippe consideremus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur; ut, cum virtute divina perfecte induimur, tunc quasi a nobismetipsis foras etiam alios instruentes exeamus. (*Ibid.*, part. III, cap. 25, *al.*, cap. 49, admonit. 26, non longe a fin.)

Illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Vere turturem exhibes, si gemere doceas : et, si persuadere vis, gemendo id magis, quam declamando, studeas oportebit. (S. Bern., *in Cant.*, serm. 59, num. 3, circa med.)

Sectio quinta. — *Amor proximi ejusque promovendæ salutis ardens studium.*

Adeo vos amplector atque exosculor... ut anathema etiam a Christo esse, ac non nihil ut damnatus perpeti non recusem, modo nobiscum adjungamini, communibusque animis Trinitatem celebremus. (S. Greg. Nazianz., orat. 44, *in sanctam Pentecosten*, num. 12, circa medium.)

Optarim, si fieri possit, ut ipsis oculis meam erga vos charitatem valeam ostendere... Optarim enim ipse vel millies exsecrabilis esse, si queam per hoc vestras animas convertere... si quando contigerit vestrum peccare quempiam, dormienti mihi observamini. Emoriar, nisi videor similis dolore exanimatis, nisi attonitus ; et, ut verbis propheticis utar, ipsum lumen oculorum meorum non est mecum. Nam quæ spes nobis, si vos non proficiatis? Rursus quantum animi solatium, si vos probati sitis? Gestire mihi videor, quoties boni quidpiam audio de vobis. Implete meum gaudium... omnia mihi vos estis, et pater, et mater, et fratres, ac liberi. (S. Chrysost., *in Act. apost.*, cap. II, hom. 3, sub fin.)

Binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit, quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. (S. Greg. Papa I, *in Evang.*, lib. I, hom. 17, num. 1, in fin.)

Pensemus quod lucrum Deo fecimus, nos qui accepto talento ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit (*Luc.* XIX, 13) : *Negotiamini, dum venio.* Ecce jam venit; ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui de animarum manipulos prædicationis nostræ segete illaturi sumus? (*Ibid.*, num. 16, in fin.)

Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo Judex veniet, et rationem cum servis suis (*Luc.* XIX, 15), quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate inter angelorum atque archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine electorum omnium et reproborum multitudo deducetur, et unusquisque quid sit operatus ostendetur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Regis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus ; et oves, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? (*Ibid.*, num. 17.)

Qui audit, dicat : Veni. (*Apoc.* XXII, 17.) Ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. (Id., *Regul. pastor.* part. III, c. 25; al. cap. 49, admonit. 26, longe ante med.)

Sectio sexta. — *Pura intentio.*

Qui aliorum edocendorum provinciam susceperit, is ne de aliorum laudibus dependeat, neve ab iis animum despondeat. Quin orationes hoc consilio meditatus, ut Deo optimo gratæ atque acceptæ sint, hunc unum sibi statuat canonem ac terminum optimi illarum opificii, non etiam plausus ac laudationes. Laudatur is ab hominibus, laudes ne rejiciat. Laudes ab auditoribus illi negantur, eas ne ambiat, nec negatis indoleat. Abundans enim illi fuerit laborum solatium, idque omnium certe maximum, si sibi ipse conscius esse potuerit ad hanc se rationem, doctrinam, eloquentiamque suam composuisse atque adaptasse, ut Deo illa placens acceptaque fiat. (S. Chrysost., *De sacerdotio*, lib. V, c. 7, paulo ante med.)

Sacerdotes, qui positi sunt ad ornamentum populi et ad ædificationem sanctitatis, ex ipso ministerio eorum accipit colorem diabolus et corrumpit bonum ministerium eorum, ut hoc ipsum bonum, dum propter homines fit, fiat malum. Tolle ergo hoc vitium de clero, ne velint hominibus placere, et sine labore omnia vitia resecantur. (Auctor *Operis imperfect., in Matth.* XXIII, hom. 43, paulo post med., inter Oper. S. Chrysost.)

Doctor Ecclesiæ, qui spiritualem conficit panem, et eum populis dividit, si vel propter humanam gloriam, vel lucra sæculi, quæ gloriam consequuntur, loquatur in populo... nomen Dei despicit, et panem polluit doctrinarum, et in ipsum Deum jacit contu-

melias. (S. Hier., *in Malach.*, c. 1, ad hæc verba (ỳ 6 et 7) : *Ad vos, o sacerdotes*, etc.)

Docente te in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. (Id., *Ad Nepotianum*, epist. 34, al. 2, paulo post med.)

Hoc specialiter doctor ecclesiasticus elaboret, quo fiant, qui audiunt eum, sanis disputationibus meliores, non vana assentatione fautores. (*De vita contemplativa*, lib. I, cap. 23, post med., inter Oper. S. Prosperi.)

Apostolo docente discamus : *Si linguis*, inquit (*I Cor.* XIII, 1), *hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æramentum sonans aut cymbalum tinniens.* Hominum vel angelorum linguis inanem facundiam quorumdam significatam debemus accipere, qui omnia, quæcunque voluerint, accurate quidem atque eloquenter enuntiant ; quamvis ornate copioseque disserant, tamen si docendi officium vanitate placendi magis quam consulendi charitate suscipiant, non ut aliquos doceant, sed ut se doctos ostendant, nec profectum sed plausum a suis auditoribus quærant ; si... studiosius eloquentiam velint curare, quam vitam ; si supercilio vanæ loquacitatis elati dicta sua magis cupiant laudari, quam fieri ; nec sint de sanctitate operis, sed de sermonis elucubrati venustate solliciti ; nunquid non tales merito æramento sonanti aut tinnienti cymbalo comparantur ? (*Ibid.*, lib. III, c. 14, circa init.)

Verus... quisque prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis namque ideo prædicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede se privat. Quisquis vero vel ea, quæ dicit, ideo placere hominibus appetit, ut, dum placet quod dicitur, per eadem dicta non ipse sed Dominus ametur ; vel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne a prædicationis voce per indigentiam lassetur ; huic procul dubio ad recipiendam mercedem nil obstat in patria, quia sumptus sumpsit in via. (S. Greg. Papa I, *in Evang.*, lib. I, hom. 17, num. 7, paulo post med.)

Si quis loquitur, quasi sermones Dei. (*I Petr.* IV, 11.) Qui ergo verba, quæ proferunt, ex propriis non habent, cur quasi de propriis tument ? Audiant quod scriptum est (*II Cor.* II, 17) : *Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur.* Ex Deo enim, coram Deo loquitur, qui prædicationis verbum et quia a Deo accepit intelligit, et placere per illud Deo, non hominibus quærit. Audiant, quod scriptum est (*Prov.* XVI, 5) : *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Quia videlicet, dum in verbo Dei gloriam propriam quærit, jus dantis invadit, eumque laudi suæ postponere nequaquam metuit, a quo hoc ipsum quod laudatur accepit. Audiant quod prædicatori per Salomonem dicitur (*Prov.* V, 15-17) : *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui...* Aquas... et in plateis dividimus, et tamen soli possidemus, quando et exterius late prædicationem fundimus, et tamen per eam humanas laudes assequi minime ambimus. (Id., *Regul. pastor.*, part. III, c. 24 ; al. cap. 48, admonit. 25, circa fin.)

Omnis clericus... cui datus est... sermo sapientiæ, aut sermo scientiæ ; et, dum loquitur, cupit audientes in proprium amorem et propriam laudem convertere et inflammare, iste seipsum prædicat, non sponsum ; et idcirco pellendus est de interiori thalamo, quia adulter est ; foris in atrio præsidet non sponsæ jussu, sed patientiæ permissu. (S. Agobard. archiepisc. Lugdun., *Epist. ad clericos et monachos Lugdunenses, De modo regiminis ecclesiastici*, num. 11, circa med.)

Si ex corde ageres causam Christi, daret voci tuæ vocem virtutis. (Petr. Bles., epist. 10, *Ad Guilelmum capellanum regis Siciliæ ;* multo post med.)

Sunt... multi verbum Dei adulterantes, qui non, sicut decet, corde humili, intentione recta, desiderio salutis animarum, studioque insinuandæ veritatis sermocinantur ad populum ; sed ut, quanta sciant, notificent auditoribus. Hi profecto superbiæ inflati spiritu, dum favores transitorios quærunt, laudes hominum concupiscunt, sapientesque vocari gloriantur, tanto magis coram Deo efficiuntur inglorii, quanto amplius humanis commendationibus delectantur. Odibilis plane Deo res est ex sermonibus sacris vulgarem famam appetere, Christoque neglecto quempiam in affectibus mortalium se velle imprimere. Talis utique spiritualis adulter est, sui Conditoris raptor gloriæ, et animæ suæ crudelissimus interemptor, (S. Laurent. Justin., *De institutione et regimine prælatorum*, c. 7, num. 3, longe ante med.)

Sectio septima. — *Quædam alia concionatori necessaria*

Nemo erit concionator absolutus, cui præter vitam exemplarem non adsint omnia, quæ sequuntur ; nempe cognitio Scripturarum utriusque Testamenti, ingenium velox atque versatile, eloquentia vehemens, suadibilis et suavis : neque interim minus temperata quam copiosa prudentia rerum ac personarum docendarum, experientia multiplex, immobilis constantia, denique spiritus, qui si deerit, reliquis donis parum profecerit (*Matth.* X, 20) : *Non enim vos estis, qui loquimini ; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* (*Conc. Colon.* I, ann. 1536, part. VI, capit. 8, paulo post init.)

Neque... perfectus prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. (S. Greg. Papa I, *Moral.* lib. VI, *in Job* V, c. 37, num. 56, longe ante med.)

ART. III. — *De modo concionandi.*

SECTIO PRIMA. — *Quædam ante concionem observanda.*

§ I. — *Seipsum prædicator doceat prius et nutriat.*

Habens fidem et bonam conscientiam. (*I Tim.* I, 19.) Magistrum quippe prius oportet docere seipsum : quemadmodum enim dux, nisi antea miles optimus fuerit, ne dux quidem esse aliquando poterit; ita et doctor. (S. CHRYSOST., *in I Epist. ad Tim.* I, hom. 5, ante med.)

Sicut... stomachus accipiens cibum coquit eum in seipso, et per totum corpus dispergit; sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturas ex Deo, et excoquentes eam in se, id est, tractantes et meditantes apud se universo populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante, unumquodque membrum suscipit nutrimentum, et convertit ipsum in se secundum suam naturam, ut puta, quod suscipit jecur, totum fit sanguis : quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum; quod vero ascendit in pulmonem, phlegmata sunt; quod autem in mamillas, totum efficitur lac : sic sacerdotibus in Ecclesia loquentibus verbum omnes suscipiunt; unusquisque autem suscipit illud secundum proprium cor... Videte ergo, sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo et opere. (Auctor *Oper. imperfecti, in Matth.* XXI, hom. 38, paulo post init., inter Opera S. Chrysost.)

Nec quemquam verbis docere præsumas quod opere ante non feceris. (Joan. CASSIAN., collat. 14, quæ est prima abbatis Nestarotis, *De spiritali scientia*, cap. 9, multo post med.)

In divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta, se deserant... Audiant quod prædicatori per Salomonem dicitur (*Prov.* V, 15, 16) : *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide...* Aquam quippe prædicator de cisterna sua bibit, cum ad cor suum rediens prius audit ipse, quod dicit. Bibit sui fluenta putei, si sui irrigatione verbi infunditur. Ubi bene subjungitur : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide.* Rectum quippe est ut ipse prius bibat, et tunc prædicando aliis influat. (S. GREG. Papa I, *Regul. pastor.* part. III, c. 24; al. 48, admonit. 25, paulo post med.)

Si vis alios regere et docere, prius teipsum regas et doceas. (PETR. Bles., epist. 157, *Ad Guillelmum vicarium suum*, post med.)

Attende tibi et doctrinæ. (*I Tim.* IV, 16.) Primo tibi, et postea doctrinæ. Id est, primo qualiter vivas, deinde qualiter doceas; ut prius induas superhumerale, deinde rationale. (*Levit.* VIII, 7, 8.) Ut prius sit sal terræ de mari pœnitentiæ sumptum, postea lux mundi. (*Matth.* V.) *Cœpit Jesus facere et docere.* (*Act.* I, 1.) *Erat Joannes lucerna ardens et lucens.* (*Joan.* V, 35.) *Potens in opere et sermone.* (*Luc.* XXIV, 19.) *Qui alium doces, teipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris.* (*Rom.* II, 21.) Dicit ergo : *Attente tibi et doctrinæ*, quia qui se perdit, sicut dicitur vulgariter, de altero non gaudet. Mirum est de multis, quomodo audent dicere Domino illud : *Attende, Domine, ad me* (*Jer.* XVIII, 19); et non attendunt sibimet. Et illud (*Dan.* IX, 19) : *Exaudi, Domine, placare; Domine, attende et fac.* (HUGO DE SANCTO CHARO, cardinalis, *in hæc verba* (*I Tim.* IV, 16) : « *Attende tibi et doctrinæ.* »

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere (*II Tim.* II, 6)... Debet prius gustare cibum verbum Dei, quam aliis ministret, sicut bonus cocus. (ID., *in hæc verba* (*II Tim.* II, 6) : « *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.* »)

Stude ergo teipsum componere prius exterius in bonis moribus, interius sanctis affectionibus et cogitationibus ordinare. Tunc demum utiliter procedes ad alios in sana doctrina; quia nemo præsumit docere artem aliquam, quam prius non habuerit addiscendo. (S. BONAV., *De institutione novitiorum*, part. I, c. 15, in fin.)

Magni periculi est statim evomere, quod non concoxeris. (EPITECTUS, *Enchiridion*, cap. 69, circa init.)

§ II. — *Seipsum bonis operibus ad dicendum præparet.*

Castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne aliis prædicans ipse reprobus inveniar. (*I Cor.* IX, 27.) Ergo qui non castigant corpus suum, et volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur. (S. AMBROS., epist. 63; al. 82, num. 7, in fin.)

Gallus... cum jam edere cantus parat, prius alas excutit, et semetipsum feriens vigilantiorem reddit : quia nimirum necesse est ut hi, qui verba sanctæ prædicationis movent, prius studio bonæ actionis evigilent, ne in semetipsis torpentes opere alios excitent voce... Prius punire propria fletibus curent, et tunc quæ aliorum punienda sunt denuntient; et antequam verba exhortationis insonent, omne, quod locuturi sunt, operibus clament. (S. GREG. Papa I, *Regulæ pastor.* part. III, c. 40, al. c. 64, ante med.)

§ III. — *Orationi vacet.*

Ad concionatorum... approbationem.... quæratur.... an... sanctarum meditationum orationisque mentalis usum habeant. (*Conc. Mediol.* V, ann. 1579, part. III, tit. 2, *De examinandi ratione*, multo post med.)

Erat.... Moyses (*Levit.* VIII, 35) indesinenter in tabernaculo Domini. Quod autem opus ejus erat? Ut aut a Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt pontificis opera, ut aut a Deo discat legendo Scripturas divinas, et sæpius meditando, aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ a Deo ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet. (S. HIER., relatus dist. 36, c. 3, *Si quis vult*, paulo post init.)

Agit itaque noster iste eloquens, cum et justa et sancta et bona dicit; neque enim alia debet dicere; agit ergo, quantum potest, cum ista dicit, ut intelli-

genter, ut libenter, ut obedienter audiatur : et hæc se posse, si potuerit, et in quantum potuerit, pietate magis orationum quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator antequam dictor. Ipsa hora jam ut dicat accedens, priusquam exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat. (S. Aug., *De doctrina Christiana*, lib. IV, c. 15, n. 32, init.)

Et audies ex ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. (*Ezech.* III, 17.) Ecce iterum monetur propheta ne præsumat loqui quod non audierit; sed prius aurem cordis aperiat voci Creatoris, et postmodum os sui corporis aperiat auribus plebis. Unde propheta alius dicit (*Psal.* XLVIII, 5) : *Inclinabo ad similitudinem aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.* Qui enim recte prædicat, prius, sicut dictum est, aurem cordis locutioni intimæ inclinat, ut postmodum os corporis in propositione admonitionis aperiat. (S. Greg. Papa I, *in Ezech.*, lib. I, hom. 11, n. 8, init.)

Exigitur... ad officium prædicationis.... gustatio spiritus per contemplationem ; alioquin cæteros accendere ad æternorum desideria qua fronte præsumpserit, si frigidus in se totus et algidus remanserit? (Joan. Gerson., *Serm. de officio pastorali*, habito in *Conc. Rhem.*, considerat. 2, circa fin.)

Sectio secunda. — *Quædam in ipso concionis tempore observanda.*

§ I. — *Errantes libere arguat.*

Peccantes coram omnibus argue. (*I Tim.* V, 20.)

Si ab increpatione, vos monet sanctus Gregorius, reticueritis, quia contra vos odia insurgere reformidatis, non jam Dei lucra, sed vestra quæritis..... si igitur peccatur, ne in increpationibus verba vestra blandientia sint; sed, ut a Spiritu sancto scriptum est (*Eccli.* XII, 13) : *Stimuli sint, et quasi clavi in altum defixi.* (*Concil. Mediol.* IV, an. 1576, part. 3, titul. 7. *Monitiones*, multo ante finem.)

Nihil... in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat, non libere denuntiare. Si quidem scriptum est (*Psal.* CXVIII, 46) : *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar.* (S. Ambros., *Epist. ad Theodosium imper.*, al. 29, nunc 40, num. 2, circa med.)

Quis tibi verum audeat dicere, si sacerdos non audeat? (*Ibid.*, num. 4, in fin.)

Si sacerdos non dixerit erranti, is, qui erraverit, in sua culpa morietur, et sacerdos reus erit pœnæ, qui non admonuit errantem. (*Ezech.* III, 19.) (Id., *ibid.*, al. 28, nunc 51, num. 3, in fin.)

Ædificatores... sunt sacerdotes, qui generationes hominum super generationem per doctrinam ædificantes, quasi lapides super lapidem ponentes, domum Dei componunt. Sicut enim ædificatores nodosos lapides et habentes torturas ferro dolant, postea vero ponunt eos in ædificio, alioqui non dolati lapides lapidibus non cohærent : sic et Ecclesiæ doctores vitia hominum quasi nodos acutis increpationibus primum circumcidere debent, et sic in Ecclesiæ ædificatione collocare ; alioquin vitiis manentibus Christiani Christianis concordare non possunt. (Auctor *Oper. imperfecti, in Matth.* XXI, hom. 40, multo post med., inter Opera S. Chrysost.)

Unusquisque sacerdotum, quandoquidem speculator a Domino constitutus est, siquidem populis curæ suæ commissis malum, quod lædere solet, annuntiaverit, coronam ac vigilantia sibi conciliabit. Quod si tacuerit, incidet in mala, quæ per iram Dei irrogari solent, quippe cum suo silentio haud mediocri damno affecerit eos, quos vocibus suis ad rectam viam dirigendos acceperat. (S. Cyril. Alex., *Apologetic. ad Theodosium imperat.*, longe ab init.)

(Sacerdos) qui alium ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. (S. Leo Papa I, *Epist. decretal.* epist. 93, cap. 15, in fin.)

Ille... cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? (*De vita contemplativa*, lib. I, c. 20, circa med., inter Opera S. Prosperi.)

Error.... cui non resistitur, approbatur; et veritas, quæ minime defensatur, opprimitur. (Felix Papa III, epist. 1, *Ad Acacium Constantinopolit.*, post med.)

Sæpe.... rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt : et juxta veritatis vocem, nequaquam jam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per prophetam Dominus increpat, dicens (*Isa.* LVI, 10) : *Canes muti, non valentes latrare.* Hinc rursum queritur, dicens (*Ezech.* XIII, 5) : *Non ascendistis ex adverso, nec apposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.* Ex adverso quippe ascendere, est pro defensione gregis voce libera hujus mundi potestatibus contraire. Et in die Domini in prælio stare, est pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud quam tacendo terga præbuisse? (S. Greg. Papa I, *Regulæ pastoralis* part. II, c. 4, circa init.)

Illi recte tractant verbum veritatis, qui eo bene utuntur ad feriendum peccata ; sicut miles scit bene tractare ensem, qui expedite et prudenter pugnat in eo. *Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine.* (*Jerem.* XLVIII, 10.) (Hugo de S. Charo, cardinalis, *in hæc verba* (*II Tim.* II, 15).« *Recte tractantem verbum veritatis.*»)

§ II. — *Sanctas Scripturas doceat, non fabulas, non subtiliora, non curiosa, non incerta.*

Sanctorum historiis ne nimis diu immorentur : quin potior pars... Evangelio detur, et Epistolis explicandis. Quod si fabulosa videbitur historia, ne attingat quidem : si verisimilis, leviter, eaque decerpat, quæ imitanda videantur. Miracula quoque ne impudentius jactentur, nisi quæ Scripturis prodita, aut a non levibus scriptoribus summa cum historiæ fide tradita fuerint. (*Conc. Colon.* I ann. 1536, part. VI, c. 23.)

Præcipit sancta synodus episcopis... apud rudem... plebem difficiliores et subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibeant. (*Conc. Trident.*, sess. 25 ann. 1563, decret. *De purgatorio*, circa init.)

Non enim plerisque similes sumus, qui veritatis doctrinam adulterant, ac vinum aquæ miscent, hoc est, doctrinam cor hominis exhilarantem cum vili et vulgari, humique serpente et evanida, frustraque et temere fluente, ut ipsi ex hac cauponandi ratione obiter aliquid elucrentur. (S. Greg. Naz., orat. 1, num. 79, circa init.)

Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. (S. Hier., *Ad Nepotianum*, epist. 34, al. 2, paulo post med.)

Eadem... quæ didicisti, doce; ut, cum dicas nove, non dicas nova. (Vincent. Lirin., *Commonitor.*, circa med.)

Audiens... *ex ore meo sermonem annuntiabis eis ex me* (*Ezech.* XXXIII, 7) : ut hoc dicat sacerdos, quod ex divina lectione didicerit ; quod illi Deus inspiraverit, non quod præsumptione humani sensus invenerit. *Annuntiabis eis*, inquit, *ex me*. Ex me, non ex te mea verba loqueris, non est quod in eis tanquam de tuis inflaris. (*De vita contemplativ.*, lib. I, c. 20, paulo post med., inter Oper. S. Prosperi.)

Satis... auditores possent proficere, si a doctoribus suis, quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari. (*Ibid.*, c. 23, circa init.)

Huc pertinet illud : Caupones tui vinum aquæ admiscent. Quanquam enim quibusdam videatur hoc de iis, qui vinum cauponantur (ut juxta vocabuli sensum accipitur) dictum esse... tamen disceptante veritate, de iis potius, qui divina oracula cauponum in morem adulterant, intelligendum esse arbitror... siquidem puros ac limpidos Scripturæ sacræ sensus evanidis suis dogmatibus admiscentes, doctrinam adulterant. (S. Isidor. Pelus., *Epist.* lib. III, epist. 125, *Ad Isidor. diac.*, circa init.)

Non igitur de corde tuo vaticinari præsumas, sed juxta sacri eloquii doctrinam universa discas et doceas, orans cum Propheta et dicens (*Psal.* CXVIII, 169) : *Juxta eloquium tuum, Domine, da mihi intellectum;* non supra, non extra, non contra. (Petr. Bles., epist. 140, *Ad cleric. regis Angliæ*, paulo post med.)

Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat ; ut omne, quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium suæ locutionis firmet. (S. Bonav., lib. IV, c. 34, paulo post init.)

§ III.—*Captui auditorum se accommodet.*

Quidam lactis alimonia opus habent, hoc est, simplicioribus et elementalibus doctrinis, nimirum qui puerili animi habitudine sunt, recensque, ut sic dicam, compacti ; nec virilem sermonis cibum ferunt : quem, si quis ipsis præter vires admoverit, ejus pondere oppressi fortasse atque obruti (animo ad id, quod transmissum est, attrahendum sibique accommodandum haud satis virium habente, quemadmodum nec corpore in cibis materia constantibus) pristinas etiam eorum vires labefactabit. Alii, quod sensus ad verum a falso internoscendum ac secernendum exercitatos habeant, ac proinde sapientia ea, quæ inter perfectos exponitur, sublimiorique et firmiori cibo indigeant, si quis lac illis propinet, oleribusque, hoc est, infirmiorum cibo eos alat, modesto animo id laturi sint. ac merito sane, utpote nihil Christiani roboris colligentes, nec laudabile illud augmentum capientes, quod sermo divinus affert, eum qui pulchre alitur, in virum perficiens, atque ad spiritualis ætatis mensuram ducens. (S. Greg. Naz., orat. 1, num. 78, init.)

Pro qualitate... audientium formari debet sermo doctorum, ut et ad sua singulis congruat, et tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi, ut ita dixerim, quædam in cithara tensiones stratæ chordarum, quas tangendi artifex, ut non sibimet ipsi dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat? Et idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Unde et doctor quisque, ut in una cunctos virtute charitatis ædificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet. (S. Greg. Papa I, *Regul. pastor.*, part. III, Prolog., circa med.)

Prædicantis lingua cum audientis debet vita componi. (*Ibid.*, cap. 2, al. cap. 26, admonit. 3, paulo post med.)

Sciendum... est prædicatori ut auditoris sui animum ultra vires non trahat; ne, ut ita dicam, dum plus quam valet tenditur, mentis chorda rumpatur. Alta enim quæque debent multis audientibus contegi, et vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit (*Luc.* XII, 42) : *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore*

tritici mensuram? Per mensuram quippe tritici exprimitur modus verbi; ne, cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus ait (*I Cor.* III, 1, 2) : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Hinc Moyses a secreto Dei exiens coruscantem coram populo faciem velat (*Exod.* XXXIV, 33), quia nimirum turbis claritatis intimæ arcana non indicat. Hinc per eum divina voce præcipitur (*Exod.* XXI, 33, 34) ut is, qui cisternam foderit, si operire neglexerit, corruente in ea bove vel asino pretium reddat; quia ad alta scientiæ fluenta perveniens, cum hæc apud bruta audientium corda non contegit, pœnæ reus addicitur, si per verba ejus in scandalum, sive munda, sive immunda mens capiatur.... Qui recte prædicat, obscuris adhuc cordibus aperta clamat, nil de occultis mysteriis indicat, ut tunc subtiliora quæque de cœlestibus audiant, cum luci veritatis appropinquant. (*Ibid.*, c. 39, al. 63, init.)

Hoc sane scire debemus quod sacerdos aliis vestimentis induitur, dum est in sacrificiorum ministerio; aliis vero, cum procedit ad populum : quod Paulus sapiens sacerdos fecit in cœtu perfectorum, velut intra sanctos positus, stolam summæ doctrinæ indutus, dicens (*I Cor.* II, 6) : *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non hujus mundi...* Et cum vadit ad illos, qui incapaces sunt, mutat stolam, et inferiora docet, dicens (*I Cor.* III, 2): *Lac vobis potum dedi, non escam.* (Ven. Beda, *In supra Levitic.*, c. VI, longe post init.)

Juxta varietatem materiæ vel personæ stylus sermonis et varietur; ait enim Apostolus (*I Cor.* II, 6) : *Sapientiam loquimur inter perfectos. Inter vos autem nihil judicavi me scire, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum.* (*Ibid.*, 2.) Et iterum (*I Cor.* III, 1, 2) : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Sapientibus quoque et perfectis ait Veritas increata (*Luc.* VIII, 10) : *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei.* E contra rudibus et infirmis ait (*Joan.* XVI, 12) : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Hinc ipsa prudenter injungit (*Matth.* VII, 6) : *Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas mittatis ante porcos.* Sed mundis animalibus estote similes (*Levitic.* XI, 4), quæ ruminant pariter et ungulam findunt. Debet enim prædicator habere vinum et oleum, virgam et manna, ignem et aquam, singula suo loco congrue proferenda. (Innoc. Papa III, Præfat. Operum suorum, post med.)

§ IV. — *Sit ejus sermo non nimium comptus, sed gravis et ignitus.*

Misit me Christus... evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. (*I Cor.* I, 17.)

Veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ... Et sermo meus et prædicatio mea non in persuabilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. (*I Cor.* II, 1, 4.)

Adulterantes verbum Dei. (*II Cor.* II, 17.)

Prædicatio christiana non indiget pompa et cultu sermonis, ideoque piscatores homines imperiti electi sunt, qui evangelizarent; ut doctrinæ veritas ipsa se commendaret, teste virtute; ne hominum versutia et calliditate humanæ sapientiæ acceptabilis videretur, non veritate. (S. Ambros., *in II Epist. ad Cor.* (I, 17), ad illa verba : *Non in sapientia verbi*, init.)

Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse et rabulam garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum, et sacramentorum Dei tui eruditissimum. (S. Hier., *Ad Nepotianum*, epist. 34, al. 2, paulo post med.)

Alii externæ operam dabant sapientiæ, tanquam hac ratione dogma stabilientes. Ostendit (Paulus) eam non solum cruci non opem ferre, sed etiam eam exinanire. (S. Chrysost., *in I Epist. ad Cor.*, c. XIV, hom. 36, longe post init.)

Neque... eum sermonem laudaverim, qui fastu tumidus externæ peritiæ jactantiam sequitur; sed qui virtutis ac succi habeat plurimum, qui sensibus gravis sit, et sapientia plenus. Non ergo apparatu illi opus est ac pompa dicendi, sed intelligentia ac viribus ad id, quod sentit, eloquendum idoneis. (Id., *in I Epist. ad Tim.* c. V, hom. 15, circa med.)

Etsi imperitus sermone, sed non scientia. (*II Cor.* XI, 6.) Unde datur intelligi, quod non se debeat Ecclesiæ doctor de accurati sermonis ostentatione jactare, ne videatur Ecclesiam Dei non velle ædificare, sed magis se quantæ sit eruditionis ostendere. Non igitur in verborum splendore, sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat : non vocibus delectetur populi acclamantis sibi, sed fletibus : nec plausum a populo studeat exspectare, sed gemitum. Hoc specialiter doctor ecclesiasticus elaboret, quo fiant, qui audiunt eum, sanis disputationibus meliores, non vana assentatione fautores. Lacrymas, quas vult a suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat, et sic eos compunctione sui cordis accendat. Tam simplex et apertus, etiamsi minus latinus, disciplinatus tamen et gravis sermo esse debet pontificis, ut ab intelligentia sui nullos, quamvis imperitos, excludat. (*De vita contemplativa*, lib. I, c. 23, paulo ante med., inter Oper. S. Prosperi.)

Alia est ratio declamatorum, et alia debet esse ratio doctorum. Illi elucubratæ declamationis pompam totis facundiæ suæ viribus concupiscunt: isti sobrio usitatoque sermone Christi gloriam quærunt. Illi rebus inanibus pretiosa verborum induunt ornamenta; isti veracibus sententiis ornant et commendant verba simplicia... Illi totam laudem suam in favore vulgi; isti in virtute Dei constituunt. Illi plausibiliter dicunt, et nihil auditoribus suis declamando proficiunt; isti usitatis sermonibus docent, et imita-

tores suos instituunt, quia rationem suam nulla fucatæ compositionis affectatione corrumpunt. (*De vita contempl.*, lib. I, c. 24, init.)

Cum sententiarum vivacitatem sermo ex industria cultus enervet, et totam vim dictorum splendor elaboratus evacuet, quis non judicet me affectationem compositionis debuisse contemnere, etiamsi eam potuissem velut dicendi peritus implere? Quapropter mihi visa est compositio satis ornata, quæ conceptiones animi cum necessaria quadam perspicuitate proferret, non quæ illecebris aurium deserviret .. prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia, quando non res pro verbis, sed pro rebus enuntiandis verba sunt instituta. (*Ibid.*, lib. III, c. 34, circa med.)

Sermo... qui voluptate sola et plausu terminatur, æris sonus est, magno strepitu aurem personans. Quare aut sermonem tuum gravitate moderare, ac sermonis fastui ac pompæ mediocritatem antepone; aut te cymbalum theatrorum scenæ accommodum esse scito. (S. Isidor. Pelus., *Epist.*, lib. I, epist. 62, *Ad Theopomp. monach.*, circa med.)

Ne recta quidem nimie et inordinate proferantur; quia sæpe dictorum virtus perditur, cum apud corda audientium loquacitatis incauta importunitate levigatur; et auctorem suum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ servire auditoribus ad usum profectus ignorat... Unde Paulus quoque, cum discipulum de instantia prædicationis admoneret, dicens (*II Tim.* IV, 1, 2): *Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus, prædica verbum, insta opportune, importune.* Dicturus, importune, præmisit opportune: quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua vilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit. (S. Greg. Papa I, *Regul. pastor.* part. II, c. 4, al. c. 15; refertur distinct. 43, c. *Sit rector*, sub fin.)

Sectio tertia. — *Quæ post concionem observanda.*

§ unic. — *Nec ex auditorum conversione sibi prædicator blandiatur, nec propter eorum duritiem a prædicationis officio desistat.*

Si post nostram etiam admonitionem in iisdem vitiis perseveraverint, ne... desistamus illis, quod rectum est, consulere, quandoquidem et aquarum venæ, etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen; et fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt; et amnes, etiamsi nemo bibat, nihilosecius fluunt: sic oportet et illum, qui concionatur, quamvis nullus auscultet, tamen præstare quidquid in ipso situm est; siquidem hæc lex nobis, qui sacri sermonis administrationem suscepimus, a benigno præscripta est Deo ne unquam, quod quidem in nobis fuerit, facere defatigemur; nec ullo tempore sileamus, sive sit qui auscultet, sive sit qui prætercurrat, negligens quod dicitur. Nam et Jeremias cum Judæis multa minitans, malaque imminentia prædicens ab audientibus subsannaretur totoque die rideretur, cogitabat ab illa prophetia desistere, nimirum humano quodam affectu victus, sannas illas et convicia perpeti non valens, aitque (*Jerem.* XX. 2, 9): *Factus sum ridiculus toto die, dixi: Non loquar, neque nominabo nomen Domini, et factus est in me velut ignis ardens atque æstuans in ossibus meis, ac dissolvor undique, et non possum ferre.* Quod autem dicit, hunc habet sensum: Volebam, inquit, a prædictione desistere, propterea quod non auscultabant Judæi; et simul atque hoc cogitassem, irruit in animam spiritus vis, velut ignis, omniaque intima mea succendit, consumens insuper et exedens ossa mea, adeo ut incendium illud ferre non possem. Quod si propheta, qui quotidie ludibrio habebatur, quotidie conviciis incessebatur, sic discruciatus est, eo quod statuerat silere; qua tandem nos venia digni censebimur. si qui nondum tale quidquam perpessi sumus, tamen ob quorumdam negligentiam dejiciamus animum, et ab exhibenda illis doctrina cessemus...? Non hæc loquor mei consolandi deliniendique gratia; nam meo quidem ipsius animo persuasi, quoad spiravero, et donec Domino visum fuerit nos in præsenti vita versari, hoc implere ministerium, sive quis attendat, sive non attendat, ut faciat ea, quæ præcipiuntur... si decem modo persuasi fuerint, si quinque tantum, si unus; nonne nobis hoc sufficit ad consolationem? Non erexi quidem ægrotantes; attamen eos, qui valent, reddidi firmiores. Non abduxit quosdam a vitio sermo noster; sed tamen eos, qui cum virtute vitam agunt, reddidit attentiores... Hodie non persuasi, sed cras fortasse persuadere potero... qui hodierno crastinoque die contempsit, fortassis post dies complures præbebit animam iis, quæ dicentur. Quandoquidem et illud crebro fit, ut piscator, qui per totum diem vacuum attraxit rete, sub noctem jam abire parans, capto, qui ipsum per totum fefellerat diem, pisce discedat... si agricola protinus ab agricolatione resiliat, quod semel atque iterum aut sæpius acciderit aeris inæqualitas, brevi fame periremus omnes. Item, si nauclerus ob semel atque iterum aut sæpius obortam tempestatem fugiat mare, futurum est ut nemo vehatur pelago, atque hinc rursum peribunt omnia vitæ commoda. Quod si per singulas artes percurrens ista, quæ nos facere vis, suadeas moneasque, cuncta funditus interibunt, terraque carebit incolis et habitatoribus. Itaque, cum hæc omnes sciant, etiamsi semel atque iterum aut sæpius frustrati fuerint optato negotiorum, in quibus versantur, exitu, denuo pari cum alacritate redeunt ad eadem... cum illi tantam adhibeant curam studiumque circa res ad præsentis usum vitæ pertinentes, licet exitus sit incertus, nos si loquentes non auditi fuerimus, illico desinemus? Et quam obtinebimus veniam? Quid excusationis afferemus? Et tamen illis, si non successerit, nullus est qui damnum acceptum leniat?... Nostra vero, cum loquimur aut exhortamur, non est eadem conditio: imo si semen per te jactum auditor non

receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu tamen communicati consilii mercedem fers a Deo, nec minus accipies præmii non auditus, quam accepturus eras, si ille obtemperasset. Quod erat in te, præstitisti. Cæterum ad id ut persuadeamus auditoribus non sumus obstricti, sed tantum ut admoneamus. Nostræ quidem partes sunt admonere, illorum vero obtemperare... Nihil aliud jubemur, quam apud mensarios deponere pecuniam, loqui et consulere.... cum diabolus nunquam desperet nostram perniciem, sed indesinenter eam exspectet, nos fratrum salutem desperavimus? An non vides parentes quomodo filiis suis, licet frequenter desperatis, assident lacrymantes, lamentantes, exoscultantes, omnia quæ possunt admoventes ad supremum usque halitum? Hoc tu quoque facito pro fratribus. Et tamen illi non possunt lacrymis ac lamentis neque morbum depellere, neque mortem imminentem abigere : tu vero frequenter poteris animam deploratam assiduitate instantiaque per lamenta revocare ac suscitare... Christus... non cessavit ad extremum usque corrigere illum, qui sibi non esset auscultaturus, non defatigatus est corrigendis iis, a quibus audiebatur, usque ad extremum. Itaque, cum sciret Judam non revocatum iri a proditione, non tamen cessavit assiduis consiliis, monitis, beneficiis, minis, demum omni doctrinæ specie a proditione detrahere, nec destitit illum dictis ceu freno cohibere. Hoc autem fecit nos instituens, ut, etiamsi præsciamus futurum ut fratres non obtemperent, tamen quidquid in nostra fuerit facultate præstemus, tanquam parata nobis admonitionis nostræ mercede. (S. Chrysost., *De Lazaro*, concion. 1, paulo post init.)

Hoc... studiosi præconis et diligentis agricolæ officium est, ut non prius ab opere desistant, quam, quod intendunt, effecerint. (Id. *in Joan.*, c. 1, hom. 17, longe ante med.)

Quia vero pulvis inanis gloriæ pedibus prædicatorum frequenter adhæret, debet utique prædicator excutere pulverem de pedibus suis (*Matth.* x, 14), ipsosque compunctionis aqua lavare, ut mundus sit totus, ne forte, cum aliis prædicaverit, ipse reprobus fiat. (*I Cor.* ix, 27.) (Innoc. Papa III, Præfat. Oper. suorum, longe post med.)

Qui sensu cordis Domino militant, nullam in cunctis, quæ agunt, privatam quærunt laudem, nullosque de suis actibus humanæ æstimationis volunt fructus. Solam sui Conditoris appetunt laudem, solam Dei gloriam de suis laboribus exspectant mercedem. Magnum putant consequi pietatis lucrum, si in se et per se Deum suum efficiunt laudabilem. (S. Laurent. Justin., *De disciplina et perfectione monasticæ conversationis*, c. 10, num. 5 circa med.)

CAPUT XI.

Catechizandis rudibus operam dare.

ART. I. — *Doctrinæ Christianæ rudimenta plebi ac præsertim vueris et rudibus studiose a clericis sunt tradenda.*

Erudi illos, et cura illos a pueritia illorum. (*Eccli.* vii, 27.)

Si evangelizavero, non est mihi gloria ; necessitas enim mihi incumbit ; væ enim mihi est, si non evangelizavero. (*I Cor.* ix, 16.

Enutritus verbis fidei et bonæ doctrinæ, quam assecutus es... hæc... doce... Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. (*I Tim.* iv, 6, 11, 15.)

Præcepto divino mandatum... omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas... verbi... divini prædicatione... pascere. (*Conc. Trident.*, sess. 23, n. 1563, decret. *De reformatione*, cap. 1, init.)

Ut fidelis populus ad suscipienda sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipit sancta synodus episcopis omnibus ut non solum, cum hæc per seipsos erunt populo administranda, prius illorum vim et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit et commode fieri possit, servari studeant juxta formam a sancta synodo in catechesi singulis sacramentis præscribendam, quam episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a parochis omnibus populo exponi curabunt. (Id., sess. 24, eodem anno habita, decret. *De reformatione*, cap. 7, init.)

Parochi singulis Dominicis et aliis festis diebus... pueris singuli in suis parochiis initia fidei tradant, eosque ad obedientiam primum Deo, deinde parentibus præstandam erudiant : ac propterea a prandio statuta hora, proprio campanæ sono ad id munus assignato, ad ecclesiam convocandos curabunt. (*Conc. Mediol.* i, ann. 1565, part. 1, tit. 4, *De fidei initiis a parocho tradendis*, init.)

Quibus autem locis sodalitas ejusmodi institui non poterit, in iis duo tresve homines saltem deligantur auctoritate graviores, qui pro Christiana pietate id solliciti dinis suscipiant, ut pueros adolescentesve ad parochum inducant, a quo in ecclesia illi fidei rudimentis imbuantur. (*Conc. Mediol.* ii, ann. 1569, tit. 1, decret. 2, paulo post med.)

Episcopus... studeat quam plurimos cujusvis conditionis, status et ætatis homines probatos, tum mares tum feminas iis scholis (doctrinæ videlicet Christianæ) ascribi, ascriptosque operam illis navare, ut concessi indulgentiarum muneris participes sint... certa hora... statuatur ; ita ut neque concionator a doctrinæ Christianæ scholis, neque hæ ab illo impediantur. Episcopus præterea eam ineat rationem, ut et in hospitalibus, et in aliis piis locis, ubi piu-

res, vel mares vel feminæ, curantur, aut aluntur, hoc tradendæ doctrinæ Christianæ institutum introducatur, quo illi pascantur hoc præterea spirituali cibo. (*Conc. Mediol.* III, ann. 1573, tit. 3, *De scholis doctrinæ Christianæ*, paulo ante med.)

Præter eas (Christianæ doctrinæ scholas) quæ parochialis ecclesiæ loco institutæ sunt... illæ instituantur in ecclesia, capella, oratoriove illis (pagis videlicet aut vicis ab ecclesia parochiali distantibus) propinquiori aut commodiori... Si quando præterea in diœcesi per pluviæ vim, nives, aliamve temporis gravitatem viæ aut itineris difficultati adjunctam, ad ejusmodi scholas in parochiali ecclesia, qui debent, convenire difficilius possunt... vicarii et parochi cura sit, ut tunc in oratoriis vel capellis propinquioribus, aut saltem, si id non potest, alio honesto loco per clericum idoneum, seu per alios scholæ sodales, ut vitæ et doctrinæ Christianæ studio instructiores, aliqua tum tradendæ tum percipiendæ ejusmodi doctrinæ exercitatio fiat, ne ob ullam causam statis diebus hoc instituntum atque pabuli spiritalis usus illis desit. Clerici quicunque Dominicis festisque diebus qua hora in choro divinis Officiis concelebrandis astricti non sunt, parochum, intra cujus parochiæ fines habitant, in doctrinæ Christianæ scholis... adjuvent... ad præscriptum eorum, quibus id curæ ab episcopo datum erit. (*Conc. Mediol.* IV, ann. 1576, part. I, tit. 26, *De scholis doctrinæ Christianæ*, circa init.)

Ad ea... quæ de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui... a cujus... veritatis cognitione dependet tota hominis salus. (S. Thom. Aquin., part. I, quæst. 1, art. 1, in corpore, circa medium.)

In eo præcipue ecclesiastici doctoris opera versabitur, ut fideles scire ex animo cupiant Jesum Christum, et hunc crucifixum. (*I Cor.* II, 2.) (*Catechism. concilii Trident.*, Præfat., num. 13, circa med.)

ART. II. — *Cur studiose et sine tædio catechizandis populis et præcipue rudibus ac pueris vacare debent clerici.*

Sectio prima. — *Ob exemplum Christi et apostolorum*, etc.

Circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni. (*Matth.* IX, 35.)

Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum. (*Matth.* XIX, 14.)

Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Jesus, indigne tulit et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei. (*Marc.* X, 13, 14.)

Dicit Simoni Petro Jesus; Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. (*Joan.* XXI, 15.)

Vos scitis... quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos. (*Act.* XX, 18, 20.)

Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed... tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis. (*I Cor.* III, 1, 2.)

Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem: iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege), ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem; iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem; sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. (*I Cor.* IX, 19-22.)

Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. (*I Thess.* II, 7.)

Ipse, si miseris (infantulum) et magistrum me et nutritium spondeo. Gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo. (S. Hier., epist. 57, al. 7, *Ad Lætam*, in fin.)

O piissime Jesu, quis ultra post te verecundabitur esse humilis ad parvulos? Quis tumescens et elatus de sua vel magnitudine vel scientia, parvitatem deinceps parvulorum, ignorantiam vel imbecillitatem audebit aspernari, quando tu, *qui es Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5); *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi* (*Coloss.* II, 2), usque ad castissimos parvulorum amplexus beata brachia mansuetus inclinas atque circumligas? Procul ergo, procul ex hinc omnis elatio, seorsum sit indignabunda quælibet parvulorum effugatio... Confundit pridem ipse Christus superbiam nostram, quæ non vult, nisi multos habeat auditores, os suum aperire sapientiæ; quando cum muliercula Samaritana et sola diuturno sermone confabulatus est. Eos Sapientiæ verbis confidens exhortabor ut, *si quis parvulus est, veniat ad me* (*Prov.* IX, 4), nihil trepidet, nihil exhorreat. Audiat, quisquis ille erit, bona saltem quædam monita ex ore meo: Si idipsum arrogo mihi, jure meo id possum, non in me, sed in Domino... Ad extremum: *Usquequo, parvuli, diligitis infantiam?* (*Prov.* I, 22.) *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* (*Psal.* IV, 3.) Venite fidenter, nullæ viarum insidiæ, nullus latet anguis in herba. Communicabimus mutuo bona spiritualia, quia temporalia vestra nulla requiro. Ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis, imo orabimus pro invicem ut salvemur. Sic angelos nostros vicissim lætificabimus... sic... misericordiam inveniemus apud Patrem nostrum, dum obediemus voci suæ in accessu nostro ad eum, ego provocando, vos exsequendo... qui spiritu parvuli esse debemus... Invitat ipse Jesus sprituali collocutione et affatu jugiter inspirans, et dicens (*Marc.* X, 14): *Sinite parvulos venire ad me.* (Joan. Gerson., *De parvulis trahendis ad Christum*, considerat. 4, longe ante med.)

Si ipsa æterni Patris Sapientia in terra descendit, ut in carnis nostræ humilitate cœlestis vitæ præcepta nobis traderet, quem non compellat charitas Christi, ut parvulus fiat in medio fratrum suorum, et tanquam nutrix fovens filios suos? (*Thess.* II, 7) (*Catechism. conc. Trident.*, Præfat., num. 18, circa med.)

Sectio secunda. — *Ob præstantiam operis.*

Josaphat... misit de principibus suis... ut docerent in civitatibus Juda, et cum eis Levitas... et... sacerdotes, docebantque populum in Juda habentes librum legis Domini, et circuibant cunctas urbes Juda atque erudiebant populum. (*II Paral.* XVII, 1-9.)

Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit... Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. (*Matth.* XVIII, 5, 10.)

Portio Ecclesiæ non vilis est puerorum et adolescentium cœtus... *talium enim est regnum cœlorum.* (*Marc.* X, 14.) (Joan. Gerson., *De parvulis trahendis ad Christum*, Prolog., circa init.)

Quis nesciat primitias florentis ætatis sicut et in plantis et vineis et rebus cæteris acceptiores exsistere, ac proinde obsequia parvulorum gratiora esse, quam senum debilitatorum, qui non vitia deserunt, sed a vitiis relinquuntur... Plane non video quid de satanisante juvene sperandum sit in senectute, quando perversis inclinationibus accesserit perversior consuetudo... Parvuli... apti sunt ad accipienda bonorum studiorum exordia. Utres sunt recentes pro liquoribus optimis. Novellæ præterea plantationes, quæ sequuntur leviter, quo ducentis manus deflexerit... Esse quoque poterunt aliorum doctores instructoresque commodissimi, maxime domesticorum. (*Ibid.*, consider. 1, paulo post init.)

At... qui ponunt scandalum non immediate et aperte ante pusillorum pedes, sed velut a latere... ductoribus eorumdem et instructionibus insidiantur, eos subsannant, et infamant, et calumniantur... Hæc est vulpina, imo diabolica calliditas, quæ ex obliquo insidians, et mordens ut coluber, non sinit parvulos venire ad Christum. In qua peste minus est remedii, quam in prima, quanto minus expelli potest hostis occultus, quam apertus... O quis capiet nobis has *vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas* (*Cant.* II, 15), et florentem hortum Ecclesiæ calcant... Conculcatio certe florum quorumlibet pulcherrimorum, et evulsio salubrium plantationum, et quod rarissimus cultor accedit, quin culpetur. (*Ibid.*, consid. 2, longe post med.)

Si opportune et importune diebus festivis et profestis extrahet aliquis bovem et asinum a fovea et luto, et non prohibetur; qua ratione coarguitur aliquis tanquam importunus et stolidus, si jugi studio, omnique tempore trahere conetur animas ad Christum... vinctas in mendicitate et ferro? (*Ibid.*, consider. 3, paulo post init.)

Jam indignum videtur apud multos, si quis ex theologis aut famatus in litteris, vel ecclesiastica dignitate præditus, ad hoc se opus inclinaverit, præsertim circa parvulos... Nescio prorsus, si quidquam majus esse potest... quam, Deo dante virtutem, a faucibus canis infernalis, et ab ipsis gehennæ portis animas eripere, et tales parvulorum animas quasi plantare aut rigare partem non indignam horti ecclesiastici... ut eis det incrementum Christus. (*Ibid.*, considerat. 4, circa init.)

Sectio tertia. — *Ob indigentiam populorum.*

Cumque interrogaverit te filius tuus.... dices ei.. Eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti... præcepitque nobis... ut faciamus omnia legitima hæc, et timeamus Dominum Deum nostrum. (*Deut.* VI, 20-22, 24.)

Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi. (*Deut.* XXXII, 7.)

Patres nostri narraverunt nobis. Non sunt occultata a filiis eorum... Narrantes laudes Domini, et virtutes ejus, et mirabilia ejus, quæ fecit. (*Psal.* LXXVII, 3-5.)

Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. (*Thren.* IV, 4.)

Docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. (*Matth.* XXVIII, 19, 20.)

Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. (*Joan.* XVII, 3.)

Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent. (*Rom.* I, 18.)

Fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi. (*Rom.* X, 17.)

Non fallebatur ergo, sed circumspectissime considerabat, qui affirmavit, reparationem morum ecclesiasticorum si quæratur fieri, inchoandam esse a parvulis. (Joan. Gerson., *De parvulis trahendis ad Christum*, consider. 1, post med.)

Sunt enim qui... diabolica perversitate socios, quot possunt, facinoribus suis accumulant, quasi scilicet ad nihil aliud intendere videantur, quam ne soli pereant, aut ne parum comitati detrudantur in infernum... Nostra tempestate plus solito sensus et cogitatio hominis prona sunt ad malum ab adolescentia (*Gen.* VIII, 21), quando eum primaria corruptione naturæ sugunt parvuli quasi lac personalem, ut si loquar, saniem peccatorum. Adde quod multorum parentum et magistrorum cura vel nulla vel ultima est de parvulorum suorum moribus, et eorum disciplinata custodia. Quid ergo stupendum, si absque ductore positi in via lubrica et tenebrosa... cadunt ex facili. (*Ibid.*, consider. 2, longe ante med.)

Quod si tanta sollicitudinis inquietudine... per media vitæ pericula quærant homines salvare res vanas jamjam perituras; si colligere satagunt viles terrenarum opum sarcinulas, quas Apostolus arbitratur ut stercora (*Philip.* III, 8); et dum hæc agunt,

laudantur... quanta est vel inertia vel infidelitas de animarum immortalium salute non curare Christianos; imo qualis est illa imprudentissima perversitas eos inculpare... qui parvulos ducere satagunt ad Christum, ne corruant in barathrum?... Spirituales domus Dei, templa et sacraria Spiritus sancti viventia... passim succinduntur rapacibus et infernalibus flammis omnium vitiorum ; et opitulari nostra lentescet inertia ? (*Ibid.*, consider. 3, paulo post init.)

Semper meminerint (pastores) omnem Christiani hominis scientiam hoc capite comprehendi... *ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* (*Joan.*, XVII, 3.) Quamobrem in eo præcipue ecclesiastici doctoris opera versabitur, ut fideles scire ex animo cupiant Jesum Christum et hunc crucifixum (*I Cor.* II, 2), sibique certo persuadeant atque intima cordis pietate et religione credant *aliud nomen non esse datum hominibus sub cœlo in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* IV, 12), siquidem *ipse propitiatio est pro peccatis nostris.* (*I Joan.* II, 2.) (*Catech. conc. Trident.*, Præfat., num. 13, init.)

SECTIO QUARTA. — *Ob præmia catechizantibus promissa.*

De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis. (*Prov.* XII, 14.)

Erudi filium tuum, et refrigerabit te ; et dabit delicias animæ tuæ. (*Prov.* XXIX, 17.)

Reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili, et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem. (*Sap.* X, 17.)

Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. (*Eccli.* XXIV, 31.)

Si tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia ; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.... Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, et ille non peccaverit ; vivens vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti. (*Ezech.* III, 19, 21.)

Fulgebunt.... qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. (*Dan.* XII, 3.)

Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. (*Matth.* XXV, 40.)

esus apprehendit puerum, et statuit illum secus se, et ait illis : Quicunque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit. (*Luc.* IX, 47, 48.)

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem : Dei enim sumus adjutores. (*I Cor.* III, 8, 9.)

Attende tibi et doctrinæ : insta in illis ; hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. (*I Tim.* IV, 16.)

Bonum certamen certavi, cursum consummavi... in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex. (*II Tim.* IV, 7, 8.)

Si... magnæ mercedis est a morte eripere carnem quandoque morituram, quanti est meriti a morte animam liberare in cœlesti patria sine fine victuram ? (S. GREG. Papa I, *Moral.*, lib. XIX, *in Job* XXIX, c. 20, n. 31, paulo post med.)

Noli diffidere ; curam exigeris, non curationem... audisti : *Curam illius habe* (*Luc.* X, 35) ; et non, cura, vel sana illud... fac tu, quod tuum est.... Planta, riga, fer curam, et tuas explicuisti partes. Sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi forte noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura (*Sap.* X, 27) : *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum.* (S. BERN., *De consid.*, lib. IV, c. 2, paulo post init.)

Duplex retributio doctoribus. (*Glossa ord., in hæc verba* (*Cant.* VIII, 13) : « *Quæ habitas.* »)

Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio. (*Pontifical. Rom. De ordinat. lectorum.*)

ART. III. — *Quomodo doctrina Christiana rudibus ac pueris est tradenda.*

SECTIO PRIMA. — *Clare et accommodate ad captum eorum.*

Cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ ; annuntians vobis testimonium Christi. (*I Cor.* II, 1.)

In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua. (*I Cor.* XIV, 19.)

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Vellem autem esse apud vos modo et mutare vocem meam. (*Galat.* IV, 19, 20.)

Diebus saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant. (*Conc. Trident.*, sess. 5, ann. 1546, decret. *De reformatione*, c. 2, paulo post init.)

Qui pro captu suo apti sunt majori eruditioni, aut pro ratione status sui explicatius et plenius universam doctrinam Christianam dicere debent, præstet quod debent... Parochi aliique, ad quos illam docere spectat. (*Conc. Mediol.* V, ann. 1579, part. I, tit. 2, *Quæ ad prædicationem verbi Dei et doctrinam Christianam pertinent*, multo post med.)

Fœneratur, quidem Latine dicitur, et qui dat mutuum, et qui accipit : planius hoc autem dicitur ; si dicamus, fœnerat. Quid ad nos, quid grammatici velint ? Melius in barbarismo nostro vos intelligitis, quam in nostra disertitudine vos diserti eritis. (S. AUG., *in psal.* XXXVI, serm. 3, num. 6, *in hæc verba* ℣ 26 : « *Tota die miseretur et fœneratur.* »)

Nolim te moveri ex eo quod sæpe tibi adjectum sermonem fastidiosumque habere visus est ; fieri enim potest ut ei, quem instruebas, non ita sit vi-

sum... nam et mihi prope semper sermo meus displicet... Nos plerumque in auditoris utilitatem vehementer ardentes ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus... et quia non succedit, angimur.... Sed mihi sæpe indicat eorum studium, qui me audire cupiunt, non ita esse frigidum eloquium meum, ut videtur mihi; et eos inde aliquid utile capere ex eorum delectatione cognosco... Sic et tu... debes intelligere non ita displicere aliis sermonem tuum, ut displicet tibi : nec infructuosum te debes putare... nulla major causa est, cur nobis in imbuendis rudibus noster sermo vilescat, nisi quia libet inusitate cernere, et tædet usitate proloqui. (S. Aug., *De catechizandis rudibus*, cap. 2, num. 2, circa init.)

Non tamen (catechizando)... cor nostrum et lingua in nodos difficilioris disputationis excurrat. (*Ibid.*, cap. 6, num. 10, circa fin.)

Cum occupata sunt tempora, vel tua, vel eorum, qui te audiunt, breviter agas; cum autem largiora, largius eloqueris. (*Ibid.*, cap. 7, num. 11, circa fin.)

Ne sordeat eis (qui docentur) solidum eloquium, quia non est inflatum..... ut... malle debeant veriores, quam disertiores audire sermones... noverint etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum. (*Ibid.*, cap. 9, num. 15, ante med.)

Quantumvis... differat articulata vox nostra ab intelligentiæ nostræ vivacitate, longe differentior est mortalitas carnis ab æqualitate Dei. Et tamen... *semetipsum exinanivit* (*Philipp.* II, 7)..... Quam ob causam, nisi quia factus infirmis infirmus, ut lucrifaceret? Audi ejus imitatorem alibi etiam dicentem. (*II Cor.* V, 13) : *Sive enim mente excessimus, Deo; sive temperantes sumus, vobis; charitas enim Christi compellit nos, judicantes hoc, quia unus pro omnibus mortuus est.* Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum (*II Cor.* XII, 15), si eum pigeret inclinari ad aures eorum ? Hinc ergo factus est parvulus in medio nostrum, *tanquam nutrix fovens filios suos.* (*I Thess.* II, 7.) Num enim delectat, nisi amor invitet, decurtata et mutilata verba immurmurare?... Non ergo recedat de pectore etiam cogitatio gallinæ illius (*Matth.* XXIII, 37), quæ languidis plumis teneros fetus operit, et susurrantes pullos confracta voce advocat. (*Ibid.*, c. 10, num. 15, ante med.)

In catechizandis rudibus... via tritissima tenenda est. (*Ibid.*, c. 11, num. 16, paulo post init.)

Omnia sermone tentanda sunt, quæ ad eum excitandum et tanquam de latebris eruendum possint valere.... agendum..... ut aut planius et enodatius loquamur... aut ea, quæ illi nota sunt, non explicemus lætius, sed breviter complicemus, eligamusque aliqua ex his, quæ mystice dicta sunt in sanctis Libris... Quod si nimis tardus est... misericorditer sufferendus est, breviterque... ea, quæ necessaria sunt..... inculcanda sunt. (*Ibid.*, cap. 13, num. 18, paulo post init.)

Volo cogites aliam esse intentionem dictantis... aliam loquentis... aliam in secreto monentis... aliam palam docentis... aliam, cum docetur unus... aliam, cum omnes communiter. (*Ibid.*, c. 15, num. 23, circa init.)

Paulus.... omnibus omnia factus est, pro audientium capacitate et præcipiens moralia, et disserens mystica. In hac duplici materia velut duo ubera porrigit, doctrinæ planioris lactea ubera parvulis temperans. Interna compassio ubera quidem habet, sed coaptatio foris ubera exhibet. Illa miseretur, sed ista medetur. Quid enim mihi prodest, si tantum compateris, et infirmitati et quasi infantiæ meæ contemperare te commode nescis? Utraque necessaria est, et compassio, et quædam disciplinæ et doctrinæ compassio. Compassio affectum conformat, compositio te ad lactandum parvulos utiliter incurvat. (Gillebert., *De Hoilandia abbate*, serm. 27 *in Cant.*, num. 1, circa fin., apud S. Bern.)

Utinam istud attendant, qui..... studeant magis alta quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Erubescunt humilia et plana docere, ne sola hæc scisse videantur. Erubescunt ubera habere, nudare mammam, lactare parvulos. Quid istud est? Ideone consedisti in medio... ut scientiam jactes, an ut teneram subditorum lactes infantiam? (*Ibid.*, num. 2, init.)

Non est... in ornatis sermonibus..... insistendum. Ad quod etiam Hieronymi doctrina inducimur, dicentis : Sermo rudis usque ad cor penetrat, politus autem pascit aures. (S. Bonav., in proœmio *Meditationum vitæ Christi*, longe post med.)

Contemperemus... sermonem pro parvulis, non magnopere pensantes rudia et vulgata verba, si opus est balbutire more nutricum et matrum bleso ore sermonem cum parvulis dimidiantium, dummodo sic intelligatur illud, quod dicere volumus, satis est. (Joan. Gerson., *De parvulis trahendis ad Christum*, Prolog., circa med.)

Si prodesse voluero.... ad sublevandum jacentes, altiorem me deprimam necesse est... majestatem oportet omnem exuere, et pro parvulis parvulum se facere... asserunt me in prædicationibus publicis ista magnificentius operaturum. Id quidem forte pomposius, sed meo judicio non efficacius neque fructuosius. (*Ibid.*, considerat. 4, circa med.)

Cum in omni re tradenda plurimum intersit, utrum hoc an illo modo aliquid doceas; tum vero hoc in Christiani populi institutione maximi momenti existimandum est. Observanda est enim audientium ætas, ingenium, mores, conditio; ut, qui docendi munus exercet, omnia omnibus efficiatur, ut et omnes Christo lucrifaciat (*I Cor.* IX, 19), et seipsum fidelem ministrum et dispensatorem probare possit, ac veluti servus bonus et fidelis dignus sit, qui super multa constituatur. (*Matth.* XXV, 23.) (*Catechism. concil. Trident.*, Præfat., num. 16, init.)

Neque... arbitretur, ut præscripta quadam et certa docendi formula erudire atque ad veram pietatem instituere æque omnes fideles possit : sed cum alii

veluti modo geniti infantes sint (*I Petr.* II, 2), alii in Christo adolescere incipiant (*I Cor.* III, 2), nonnulli vero quodammodo confirmata sint ætate, necesse est diligenter considerare quibus lacte, quibus solidiore cibo opus sit..... Id vero Apostolus in seipso omnibus observandum indicavit, cum dixit se Græcis et Barbaris, sapientibus et insipientibus debitorem esse (*Rom.* I, 14), ut videlicet intelligerent, qui ad hoc ministerium vocati sunt.... in tradendis fidei mysteriis ac vitæ præceptis doctrinam ad audientium sensum atque intelligentiam accommodari oportere. (*Ibid.*, num. 17, init.)

Neque vero cujusquam studium in docendo retardari debet, propterea quod interdum necesse sit auditorem earum rerum præceptis instrui, quæ leviores et humiliores videntur... nam... ipsa æterni Patris Sapientia in terras descendit, ut in carnis nostræ humilitate cœlestis vitæ præcepta nobis traderet. (*Ibid.*, num. 18, init.)

Sectio secunda. — *Patienter et benigne.*

Bene patientes erunt ut annuntient. (*Psal.* XCI, 15 16.)

Qui misericordiam habet, docet et erudit quasi pastor gregem suum. (*Eccli.* XVIII, 13.)

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. (*Gal.* IV, 19.)

Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. (*Galat.* VI, 1.)

Tu autem, o homo Dei, hæc fuge; sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. (*I Tim.* VI, 11.)

Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. (*Tit.* III, 2.)

Quod si nimis tardus est, et ab omni tali suavitate absurdus et aversus, misericorditer sufferendus est, breviterque decursis cæteris ea, quæ maxime necessaria sunt... inculcanda sunt... magisque pro illo ad Deum, quam illi de Deo multa dicenda. (S. Aug., *De catechizandis rudibus*, cap. 13, num. 18, in fin.)

Si de errato nostro vel peccato nos mœstitudo comprehendit, non tantum meminerimus sacrificium Deo spiritum esse contribulatum (*Psal.* L, 19), sed etiam illud (*Eccli.* III, 3) : *Quia, sicut aqua ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum.* Et (*Ose.* VI, 6) : *Quia misericordiam*, inquit, *volo quam sacrificium.* (*Ibid.*, cap. 14, num. 21, init.)

Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. (S. Bern., *in Cant.*, serm. 22, num. 8, longe ante med.)

Discite... matres vos esse debere... matres fovendo... mansuescite... producite ubera : pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. (Id., *in Cant.*, serm. 23, num. 2, post med.)

Christus (*Matth.* XXIII, 37)... in congregandis animabus comparavit se gallinæ, qua nullum aliud animal erga fetus suos (ut Augustinus ait) magis infirmatur pietate; dimittuntur alæ, plumæque hirtæ fiunt, raucessit vox querula, obliviscitur ipsa cibi, et incredibili supra vires animositate pullos tuetur. Et nos, qui Christi sectatores dici volumus, in hoc opere torpescemus, observabimus tempora, mensibus totis quiescemus? (Joan. Gerson., *De parvulis trahendis ad Christum*, consider. 3, multo post init.)

Vult (Apostolus) aliorum instructores esse spirituales, et spiritu lenitatis præditos (*Galat.* VI, 1)... Sic ubi deest amor, quid proderit instructio, dum nec libenter audient, nec dictis credent, nec imperatis obedient? Quare majestatem oportet omnem exuere, et pro parvulis parvulum se facere, seclusis tamen vitiis, et projecta longe omnis impudicitiæ nota. Habet... hoc proprium generosa indoles, quod et irrationabiles et bestiæ et aves docent, ut blanditiis quam terroribus magis capiatur deflectaturque... nihil ita efficax ad correctionem emendationemque multorum repertum est, quemadmodum est lenitas... Quis egregium doctorem Augustinum tanquam sidus aliquod benevolum acquisivit Ecclesiæ? Ambrosius. Qua virtute? Utique benevolentia et mititate... O piissime Jesu, quis ultra post te verecundabitur esse humilis ad parvulos? Quis tumescens et elatus de sua vel magnitudine vel scientia, parvitatem deinceps parvulorum, ignorantiam, vel imbecillitatem audebit aspernari, quando tu, qui es Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX, 5), *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi* (*Col.* II, 3), usque ad castissimos parvulorum amplexus beata brachia mansuetus inclinas, atque circumligas? (*Ibid.*, considerat. 4, paulo post init.)

Sectio tertia. — *Cum gaudio et perseverantia.*

Sermo... habeat... finis modum; sermo enim tædiosus iram excitat. (S. Ambros., *De officiis ministrorum*, lib. I, c. 22, num. 100, circa med.)

Neque nimium prolixus... ne vel fastidium derelinquat, vel desidiam prodat atque incuriam. (*Ibid.*, num. 101, circa med.)

Multo gratius audimur, cum et nos eodem opere delectamur; afficitur enim filium locutionis nostræ ipso nostro gaudio, et exit facilius atque acceptius... Sed... ut gaudens quisque catechizet... ea cura maxima est... Si enim in pecunia corporali, quanto magis : in spiritali *hilarem datorem diligit Deus?* (*II Cor.* IX, 7.) Sed hæc hilaritas ad horam, ut adsit, ejus est misericordiæ, qui ista præcepit. (S. Aug., *De catechizandis rudibus*, c. 2, num 4, paulo post med.)

Si... causa illa contristat, quod intellectum nostrum auditor non capit, a cujus cacumine quodammodo descendentes cogimur in syllabarum tarditate demorari... et... tædet loqui, et libet tacere : cogitemus quid nobis prærogatum sit ab illo, qui demonstravit *nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus...* (*I Petr.* II, 21.) Num enim delectat, nisi amor

invitet decurtata et mutilata verba immurmurare? Et tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant. (*Ibid.*, c. 10, num. 15, init.)

Lectio... quæ nos delectat, aut aliqua auditio melioris eloquii, ut eam promendo sermoni nostro præponere volentes, cum pigritia vel tædio loquamur, alacriores nos suscipiet, jucundiorque præstabitur post laborem; et majore fiducia deprecabimur, ut loquatur nobis Deum quomodo volumus, si suscipiamus hilariter, ut loquatur per nos quomodo possumus: ita fit ut *diligentibus Deum omnia concurrant in bonum.* (*Rom.* VIII, 28) (*Ibid.*, cap. 11, num. 16, in fin.)

Si usitata et parvulis congruentia sæpe repetere fastidimus, congruamus eis per fraternum, paternum, maternumque amorem, et copulatis cordi eorum etiam nobis nova videbuntur... delectari nos oportet, cum ipsum Deum jam discere homines accedunt, propter quem discenda sunt, quæcunque discenda sunt. Huc accedit ad comparandam lætitiam, quod cogitamus et consideramus; de qua erroris morte in vitam fidei transeat homo. Et si vicos usitatissimos cum beneficia hilaritate transimus, quando alicui forte, qui errando laboraverat, demonstramus viam, quanto alacrius et cum gaudio majore in doctrina salutari... perambulare debemus, cum animam miserandam et erroribus sæculi fatigatam per itinera pacis... deducimus? (*Ibid.*, c. 12, num. 17, init.)

Multum est perdurare in loquendo usque ad terminum præstitutum, cum moveri non videmus audientem... sive dicta non intelligat, sive contemnat. (*Ibid.*, c. 13, num. 18, init.)

Sæpe etiam fit ut, qui primo libenter audiebat, vel audiendo vel stando fatigatus, non jam laudans sed oscitans labia diducat, et se abire etiam invitus ostendat. Quod ubi senserimus, aut renovare oportet ejus animum, dicendo aliquid honesta hilaritate conditum et aptum rei, quæ agitur, vel aliquid valde mirandum et stupendum, vel etiam dolendum atque plangendum... animadverso auditoris tædio... acceleranda sunt cætera, et promittendus atque exhibendus finis propinquior. (*Ibid.*, num. 19, init.)

Si... confregit animum tuum alterius actionis, cui tanquam magis necessariæ jam suspensus eras, omissio; et propterea tristis insuaviter catechizas; cogitare debes... incertum esse quid utilius agamus, et quid opportunius aut intermittamur, aut omnino omittamus. (*Ibid.*, cap. 14, num. 20, init.)

Non... scandalum nos contristat alicujus, nisi quem perire, aut per quem perire infirmum vel credimus, vel videmus. Ille igitur, qui initiandus advenit, dum speratur posse proficere, dolorem deficientis abstergat. (*Ibid.*, num. 21, paulo ante med.)

Vivus plane et efficax sermo, ubi non perfunctorie, non usurpatorie, non velut quodam usu loquendi, vel arte persuadendi, sed ex pinguedine, ut dignum est, devotionis et pura animi intentione procedit. (S. Bern., *in psal.* XC: *Qui habitat.*, serm. 9, *in hæc verba*, ℣ 9 : « *Quoniam tu es, Domine, spes mea,* » num. 2, circa med.)

Quisquis attenderit quam multa est messis Dominica, et operarii pauci... videbit quod nullus dies, nulla hora, nullus locus ab operatione secludi deberet. (Joan. Gerson., *De parvulis trahendis ad Christum* consider. 4, paulo post med.)

CAPUT XII.

Misericordiæ operibus vacare.

ART. I. — *Cur misericordiæ operibus se totos tradere debent sacerdotes.*

Sectio prima. — *Quia hoc electorum signum*

Ab infantia mea crevit mecum miseratio; et de utero matris meæ egressa est mecum. (*Job* XXXI, 18.)

Isti sunt... filii olei. (*Zachar.* IV, 14.)

Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te; sitientem, et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te; aut nudum, et cooperuimus te; aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? Et respondens... dicet illis : Amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex fratribus meis minimis mihi fecistis. (*Matth.* XXV, 34-40.)

Estote... misericordes, sicut et Pater vester misericors est. (*Luc.* VI, 36.)

(Electi vocantur) *vasa misericordiæ.* (*Rom.* IX, 33.)

Ita existimare debemus carnium et animarum nostrarum salutem in hoc uno positam esse, ut eos (pauperes) humanitate ac misericordia prosequamur. (S. Greg. Naz., orat. 16, num. 18, in fin.)

Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando; nihil enim tam divinum homo habet, quam de aliis bene mereri; tametsi ille majora, hic minora beneficia conferat, uterque nimirum pro suis viribus. (*Ibid.*, num. 37, ante med.)

A sapientibus definitur bonorum primum esse Deum scire... pia mente venerari... tota mentis charitate diligere; secundum autem, in proximos a divino illo fonte atque cœlesti naturæ derivare pietatem. (S. Ambros., *De excessu fratris sui Satyri*, lib. I, num. 42, circa init.)

Quid est homo?... (*Prov.* XIV, 21; XX, 6.) Magna res homo, et pretiosa res vir misericors. (S. Chrys., *in psal.* CXLIII, longe ante med.)

Operibus... pietatis et misericordiæ et ungitur, et serenatur, et pascitur Christus. (S. Paulin., epist. 14, *Ad Severum*, longe post med.)

SECTIO SECUNDA. — *Quia hoc opus sacerdotibus præcipue incumbit.*

(Vid. *Isa.* LVIII.) Presbyteri... sint erga omnes pie affecti, misericordes, reducentes eos, qui aberraverint, visitantes omnes infirmos, non negligentes viduam, aut orphanum, aut pauperem. (S. POLYCARP. Smyrn., *Epist. ad Philippenses*, paulo ante med. — *Vid.* S. AMBROS., *De officiis ministrorum*, lib. I. c. 11.)

Compatiamur alienis calamitatibus; necessitates aliorum, quantum possumus, juvemus; et plus interdum, quam possumus. (*Ibid.*, lib. II, c. 28, num. 136, circa init.; refertur dist. 86, cap. 18, *Pulchra*, paulo post med.)

Cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium fuit. (S. HIER., loquens de Nepotiano, epist. 35, al. 3, *Ad Heliodorum, Epitaphium Nepotiani*, paulo ante med.)

Plurima imprecatur (Paulus) filio (Timotheo, qui filius ejus erat in fide) vereturque, ac timet illi omnia; ita namque veretur, ut, quod nusquam alibi fecit, etiam de salubritate corporea ad eum scriberet, dicens (*I Tim.* v, 23) : *Vino modico utere propter stomachum tuum et tuas frequentes infirmitates.* Nempe enim doctores longe maxima misericordia indigent. (S. CHRYSOST., *in I Epist. ad Tim.*, c. I, hom. 1, longe ante med.)

Si consolentur afflictos, pascant egenos, vestiant nudos, redimant captivos, suscipiant peregrinos, si errantibus viam salutis ostendant, desperatis spem veniæ consequendæ promittant... quis sic erit alienus a fide, ut dubitet tales contemplativæ virtutis esse participes? (*De vita contemplativa*, lib. I, c. 25, circa med., inter Opera S. Prosperi.)

Non sibi credat solam lectionem et orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, et de manu minime fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hæc non habet, vacuum episcopi nomen tenet. (S. GREG. Papa I, *Registri epistolarum*, lib. VI, indict. 14, epist. 30; al. lib. V, indict. 14, epist. 29, *Ad Secundum*, paulo post med.; refertur dist. 86, cap. *Fratrem*, ante med.)

Habeat (sacerdos) in unctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem, quæ sibi virtutibus aliis præferatur. (ID., lib. IV *in I Reg.* V, n. 1, paulo ante med., *in hæc verba* (*I Reg.* X, 1) : « *Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus.* »)

Cornu olei tollitur, ut in excellenti liquore magister Ecclesiæ vir esse studeat magnæ misericordiæ. (ID., lib. VI *in Reg*, c. III, n. 19, circa init., *in hæc verba* (*I Reg.* XVI, 13) : « *Tulit igitur Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum suorum.* »)

Tunc (pastor) ad alta charitatis mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit. (BARTHOLOM. A MARTYRIBUS, *Stimul. pastorum* part. I, ex S. Gregorio, in *Pastorali* longe ante med.)

Vide, Pater..., qualiter sex opera misericordiæ, quæ Dominus proponet in judicio, jugiter impleveris.... Ad omnia hæc factus es ex tua professione obnoxius; et hæc omnia, Pater, a te exactissime requirentur. (PETR. Bles., epist. 16, *Ad episcopum quemdam*, paulo post med.)

ART. II. — *De quibusdam misericordiæ operibus.*

SECTIO PRIMA. — *Viduas, pupillos et orphanos defendere.*

Subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. (*Isa.* I, 17.)

Tu autem ad eos, qui pupillis injuriam inferre minime verentur, hoc dicito quod Rex ille regum, et Dominus dominantium... hic Pater orphanorum, et judex viduarum appellari gaudet. Siquidem in sublimibus dominationis nomen collocat; in humilibus autem curæ ac sollicitudinis. Illorum enim Dominum se esse asserit, horum parentem. (ISIDOR. Pelus., *Epist.* lib. III, epist. 294, *Ad Petr.*, paulo post init.)

Causa viduæ intret ad te, causa pauperis, et ejus qui non habet, quod det. (S. BERN., *De consider.*, lib. I, c. 10, n. 13, paulo post med.)

Officii sacerdotalis est, ut viduis ac maritali regimine desolatis impertiri solatia debeant; ut, unde in hoc mundo humano adjutorio privantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire. (S. BONAV., *Pharetr.*, lib. I, c. 20, init. ex S. Gregor., *Registr.*, lib. III, indict. 9, c. 13.)

SECTIO SECUNDA. — *Captivos et vinctos liberare aut sublevare.*

Melius est... quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus.... Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quod homo redimitur a morte, femina ab impuritatibus barbarorum, quæ graviores morte sunt; adolescentulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? (S. AMBROS., *De officiis ministrorum*, lib. II, c. 28, n. 136, circa med.)

Multo... commodius... ut animas Domino, quam aurum servaremus... Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, et subveniat in necessitatibus. Quid opus est custodire, quod nihil adjuvat ?... Nonne dicturus est Dominus... Cur tot captivi deducti in commercio sunt, nec redempti, ab hoste occisi sunt. Melius fuerat ut vasa viventium servares, quam metallorum? (*Ibid.*, num. 137, circa init.)

Quid... diceres : Timui ne templo Dei ornatus deesset? Responderet (Dominus) : Aurum sacramenta non quærunt; neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum, redemptio captivorum est. Vere illa sunt vasa pretiosa, quæ

redimunt animas a morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis ejus operatus est. Tunc vas Dominici sanguinis agnoscitur, cum in utroque viderit redemptionem; ut calix ab hoste redimat, quos sanguis a peccato redemit. Quam pulchrum, ut, cum agmina captivorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur : Hos Christus redemit. Ecce aurum, quod probari potest; ecce aurum utile; ecce aurum Christi, quod a morte liberat; ecce aurum quo redimitur pudicitia, servatur castitas. (*Ibid.*, num. 138, circa init.)

Hos ergo malui vobis liberos tradere, quam aurum reservare. Hic numerus captivorum; hic ordo præstantior est, quam species poculorum. Huic muneri proficere debuit aurum Redemptoris, ut redimeret periclitantes. Agnosco infusum auro sanguinem Christi non solum irrutilasse, verum etiam divinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere. (*Ibid.*, num 139, init.)

Concedi... Levitis jubet refugii urbes, in quo genus maxime calamitosum maximeque opis indigens sacrorum ministrorum curæ fideique commisit. Hinc, ut opinor, exemplum Ecclesiis relictum est, ut vinctorum curam susciperent : *Memores estote*, inquit (*Hebr.* XIII, 3), *vinctorum tanquam simul vincti, et laborantium tanquam et ipsi in corpore constituti.* (S. CYRILL. Alex., *De adorat. in spiritu et verit.*, lib. XIII, qui est *De sacerdotio*, circa med.

Iis, qui hæc patiuntur, ferte per commiserationem, quod par est, auxilium propter pietatem. (THEODORET., episcopus Cyri, *in epist. ad Hebr., in hæc verba* (c. XIII, 3) : « *Mementote vinctorum,* » etc. — *Vid.* S. GREG. Papam I, *Reaistr. epist.*, lib. VI, indict. 14, epist 35, al. 34.)

Et sacrorum canonum legalia statuta permittunt ministeria Ecclesiæ pro captivorum esse redemptione vendenda. (*Decret.*, causa 12, quæst. 2, cap. 14, *Et sacrorum....*) Sicut omnino grave est frustra ecclesiastica ministeria venundare (*ibid.*, cap. 16, *Sicut omnino*) ; sic iterum culpa est imminenti ejusmodi necessitate res maxime desolatæ Ecclesiæ captivis suis præponere, et in eorum redemptione cessare. (*Ibid.*, lib. VII, indict 15, epist. 38, al. 35.)

SECTIO TERTIA. — *Pauperes pascere, vestire, consolari.*

Qui præest alicui muneri, ut si officium sacerdotis gerat, aut dispensatoris.... suggerat episcopo, nec reprimat, si quem positum in necessitate aliqua cognoverit, aut dejectum opibus ad inopiæ necessitatem redactum ; maxime si non effusione adolescentiæ ; sed direptione alicujus et amissione patrimonii, in eam reciderit injuriam, ut sumptum exercere diurnum non queat. (S. AMBROS., *De officiis ministrorum*, lib. II, cap. 15, num. 79, circa med.)

Gloria episcopi est pauperum inopiæ providere. (S. HIER., *Ad Nepotianum*, epist. 35, al. 2, longe ante med.)

Non est..... episcopi servare aurum, et revocare a se mendicantis manum. (S. AUG., serm. 355, c. 4, num. 3, longe ante med. ; *De diversis*, serm. 49, cap. 4, paulo post init.)

O abundantia bonitatis Dei ! Vult fœnerari ex iis, quæ ipse largitus est : cupit debitor fieri donorum suorum, et cum multa tibi ratione tuam reddat usuram. Propera igitur, frater, tam uberem tibi obstringere debitorem, ut... in tuis terrestribus nummis te expertum fidelem, de suis cœlestibus thesauris divitem faciat... Fecit miserum, ut agnosceret misericordem ; fecit inopem, ut exerceret opulentum... Per ipsos nunc accipit Christus, et tunc pro ipsis rependet... Vide igitur... et noli negligere gratiam, quæ tibi oblata est... Parem ergo curam tui et pauperis gere, ut imiteris imitatorem Christi, non tibi, sed aliis utilia curando, ut tui impensius Deo cura sit. (S. PAULIN., *Serm. de gazophylacio, ad Alethium.* Hic sermo immediate postponitur epist. 34, *Ad eumdem*, paulo ante med.)

Nonnulli gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritalia appetunt, ut rebus exterioribus nullatenus occupentur... Quorum nimirum prædicatio plerumque despicitur ; quia, dum deliquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Egentis etenim mentem doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat... Sic itaque pastores erga interiora studia subditorum suorum ferveant, quatenus in eis exterioris quoque vitæ providentiam non relinquant. Nam quasi jure, ut diximus, a percipienda prædicatione gregis animus frangitur, si cura exterioris subsidii a pastore negligatur. (S. GREG. Papa I, *Regulæ pastor.*, part. II, c. 7, al. 18, paulo post med.)

Frustra... manus ad Deum tendit, qui pro posse suo eas ad pauperem non extendit. (PETR. Bles., serm. 40, in synod., *super hæc verba* (*Joan.* XV, 16) : « *Non vos me elegistis,* » etc., longe post medium ; hic sermo Petro Comestori etiam ascribitur.)

SECTIO QUARTA. — *Infirmos visitare.*

Non te pigeat visitare infirmum ; ex his enim in dilectione firmaberis. (*Eccli.* VII, 39.)

Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. (*Matth.* IX, 12.)

Parochi... ægrotos... etiam non vocati invisant, ut ad sacramentorum susceptionem inducant : et eorum animabus, quacunque ratione possunt, sollicite consulant. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1565, part. II, titul. 1, *De iis, quæ ad sacramentorum administrationem generatim pertinent*, paulo ante fin.)

Quod concilio Agathensi cautum est, ut unusquisque parochus præstare curet, ut Missæ sacrificio peracto, si quos in parochiali vicinia ægrotos habet, frequenter atque adeo quotidie, quantum per alias suæ curæ parochialis occupationes potest, invisat, atque eisdem præstet, quæ sint sollicitudinis munerisque parochialis officia, prout opus esse viderit. (*Conc. Mediol.* v, ann. 1579, part. i, tit. 11, *Quæ pertinent ad sacramentum extremæ unctionis*, paulo ante med.)

Officii tui est visitare languentes. (S. Hier., *Ad Nepotianum*, epist. 34, al. 2, multo ante fin.)

Sectio quinta. — *Mortuos sepelire.*

§ I. — *Humanitatis et religionis officium.*

Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquis spatia laxata sunt : nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his... vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. (S. Ambros., *De officiis ministrorum*, lib. ii, cap. 28, num. 142, paulo post med. ; refertur causa 12, quæst. 2, cap. 70, *Aurum.*)

Corpori... humando quidquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium. (S. Aug., *De cura gerenda pro mortuis*, cap 18, num. 22, circa med.)

Nec contemnenda et abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes major affectus ; nullomodo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius quam quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde et antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, et exsequiæ celebratæ, et sepultura provisa (*Gen.* xlvii, 30) ; ipsique (*Gen.* l, 2, 24, 25), dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt : et Tobias (ii, 9 ; xii, 12) sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste angelo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat (*Matth.* xxvi, 10-13), prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorifice regendum sepeliendumque curarunt. (*Joan.* xix, 38-42.) (Id., *De civit. Dei*, lib. i, cap. 13, init.)

Sanctus Martianus presbyter et œconomus magnæ clesiæ Constantinopolitanæ... noctu... obiens plateas et civitatis angiportus, hujus quoque curam gerebat. Sicubi invenisset mortuum præ nimia paupertate abjectum, et cujus nemo curam gereret, et quem talem vidisset, tanquam magnum aliquod lucrum assecutus, eum lubenter videbat ; cumque eum libenter lavisset et induisset, et alia justa pro more ei fecisset, deinde etiam mortuum tanquam vivum alloquebatur : Agedum, dicens, sis quoque nobiscum particeps ejus, quæ est in Christo charitatis. Quæ cum diceret, habebat eum, qui jacebat, audientem ; surgebat enim. O miraculum, quod verbis non potest explicari ! et bonum amplectebatur Martianum... Deinde sic mortuus, rursus erat mortuus. (Metaphrastes, *Vita S. Martiani*, apud Surium, 10 Januarii, longe post med.)

§ II. — *Sine turpi exactione pretii a sacerdotibus impendendum.*

Grave nimis, et procul nimis est a sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini quærere, et de alieno velle facere luctu compendium... Hoc autem vitium et nos, postquam Deo auctore ad episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus... memores quia, dum Abraham a filiis Emor, hoc est, Esfron filio Segor sepulcri terram pretio ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos, qui sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus... Si... parentes... proximive hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus ; peti vero aut aliquid exigi omnino prohibemus. Quod valde irreligiosum est, ne aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studetis quærere quolibet modo compendium. (Atto, Vercell. episc., *Capitular.*, cap. 24, paulo post init.)

§ III. — *Laicorum cadavera a sacerdotibus non deferenda.*

Mortuum quovis etiam generis, gradus, dignitatisve nomine illustrem laicum ecclesiastici homines ne efferant : ne item inferioris ordinis clericum, qui in superiori ordine constituti sunt. At vero subdiaconum subdiaconi, diaconum diaconi et sic ordine cæteri. (*Conc. Mediol.* iv, ann. 1582, tit. 17 : *Quæ ad funera pertinent*, paulo post init.)

EXAMENS PARTICULIERS

SUR DIVERS SUJETS PROPRES AUX ECCLÉSIASTIQUES ET A TOUTES LES PERSONNES QUI VEULENT S'AVANCER DANS LA PERFECTION.

AVERTISSEMENT.

L'examen particulier que les saints recommandent comme un des principaux moyens de la perfection est une exacte recherche non-seulement des péchés, mais des moindres défauts qui regardent une vertu, un vice, ou quelque autre sujet particulier, pour se corriger et pour se rendre, autant qu'il se peut, irrépréhensible devant Dieu et devant les hommes.

Cette idée de l'examen particulier en montre si clairement l'utilité, qu'en vain l'on s'arrêterait à la faire connaître plus en détail; d'autant plus qu'elle se trouve suffisamment établie dans un grand nombre de livres de piété; et que d'ailleurs il n'y a qu'à la pratiquer durant quelques jours, pour être pleinement convaincu des fruits qu'on en retire.

1° Qui autem vere per Christum sibi in sortem ministerii hujus introisse videtur, de cætero quemadmodum ei serviat, quemadmodum ministret, sollicita secum examinatione discutiat... (S. Bern., *Declam.*, c. 7.) Et metiri se sollicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur... (S. Greg., *Pastoral.*, part. II, c. 1.) Præponderare (siquidem) debet illius vita, sicut et præponderat gratia... (S. Ambros., lib. III, epist. 25, *ad Vercel.*) Et tanto cæteris sanctitate ac omni virtutum genere præcellere, quanto est honoris gradu præstantior.... (*Synod. Andegav.*, ann. 1293; *Burdigal.*, ann. 1582.) (Ideo) hæc (illi) unica virtutis lex sit, ne levissimis quidem vitiis, atque ab omnibus neglectis... quæ in ipso maxima essent... succumbere... (S. Greg. Naz., orat. 3, n. 124. *Conc. Trident.*, sess. 22, c. 1.) Quod enim in laicis culpa non est, hoc crimen est in sacro ordine constitutis... (S. Leo, epist. 5, lib. VIII.)

2° Non solum malum omne, sed quidquid mali speciem habet, fugiat clericus... (*Synod. Carnot.*, ann. 1624), ut sicut sidus in hoc terreno Ecclesiæ cœlo præfulgeat... (*Synod. Massens.*, ann. 1626), et instar solis cæteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret... (S. Chrysost., hom. 10 *in I Epist. ad Tim.*, c. III.) *Ab omni specie mala abstinete vos*, inquit Apostolus.... (*I Thess.* v, 22) *Ut qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de vobis*... (*Tit.* II, 8.)

3° Clericus in sortem Domini vocatus non solum ab omni vitiorum turpitudine (absit, et) longissime absit, sed etiam... (*Conc. Burdig.* ann. 1582) celeri gressu in via Domini ambulans...(*Synod. Perusin.* ann. 1575) omni virtutum genere ornetur, spectaculum factus mundo, angelis et hominibus (*I Cor.* IV, 9), nemini dans ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium illius, sed in omnibus exhibens semetipsum sicut Dei ministrum... (*II Cor.* VI, 3, 4; *Concil. Burdig.* ann. 1582.) Ipsius actiones plebi inspirent venerationis affectum..... (*Synod. Perusin.*, supra.) Ideoque nihil præ se ferat, nisi grave, moderatum ac religione plenum... (*Conc. Trid.*, sess. 22, c. 1.)

4° Nullam ascensus et deificationis mensuram agnoscat... (Greg. Naz., orat. 1) et ut possit esse Deo simillimus.... In divino enim omni non est audendum aliis ducem fieri, nisi quis secundum omnem habitum suum factus sit Dei formissimus, et Deo simillimus. (S. Dionys., *De eccl. hierarch.*, c. 3, apud S. Thom., *Suppl.* qu. 36, art. 1, in c.) In quolibet Christiano ordine aliquis constituitur dux aliis in rebus divinis. (S. Thom., *ibid.*)

CAPUT III.

De divina ad clerum et sacros ordines vocatione.

Quia vero non bene sibi complacet Deus in arroganter ordinatis.... (S. Ephrem., *De sacerdotio*), ignemque ac mortem sibi accumulat qui se ingerit non adscitus a gratia Christi.... (Id., *ibid.*) (nullus) irreverenter irruat non vocatus, non introductus (S. Bern., *Declam.*)... (sed) considerent (singuli) an vocati venerint, et an vocati a Deo, cujus nimirum hæc vocatio est... (Id., *ibid.*) Domus siquidem Dei domus orationis est (*Matth.* XXI, 13), non intrusionis... (Petr. Blesens., epist. 10.) *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit.* (*Hebr.* V, 4, 5.)

CAPUT IV.

De quatuor divinæ vocationis ad clerum et sacros ordines indiciis.

Sectio I.—*Conscientiæ puritas et anteactæ vitæ innocentia, primum vocationis indicium.*

Cæterum ut certam suam vocationem, et electionem faciat... (*II Petr.* I, 11; *Conc. Toletan.* VIII, c. 8) ad sacra Dei mysteria tractanda solus is accedat quem morum innocentia reddit illustrem..... (*Pontific. Rom.*)*Quis enim ascendet in montem Domini?* inquit Propheta, et post eum Ecclesia, ad clericos in illorum ordinatione, *aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde.* (*Psal.* XXIII, 3, 4.)

In *Apocalypsi* (XIV, 5) etiam sine macula sunt qui astant ante thronum Dei et Agni, et serviunt ei die ac nocte.

Hinc superna voce ad Moysen dicitur (*Levit.* XXI, 17, 18): *Homo de semine tuo qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus*... (S. Greg., *Pastor.*, part. I, c. 11.) Ex multis ergo qui veniunt, considera quis vocetur. Ordinem ipsum Dominici sermonis attende: *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Matth.* V, 8; S. Bern., *De conv. ad cleric.*, c. 17.)

Sectio II. — *Intentionis rectitudo secundum divinæ vocationis argumentum.*

Nemo etiam debet fieri clericus, ut serviat voluptati, studeat curiositati, inhiat ambitioni, nec aliud quærat nisi ut Dominum hæreditate possideat quem elegit, et a quo electus est, quando in clericatum assumptus est. (*Pontif. Rom.; Biblioth. apost., Exhort. ad primam tonsuram.*)

Qui enim per clericatus officium aliud quærit quam Dominum nec a Domino electus... (*Pontif., ibid.*) qui ubique hominis intentionem et mentem spectat.... (*Conc. Colon.* I, p. I, c 19) nec ipse

elegit Dominum qui in sorte sua creaturam Creatori præponit... (*Pontif. Rom. Biblioth. apost., Exhort. ad primam tonsuram.*)

Universos (ergo) in ordinibus ecclesiasticis, cæterisque ad sanctuarium pertinentibus honorem quærentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptates, postremo quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi (*Philip.* II, 21), manifeste prorsus et indubitanter non ea quæ *Deus est charitas* (*I Joan.* IV, 8), sed aliena a Deo cupiditas introducit.... (S. BERN., *Declam.*) (Ideoque et illos) sua cupidine accensos, nequaquam divinitus vocatos, per judicium reprobationis ignorat.... (S. GREG., *Pastor.*, part. I, c. 1.)

Ea ergo intentione gradus ecclesiasticos et ministeria sanctuarii quærat, et in sanctimonia cordis et corporis illuminandus accedat ad Dominum, ut suam pariter et proximorum salutem operetur, orationis studio deditus et verbi prædicationi. (*Act.* VI, 4; S. BERN., *Declam.*, c. 5.)

SECTIO III. — *Inculpatus ad clerum ingressus, et aptitudo ad munia ecclesiastica tertium et quartum divinæ vocationis indicium.*

Qui etiam ordinantur intercedente pretio, vel precibus, vel obsequio alicujus personæ ea intentione impenso, non per ostium, id est per Christum, intrant, sed, ut ipsa Veritas testatur, fures sunt et latrones. (*Joan.* X, 1, 2, GREG. VII, lib. VI *Registr.* in syn. Rom. c. 6. Refertur I, qu. 1, can. *Ordines*, et c. *Quibusdam.*)

Ipse enim Christus exinanivit se (*Philip.* II, 7), sicque per humilitatem et crucem declaratus est Pontifex. (HUG. cardin., *in Epist. ad Hebr.*, c. V.)

(Quia vero) Christus idoneos facit ministros Novi Testamenti... (*II Cor.* III, 6) (quos vocat)... nulli etiam tonsura detur nisi idoneo, et ad sacros ordines probabiliter ascensuro.... (*Statuta synod. Eccl. Rem.*, t. III *Conc.*, part. II; FLODOARD., lib. II *Hist.*, c. 5.) (Nullus item illam recipiat) nisi quem vita, doctrina ac episcopalis auctoritas ad hoc idoneum probat. (Ivo Carnot., epist. 213.)

CAPUT V.

Media divinæ ad clerum et sacros ordines vocationis indagandæ et exsequendæ.

Verum quia sæpe sibi de se mens ipsa mentitur et fingit se de bono opere amare quod non amat, et de mundi gloria non amare quod amat... (ne) aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.... (S. GREG., *Pastor.*, part. I, c. 9.)

1° (Nunquam sibi ipsi credat, quia enim privato nos amore diligimus, in nostra nobis deceptione blandimur... (S. GREG., hom. 4 *in Ezech.*) Sed sermonem a propheta, consilium a sapiente requirat.... (*Tob.* IV, 19; S. BERN., *Epist. ad Brunonem.*)

2° (Nec ei consilium familiare sufficiat, sed) eorum consilium exploret, quorum fidem probaverit, et quos organa Spiritus sancti esse non ambigit.... (PETR. Blesens., *De institut. episc.*, c. 2.) Ipsa enim et castorum consiliorum mater sapientia de seipsa loquens : *Ego sapientia*, inquit, *habito in consilio.* (*Prov.* VIII, 12.) Sed quali consilio? nunquid in qualicunque? *Et eruditis*, inquit, *intersum cogitationibus...* (*Ibid.*; S. BERN., epist. 42, *ad episc. Senon.*) Ibi enim dicetur illi quid ipsum oporteat facere... (*Act.* IX, 6.) Sicque post factum non pœnitebit. (*Eccli.* XXXII, 24.) (Ita vero ab aliis consilium requirat) ut in divina illa voluntate indaganda cesset omnis voluntas propria, et in neutram partem magis vergat. Necessarium enim est quemlibet se ita comparare. Nam cum ea ab omni affectu purgata ac nudata fuerit, apta erit ad divinum instinctum percipiendum. (S. CLIMAC., *Grad. de fuga inanis gloriæ.*)

Cum Deo etiam precibus agat, ut notam faciat voluntatem suam et viam in qua ambulet (*Psal.* CXLII, 8), dicatque ei : *Domine, quid me vis facere?* (*Act.* IX, 6.) *Doce me facere voluntatem tuam* (*Psal.* CXLII, 10); *Domine, si tu es, jube me venire ad te* (*Matth.* XIV, 28); *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* (*Psal.* CVII, 2.)

CAPUT VI.

De desiderio et fuga sacræ ordinationis, et ecclesiasticarum dignitatum.

(Quia multi) potissimum volunt dominari, cum professi fuerint servitutem... (S. BERN., lib. IV *De consid.*, cap. 2) gradus ecclesiasticos et ministeria sanctuarii ne quærat clericus... *Noli*, inquit Sapiens, *quærere a Domino ducatum neque cathedram honoris.* (*Eccli.* VII, 4; PETR. Bles., *De institut. episc.*, c. 3.)... Honoris (siquidem) assumptio multis tentatio est et subversionis occasio... Et multorum dominatio est eorum damnatio. (PETR. DAMIAN.)... Quæri ergo potius quam quærere debet. (BERN., *Declam.*)

Unde nec huic negotio se ingerat rogans, consilio enim non prece agendum est. Nam qui rogat jam judicatus est. (*Ibid.*)

Oportet etiam tanta cum religione et cautione ad hanc rem accedere ut illius molem primum detrectet (S. CHRYSOST.)... Altior enim locus non tutior, sublimior non securior : terribilis prorsus, *terribilis est locus iste* (*Gen.* XXVIII, 17); locus, inquam, iste *terra sancta est.* (*Exod.* III, 5; BERN., *Epist. ad Eugen.*)

Ideo quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat; sola illi suffragetur necessitas excusandi. (LEO imp.)

(Ita denique se gerat) ut virtutibus pollens coactus ad regimen accedat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat. (GREG., *Pastor.*, p. I, c. 9.)

CAPUT VII.

De longa probatione ante ordinationem necessaria et de servandis inter singulos ordines debitis interstitiis.

Non ergo festinanter irruat... (S. BERN., *Declam.*) aut manibus pedibusque repens sese ingerat in patrimonium Crucifixi (*Ibid.*)... sanctuarium Dei (S. BERN., *De conv. ad cleric.* c. 21)... hæreditatem Christi (Ivo Carnot., epist. 58, *Ad can. Senon.*)... *Hæreditas* enim, inquit Sapiens, *ad quam festinatur initio, in novissimo benedictione carebit* (*Prov.* XX, 21); et alta præsumptio est ruinosa

præcipitatio. (S. Bern., *De consid.* lib. II, c. 10.)

Domum etiam Domini ingressus caveat... ne, saltando magis quam ascendendo... ad sanctuarium perveniat. (S. Bern., *De conv. ad cleric.* c. 22.)

(Ideo) per omnia ecclesiastica beneficia promotus, et in divinis administrationibus (per statuta tempora) Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendat... (S. Cypr.) Casum enim appetit qui ad summa Christi vestigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum. (S. Greg.)

CAPUT VIII.

De unius beneficii singularitate.

Caveat etiam ab hac beneficiorum coacervatione, et multiplicitate quam..... exsecrabilem ambitionem... (*Conc. Trid.*, sess. 24, c. 17) ecclesiastici ordinis perturbativam... canonum inimicam, dissolutionis in clero materiam, certum etiam animarum periculum continentem... (Alex. III) detestantur sancti Patres, horrent canones, damnat universalis Ecclesia.

Unde quilibet unico beneficio... si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam sufficiat... sit contentus... (*Conc. Trid., ibid.*) Pluralis enim in beneficiis, pluralis etiam erit in pœnis. (S. Bonav.)

CAPUT IX.

De clericorum paupertate.

Paupertatem in primis sectetur clericus, tanquam ... (S. Chrysolog.) virtutum omnium parentem et sociam... (S. Bern.) custodem et magistram... (necnon tanquam) tutum asylum ac perpetuam securitatem... (S. Chrysost.) Cum vero ministerio illius addictus sit... qui cum dives esset, propter nos (ita) egenus factus est... (*II Cor.* VIII, 9), ut non haberet unde caput suum reclinaret... (*Luc.* IX, 38), illius vestigiis fideliter inhærendo... alimentis et quibus tegatur contentus... (*I Tim.* VI, 8) ; quæstum magnum æstimet pietatem cum sufficientia... (*I Tim.* VI, 6.) Neque enim in abundantia hominis vita ejus... (*Luc.* XII, 15) sed in voluntate Domini... (*Psal.* XXIX, 6.) *Et melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* (*Psal.* XXXVI, 16.)

Ideo non quærat datum, sed requirat fructum... (*Philipp.* IV, 17) nec lucra de religione sectetur. Nec stipendia cleri in usus voluptatis, curiositatis et vanitatis congreget, servet, expendat.

Nec etiam curis pecuniæ et familiarium rerum incrementis occupetur. (S. Hilar.)

(Aut unquam) lucra sæculi in Christi militia quærat... Clerici enim portio et hæreditas Dominus est... (S. Hier.) Cujus vero portio Deus est, nihil habere debet præter Dominum (S. Ambr.)... Et si quidpiam habuerit præter Dominum, Christus ejus non erit Dominus. (S. Bern.)

CAPUT X.

De possessione et usu bonorum in clero.

Nihil porro habet clericus qui pauper est spiritu... Unde non requiritur a nobis divitiarum inopia sed contemptus : ideoque Propheta : *Divitiæ*, inquit, *si affluant, nolite cor apponere.* (*Psal.* LXI, 11.) Cor dixit, non manum... (Arnulph. Lexov.)

Ut vero cor non apponat debet eas possidendo contemnere, et non sibi sed aliis possidere... (S. Prosp.) tanquam pro eis rationem redditurus.... (*Hebr.* XIII, 17; S. Bern., *Declam.*) Debet eas non ut proprias, sed ut Dominicas et a Domino commendatas tractare... (*Conc. Paris.* VI.)

Debet eas ut patrimonium Christi pauperibus erogare... (Arnulph. Lexov.) non ad suos proprios... (*Conc. Paris.* VI), aut propinquorum usus retorquere. (*Conc. Trid.*, sess. 25, c. 1 ; S. Bern., *Declam.*) Res enim pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen esse dignoscitur. (S. Bern., *Declam.*) (Tunc vero) sentiet quam fructuosus sit homini et quam gloriosus apud Deum titulus paupertatis. (Petr. Blesens., epist. 12.)

CAPUT XI.

De castitate, proprio ac præcipuo clericorum ornamento. (*Conc. Burdig.*)

Ne vero sit irrisoria perfectionis professio, aut inanis cælibis vitæ forma et vacua pietatis... (S. Bern., *De convers. ad cleric.* c. 22) castitatem quæ angelum de homine facit... (S. Bern., *ad Henr. Senon.*) omni studio servare studeat, tanquam... sterilitatem criminum ac pronubam sanctitatis... (Cyprian.) propriumque ac præcipuum clericorum ornamentum... (*Conc. Burdig.*) Quod (scilicet) dilectum Deo et hominibus faciat sacerdotem (*Eccli.* XLV, 1), cujus quippe memoria non in carnis successione, sed in spirituali benedictione est, redditque similem in gloria sanctorum, in hac licet adhuc regione dissimilitudinis constitutum. (S. Bern., *ad Henric. Senon.*)

Ideo mundetur primum qui ferre vult vasa Domini (*Isa.* LII, 11), *ut sciat vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ Deum ignorant...* (*I Thess.* IV, 4, 5.) Si enim mundis attingi manibus volebat in præsepio positus, quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam, jam in paternæ majestatis gloria sublimatus ! (Petr. Dam.)

(Ut vero) ab omni libidinis vitio præcaveat sacrorum ordinum minister (Innoc. III, in *conc. Lateran.*) :

1° Qui flamma libidinis (adhuc) æstuat, sacris altaribus appropinquare non audeat : altaria siquidem Domini non alienum sed ignem duntaxat divini amoris accipiunt... (S. Petr. Dam.)

2° Omnem occasionem irritantem et provocantem evitet. (Origen.)

3° Ab omnibus quæcunque ad aurium et oculo-

rum pertinent illecebras, unde animi vigor emolliri possit, abstineat. (*Conc. Turon.*)

4° Pactum faciat cum oculis suis, ut ne quidem cogitet de virgine... (*Job* XXXI, 1.) Nam et a jactu oculi mens Christi confectura debet esse libera. (S. HIER.)

5° Tactum vero mulieris (multo magis osculum) tanquam morsum diaboli, arma peccati, criminis ostium, mortis initium, refugiat... (S. EUCHER.)

6° Libidinis etiam igni non inflammanti sed fumanti.... (PETR. Blesens., epist. 23) materiam subtrahat, cibos subtrahendo. (S. GREG.)

7° Denique nunquam de suis viribus periculose præsumat.... (S. AUG.) sed ante omnia de divinis castris auxilium petat... (S. CYPR.) Nemo enim potest esse continens nisi Deus det... (*Sap.* VIII, 21.) Et *nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.* (*Psal.* CXXVI, 1.)

CAPUT XII.

De societate mulierum clerico fugienda.

Quia vero tentamenta sunt clericorum feminarum frequentes accessus, et iste sexus reprehensibiles exhibet clericos..... (*Conc. Aquisgr.*, ex Hier.) nemo clericorum cum extranea femina habitet. (S. CLEM. I Papa, epist. 2; S. ANSELM.; *Conc. Mogunt.*; *Conc. Metens.*)

(Si vero proximæ fuerint) non alias patiantur nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem synodus Nicæna permisit (vel subsequentia concilia concesserunt), et hoc (etiam) cum magna sollicitudine fiat. Non enim ignoramus malitias Satanæ. (SYRIC., epist. 1, c. 12; CLEM. I, epist. 2; S. ANSELM.)

Nullam feminam quantumvis annosam, quantumvis vetulam et despectam sibi ministrantem habere præsumat: illa enim propinquior appropinquabit ad culpam dum est subjecta dominatui.... (*Conc. Turon.*) Et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devitandum. (S. HIER.)

Si vero aliquando feminam visitare teneatur... nunquam sine testibus accedat... Cavendæ enim omnes suspiciones... (S. HIER.; *Conc. Brachar.*) Nullam etiam cum eis habeant familiaritatem, quia nullum diabolo locum dari oportet... (*Conc. Turon.* Nec unquam severitas desit quæ feminam possit astringere.... (S. CYPR.)

Illius tandem cum mulieribus colloquia (sicut et consortia) vel nulla sint, vel rarissima, vel brevissima... (S. BASIL.) Mulieribus enim quasi transeunter adhibenda est accessio quodammodo fugitiva. (S. BONAV.)

CAPUT XIII.

De monialium conversatione et frequentatione clerico vitanda.

Nec etiam ad monasteria monialium nisi urgentibus necessitatibus accedat... (*Conc. Laterun.*) Ne diabolo insidianti et sævire cupienti ad nocendum detur occasio. (S. CYPR.)

Ecclesiastica tantum ibi officia peragat nec ad secretas collocutiones ullo modo se divertat. (*Conc.*)

Hora competenti et congruo loco ministeria sua obeat. (*Conc.*)

Non sine testibus et superioris licentia, statim vero peractis ministeriis suis egredi festinet. (*Conc.*)

CAPUT XIV.

De obedientia.

Obedientiam tanquam perfectam propriæ ammæ abnegationem, mortem voluntariam ac sepulturam voluntatis... (S. CLIMAC.) adeoque tanquam sacrificium quod victimis aliis excellit.., totis visceribus amplectatur... (S. GREG.) Quilibet enim clero Ecclesiæ scriptus magis videtur promittere obedientiam Deo, præcipue per hoc ipsum quod specialiter in Dei ministerio constituitur. (S. CHRYSOST.)

Et quia dedit legi apostolicæ manum, et manum suam misit ad fortia, utatur consilio Sapientis (*Eccli.* VI, 25), et injiciat ad compedes obedientiæ pedem suum, ne acedietur a vinculis ejus... (PETR. Blesens., epist. 134.)

Recolat etiam quia *vir obediens*, testimonio Sapientiæ (*Prov.* XXI, 28), *loquitur victorias*, dum de diabolo per obedientiæ bonum, de mundo ac de seipso triumphat in Christo. (PETRUS Blesensis, *ibid.*)

Ideoque 1° obediat Deo, obediat Ecclesiæ ac Rom. Pontifici, obediat canonicis regulis... (*Concilia et Patres* passim.) Obediat tandem suo prælato et ipsum tanquam animæ parentem... (S. HIER.), ac tanquam Christum revereatur... (S. IGNAT. martyr., *Epist.*), imo et ipsi subditus sit tanquam Christus Patri... (*Ibid.*) ut nihil sine ipso faciat, sicut Dominus nihil facit sine Patre. *Nec enim possum*, inquit Christus (*Joan.* V. 30), *facere a me ipso quidquam.* (S. IGNAT., *Epist.*)

2° Sine omni delectu, sine omni exceptione faciat quod injungitur sibi... (PETR. Blesens., epist. 134.) Dicit enim Apostolus : *Obedite parentibus per omnia.* (*Coloss.* III, 20.)

3° Quid vel quale, vel quantum sit quod injungitur non discernat, alioquin præsumit comedere. de ligno scientiæ boni et mali. Censura enim discretionis est penes Patrem spiritualem qui omnia dijudicat, ipse autem a nemine judicatur. Nihil ergo discernat... (S. HIER., epist. 4, *ad Rustic.*) nec de majorum sententia judicet, cujus officii est obedire et implere quæ jussa sunt, dicente Moyse : *Audi, Israel, et tace...* (*Deut.* XXVII, 9.) Nescit quippe judicare qui perfecte non didicit obedire. (GREG., lib. II *in III Reg.*, cap. II.)

CAPUT XV.

De oratione.

Assidue et devote orare opus esse clerici... profiteatur... (*Conc. Lingonens.*) Ad orandum enim pro populo in ordinatione destinatur... Ut mancipatus divino officio, deditusque contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cesset... (*Novel. Justin.*) (S. Hier.)

Unde precibus et orationi vacet... (S. Cypr.) ut sicut munere suo Christum refert, ita eumdem in oratione imitetur. (S. Chrysost.)

In oratione autem intret in cubiculum suum juxta præceptum Christi, et clauso ostio oret in abscondito... (*Matth.* vi, 6), hoc est...(S. Hier.) inclusa pectoris cogitatione labiisque compressis oret... (S. Greg.) seu tacente cogitatione fundat affectum mentis... (Cassian.) et omni silentio supplicet non vocum sed cordium scrutatori. Sanctis ergo meditationibus instructus Deum tacitus oret... (*Conc. Mediol.*) Et nonnisi invitus avellatur a sûæ Rachelis amplexibus. (*Gen.* xxix, 16, seqq.; S. Bern., *Ad Eugen.*, lib. i, c. 1.)

CAPUT XVI.

De otii fuga, et cura salutis animarum.

Ita tamen orationi vacet, ut non otio torpeat, aut dies vacuos et inutiles elabi patiatur... (S. Bern., lib. ii *De consid.*, c. 13.) Otiositas enim mater est vitiorum et noverca virtutum... (*Act. Eccl. Mediol.*; *Conc. Mediol.* iv.) Clericus autem non ad inertiam, aut ignaviam, sed ad spiritualis et ecclesiasticæ militiæ labores vocatus est... nec regnaturus, sed exstirpaturus ascendit, ut scilicet evellat, et destruat, et disperdat, et dissipet, et ædificet, et plantet... (*Jerem* i, 10; S. Bern., lib. ii *De consid.*, c. 6.)

Agnoscat igitur hæreditatem suam in Christi cruce, in laboribus plurimis... (S. Bern., lib. ii *De consid.*; S. Chrysost., lib. iii *De sacerd.*) Et quia non sibi uni tantum, sed multis populis vivit clericus... (S. Aug.) et clericatum propter populum Deus posuit cervici ipsius...non se intra seipsum contineat...(Petr. Bles., *De instit. episc.*, c. 4) sed se omnibus exhibens tanquam omnium servum, nec sibi sed cunctis genitum et datum omnibus debitorem... In aliorum quoque salute inquirenda solertem se præbeat ac vigilem... Ita tamen se præbeat... (S. Bern., lib. ii *De consid.*, c. 6), ut non tanquam dominus, sed tanquam villicus procuret, unde exigendus est, rationem.

Ad hoc enim vocati sumus ut fructuose Deo manipulos reportemus (Alex. III, *Epist. ad omnes presbyteros*); nec negligendam gratiam nobis Dominus dedit per impositionem manuum presbyterii, sed fideliter exercendam tribuit; unde Apostolus... *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii.* (*I Tim.* iv, 14.) Reddes enim rationem talentorum Domini ac villicationis tuæ.

CAPUT XVII.

De amabili parentum odio.

Caveat tamen ne volens lucrifacere etiam propinquos causam habeat ruinarum.. (S. Hieron.) multi enim pro parentibus suis animas perdiderunt, quorum occasione mundus, qui in eis aruerat, denuo virescit... (Petr. Blesens.) Impius autem est qui animæ suæ pro parentibus est crudelis, majoremque hanc temeritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis ita periculose pro amicis suis. (*Joan.* xv, 13; Id.)

Ut ergo non evacuet propositum illius proditoria et seductrix affectio parentelæ... (Petr. Blesens.), per calcatum pergat patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evolet... (S. Hier.) Sinat mortuos sepelire mortuos suos... (*Luc.* ix, 60; Id.) Summum enim pietatis genus est impium esse pro Domino... (Petr. Blesens., epist. 102) nec in domo Dei sacerdos aut levita eligitur, nisi dixerit patri et matri, nescio vos (*Deut.* xxxiii, 9), (et quia) nemo est in cœlestibus gloriosior quam qui repudiato patrum stemmate sola elegit Christi paternitate censeri. (S. Hilarius Arelat., *Serm. de S. Honor.*) Omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde etiam malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponat. (*Conc. Trid.*) Illorum memoriam tanquam importunum cordis incendium exstinguat... (S. Climac., grad. 2; Greg. Naz.) Illorum lacrymas ac luctus ut diaboli illecebram, et ad Deum ferentis impedimenta rejiciat... (S. Ambros., serm. 9) majorem esse agnoscat fraternitatem Christi quam sanguinis. (S. Climac., grad. 2) optimumque sciat Christiani hominis alphabetum (multo magis clerici) amabile parentum odium.

CAPUT XVIII.

De sæcularium curarum abjectione.

Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus... (*II Tim.* ii, 4); vacuum enim ab illis oportet esse animum divinæ servitutis officio consecratum.. (Petr. Blesens., *De instit. episc.*); quæ non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ. (S. Bern., lib. i *De consid.*, c. 3.)

Ideo, 1° coram judice sæculari nec sint advocati, nec procuratores nisi pro se, vel suis aut miserabilibus personis, vel pro ecclesiis in quibus obtinent beneficia; et hoc gratis (*Conc. Narbonens.* 1609.)

2° Non sint etiam judices (*Syn. Carnot.* 1526), nec jurisdictiones sæculares sub aliquibus principibus, vel sæcularibus viris, ut justitiarii eorum fiant assumere præsumant. (Alex. III, in *Conc. Lateran.* iii.)

3° Nec exerceant officium tabellionatus, vel notarioratus curiæ sæcularis. (*Conc. Senon.* 1524; *Synod. Carnot.* 1526.)

4° Ne aliena prædia aut possessiones lucri causa conducant. (*Conc. Mediol., et Burdigal.*)

5° Aliorum tutelam aut curatelam non suscipiant ... (*Conc. Mediol.*) nisi intuitu pietatis aut religionis causa... (*Conc. Aquens.*) aut nisi necessitas aliud suadeat. (*Conc. Melodun.*)

6° Nec pro aliis fidejubeant, aut publicis se administrationibus immittant. (*Concil. Mediol.*)

7° Nec alicujus principis aut alterius negotiorum procuratores sint sine facultate episcopi, aut rei domesticæ administrationem suscipiant. (*Ibid.*)

8° Ne etiam parum memores ordinis et dignitatis suæ sint in famulatu laicorum, etiam principum, aut suam operam laicis quantumvis nobilibus addicant ad cellæ vinariæ vel annonæ regimen, aut aliud vile indecorumque suo ordini ministerium. (*Conc. Mediol.* I, p. II, tit. *De negotiis sæcular.*)

9° Nec etiam ad voluptatem aut scurrilitatem cuiquam inserviant.

10° Multo minus præcursores sint, aut asseclæ feminarum aut eis ancillentur. (*Conc. Mediol.* I.)

11° Ab omni etiam genere mercaturæ omnino abstineant. (*Conc. Mediol. I; Conc. Bituric.; Conc. Aquens.*)

12° Tandem nunquam ab iis studiis occupetur clericus, per quæ salus hominibus datur... (S. Clem. Pap.) ne dispersi videantur lapides sanctuarii in capite omnium platearum. (*Thren.* IV, 1 ; S. Greg.)

CAPUT XIX.

De quinque punctis sedulo meditandis.

Quinque tandem sedulo meditanda sibi proponat clericus, ut a proposita sibi perfectione non deviet.

1° Dignitatem status clericalis.... ut digne noscat quid est. (S. Ambros.) Et illud professione magis quam nomine demonstret, sicque nomen congruat actioni, actio nomini.

2° Gravitatem offensionis in clerico.... majore siquidem reatu delinquit qui potiore honore potitur. (Nicol. III Pap.) Et gravius est de sublimi cadere dignitate quia ruina quæ de alto est graviori casu colliditur... (S. Ambros., *De dign. sacerd.*, c. 3.) Consideret ergo gradum et casum vereatur : consideret fastigium dignitatis, et intueatur faciem abyssi jacentis deorsum. Attendat celsitudinem honoris, et e vicino periculum reformidet. (S. Bern., *Ep. ad Eugen.*)

3° Difficultatem conversionis... Si enim sal infatuatum fuerit, in quo salietur? (*Matth.* v, 13.) Id est : si vos per quos condiendi sunt quodammodo populi, amiseritis regna cœlorum, qui erunt homines per quos a vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus per quos errorem auferat cæterorum ? (S. Aug., lib. I *De sermone Domini in monte*, c. 9, t. IV.) Si doctor erraverit, a quo emendabitur ? *Ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.* (*Matth.* v, 13.) Caveat ergo et videat potentes potenter sustinere tormenta nihilque esse remedii, sed majorum ruinas ad tartarum ducere... (*Sap.* VI, 7 ; S. Hieron., lib. II *Comment. in Matth.*)

4° Severitatem etiam punitionis... Angelus enim Domini est. Inventa autem in angelis pravitas et districtius judicetur necesse est et inexorabilius quam humana. (S. Bern.)

5° Paucitatem salvandorum.... non enim multi sunt inter sacerdotes, qui salvi fiant. (S. Chrysost.)

PARS SECUNDA.

DE EXTERIORI CLERICORUM DISCIPLINA.

CAPUT PRIMUM.

De clericis in seminario instituendis.

Quia juventus spes est ac soboles reipublicæ, quæ, si dum adhuc tenera est, diligenter excolatur, maximos et miræ suavitatis fructus feret (*Conc. Burdig.*) : contra vero, si negligatur, aut nullos aut amarissimos... (*Ibid.*) ut vinea Domini ex illius præcepto rite semper colatur, multaque messis in ejus horreum reportetur... Clericalis militiæ propagines et in futuræ sobolis spem ali oportet. (*Conc. Aquileiens.*)

(Ideo) in seminariis clerici a teneris annis ad pietatem et disciplinam ecclesiasticam informentur.... (*Conc. Trid.; Conc. Burdig.*) et ad litteras erudiantur. (*Conc. Rothom.*)

Unusquisque vero sit ea mente ac voluntate, idque sibi quotidie proponat ut omnino velit in bonum ministrum pro Ecclesiæ adjumento evadere... (*Act. Eccles. Mediol.*) Ideoque discat et ministret... ut pro suo quisque gradu et conditione, cum sibi ipsi profuerit, Ecclesiæ etiam orthodoxæ pro virili parte prodesse possit. (*Conc. Aquileiens.; Conc. Melodun.*)

CAPUT II.

De communi vita clericorum

Non solum autem juniores clerici, sed et alii... (Nicol. II, in *Conc. Rom.*) ad apostolicam vitam pervenire studeant, ut sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant... (*Conc. Turon.*) simulque in uno reficiantur refectorio, quo facilius possint de vita et conversatione sua admoneri et doceri... (S. Aug.) Clericus enim professus est societatem,

professus est communem vivendi sanctitatem ; professus est *quam bonum et quam jucundum est habitare fratres in unum.* (*Psal.* CXXXII, 1.)

Timeat ergo clericus si solus est : cum enim non habeat emolumentum societatis et facilius cadit, et *cum ceciderit, non habet sublevantem se.* (*Eccle.* IV, 10.)

Timeat etiam si cum sæcularibus commoratur... quia ex nimia cum illis familiaritate et conversatione fit contemptus dignitatis. (*Synodus Senon.*)

Securus vero in societate clericorum vivat ;.. frater enim qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. (*Prov.* XVIII, 19.)

CAPUT III.

De exemplari et modesta clericorum conversatione.

Clerici debent esse exemplum fidelium in conversatione... (*I Tim.* IV, 12; *Synod. Senon.*) Quidquid enim fecerint, id sibi omnes faciendum putant... (S. HIER., *Epist. ad Heliod.*)

(Ideo) in omnibus actionibus exemplum moderatum ac religione plenum vita præ se ferant... (*Synod. Venet.*) ut amorem innocentiæ conversatione demonstrent... (S. BERN.)

Mores ergo suos ita componant, ut habitu, gestu ac sermone cunctis afferant venerationem... (*Synod. Audomar.*) Illorum enim vita liber est laicorum. (*Syn. Turon.*)

Convivia laicorum, necnon nimiam eorum familiaritatem, multarum offensionum originem, declinent... (*Conc. Aquileiens.*)

Nunquam aliquos malos aut diffamatos homines associent sibi... Nec te dixeris sanum dolentem latera : hoc est, ne te dixeris bonum malis innitentem.... (*Syn. Trecens.*)

A mundanis etiam quibuslibet ac sæcularibus conversationibus abstineant. Qui enim conversationibus gaudet mundanis, sæculum nondum se odisse ostendit. (S. EPHREM., paræn. 46.)

(Imo et) hominum inutilium familiaritatem fugiant. (S. NIL.)

Ad eos vero se crebro conferant, qui in sacerdotio constituti, in spiritualibus vitæ exercitiis sunt versati. (*Conc. Mediol.* IV, *De vit. et hon. cleric.*)

Oculis suis maxime pareant... (CLEM. Alex., *Pædag.*) Nec enim solum animum, sed et oculos debent habere continentes. (S. AMBR., lib. I *Offic.*, c. ult.)

Risus porro sit rarus... Sacerdos enim angelus est, angelus autem risum nescit... Et Christus sæpius legitur flevisse (*Luc.* XIX, 41; *Joan.* XI, 35), risisse nunquam.

In sermone modum quemdam ac decorum teneant... magna enim quædam honestas est, potissime in sacerdote, temperare linguam. (S. BASIL., *Admon. ad filium spirit.* ; S. ISIDOR. Pelusiot., lib. I, epist. 319 ; S. AUG., serm. 35 *De sanctis* ; GREG. Naz., orat. 33 ; *Syn. Lingon.*, 1404.

Tandem in omnibus motibus nihil sit quod cujusquam offendat aspectum, sed quod illorum deceat sanctitatem... (S. AUG., *in III Reg.*, ante med.) *ut sic in omni conversatione sua sancti sint.* (*I Petr.* I, 15.)

CAPUT IV.

De religioso clericorum habitu.

SECTIO I. — *De veste clericali.*

Licet habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. (*Conc. Trident.*, sess. 14.)

Ideo nusquam nisi in habitu clericali decenter incedant clerici. (*Conc. Oxoniens.*)

Nusquam domo exeant non clericalibus vestibus induti. (*Syn. Cremens.*)

Nusquam, ne domi quidem suæ, ullam quæ clericum minus deceat vestem adhibere audeant. (*Syn. Amerin.*)

Nec vero pretiosa sint illorum vestimenta aut splendida ; *qui* enim *mollibus vestiuntur in domibus regum sunt* (*Matth.* XI, 8 ; *Syn. Melphit.*) ; nec sericea aut sericeis ornamentis intexta (4).

Nec nimis ornatæ et comptæ vestes, aut econtra nimis laceræ aut sordidæ. (*Conc. Senon.*)

Non nimia brevitate aut longitudine notandæ. (*Conc. Lateran.*)

Non nimium amplæ aut constrictæ, non fronciatæ, aut in rugas contractæ, non virgatæ, partitæ aut fronciatæ ; sed simplices, nigræ, talares, undique clausæ, brachiis indutæ, zona præcinctæ ;... tales denique quæ ipsorum religioso statui ac piæ vocationi modeste respondeant. (*Conc. Senon.* ; *Syn. Catalaun.* ; *Syn. Casentin.* ; SYMEON. Thessal. ; *Syn. Castel.* ; *Conc.*, passim.)

Quas nec in morte parentum exuère debent, ut lugubres assumant. (*Conc.* part. II, passim.)

SECTIO II. — *De tonsura.*

Quia tonsura insigne est clericalis militiæ... (*Conc. Benevent.* ; *Conc. Senon.*) nullus clericorum comam laxare præsumat... vel inordinata crinium lascivia sacerdotium suum deturpare.... (*Syn. Colon.* et *Raven.*) Sed tonsuram gestet clericalem suo ordini congruentem... (*Edictum Urbani VIII*) in signum suæ vocationis ; regiæ potestatis ; Dominicæ coronæ, humilitatis, victoriæ ac regiæ libertatis, perfectioris vitæ, omnium denique vitiorum ac sæcularium curarum abdicationis. (*Syn. Spolet.* ; *Anagnin.* ; alia passim, *Conc.*, passim.)

Non ergo ferant luxuriantem comam aut molliter et effeminate comptam. (*Syn. Cremon.*, 1609.)

Non capillos calamistratos, crispatos, aut retortos.

(4) Vid. Concilia et Patres citatos, col. 225 et seq.

(*Synod. Vicentin.* 1585 ; *Conc. Bituric.* 1584 ; *Synod. Tarent.* 1608 ; *Ravennat.* 1607.)

Non aquis odoriferis, similibusque rebus vel aliter delibutos... aut cinere imposito exornatos. (*Syn. Faventin.* 1615.)

Non impariter attonsos, vel in aliqua corporis parte cæteris longiores. (*Synod. Marcina* 1643.)

Sed capillitium dependens a fronte ad auriculas sensim et rotunditer præcidatur. (*Synod. Mechliniens.* ann. 1570.) Ita ut comam et tonsuram patentibus auribus habeant congruentem. (*Conc. Basileens., Budens. nation.* ann. 1269.)

Non tamen crines suos totaliter radant sed desuper pectine abscindant. (*Synod. Colon.* 1551.)

Desuper vero caput in modum sphæræ radant, ita ut coronam in vertice conspicuam... (Aniget. Pap., *Decret. ad omnes episc. Galliæ ;* refert. dist. 23, c. *Prohibete*) notabilis magnitudinis gestent.... (*Conc. Mechliniens.* 1570 ; *Rem.* 1583 ; *Syn. Audomar.* 1585) et ad eam formam quam ratio uniuscujusque ordinis postulabit..... (*Conc. Mediol.* I, part. II.)

Hæc autem singulis hebdomadis... (*Conc. Limans.*, 1583 ; *Syn. Burgens.* 1377 et 1411) vel mensibus radatur.... (*Synod. Bisuntin. ; Matiscon. ; Paris. ; Carnot.* V) vel ita sæpe renovetur, ut semper appareat... (*Synod. Vincentin.* 1583.)

Non etiam barbam nutriant.... (*Conc. Lateran.* II ; *Mediolan.* I ; *Hidruntin. ; Senon.* 1527) aut in alas sinant crescere.... (*Synod. Nebbiens.* 1614) aut supra labia arte elaboratam... (*Conc. Burdig.* 1624) aut sicariorum more in mento cuneatam... (*Syn. Nolan.* 1588 ; *Hierac.* 1593) ; sed apte detonsam... et in labro superiore ita detonsam ut sumentibus Christi sanguinem nullum afferat impedimentum. (*Edictum Urban. V jussu edit. ; Conc. Mediolan.* II 1565 ; *Neapolit.* 1576 ; *Melliniens.; Avenion.; Aquens. ; Hierac.*, etc.)

Caveant porro ne mento barbam veluti compositam palustribus calamis scopulam, quod visu quoque fœdum est, promittant, et cum cura inde nutriant, co mantque. (*Synod. Amerin.* 1595.)

Sectio III. — *De disciplina circa reliquum corporis ornatum.*

Ut vero eluceat in omni illorum amictu modestia, gravitas et honestas... (*Syn. Bisuntin.*, circa ann. 1570) nihil habeant in habitu quod non clericorum deceat sanctitatem. (Innoc. III, in *Conc. Rom.*, c. 3.) Unde totus personalis illorum cultus modestam et simplicem redoleat gravitatem ab omni fastu prorsus ac sordibus alienam. (*Conc. Melodun.* 1579.)

Ornamenta non sint ex veluto aut serico supra qualecunque genus vestium. (*Synod. Taurin.* 1575.)

Fibulas etiam omnino non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes. (Innoc. III, in *Conc Lateran.* IV, c. 16, ann. 1215.)

Absit vestium curiosa mollities. Sint procul fissurata, militaria aut histrionica ornamenta. (*Conc Melodun.*)

Vestium omnium tam interiorum quam exteriorum color sit niger. (*Syn. Amerin.* 1595 ; *Conc. Narbon.* 1609 ; *Mediol.; Aquileiens.*)

Vestes interiores non sint partitæ, non acupictæ, non auro intextæ. (*Edict. Urban. V.*)

Caligis rubeis, viridibusque stratis, croceis, seu albis non utantur.... (*Syn. Senon.* 1524.) Sed nigris... seu aliis honestis tantummodo sint contenti.

Non sint vero tumentes... (*Conc. Narb.*) partitæ... (*Syn. Senon.*) dissectæ.... (*Conc. Turon.*) aut circa genua dissutæ... (*Syn. Carnot.*) quod et in femoralibus servandum est. (*Syn. Ebroic.* 1576.)

Calceis etiam nigris solum utantur, aut cera obductis... (*Syn. Cremon.* 1624), non lunatis..., cornutis..., nimis fenestratis..., aut arte scissis. (*Conc. Senon. ; Syn. Carnot.* 1526.)

Omnes rosarum formulæ soleis insertæ, abjiciantur... (*Conc. Burdig.* 1626.)

Annulos in digitis non gestent... (Innoc. III, in *Conc. Lateran.* IV ; *Syn. Aquens., Carnot.*)

Nec chirotecis incisis utantur unquam.... (*Syn. Ravennat.* 1607), aliis vero necessitatis gratia. (*Act. Eccles. Mediol.*)

Nec thoracibus minutatim incisis utantur. (*Conc. Turon.* 1583, a Greg. XIII approb.)

Non etiam indusia gerant sinuosa seu camisias fronciatas, quarum extremæ partes ad manus et ad collum prominentes, lactucatæ sint, seu pinnatæ, vel cremore ac dente levigatæ. (*Syn. Ebroic.* ann. 1576.)

Collare vero simplex (*Syn. Auximana* 1593 ; *Cellens.* 1594 ; *Concordiens.* 1587 ; *Placentina*, 1589), planum (*Conc. Mediol.* I ; *Syn. Venusin.* 1614 ; *Placent.* 1589), ex communi tela confectum (*Ibid.*), non crispatum, seu artificio elaboratum (*Syn. Venusin.*), modeste latum (*Placent., Concord., Auximan.* supr.), ad collum reflexum (*Syn. Auximan.; Cellens.*), honeste reclinetur (*Syn. Concord., Mediol.* I) ; nec ab anteriori parte quasi rostratum promineat. (*Conc. Mediol.*)

Lineæ manicellæ sint simplices, non denticulatæ, non elaboratæ, non rugosæ... (*Edict. Urban. V jussu editum ; Syn. Castellana.*)

Pileum habeant... non galerum militum more... (*Conc. Melodun.*) qui sit nigri coloris... (*Conc. Neapol.* 1570, a Greg. XIII appr.), formæ convenientis.... (*Edictum Urban. V*) simplex, non aculeatus... (*Conc. Cosentin.* 1579, sess. 4), non pyramidalis (*Syn. Trident.* 1593), non acutus... (*Syn. Astens.* 1588 ; *Taurin.* 1575) ; sed talis quales cæteri ecclesiastici pro tempore reformati gerunt. (*Syn. Bysuntin.* 1573.)

Circum pileum vero, tortile cingulum modicum gerant. (*Conc. Aquileiens.*)

Arma non deferant (5), non torques... non monilia. (*Conc. Mediol.* I.)

Nec publice ullius generis flores deferant. (*Syn. Nucerin.* 1606.)

Abstineant ab odorum illecebris et unguentis cujuscunque generis (6).

Tandem omnem habitus et ornamenti novitatem fugiant.... (*Syn. Venusin.* 1614) ac nulla specie vanitatis aut vestimentorum novitate delectentur... (*Syn. Venusin.*; *Concord.*, *Castellan.*, *Constantiens.*) Talia enim debent esse vestimenta servorum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam et ad vanam gloriam. (S. Bern., *De modo bene vivendi*, serm. 9.)

CAPUT V.

De vestibus quibus in ecclesia uti debent.

Ne vestes in templo sub ecclesiastico indumento gerant, nisi talares, nigras, superne clausas, ad collum constrictas, quarum manicæ integræ, nec in medio sectæ. (*Syn. Narb.*, 1550.)

Superpelliceis omnes utantur non laceris, non sordidis, non patulis, non curiosius acu elaboratis, et veluti altioribus pinnis, aut rete, aliove eleganti artificio ornatis, sed integris, mundis, simplicibus... Ita ut nulla in eis quasi arachnes interpuncta ornamenta videantur... (*Conc. Mediol.* IV; *Conc. Aquens.*; *Conc. Turon.*; *Conc. Mexican.*; *Conc. Tarvisin.*) Ridiculum enim est ad fastum et ostentationem abuti eo quod ad demonstrandam simplicitatem animorum et corporum puritatem est religiose introductum. (*Conc. Turon.*, a Greg. XIII approb.)

Ad chorum vero ubi divina officia recitantur sine superpelliceo nullus clericus aut sacerdos accedat... (*Syn. Tarvisin.*, 1629; *Syn. Faventin.*) nec sine illo processionibus publicis... (*Syn. Lunens.*, *Tarraconens.* 1582) funeralibus, sepulturis, aliis quibusvis exsequiis, aut divinis Officiis intersint. (*Syn. Vincent.*, *Concord.*, *Tarracon.* l. III, tit. 2, ann. 1631.)

Superpelliceis porro induti, nullo modo flores habeant... nec chirotecas... (*Conc. Aquens.*); non vagentur per ecclesiam... (*Syn. Nucerin.*) non deambulent... (*Syn. Aquens.*) aut per plateas, civitates, aut oppida vagentur. (*Syn. Vincent.*; *Tarracon.*; supra.)

Soccos in ecclesiis non deferant.... (*Syn. Nucerin.* 1608), non ocreas... (*Syn. Castellan.* 1595), non galeros... (*Conc. Rothom.*), sed pileum quadratum... (*Conc. Bituric.*) seu birretum... ecclesiasticum scilicet diadema... (*Syn. Senogalliens.* 1627) nigrum... (*Syn. Nolana*), non desuper infulatum... (*Syn. Turon.* 1314) seu ornatum... (*Syn. Salernitan.* 1579), sed simplex; ita vero illud birretum deferant ut non fronti... non alteri temporum descendens inclinatumve... (*Syn. Nolana* 1588; *Trident.* 1573), sed capiti æqualiter impositum.

(5) Vid. *Conc.*, passim

CAPUT VI.

De cæteris clericorum ornamentis, ac domestica supellectili.

Vilem supellectilem habere debent clerici, ut dignitatis suæ auctoritatem non sæcularibus ornamentis, sed fide ac meritis quærant. (*Conc. Carthagin.*, c. 14, dist. 41, c. 7.) (Ideo) nihil in eorum supellectili aureum, nihil argenteum præter levissima ac tenuissima quædam instrumenta ad cibum ori admovendum comparata. (*Conc. Mediol.* II, c. *De episc. supellectili.*)

Nihil auro argentove ornatum; nihil sericum aut serico distinctum. (*Ibid.*)

Nihil acupictum, nihil studiosius elaboratum (appareat)

Non colorum varietas; non aulæa aut tapetia. (*Ibid.*)

Simplici tantum corio aut panno mensas, aliave sternere liceat. (*Ibid.*)

Signa et tabulas profanarum rerum abjiciant. (*Ibid.*)

Domesticam omnem luxuriam, in ædificiis exstruendis magnificentiam, picturas et inania ornamenta ac delicias excludant. (*Ibid.*)

Tandem quia domum illorum decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas (S. Bern., *De cons.*, lib. IV, c. 6), caveant ne quid in ea appareat quod non simplex ac purum sit, quod non Dei zelum et omnium inanium rerum contemptum testetur. (*Conc. Mediol.*, *ibid.*)

CAPUT VII.

De sacra supellectili et ecclesiarum cultu et ornatu.

Quia non consecratione solum, sed ipso etiam nitore et munditie loci alicujus pii majestas religioque conservatur... (*Conc. Tolosan.* 1590, part. II, c. 2) ecclesiæ, capellæ, altaria, oratoria, quæque ad illorum ornatum apponuntur, tabellæ sanctorumque imagines justo nidore reluceant ... (S. Isidor., lib. I *Eccl. offic.*, c. 2; *Conc. Tolosan.*, supra.) Imo et pavimen tum etiam nitidum conservetur. (*Ibid.*)

Vites, hæderæ aliæque id genus herbæ quæ exterioribus parietibus adhærent prorsus convellantur. (*Conc. Mediol.* IV.)

Externi etiam parietes nec effusa lotione, nec allatis sordibus deturpentur. (*Conc. Tolosan.* 1590.)

Stabula cujuscunque generis animalium inde procul sint. (*Conc. Mediol* IV.)

Caveant ne sacra vasa, calices, pixides, urceoli, candelabra, fontes baptismales, vasa sacri olei, libri, ornamenta, mappæ, et alia linteamina sacris usibus deputata sordibus scateant, sed cum omni diligentia, puritate munditiaque conservent. (*Constit. conc. Melodun.* 1579; *Conc. Bitur.* 1584.)

Quæ sacris rerum usibus sunt comparata, imo et

(6) *Conc.*, passim.

cæmentum, et omnis ecclesiarum materia nunquam profanis usibus applicentur. (*Conc. Tolosan.; Conc. Bituric.*, supra; *Conc. Mediol., Aquens.* 1585.)

In ecclesia nemo hæc audeat : deambulare, nugari, circulos habere, negotiis operam dare, altaribus, vel fontibus baptismi adhærere, in limine aut ante fores immorari, aversum ab Eucharistiæ sacramento irreverenter sedere, aut quovis modo irreverenter in ecclesia versari. (*Conc. Mediol.* I, *De ecclesiis et eorum cultu;* et *Aquense* 1585.)

Non pictas imagines et signa adhibeant quæ loci sanctitati non conveniant. (*Conc. Aquens., ibid.*)

Nihil in ecclesia, cœmeterio, vestibulo, porticu, foribusve venale proponatur. (*Conc. Mediol* I et *Aquens.*, supr.)

Nemini cum venaticis canibus vel volucribus ecclesiam ingredi liceat. (*Ibid.*)

Mendici eleemosynæ quæritandæ gratia ne in ecclesiis vagentur. (*Ibid.*)

Altare omne ornatum sit cruce in medio cum duobus ad minus candelabris; tegumentum etiam habeat, et cancellis claudatur. (*Conc. Aquense* 1585.)

Sub noctis horam ecclesiæ fores claudantur. (*Ibid.*)

CAPUT VIII.

De disciplina clericorum in ecclesia, maxime in choro et divinis Officiis.

Chori disciplina, quia plena religionis est, plena pietatis, sancte servanda est... (*Act. Eccl. Mediolan.*, l. IV *De divin. Offic.*)

(Ideo) antequam eo conveniant clerici, paululum attente cogitent loci illius sanctitatem et conveniendi causam. (*Ibid.*)

Dato legitimis temporibus signo præparent se etiam sancta intimi animi meditatione et religiosa oratione, ut exteriorem quoque cultum salubriter exsequantur. (*Conc. Mediol.* I ann. 1565.)

Mature ad ecclesiam progrediantur, cum gravitate tamen et modeste ac sine strepitu. (*Conc. Mediol.* I; *Conc. Bituric.* 1584.)

Nemo ingrediatur vel abdiscedat nisi cum debita veneratione et reverentia. (*Conc. Rem.* 1583.)

In choro gravitatem servent, modestiam et reverentiam, ac pro temporis officiique ratione ex instituto et more Ecclesiæ sedeant, stent, flectant genua, caput aperiant et submittant, et cætera ejus generis ita adhibeant, ut omnes æque idem faciant. (*Conc. Senon.* 1582; *Conc. Mediol.* I 1565, c. *Quomodo in choro versandum.*)

Facessant somnus, risus, joci, rixæ, colloquia. (*Conc. Mediol.* I, *ibid.*)

Absint vanæ, multoque magis fœdæ et profanæ confabulationes. (*Conc. Narbon.* 1551, can. 48.)

Absint etiam quæcunque sacræ rei exsequendæ possunt obesse, repositiones mercium. (*Ibid.*)

Nemo aliis psallentibus seorsim legere aliquid, aut suas Horas canonicas privatim dicere, permittatur, sed moduletur devote cum aliis. (*Conc. Moguntin.*, c. 53; *Aquens.* 1585.)

Concursationes pauperum quorumcunque qui orantibus impedimento sunt, cum sacra fiunt, ab ecclesia arcendæ. (*Conc. Mediol.* I, *De eccles.*, etc.)

Pueri a choro arceantur, nisi qui chorum canendo adjuvant. (*Conc. Rem.* 1583.)

Omnes denique in templo ita se suasque actiones componant, ut sibi non cum homine sed cum Deo rem esse intelligant. (*Ibid.*)

CAPUT IX.

De Horis canonicis, et de disciplina clericorum in cantu.

Septem canonicas Horas non licet a quoquam sacro altarium ministro, qui in conspectu Dei vacuus et ingratus apparere nolit, negligenter præteriri, sed omnes pensum hoc servitutis suæ Domino reddant. (Rupert., *De div. Offic.*, lib. I, c. 1.)

Priusquam vero incipiant, Officium prævenire studeant, ut cor sit ad aliquam devotionem adaptatum. (S. Bonav., *Instit. novit.*, part. I, c. 4.

Horas diurnas præter necessitatem in nocturnas non convertant. (S. Bonav., part. II *Specul.*, c. 1.)

Illas ut studiose persolvant, distincte, continue, integre, ordinate exsequantur. (S. Bonav., *Specul. discip.*, part. II, c. 1.)

Devote vero et cum reverentia ac pausis recitent, non somnolenter, non oscitanter, non præcipitanter. *Syn. Carnot.* 1526; S. Bonav., part. II *Specul.*, c. 2.)

Cantus porro sit religiosus et modestus; ac lex accentuum, atque syllabarum quantitas exacte teneatur. (*Conc. Bituric.* 1584; *Conc. Rem.* 1583.)

Omnes simul cantent, nisi justa causa sint impediti.

Nec cantentur in ecclesia cantica nova et non probata. (*Conc. Bituric.* 1584.)

Ab organis etiam, sicut et ab omni ecclesiastico cantu, quævis musica lascivum quodquam, aut vulgares cantilenas, aut levitates, similesque ineptias referens, omnino arceatur. (*Conc. Burdig.* 1582.)

CAPUT X.

De disciplina circa Missæ sacrificium et cæremonias ecclesiasticas.

Quanta cura adhibenda sit ut sacrosanctum Missæ sacrificium, in quo integer actus religionis est, omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit *maledictum* in sacris litteris eum vocari, *qui facit opus Dei negligenter.* (*Jer.* XLVIII, 10.) Nullum autem aliud opus adeo sanctum ac divinum est. (*Conc. Trident.*, sess. 22, c. 1, *De reformat.*)

Nullus ergo Missam celebraturus accedat illotis ma-

nibus, et habitu sordido, multo minus illota conscientia ac polluta... (*Conc. Rem.* 1585; *Synod. Aquens.* 1585.) Sed prius se colligat, et facta oratione se sacris induat vestibus.

Sacris vero vestibus induti cum nemine colloquantur, nec quemquam exspectent... (*Conc. Mediol.*) Peracta vero Missa gratias agant. Pileum birretum, aut subbirretum, chirotecas, sudariolum, aut quodcunque hujus generis in altare ne ponant. (*Conc. Mediol.*)

Cæremoniæ omnes, quæ signacula sunt pietatis et religionis, exacte et religiose observentur. Ideoque antequam in publico exercere teneantur, prius in secreto per exercitationis usum ediscant. (*Conc. Camerac.* 1565, c. 5, *De cæremon.*)

Tollantur sumptuosa convivia, ludi, choreæ et omnes alii abusus, qui in novæ Missæ celebrationem obrepserunt. (*Conc. Mediol.* I, *De celeb. Miss.*)

Cujusvis vero generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunæ atque illecebrosæ eleemosynarum exactiones prohibeantur.

Nulli primam Missam celebrare liceat, qui ritibus ac cæremoniis institutus non sit. (*Conc. Aquense* 1585.)

Ab omni indecoro et absurdo capitis, oris et reliqui corporis motu abstineant. (*Conc. Mediol.* I.)

Cum reverentia, devotione et modestia Missam attente legant. (*Conc. Paris.* 1557.)

CAPUT XI.

De clericorum incessu et itinere, nec non in religiosis peregrinationibus disciplina.

Clerici sine commendatitiis episcopi litteris, aut sine ejus voluntate nunquam discedant. (*Conc.*, passim.)

In incessu gravitatem ac modestiam præ se ferant... (*Act. Eccles. Mediol., De instit. seminar., Append.* IV, p. III, c. 6) ac decorum sacerdotale in itinere ipso et apparatu conservent. (*Conc. Lim.*, 1582.)

Clericali semper tonsura et habitu licet contractiori utantur. (*Conc. Mediol.*)

Missam quotidie celebrare curent sacerdotes. (*Ibid.*)

Mane singulis diebus præter Officium divinum, itinerarium dicant. (*Conc. Mediol.*, supra.)

Si socium habuerint, sanctis peregrinationibus, exercitationibus atque rebus ad salutem instruere curent. Mulieribus se comites non adjungant, nec iis qui in itinere profanis cantionibus aut musicis instrumentis utuntur. (*Conc. Mediol.* I, *De religios. peregrinationibus.*)

Abstineant a profanis canticis et collocutionibus, sed psalmis vacent, et spiritualibus de Deo sermonibus. (*Ibid.*)

Vesperi ad ecclesiam prius quam ad hospitium divertant. (*Ibid.*)

Si apud religiosos homines diversari possunt, ab hospitiis publicis abstineant. (*Ibid.*)

Si vero tabernas ingredi necessitate compellantur, non omnino se misceant laicis compotantibus. (*Conc. Camerac.* 1565, *De vita et honest. cleric.*, c. 6.)

Nec etiam inutiles faciant aut sumptuosas impensas. (*Conc. Lateran.*, c. 62.)

Cum primum ad peregrinationis locum pervenerint, non rerum novarum curiositates, non loci novitates, etc., consectentur, sed religiosa animi præparatione ecclesias sollicite visitent. (*Conc. Mediol.* I, supr.)

Et sicut egredientes de hospitio armare debet oratio, sic regredientibus de platea oratio occurrat antequam sessio, nec prius corpusculum requiescat quam anima pascatur. (Hier., *Epist. ad Eustoch.*)

Ita denique se gerant, ut eorum moribus, verbis, habituque modesto per omnia glorificetur Deus. (*Conc. Mechliniense* ann. 1570, sub Pio V.)

CAPUT XII.

De mensa clericali, sive de clericorum conviviis, ac illorum in cibo et potu disciplina.

Quia confusio est et ignominia Jesum Christum crucifixum pauperem et esurientem fartis prædicare corporibus, crapulam et ebrietatem devitent; et vini modo pro ætatis et valetudinis ac corporum qualitate utantur... (Cap. *Ecclesiæ principes*, dist. 35; *Conc. Carnot.* 1526; *Conc. Aquisgran.* c. 94; ex Hier., *Ad Nepotian.*)

Publica convivia et comessationes fugiant; facile enim contemnitur clericus qui sæpe vocatus ad prandium ire non recusat. (*Mediol.* IV, *De vita et honest. cleric.*; Hier., *Ad Nepotian.*)

Ad æquales haustus et potationes nec seipsos, nec alios astringant vel provocent. (*Conc. Rem.*)

Quam decet frugalitatem et temperantiam in mensa adhibeant. (*Conc. Mediol.*, c. 1, *De episc. mensa*, etc.

Absint bellaria, placentæ, omniaque saccaro artificiose condita, cæteraque escarum lenocinia. (*Ibid.*)

Absint parasiti... sanniones... scurriles joci... et maledicta... (*Conc. Mediol.* IV, *De vit. et honest. cleric.*)

Nunquam inter epulas cantare aut saltare liceat. (*Conc. Antis.*, c. 40.)

Nec seorsim cum mulieribus comedat. (*Conc. Nicæn.* II, c. 22.)

Accumbens mensæ benedicat.

Sacrorum librorum lectio adhibeatur. (*Conc. Mediol.* IV, supr.)

Ne vero cibi vel potus gratia tabernas ingrediantur, nisi hospitii et peregrinationis necessitate compulsi.

CAPUT XIII.

De clericorum in ludis et recreationibus disciplina.

Sex regulas in recreationibus sibi servandas proponant.

Prima regula. — Nullis unquam recreationibus aut ludis sive divina sive ecclesiastica lege prohibitis vacent.

Recreationum autem clericis prohibitarum genera hæc sunt :

Ludus alearum : trinqueti seu puncti stacarii ; cartarum seu paginarum pictarum ; strophi ; jactus lapidis, clipæi, hastiludii, taxillorum seu talorum ; globorum qui malleis ligneis impelluntur ; marellarum ; follis, id est pilæ majoris ; bollarum ; quillarum ; scatorum nisi raro ; deciorum (7) ; omnis denique sortis ludus, et quilibet alius per quem ecclesiastica honestas inquinari potest. (*Synod. Senon.*, 1524.)

Item fistulæ, vel aliorum musicalium instrumentorum, quibus cum ore seu bucha luditur : choreæ et chorearum spectatio, ex quibus animi levitas et inconstantia dignoscitur ; saltus ; hippodromiæ, torneamenta seu tostæ aut luctæ, jaculari seu gladiari ; cursus in campo pro lucro aut vino. (*Conc. Lingon.*)

Item comœdiæ, fabulæ, thimelici, spectacula, comœdiarum, sive ad bancos circulatorum et buffonum in plateis : larvales ac theatrales joci et tripudia, et his similia ludicra, omnes denique ludi turpes aut ludibriosi. Et mundi vanitates ac pompæ... Aliaque publica vel profana et inania spectacula.

Item charevari, cœtus ubi amatoria cantantur et turpia ; cantica sæcularia, et immoderata lætitia in lyris, tibiis, et his similibus lusibus.

Secunda regula. — Non solum iis lusibus et animi relaxationibus non vacent, sed nec vacantibus intersint.

Tertia regula. — Si aliquando valetudinis causa ludo aliquo licito uti contigerit, raro id faciant, et nunquam publice.

Quarta regula. — Licet privatim iis vacent, caveant tamen ne in iis aliquid reperiatur, quod gravitati, honestati, aut modestiæ ecclesiasticæ parum conveniat.

Quinta regula. — Nunquam ludant cum laicis.

Sexta regula. — Nunquam ludant pro vino, nec unquam pecunia, aut aliud quidquam quod facile pecunia æstimari possit, intercedat in ludo. (*Conc. Mediol.* I, tit. *De armis et ludis.*)

CAPUT XIV.

De venatione et aucupio.

Quia in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem penitus non invenimus, ab omni venationis, præsertim vero clamosæ, et aucupii studio abstineant (8).

Nec canes, nec aves sequantur ad venandum, nec ubi venatur intersint.

Nec etiam canes, nec aves ad venandum aut aucupandum habere præsumant. (*Syn. Eccles. Trecens.*; — INNOC. III, in *Conc. Later.* IV.)

Nec bellico manuali tormento insequantur ad internecionem aves. (*Syn. Massens.* 1626.)

Nec enses, venabula, baculos, aut arma quæcunque portent... (*Synod. Senon.* 1524 ; *Syn. Carnot.* 1520.)

Solatia enim et arma clericorum debent esse orationes et lacrymæ. (*Synod. Senon.*, supr.)

Rogamus vos, fratres, et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis, quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo, sic et ambuletis ut abundetis magis. (*I Thess.* IV, 1.)

(7) *Conc. Lingon.*

(8) S. HIER., *in psal.* XC, *Conc.*, passim.

REGULÆ CLERICORUM FUSIUS TRACTATÆ (9).

SEU COMMENTARIA IN SUPRADICTAM CLERICORUM REGULAM.

PRÆFATIO.

De nomine, dignitate et auctoritate istius regulæ.

Canon Græce, Latine regula nuncupatur ; regula autem, inquit Isidorus, dicta est vel quod recte ducat, vel quod normam recte vivendi præbeat, vel quod distortum pravumque corrigat... (S. ISIDOR., lib. VI *Etymol.*, c. 16 ; refert. dist. 3, c. 1 et 2.) Unde non immerito rectam hanc et clericalem ecclesiasticæ seu canonicæ vitæ institutionem..., quam cæteris institutionibus præstantiorem insinuant SS. Patres concil. Aquisgranensis (can. 115), veram clericorum regulam nuncupamus (10).

(9) *Conc. Mogunt.*, cap. 10, ann. 813.

(10) *Prætulit ordinem vestrum omnibus ordinibus.* (S. BERN. *ad pastor. in synod.*)

Hæc enim est quæ ex canonica auctoritate et sanctorum Patrum dictis excerpta recte ducit clericos in semitam mandatorum Dei et Ecclesiæ.

Hæc eadem docet tanquam magistra virtutum... (S. Cyprian., *De discipl. et habitu virginum*) et religionis... (S. Valerian., hom. 1), qualiter in Domini sortem assumpti in suo ordine vivere debeant in obsequio Christi et ejus sponsæ fideliter in clero deservire.

Hæc tandem efficit, ut omnes qui ecclesiastica professione censentur, per viam propositi sui inoffenso gressu incedere possint, vel ab errore viæ suæ converti, si forte erraverint a veritate. (*Conc. Aquisgr.*, in Præf.)

Quærunt autem multi, et utinam in simplicitate cordis (*Ephes.* vi, 5), utinam tanquam factores legis non judices (*Jac.* iv, 11) ; utinam ex zelo disciplinæ, et... non *in astutia ad circumventionem erroris* (*Ephes.* iv, 14) ! quærunt, inquam, opportune importune, clericalis... illa institutio (S. Bern., *De præcepto et dispens.*, cap. 1) quomodo et quatenus sit pensanda profitentibus eam ; utrum videlicet cuncta quæ continet putanda sint esse præcepta, consequenter et damnosa transgredienti ; an consilia tantum vel monita ; et ob hoc nullius aut non magni ponderis sit ipsorum professio ; nullius aut non gravis culpæ ipsorum prævaricatio. (*Ibid.*) An certe quædam sint deputanda imperiis, quædam pro consiliis reputanda, quo partim ea liceat, partim non liceat omnino prætergredi. (*Ibid.*) Et si hoc ultimum detur, distingui a nobis tunc demum postulant certos ac proprios cujuscunque partis limites, ne cui forte per varias sui sensus opiniones licentius vagandi detur occasio, sicque camelum glutire sæpe contingat (*Matth.* xxiii, 24), si nesciat quantæ curæ vel operæ suæ quibusque debeat observantiis...

Hæc et alia de lege sæpius interrogant nos multi, sed utrum sincere, utrum recte cogitantes apud se ; utrum de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta (*I Tim.* i, 5), an potius ut abscondant tendiculas (*Prov.* i, 11) contra regulam nostram, et ut capientes nos in sermone calumniam parent (*Matth.* xxii, 13 ; S. Ambros.), sicque legem hanc mandatorum cleri quæstionibus suis et nostris responsis evacuent (*Ephes.* ii, 15) : *Judex ego horum nolo esse* (*Act.* xviii, 15) ; *vosmetipsi judicate* (*I Cor.* x, 15) ; prudentibus enim et *scientibus legem loquor.* (*Rom.* vii, 1.)

Vereor tamen ne dum sic ea de lege curiosius illi perscrutantur, *quæ quæstiones magis præstant quam ædificationem Dei quæ est in fide* (*I Tim.* i, 4), excidant a simplicitate (*II Cor.* i, 12), quæ est in Christo, et nimium prudentes apud semetipsos (*Rom.* xii, 16) derelinquant tandem viam rectam (*Psal.* cvi, 7) ut errent in vanitate sensus sui. (*Ephes.* iv, 17.)

Sic enim multi per inanem hanc fallaciam decepti (*Coloss.* ii, 8), circa hanc regulam naufragaverunt (*I Tim.* i, 19), et quæstionibus humanæ sapientiæ magis quam veritati et obedientiæ Christi attendentes, hanc clericalem vivendi formam ita penitus abjecerunt, ut jam religionis antiquæ non solum virtutem amiserint, sed nec speciem retineant... (S. Bern., *Apolog. ad Guillelm. abbat.*) Ubique enim illam ita aperte erubescunt, ut ubique confundantur videri clerici. (S. Bern., epist. 78.)

Quia autem multi sunt etiam ex iis, quos mandatorum ita gravat auctoritas ut plus metuant pondus legis quam peccati (S. Bern., epist. 42) : qui non solum disciplinam omnem penitus abjiciunt et erubescunt, sed etiam conversi in vaniloquium (*I Tim.* i, 6) falsa et dolosa aperte adversus illam loqui non desinant : ita ut indurati maledicant etiam viam Domini coram omni multitudine (*Act.* xix, 9).... venena lethalia linguis pestiferis evomentes, et serpentis ore fallentes. (S. Cypr., *De unitate Eccles.*)

Quidam etiam, quod pejus est, in ordine nostro, quod in suo mirabatur sanctus Bernardus, sub humili (religionis) habitu et tonsura regulam (hanc) odiosa contentione infringunt... (S. Bern., epist. 42), ita ut abducant etiam discipulos post se (*Act.* xx, 30), deceptos nempe sub dolosa imagine sanctitatis. Ne (in posterum sic) matris Ecclesiæ disciplina deseratur, aut ejus pro clero tam necessaria præcepta passim conculcentur (Urban. II, relat. cap. *Excommunicator.* 23, qu. 5) ; audiamus quænam sit regulæ istius irrefragabilis auctoritas : inquiramus quomodo... inconvulsis apud nos vivere debeat illa radicibus, cui decreta Patrum sanxere reverentiam. (Zozimus Pap., 25 qu. 1, c. 7.) Perscrutemur quomodo omnes clerici ita sint debitores universæ illius faciendæ (*Galat.* v, 3), ut nullus cujuscunque gradus aut conditionis exsistat in clero possit illam impune irritam facere.

Hoc autem passim declarant Summi Pontifices, et ipsa etiam universalis Ecclesia, quorum proinde decreta et oracula nobis hic referre sufficiet : scriptum est enim : *Interroga patres tuos et annuntiabunt tibi ; majores tuos et dicent* (*Deut.* xxxii, 7) ; nec immerito, ipsi enim testimonium perhibent de lege nostra. Et sciunt omnes quia verum est testimonium illorum.

Obstruatur ergo os loquentium adversa, et meditantium dolosa ; obmutescat imprudentium hominum, tam laicorum quam clericorum, insurgentium in hanc legem vel ignorantia, vel temeritas : Non enim sapientiores sumus quam patres nostri (inquit sanctus Bernardus, epist. 77) ; et (ut ait sanctus Clemens I, epist. 1), quid injustius vel inhonestius quam filios patribus rebelles, aut clericos vel laicos doctoribus, seu discipulos magistris inobedientes vel protervos exsistere...inclinemus igitur aurem nostram in verba oris eorum (*Psal.* lxvii, 1) : ipsi patres nostri sunt ; sed et ipsi judices nostri erunt. (*Matth.* xii, 27.)

1° Sanctus Clemens (epist. 1) : Hæc præcepta, inquit, nemo credat absque sui periculo negligere,

vel dissimulare, quia in judicio Dei ignis æterni tormenta sustinebit, qui ecclesiastica decreta neglexerit.

2° Sanctus Damasus (refert. 25, qu. 1, c. 5) : Violatores canonum voluntarii graviter a sanctis Patribus judicantur; et a sancto Spiritu (instinctu cujus ac dono dictati sunt) damnantur, quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongrue videntur qui contra eosdem sacros canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut præmissum est, aliquid aut proterve agunt aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum sanctum, quæ, ut jam prælibatum, contra eum agit cujus nutu et gratia sancti canones editi sunt.

3° Sanctus Cœlestinus (refert. dist. 38, c. 4) : Nulli sacerdotum liceat canones ignorare nec quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim res a nobis digne servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa frangatur ?

4° Sanctus Leo (epist. 1, in fin., *episc. Campan.*, refert. dist. 19, c. 1), referente Nicolao Papa in *Epistola ad archiepiscopos et episcopos Galliæ* (Hæc S. Damasus, epist. 4, in fin ; refert. 25, qu. 1, c. 12): Omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii quam omnium decessorum nostrorum quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum ordinata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Dicendo autem omnium decessorum nostrorum, inquit Nicolaus Papa, nullum Pontificum Romanorum, qui ante se fuerunt, excepit, cujus ita non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.

Idem ad episcopos Siciliæ scribens : Omnia, inquit, instituta canonumque decreta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permaneant. (S. Leo, epist. 4, cap. 7.) Et in nullo patiamini pia canonum decreta violari. (Id., epist. 85, c. 2, *ad episcopos Africæ.*)

Ubi, inquit idem sanctus Leo apud sanctum Bernardum (*De præcept. et dispens.*, c. 4), necessitas non est, nullo modo SS. Patrum instituta violentur. Ubi ergo necessitas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ, quæ potestatem habet, ea dispenset ; ex necessitate enim fit mutatio legis.

5° Sanctus Gelasius (apud Bern., *ibid.*) : Ubi necessitas non est, inconvertibilia maneant SS. Patrum decreta.

6° Hilarius in synodo Romana (refert. 25, qu. 1, c. 4) : Nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones, vel apostolicæ Sedis decreta temerare.

7° Symmachus in sexta synodo Romana (refert. dist. 10, c. 2) : Non licet, inquit, cuiquam pietatem custodienti aliquid contra divina mandata præsumere, nec quidquam quod evangelicis, propheticis aut apostolicis regulis obviet, agere.

8° Hormisdas (epist. 1, *ad S. Remig. Rem. episc.*) : Paternas igitur regulas et decreta sanctissimis definita conciliis ab omnibus servanda mandamus. Ibi fas nefasque præscriptum est. Ibi prohibitum ad quod nullus audeat aspirare ; ibi concessum quod debeat mens Deo placitura præsumere.

Idem episcopis Hispaniæ scribens (refert. 25, qu. 1, c. 9) : Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, et a constitutis Patrum nullatenus deviare.

9° Sanctus Gregorius (lib. II, epist. 7, seu cap. 46, *ad Joan. episc.;* refert. 25, qu. 1, c. 13) : Hac consona sanctis Patribus definitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, nec communionem capere sit dignus altaribus.

Et alibi : Nullatenus sane alicui fides sanctorum proderit qui eorum canonicis atque moralibus præceptis non obedire, sed pertinaciter resistere studuerit. (S. Greg.)

10° Agatho Papa omnibus episcopis scribit (refert. dist. 20, c. 2) : Sic omnes apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divini Petri voce firmata sint.

11° Leo IV (refert. dist. 25, qu. 1, c. 16) : Ideo permittente Domino pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri in sanctis affixere canonibus, excedere minime debeamus : contra eorum quippe saluberrima agimus instituta si quod ipsi divino statuerunt consilio intactum non conservamus.

Zacharias (epist. 4, in med.) : Hoc, inquit, sanctitatem tuam firmissime ut teneas hortamur, ut sanctorum Patrum institutis et consultis sacrorum canonum omni modo obsequi debeas, quia nos nullatenus aliud prædicamus et aliud agimus.

12° Greg. IV (refert. dist. 18, c. 5) : Nulli fas est vel velle, vel posse transgredi apostolicæ Sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium.

13° Stephanus (refert. dist. 19, c. 4, *Enimvero*) : Enimvero quia in speculum et exemplum sancta Rom. Ecclesia, cui nos Christus præesse voluit, proposita est, ab omnibus quidquid statuit, quidquid ordinat, perpetuo et irrefragabiliter observandum est.

14° Nicolaus I (*Epist ad Photium;* refert. dist. 20, c. 2) : Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi; si vero habetis, et non observatis, de temeritate estis corripiendi et increpandi.

Idem (*Epistola ad archiep. et episcopos per Gallias constitutos*) : Quæ Sedes apostolica pro catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis et multifariis Ecclesiæ necessitatibus, et fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debent honore præferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi.

15° Adrianus II (epist. 9, *ad synod. Trecens.*) : Si Sedis apostolicæ præsul, vel ipsius decreta dete-

stationi vel abdicationi habentur, nullius vestrum vel nostrum ultra institutum firmum aut stabile permanere valebit.

16° Concilium Urbinate (ann. 1569) sub Pio V et ab eodem approbatum : Generatim, inquit, quæcunque alia ad vitam et honestatem clericorum pertinentia statuta sunt, vel a generalibus conciliis, vel constitutionibus apostolicis, vel ab eadem Tridentina synodo hac in parte specialiter innovata, ab eisdem clericis districtius observari mandamus.

17° Concilium Gnesnense (ann. 1621) a Gregorio XV approbatum et confirmatum : Monentur omnes in sortem Domini vocati ut, vocationis suæ memores, omnia ea quæ de vita et honestate clericorum tam in jure communi, et in sacra Tridentina synodo, atque in constitutionibus provincialibus et diœcesanis sancita sunt, his præsertim temporibus calamitatis, quibus ira Dei in nos desævit, observent.

18° Urbanus VIII, in edicto ejus mandato edito (ann. 1614) a Joanne Garzia vicario generali Romanæ curiæ : Quod spectat ad eorum vitam et mores, abstineant clerici ab omnibus quæ ipsis a sacris canonibus et conciliis sive particularibus sive universalibus prohibita sunt.

Quid ad tot Summorum Pontificum decreta respondebunt legis nostræ, hoc est, ecclesiasticæ disciplinæ et Ecclesiæ canonum adversarii? quid post tot sanctorum Patrum manifesta testimonia ?

Conventus sanctorum istorum non est multitudo popularis ; non solum filii, sed et Patres Ecclesiæ sunt, de quibus prædictum est : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii ; constitues eos principes super omnem terram* (*Psal.* XLIV, 17) ; ex qua filii regenerati sunt, ut hæc discerent ; ejus patres facti sunt, ut docerent. (S. Aug., lib. II *contra Julian.*) *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, inquit Sapiens (*Prov.* III, 5).... Prudentiæ autem tuæ nimium sane inniteris, ait Beda (11), si ea quæ tibi agenda vel dicenda videntur tot sanctorum Patrum decretis præponis.

Sed ut penitus illi confundantur qui post tantam impositam nubem testium insurgere adhuc non cessant adversus hanc regulam et conturbant nos, ipsius etiam universalis Ecclesiæ oracula audiamus. Si enim sanctos Patres non audiunt, saltem Ecclesiam audient.

Concilium œcumenicum Chalcedonense (act. 15, can. 1) : Regulas a sanctis Patribus in unaquaque synodo usque nunc prolatas teneri statuimus.

Concilium Constantinopolitanum (IV, act. 10, can. 1) : Ut rectam regiamque divinæ justitiæ viam sine erroris offensa teneamus, sanctorum Patrum decreta veluti inexstinctæ quædam semperque lucentes faces sequenda sunt ; quapropter sanctiones Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ per traditionem tam a sanctis omnique laudis præconio celebrandis apostolis, quam ab orthodoxis, œcumenicisque et provincialibus conciliis, aut a divino aliquo Patre et doctore Ecclesiæ acceptas, servandas custodiendasque profitemur, etc.

Concilium Lateranense (IV, sub Innocentio III, c. 6, *De conc. provinc.*) : Sicut olim a SS. Patribus noscitur institutum, metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant concilia celebrare, in quibus de corrigendis excessibus et moribus reformandis, præsertim in clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, et maxime quæ statutæ sunt in hoc generali concilio relegentes, ut eas faciatis observari debitam pœnam transgressoribus infligendo.

Concilium Constantiense (ann. 1414, sub Martino V, sess. 43, *De vit. et honest. cler.*) : Præter cætera, quæ circa vestes, tonsuram, et habitus clericorum tam in formis quam in coloribus, atque comam seu capillos, vitamque et honestatem clericorum jura statuunt, et quæ nimium collapsa sunt tam in sæcularibus quam in regularibus, sacro approbante concilio, innovamus et præcipimus diligenter observari.

Concilium Tridentinum (sess. 22, *De reformat.*, cap. 1), receptum in conciliis generalibus cleri Gallicani Parisiis congregati, ann. 1615, ubi subscripserunt tres et quadraginta episcopi, et decem archiepiscopi : Statuit sancta synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus et a sanctis conciliis de clericorum vita et honestate, cultu, doctrinaque retinenda ; ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio ordinarii imponendis observentur. Nec appellatio exsecutionem hanc quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si quæ vero ex his in desuetudinem abiisse comperierint, ea quam primum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant non obstantibus consuetudinibus quibuscunque.

Et sess. 25, cap. 18 : Sciant universi sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita ac summa maturitate atque gratis, a quibuscunque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.

Regulas ergo pro vita et moribus clericorum tam in synodis provincialibus quam ab œcumenicis, atque etiam a SS. Patribus et Summis Pontificibus traditas, ab omnibus, quoad fieri poterit, indistincte observandas tradit universalis Ecclesia. Et hoc est regulæ nostræ et ejus irrefragabilis auctoritatis immobile fundamentum.

Utquid ergo jam frustra de ejus obligatione adhuc inquirunt ? Regula nostra sunt ipsa sanctorum Patrum et Ecclesiæ divina decreta (*Concilia* passim) a Deo condita (S. Leo, epist. 84), Spiritu

(11) Beda, citatus sub nomine Hieron. in *Parabol. Salomon.*, c. III ; Extravag. *De constitut.*, c. 5.

ejus firmata (*Conc. Attiniacense*), et totius orbis reverentia consecrata. (S. Leo, epist. 84.)

Nunquid ergo insolentissimæ insaniæ est, inquit sanctus Augustinus (*Epist. ad Januar.*), quod per universum orbem commendat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare? Suscipienda ergo, non discutienda; veneranda, non dijudicanda. (S. Bern., epist. 77.) Cum enim plus videant oculi quam oculus, quid absurdius quam ut privatam sententiam Patrum judicio et universæ multitudinis quis anteponat.... ? (*Conc. Bituric.* 1584.) Nimium sane inflatus est ac tumidus qui (hujus regulæ) contradictor vel subsannator exsistit. (*Conc. Meldens.* 845, c. 13.) Sed nimium etiam contumax est, qui licet non aperte contradicat, vult tamen inquirere, hæsitare, discernere (Petr. Blesens., epist. 131), aut differre. In contractu enim obedientiæ non habet disputatio aut disceptatio locum. Nam si in discussionem seu suspicionem ea quæ tibi sunt mandata deduxeris, ad lignum scientiæ boni et mali manum prævaricationis extendis. Nimis delicata est hæc obedientia transiens in deliberativum genus causæ : non est hoc in auditu auris obedire, sed in ara cordis.... (S. Bern., *De præcept. et disp.*, c. 10.) Non est hæc regularis, id est canonica obedientia sine mora, sed astutia tergiversatrix et aperta superbia. (Petr. Bles., supr.)

(Certe) si non parvæ stultitiæ constat, si quis cujuslibet unius hominis sano consilio acquiescere detrectat, quanto magis reprehensibile videbitur, si quis imprudenter resistat hujusmodi conciliorum statutis, non unius sed plurimorum sapientum auctoritate et judicio prolatis atque probatis (11*).

Hæc ergo sacrosancta cleri regula sit nobis unica via, in qua sine offensione semper ambulemus... Illius enim instituta si non profitentibus (multa) monita tantum seu consilia censenda sunt, nec gravant non observata, profitentibus tamen in præcepta, prævaricantibus in peccata fiunt. Si illis voluntaria vel factitia, istis necessaria et tanquam naturalia non immerito reputantur (12).

Cæterum cum obedientiam quæ præcepti tantum finibus cohibetur, noverimus imperfectam, quomodo viam hanc mandatorum declinaremus, qui semitam etiam consiliorum currere debemus corde magno et animo volenti. (S. Bern., *De præcept. et disp.*, c. 6.)

Perfecta obedientia, inquit sanctus Bernardus (*Ibid.*), legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis suæ, largiori voluntate fertur in altitudinem charitatis ; et ad omne quod injungitur spontanea, vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur. Hæc est illa de qua signanter apostolus Petrus: *Castificantes*, inquit, *corda vestra, in obedientia charitatis* (*I Petr.* I, 22), pulchre illam sequestrans ab illa inerti et servili obedientia quodammodo nec charitati prompta sed obnoxia necessitati. Hæc justi illius cui lex posita non est (*I Tim.* I, 9), propria est, non quod vel ille perfectus vivere debeat sine lege ; sed quia non sit sub lege ; minime quippe contentus voto (seu vinculo) suæ professionis quam superat animi devotione.

Hoc igitur sanctæ obedientiæ spiritu repleti, promulgata per ora doctorum sancti Spiritus edicta sequamur, ne per nos apostolorum labor evertatur : ædificium quod doctores Ecclesiæ fundaverunt, nobis impugnantibus obruatur ; et lex Ecclesiæ, quam clericalis ordo constituisse dignoscitur, per eumdem rursus ordinem e contrario destruatur. (S. Petr. Dam., *Contra cleric. intemper.*, opusc. 8, c. 1.) Faciamus quodcunque dixerunt qui præsunt loco quem elegit Dominus, et docuerunt nos juxta legem. (S. Bern., epist. 42.) Si quis enim tentat excipere, inquit Bernardus, conatur decipere. Custodiamus omnia quæ præceperunt, et qualiter ab antiquo inter Ecclesias ordinatum est. (*Ibid.*) Res enim hæc est antiquæ religionis, perfectæ in Christo fundatæ pietatis. Antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei (et cleri ejus) a tempore etiam prophetarum præmonstrata. (*Ibid.* Et tract. *De vita solitaria, ad fratr. de Monte Dei.*) Majorum vero institutionibus contraire et sanctorum Patrum decreta convellere, quid aliud est quam vinculum societatis Christi abrumpere, et usurpatæ præsumptionis licentia statum totius Ecclesiæ dissipare. (*Conc. Toletan.* XII, cap. 4.)

Non declinemus neque ad dextram neque ad sinistram. (*Deut.* V, 32.) Minima enim ad utramque partem inclinatio periculosa. (S. Greg. Nazianz., *Orat.*) Et quia regula nec addi sibi quidquam nec demi sustinet, alioquin hoc ipsum quod regula est amittit ac perdit (S. Chrysost., hom. 12 *in Ep. ad Ephes.*); regulam enim, ut ait Gregorius Nazianzenus (orat. 26), additio aliqua aut subtractio labefactat : hanc ad litteram, sicut de suis regulis optaverunt sancti (S. Cæsar.), observemus (S. Francisc.), ut sic *iota unum aut unus apex non* prætereat *a lege donec omnia fiant* (*Matth.* V, 18), sicque regula nostra... manentibus terminis quos constituerunt Patres nostri, pura, integra et inviolata permaneat.

Sic facientes ambulabimus non tanquam clerici quidam filii Belial et sine jugo, qui quod sequantur ignorant, quos (ut ait concilium Aquisgranense, cap. 101) neque inter laicos sæcularium officiorum studia, neque inter clericos religio retentat divina ; quos solutos atque oberrantes sola turpis vita complectitur et vaga ; qui denique habentes signum religionis, non religionis officium, quasi animalia libertate ac desiderio suo feruntur. (*Rituale Aurelian.* in Præfat.) Sic etiam ambulabimus non ut alii quidam, qui

(11*) *De conciliorum nationalium et provincial. sanctionibus observandis.* Exstat tom. *Concil.* post Conc. Rom. I sub Greg. VII.

(12) S. Bern., *De præcept. et disp.*, c. 2. Vid. etiam cap. 2, ubi de ecclesiasticis institutis. Idem de hac regula loquitur, quæ pro libito sine offensa mutari non potest.

seipsos fallaci et mortali circumventione decipientes (S. Cypr., epist. 64), velamen suæ devotionis habent libertatem aut consuetudinem ; sed tanquam obedientiæ filii captivantes intellectum et nosmetipsos in obsequium ejus quæ habet consilium et spiritum Sponsi sui, qui inter ubera ejus commoratur (*Cant.* I, 12) : quam qui audit Sponsum ejus audit ; qui non audit est tanquam ethnicus et publicanus. (*Matth.* XVIII, 17.)

Confortamini ergo et viriliter agite in lege (hac) *quia in ipsa gloriosi eritis.* (*I Mach.* II, 64.)

Hæc, fratres charissimi, et alia quæ Patrum regulis continentur in labiis et in cordibus nostris indivisa retractatione meditemur, et, sicut scriptum est (*Deut.* VI, 6-9), narremus ea filiis nostris, ut ea meditentur in cordibus suis sedentes in domo, ambulantes in itinere, dormientes atque surgentes, quia beatus in Domino qui in lege ejus meditatur die ac nocte (*Psal.* I, 2), etc. Et si fidelibus sine intermissione incumbimus institutis, separamur a vitiis, dum impensa cura divino operi, humano locum non reliquit errori. (Hormisd. Papa, epist. 25; tom. II *Concil.*)

Qui sacris canonibus repugnare non metuunt, ipsum procul dubio Spiritum a quo promulgantur offendunt. (B. Petr. Dam., dissertat. prima *contra clericos intemperantes*, cap. 3.)

PARS PRIMA.

DE PRÆVIA CONSIDERATIONE ET MATURA DELIBERATIONE AD HUJUS SACROSANCTI ORDINIS INGRESSUM NECESSARIA.

CAPUT PRIMUM.

Quia nulla capitalior Ecclesiæ pestis est, nulla exsecrabilior pernicies quam quod temere clericatum ambiunt multi, temere sacerdotio inaugurantur, antequam dignitatis clericalis sedula meditatione animum instruxerint, antequam vires suas animumque cum ecclesiasticis muniis legibusque contulerint ; antequam obligationem quam in ordinatione suscipiunt, frequenti cogitatione perpenderint :

(Ideo) nullus in sacrum clericorum ordinem referri se patiatur, aut in ecclesiasticum ac divinum hunc statum inseri, priusquam istius instituti rationem ac dignitatem sedulo apud se perpenderit. (Halier., *Monit. ad ordin.*, § 41, n. 5.)

Quis enim, inquit Christus, *volens turrim ædificare non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare et non potuit consummare?* (*Luc.* XIV, 28-30.)

Cum autem inter omnes status Ecclesiæ desolatione admodum desolatus sit clerus, eo quod non sit in eo qui recogitet corde (*Jer.* XII, 11), attendat præcipue et videat quilibet sacri illius ordinis candidatus cui se muneri addicat, quibus se legibus obstringat, quod jugum a die sacræ ordinationis sibi ab Ecclesia imponendum subeat ; an viribus suis consentaneum onus ; an vero ipse tanto oneri aptus exsistat... (Halier., *Monit. ad ordin.*, § 1, n. 4.) Hoc enim est futuri operis sumptus computare. (S. Chrysost., lib. IV *De sacerdot.*, c. 2.)

Utinam, inquit sanctus Bernardus (*De convers.*, c. 29) scribens ad omnes clericos, utinam turrim hanc inchoaturi (vitæ scilicet clericalis et perfectæ), sedentes computarent, ne forte sumptus non haberent ad perficiendum ! Utinam qui continere non valent, perfectionem temerarie profiteri aut cœlibatui nomina dare vererentur ! Sumptuosa siquidem turris hæc est : verbum grande quod non omnes capere possunt..... Esset autem sine dubio *melius nubere quam uri* (*I Cor.* VII, 9), et salvari in humili gradu fidelis populi, quam in cleri sublimitate et deterius vivere et districtius judicari..... (S. Bern., *De convers. ad cleric.*, cap. penultimo.)

Quicunque ergo ad gradus ecclesiasticos condigne ascendere voluerit, intelligat quatenus secundum possibilitatem intellectus sui in eo gradu ubi constitutus est Deo militare et seipsum valeat custodire... (*Conc. Rem.* II.)

Nulla enim res magna probationis et explorationis est expers... (S. Greg. Nazianz., orat. 10.)

Magnum vero prorsus et mirabile est ministrum esse Christi et mysteriorum Dei dispensatorem..... (S. Bern., *De convers. ad cleric.*, c. 22.)

Audacter loqui videar, cum tamen minus quidquam illud sit, quod dicam, quam quod cleri dignitas jubeat dicere : dicam tamen, et vere dicam : non minus serio unicuique ad clericatus ordinem et professionem, quam ad monasterii ingressum aut votorum regularium emissionem de statu vitæ amplectendo esse eligendum. (Halier., *Monit. ad ordin.*, § 1, n. 5.)

Quidni ? Annon in concilio Arelatensi (*Concil. Arelat.* III, c. 1 et 2) et alibi passim clericatus professio, sicut et monasterii ingressus, conversio dicitur ?... Annon et religiosus status nuncupatur ? (*Synod. Castellana et Hortana* an. 1626.) Annon et perfectionis professio ? (S. Bern., *De conv. ad cleric.*, cap. 21, 22.)

Annon vere dixit quidam (Innoc. III) : Senatus sanctorum clericorum longe præeminet cœtui mona-

chorum? (Alexand. III, *Epist. ad Strigoniens. et Coloniens. archiepisc.*, relat. in Appendice conc. Lateran. III, part. v, cap. 6.)

Annon monasticus ordo, secundum sanctum Dionysium (*De Eccl. hierarch.*, p. I), debet sequi sacerdotales ordines, et ad eorum tantum imitationem ad divina ascendere?

Annon verum est sancti Isidori effatum, eos qui sacerdotum munere funguntur sanctiores ac puriores illis esse oportere qui ad montes confugerunt? (S. Isidor. Pelus., lib. II, epist. 284, *Palladio episc.*)

Annon etiam recte dicit sanctus Thomas (2-2, qu. 184, art. 8, ad 4): In hoc quod religiosi laïci assumuntur in clericatum et ad sacros ordines, manifeste promoventur ad melius?...

Et in clerico ordinato major sanctitas interior requiritur quam requirat religionis status; et si in sacris sit constitutus, gravius peccat quam religiosus qui non habet ordinem sacrum, si quid agat contrarium sanctitati (*Ibid.*).... Et sanctus Bernardus (*ad pastores in synodo*): Prætulit, inquit, ordinem vestrum omnibus ordinibus.

Annon tandem, si sanctis passim credimus, major non solum pontifici vel sacerdoti, sed etiam clerico vitæ integritas quam monacho necessaria est?

Hoc enim satis innuit Syricius cum eos tantum ex monachis ordinandos permittit.... quos morum gravitas et vita, et fidei institutio sancta commendat.

Hoc Gelasius qui jubet (epist. 1, c. 3), ut monachi vita, qui ad clericale munus accedit, inprimis præteritis acta temporibus inquiratur.

Hoc Augustinus (epist. 76; refert. 16, q. 1, c. *Legi*) asserens quod... bonus monachus vix bonum clericum facit... Et quod ii qui ex monasteriis ad militiam clericatus eliguntur, ad aliquid melius eliguntur.

Ex eis etiam, inquit (*Ibid.*), qui in monasterio permanent, non nisi probatiores in clerum assumere solemus... Melior enim ille gradus est, inquit Zacharias Papa. (Epist. 7, capitul. 17.)

Hoc Hieronymus ad monachum quemdam: Sic, inquit, vive in monasterio ut merearis fieri clericus.

Hoc etiam concil. Trid. statuens... ut regulares quoque non in minori ætate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur.

Cum ergo nullus nisi profunda et matura deliberatione habita sanctum monachorum institutum subire audeat; quam temerarium et audax facinus in sanctissimum cleri ordinem nulla præhabita deliberatione involare, et sacram professionis nostræ benedictionem inconsulto præripere.... Si vasa impudenter contacta pœnam merentur (inquit S. Ephræm, *De sacerdot.*), quid de sacerdotio (quid de clericatu), impudenter ac temere assumpto.... Core, Dathan et Abiron hiatu terræ absorpti sunt et viventes in infernum detrusi (*Num.* XVI, 31-33).... Ne quis, inquit Augustinus (serm. 98 *De temp.*), præsumptione superbi spiritus, non sibi a Deo datum sacerdotii munus invaderet.... Domus illius domus orationis est, non intrusionis... (Petr. Blesens. *Epist.*) Hæc cogitet apud se quilibet in atriis Domini adhuc constitutus, hæc serio meditetur, in his sit, instet in illis (*I Tim.* IV, 15, 16).... ne temere sese ingerat in sanctuarium Dei, et reverenda ipsis quoque spiritibus angelicis ministeria apprehendat sine reverentia, sine consideratione. (S. Bern., *De conv. ad cler.*, c. 19, vel 21.)

Grande enim periculum ne sine divini judicii reverentia temerarius sic ad ordines irruens, sine misericordia ut indignus ejiciatur, violatæque religionis pœnas subeat, qui ad sacra ministeria irreligiosus accessit... Talis sane si non reprobus, saltem maledicto proximus, cujus consummatio in combustione. (*Hebr.* VI, 8; Halier., *Monit. ad ordin.*, § 4, n. 26.)

Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti; tametsi ita loquimur. (*Hebr.* VI, 9.)

CAPUT II.

De perfectione clericorum in genere.

Quia duas res profitetur clericus, inquit sanctus Augustinus (serm. 1 *De comm. vita clericor.*), et sanctitatem et clericatum, cogitet primum qui sacro huic ordini cupit inseri, ad majorem se de cætero probitatem, modestiam, gravitatem, continentiam, paupertatem, charitatem obligandum esse.

Assumptio enim religiosi nominis (quod scilicet assumunt in clero), sponsio est devotionis, inquit Salvianus. (Lib. II *Ad Eccl. cathol.*) Et cum in sanctorum numero sint clerici, necessitatem bene vivendi se assecutos esse sciant, non licentiam peccandi. (*Conc. Senon.* ann. 1528.) Ideoque quilibet clerum ingrediens perfectiorem sibi vitæ rationem amplectendam esse proponat, non solutiorem. (Halier., *Monit. ad ordinand.*, § 4, n. 5.)

Hanc enim sibi perfectius vivendi legem imposuerunt clerici, ut nempe qui laicis omnibus dignitate præcellunt, morum quoque sanctitate præfulgeant. (*Ibid.*)

Qualis, inquit sanctus Hieronymus (*in cap.* II *Epist. ad Tit.*; refertur 8, q. 1, c. *Qualis*), erit ædificatio discipuli, si intelligat se magistro esse majorem. Unde non solum episcopi, presbyteri, diaconi debent magnopere providere ut cunctum populum cui præsident conversatione, sermone, ac scientia præcedant; verum etiam et inferioris gradus, exorcistæ, lectores, æditui, acolythi, et omnes omnino qui domui Dei deserviunt; quia vehementer Ecclesiam Dei destruit meliores laicos esse quam clericos. Totius namque familiæ Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite. (S. Leo, epist. 85, *al.* 87, *ad episc. Afric.*, c. 1.)

In nullo ergo sit minor qui cunctis est potior. (S. Chrysost., hom. *De eo qui incidit in latron.*)

Nec etiam sufficere ad salutem arbitremur si tur-

bis negligentium aut quorumlibet indoctorum fidei vel actibus adæquemur, quibus sacris litteris unica est credendi pariter et vivendi regula præscripta. (Beda, *in Matth.*; refertur 8, q. 1, c. fin.)

Magna certe confusio est sacerdotum, et omnium clericorum, inquit sanctus Chrysostomus (*Opus imperf. in Matth.* cap. xxi, hom. 4), quando laici inveniuntur fideliores eis aut justiores : quomodo autem non sit confusio esse illos inferiores laicis, quos etiam æquales esse confusio est.

Vilissimus nempe computandus est, inquit concilium Andegavense (ann. 1293), nisi sanctitate præcellat, qui est honore præstantior.

Quid etiam interesset inter populum et sacerdotem, inquit sanctus Ambrosius (lib. iii, epist. 25, *ad Vercellens.*, tom. V), si iisdem astringerentur legibus ? Debet præponderare vita sacerdotis sicut præponderat gratia... Solvat ergo unusquisque calceamentum pedum suorum (*Exod.* iii, 5), detritæ et popularis viæ deponant pulverem, qui viam Domini ambulare desiderant (*Josue* v,16); et dum populus deorsum stat, montem cum sacerdotibus ascendant (*Exod.* xxiv, 1 seq.) : nihil enim in sacerdotibus plebeium requirit, nihil populare, nihil commune cum studio atque usu et moribus inconditæ multitudinis. Sobriam a turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis. (S. Amer., lib. iii, epist. 3, *ad Iren.*) Quomodo enim observari potest a populo, qui nihil habet secretum a populo, dispar a multitudine? (*Ibid.*) Quid in te miretur, si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat; si quæ in se erubescit, in te quem reverendum arbitratur offendit. (S. Greg. , hom. 17 *in Evang.*)

Ne ergo miserrima illa confusio, quam etiam Dominus per Oseam olim comminatus est, in nobis impleatur : *Et erit sicut populus sic sacerdos* (*Osee* iv, 9)... supergrediamur plebeias opiniones et strata quædam gregalis conversationis ac detritæ viæ orbitas et vulgaris semitæ solum declinemus... (Origen., hom. ii *in Jerem.* xv) ut dicere possimus cum propheta : *Solus sedebam* (*Jer.* xv, 17) : Quandiu enim vitam multitudinis imitamur, nec conversatio nostra a populo est melior; non possumus dicere, *solus sedebam*; sedemus quippe cum plurimis. Quando vero vita nostra fuerit talis, ut nullus nobis sensu, sermone, gestis coæquetur, tunc possumus dicere *solus sedebam*, sicut Jeremias sacerdos. (Talis autem decet ut sit in Ecclesia quilibet clericus.) Quod enim de sacerdotibus sanctus Bernardus (lib. iii *De consid.*, cap. 7 ult.), hoc de omnibus clericis dici potest : aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt.

Meminerint igitur omnes dignitatis suæ, inquit synodus Florentina (ann. 1637), per quam facti propiores Deo, indignum sibi reputent ad prava laicorum studia descendere, eorumque incompositos mores imitari.

Emendatiorem esse convenit populo, quem necesse est orare pro populo. (Hormisd., epist. 25; tom. II *Concil.*)

Clericos enim, super quos invocatum est nomen sanctum Domini, oleum sanctæ unctionis effusum ad divina ministeria rite pertractanda (ita) sanctos esse oportet, quia et Dominus, qui illos sanctificat, sanctus est, (ut) quantum dignitas ecclesiastici gradus ordini laicali præcellit, tantum sit inter utriusque mores ac vitam discriminis... (*Synod. Ravenn.* ann. 1607.) Ut sidera ergo in hoc terreno Ecclesiæ cœlo debent præfulgere, inquit synodus Massensis anni 1626.

Tanta (insuper) decet eum, qui regendos alios suscipit gloria virtutis excellere (inquit sanctus Chrysostomus hom. 10 *in I Epist. ad Tim.*, c. iii) ut instar solis, cæteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret... Ideoque clerici, inquit concilium Senonense (ann. 1583), non solum ab omni vitiorum turpitudine longissime abesse, sed etiam omni virtutum genere ornari debent, *spectaculum facti*, ut ait Apostolus, *mundo, angelis, hominibus* (*I Cor.* iv, 10), etc., *inomnibus exhibentes seipsos sicut Dei ministros.* (*II Cor.* vi, 4.)

Unde Gregorius : Cum de Ecclesiæ præfectura agitur, prodeant in medium qui longe omnibus præstant, quique animi virtute tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saul (*I Reg.* x, 23) Hebræorum gentem universam excelluit (S. Greg., *Pastor.*, c. 9); seu potius multo etiam magis. Quanta enim inter sese differentia homines rationis usum habentes, et bruta ratione carentia dissident, tantum sane discrimen inter eum qui pascit, atque eos qui pascuntur esse velim : ut ne majus etiam exigam... vel, ut alibi ait idem sanctus, quasi inter bruta animalia petra salis esse debet, ut quisquis sacerdoti jungitur quasi e salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur... (S. Chrysost., hom. 17 *in Luc.* x.) Debet ergo vitam habere immaculatam atque compositam, ut omnes in illum et in ejus vitam veluti in exemplar aliquod excellens intueantur... (Id., hom. 10 *in I Epist. ad Tim.*, c. iii), sicque esse purus ac si in ipsis cœlis collocatus inter ipsas cœli virtutes medius staret. (Id., lib. iii *De sacerd.*, c. 2.)

Itaque qui sibi vel levis culpæ conscius est, male profecto facit eam rem appetens qua indignum se per opera facit... (Id., hom. 10 *in I Epist. ad Tim.*, c. iii.) Si enim privati hominis turpia perpetrare, illi non optimum esse, vitium est. (S. Greg. Naz., orat. 1.) Siquidem virtute sua alios ad meliorationem tracturus est... Tantum etiam inter illum et quemlibet probum virum interesse debet, inquit Isidorus Pelusiota (lib. ii, epist. 205), quantum inter cœlum et terram discriminis est.

Quoto ergo illum in ordine collocabimus, inquit sanctus Chrysostomus (lib. vi *De sacerd.*), quantam ab eo integritatem exigemus? quantam religionem, etc.? Qua denique re non puriorem sanctioremve esse convenit ?

Certe quia nullam ascensus et deificationis mensuram debent agnoscere, in Dei sortem assumpti... (S. Greg. Naz., orat. 3, n. 66), pares tandem Deo conentur esse sanctitate, et cunctarum imitatione virtutum... (Molina, *De instructione sacerd.*, tract. 2, § 2), ut qui vident ministrum altaris, Dominum

venerentur... (S. Ambros., lib. I *Offic.*, cap. 50.) Perfectus enim tunc demum futurus est servus si sit sicut Dominus ejus, inquit Christus. (*Matth.* x, 25.) *Sint ergo sancti*, ait Deus, *quia et ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos...* (*Levit.* xix, 2.) *Et sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus, incensum enim Domini, et panem Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.* (*Levit.* xxi, 6 ; *Synod. Florentin.* 1637.) Sanctum autem, ait sanctus Chrysostomus (hom. 17 *in Epist. ad Hebr.*), non sola mundatio peccatorum facit, sed quædam eminentia et excellentia magna virtutum, præsentia Spiritus, et bonorum operum opulentia.

Sancti ergo sint sacerdotes quia Deus sanctus est, cum in illis virtutes non solum non sint communes, sed tales quæ divinis proximæ sint, sicut et ipsi auctoritate et potentia proxime cum Deo comparantur... (Molina, *ibid.*) Dii enim vocantur in Scripturis..... Post Deum enim terreni sunt dii ; id namque dicit Scriptura (Clem. Rom., *Constit. apost.*, lib. II, c. 26) : *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos ipse dijudicat.* (*Psalm.* lxxxi, 1.) Et : *Diis non detrahes...* (*Exod.* xxii, 28.) Id est, sacerdotibus, inquit Innocentius III. (Serm. 2 *De consecrat. pontificis ;* refert. *De hæretic.*, cap. *Cum ex injuncto.*) Nam sacerdotes propter excellentiam ordinis et officii dignitatem deorum nomine nuncupantur... Et quia exemplo debent esse omnibus (inquit Salvianus, *Ad Eccles. cath.*, lib. II), tanto ante stare cæteris oportet devotione, quanto ante stant omnibus dignitate, et tantum excellere merito, quantum gradu.

Denique cum divina res sit sancti sacerdotii ministerium... (*Conc. Trid.*, sess. 23, cap. 2.) Et cum deificus sit illorum gradus, ac deifica professio ; sicut cum aliis sanctis Patribus notat etiam divus Ambrosius (*De dign. sacerd.*, c. 3), certe et deifica quoque debet esse illorum actio. Quod enim sunt professione, inquit idem sanctus doctor (*Ibid.*), actione potius quam nomine demonstrare debent, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini.

Ut autem divinam hanc et supereminentem perfectionem non sacerdotibus solum propositam esse clarius appareat, sed et singulis inferioribus in clero ministris, unicuique tamen in suo ordine et *secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* iv, 7), meminerimus hujus universalis Ecclesiæ decreti hoc ipsum quod dicimus mirifice confirmantis vel saltem sufficienter insinuantis : Moneant, inquit concilium Tridentinum, in Proœmio sess. 14 (*De reformatione*), cujus titulus est : *Quod clerici laicos in vita sicut in officio præcedant :* moneant episcopi clericos suos, in quocunque ordine fuerint, ut conversatione, sermone, scientia Dei populo præeant, memores ejus quod scriptum est : *Sancti estote quia et ego sanctus sum.* (*Levit.* xix, 2.) Et juxta Apostoli vocem, nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum (*II Cor.* vi, 3) : sed in omnibus exhibeant se sicut Dei ministros (*Ibid.*, 4), ne illud prophetæ dictum impleatur in eis : *Sacerdotes Dei contaminant sancta et reprobant legem.* (*Ezech.* xxii, 26.) Et alibi : Nihil est, inquit concil. (sess. 22, cap. 1), quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, et ex eis sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet clericos in sortem Dei vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant... Quomodo autem nihil nisi religione plenum, si aliquid in eis Deo reperiatur vacuum. In clero ergo sicut in cœlo impleantur omnes in omnem plenitudinem Christi et Dei ut sit ipse omnia in omnibus. (*Ephes.* iii, 19 ; *I Cor.* xv, 28.)... Porro ut ad eum sanctitatis gradum et perfectionis cumulum pervenire possit clericus, tres regulas vitæ clericalis et perfectæ generales sibi semper et in omnibus sequendas proponat.

Prima sit illa quam concilium Tridentinum supra citatum ab omnibus clericis exigit : Levissima, inquit, etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Nobis, inquit Gregorius Nazianzenus (Orat. 3, n. 124), hæc unica virtutis lex est ne levissimis quidem vitiis atque ab omnibus neglectis succumbere.

In clero enim, ait sanctus Bernardus (*Declam.*), tanquam in cœlo gerens iniqua quid nisi de ministerio judicetur? Cœleste tenet officium, *Angelus Domini exercituum factus est.* (*Malac.* II, 7.) Tanquam angelus aut eligitur aut reprobatur. Inventa quippe in angelis pravitas et districtius judicetur necesse est, et inexorabilius quam humana. Tanta ergo etiam debet esse virtus sacerdotalis, inquit Ambrosius, ut nec gravioribus flagitiis, nec minimis quidem debeat esse affinis... (S. Ambros., lib. III, epist. 25.) Si enim in clerico, qui exemplum est vitæ sæcularis, aliquid juste reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religionis nostræ æstimatio gravatur. (S. Greg., hom. 17 *in Evang.*)

Unde concilium Tridentinum : Quo, inquit, majori in Ecclesia Dei et utilitati et ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sunt observanda a clericis, qui, ut ait synodus Cortonensis (ann. 1624), facti sunt cum Apostolo *spectaculum Deo, angelis et hominibus.* (*I Cor.* iv, 9.)

Secunda regula. — Cum nobis secundum Gregorium Nazianzenum (*Orat.*) crimen sit non modo malum non exstitisse, sed etiam a malo parum abfuisse, abstineant clerici, inquit sanctus Thomas (2-2, qu. 77, a. 4, ad 3, *synod. Cortonens.* ann. 1624), non solum ab his quæ secundum se sunt mala, sed etiam ab his quæ habent speciem mali... *Ab omni enim specie mala abstinete*, inquit Apostolus (*I Thess.* v, 22) ; nugæ enim in ore laici nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ, inquit Bernardus (lib. III *De*

c nsil., c. 13.) Et rationem paulo post subdens : Consecrasti, inquit, os tuum Evangelio, talibus illud aperire illicitum, assuescere sacrilegium est.

Aliud etiam est, ut notat Ambrosius (*De dignit. sacerd.*, c. 3), quod ab episcopo requirit Deus, et aliud quod a presbytero, et aliud quod a diacono, et aliud quod a clerico, et aliud quod a laico, vel a singulis quibusque hominibus... Et tam excellens est, inquit sanctus Leo (epist. 84; refert. dist. 32, cap. *Omnium sacerdotum*), sacerdotum electio, ut quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

Cui adstipulatur sanctus Gregorius (epist. 5, lib. VIII, *ad Sabinum subdiacon. Region.*): Plerumque, inquit, quod in laicis culpa non est, hoc crimen est in aliquo ordine constitutis.

Tertia regula. — Cum constituatur clericus omnis non solum ad vitia debellanda et ad virtutem ac bonos mores revocandos, pietatemque, justitiam, ac sanctitatem in Christianum orbem inducendam, sed etiam ad ea omnia peragenda, quibus Christus vincat, Christus regnet, Christus imperet, semper tanquam bonus miles Christi ad omne opus bonum paratus sit (*II Tim.* II, 3; *Tit.* III, 1), ut in omnibus exhibeat se sicut Dei ministrum (*II Cor.* VI, 4) inconfusibilem (*II Tim.* II, 15), et seipsum etiam præbens exemplum bonorum in integritate (*Tit.* II, 7), possit occurrere in virum perfectum *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV, 13), et dicere cum Apostolo : *Imitatores mei estote sicut et ego Christi.* (*I Cor.* IV, 16.) In hoc siquidem positi sunt clerici..., ut scilicet non solum abstineant ab illicitis rebus, inquit synodus Perusina (ann. 1575), sed proponant sibi celeri gressu in via Domini ambulare quoad perfectionis statum perveniant ut ipsorum actiones plebi inspirent venerationis affectum.

Ideo concilium Burdigalense (ann. 1582) : Quanto, inquit, quis honoris gradu atque dignitate præstat, tanto cæteris omni virtutum genere debet excellere. Ejus enim vita omnium oculis sic exposita est, ut inde bene vel male vivendi exempla duci soleant, ex quo ut vitiosi principes, sic flagitiosi sacerdotes, perniciose de republica merentur; quod non solum, uti recte quidam ait, vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem : neque solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt; plusque exemplo quam peccato nocent; præterquam quod efficiunt ut ipsorum dignitas, per se præclara atque laudabilis, odio atque contemptui apud impium vel malitiosum hominum genus habeatur. Ideoque clerici, qui in sortem Domini vocati, non solum ab omni vitiorum turpitudine longissime abesse, sed etiam omni virtutum genere ornari debent, *spectaculum facti*, ut ait Apostolus, *mundo, angelis et hominibus* (*I Cor.* IV, 9), *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ipsorum ministerium, sed in omnibus exhibentes semetipsos sicut Dei ministros.* (*II Cor.* VI, 3, 4.)

Sic testimonium habebunt bonum ab his etiam qui foris sunt (*I Tim.* III, 7) ; et qui ex adverso est, verebitur, non habens malum dicere de illis... (*Tit.* II, 8) ; sic etiam qui religioni detrahunt, vitæ illorum detrahere non audebunt... (S. HIER., epist. 25, *ad Ocean.*); sic denique digne ministrantes gradum bonum sibi acquirent (*I Tim.* III, 13), id est, secundum D. Thomam (in hunc locum), promoveri merebuntur ad altiorem dignitatem, et digni erunt quibus dicat Dominus, *Amice, ascende superius.* (*Luc.* XIV, 10.)

Quisquis igitur de cleri ordine suscipiendo cogitas, cave ne hanc dignitatem ad hoc tantum conscendisse videaris, ut graviori ruina caderes. Propone sic tibi de cætero vivendum ut nihil reperiat Deus quod æternum puniat, et nihil vel parum quod temporaria etiam animadversione castiget. Statue tibi deinceps nec otiose loquendum, nec jocose mentiendum, nec scurriliter disserendum ; agnosce tibi de cætero non licere aut risu dissolvi, aut pueriliter exsultare, aut ludis deditum esse, aut mœrore turbari, aut inaniter efferri, aut curiosis studere, aut humana sapere, aut mundana quærere, aut tepidius orare, aut in divinis officiis negligentem esse, aut proximi salutem aspernari, aut durius aliquem alloqui, vel incivilius excipere, aut adulatione palpare, aut non irasci vitiis, vel irasci vitiosis. (HALIER., *Monit. ad ordin.*, § 2, n. 12.)

Attende quod ex quadam obligatione, quæ tuo annexa est officio, exigitur a te spiritualium frugum mensura propensior, ut sis devotior in oratione, in lectione studiosior, in castitate cautior, parcior in sobrietate, patientior in duris, in risu rarior, suavior in conversatione, gravior in vultu, et gestu, et habitu, moderatior in verbis, profusior in lacrymis, in charitate ferventior. (PETR. Blesens., *De institut. episc.*)

Considera te deinceps in exemplum cæteris futurum spectaculum mundo, et angelis, et hominibus (*II Cor.* IV, 9); justitiæ et bonitatis divinæ specimen, qui et majora quotidie a Deo beneficia recepturus sis, si in virtute profeceris ; sed justitiæ divinæ graviorem ultionem experturus, si a pristina charitate et perfectione vel tantillum excideris. Impressus aut imprimendus animæ tuæ character indelebilis majorem a te sanctitatem quotidie exposcit, et sive ad dexteram sive ad sinistram ceciderit, gloriæ majoris vel ignominiæ signaculum eris.

CAPUT III.

De vocatione clericorum.

Cum difficile sit ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio, inquit sanctus Leo (epist. 85, *ad episc. Afric.*) ; et talis sit rerum clausula quale principium ;... nullus audeat non vocatus, non introductus clerum ingredi aut ad cœleste ordinum convivium audax irrumpere. (S. HIER., epist. 85, *ad Ocean.*)

Primus enim hic debet esse nostræ religionis ingressus, vocatio divina. *Non vos me elegistis*, dicit Christus, *sed ego elegi vos.* (*Joan.* XV, 16.) Quis

enim legitime potest Deo ministrare nisi qui a Deo electus fuerit ? unde Apostolus : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron, sic enim Christus non semetipsum clarificavit.* (*Hebr.* v, 4, 5.)

Christus ostium est ovium : *Qui autem non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro ; qui vero intrat per ostium, pastor est ovium.* (*Joan.* x, 1, 2.)

Nemo etiam ingreditur ad regales nuptias, nisi quos Paterfamilias invitavit : nec tandem est verus apostolus Christi (ideoque nec potest esse perfectus ejus minister) nisi per voluntatem Dei constitutus ; nisi qui non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum renuntiatus, nisi qui a Deo vocatus, segregatusque fuerit. (*I Cor.* I, 1; *II Cor.* I, 1; *Galat.* I, 1 ; *Rom.* I, 1.)

Ozias, inquit Chrysostomus (hom. 4, *De verbis Isa.*, tom. I), cum esset cinctus diademate, quoniam erat justus, elatus est animo : Volo, inquit, adolere incensum, quia justus sum ; et continuo effloruit lepra ejus. (*II Paral.* XXVI, 16,19.) Ubicunque enim est impudentia, illic est ultio... impudentia autem est non vocatus accedere.

Unde cogitent primum apud se qui sacro huic ordini volunt inseri et ad cœleste hoc et divinarum nuptiarum Agni convivium intrare, quantumcunque justi, an vocati venerint, et an vocati a Deo, cujus nimirum hæc vocatio esse debet, ne si a janua aberraverint, tota deinceps aberrent via.

Fratres, videte vocationem vestram, ait vocatus Apostolus. (*I Cor.* I, 26.) Consideremus et nos, inquit sanctus Bernardus (*Declam.*), an vocati venerimus, et vocati a Deo, cujus nimirum hæc vocatio est ; nec communem modo vocationem dixerim, qua juxta eumdem Apostolum, *quos prædestinavit, hos et vocavit.* (*Rom.* VIII, 30.) Si quis vocaverit nos in honorem cleri, convenire velim conscientias singulorum et secundum præceptum Domini : *Ad cor Jerusalem loquar.* (*Osee* II, 14.) Huic enim parvulo, aut forsitan necdum nato, ecclesiastica jam beneficia provida sane parentum sollicitudo parabat. Et paulo post (S. Bern., *ibid.*) : Audi querelas Domini, quid super hac tanta hominum temeritate loquatur patiens Redditor pœnitentiam magis cupiens quam vindictam : *Ipsi*, inquit, *regnaverunt et non ex me, principes exstiterunt, et ego non vocavi eos* (*Osee* VIII, 4) : universos siquidem in ordinibus ecclesiasticis cæterisque ad sanctuarium pertinentibus honorem quærentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptatem, postremo quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 21), manifeste prorsus et indubitanter, non ea quæ ex Deo est charitas, sed aliena a Deo, et quæ *omnium radix malorum est cupiditas* (*I Tim.* VI, 10) introducit : Quid istud temeritatis, imo quid insaniæ est? ubi timor Dei ? ubi mortis memoria ? ubi gehennæ metus, et terribilis illa exspectatio judicii ? (*Hebr.* X, 27.) Sponsa nec cubiculum nec cellam ingredi, nisi Rege introducente præsumit : tu irreverenter irruis nec vocatus nec introductus : *Trahe me post te*, ait illa, *in odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I, 3), nunc autem trahit sua quemque voluptas, et odorem turpis lucri sectantem quæstum æstimat pietatem (*I Tim.* VI, 5), quorum certa est damnatio.

Olim ab Assuero Persarum rege constitutum legimus ut sive vir, sive mulier, non vocatus atrium regis intraret, absque ulla cunctatione aut indulgentiæ spe statim interficeretur. Legis severitatem charissima regis uxor verita Esther, et ad conjugem non vocata pergere reformidavit (*Esther* IV, 16) : tu non times irrumpere in atria Domini non vocatus, in Dei nostri domum irruere. Quantum periculum est ne jam lata sit in te capitis sententia, cujus quamvis exsecutio differatur, condemnatio tamen certa sit, eoque atrocior te maneat pœna quo serius inflicta fuerit. (Halier., *Monit.*)

Unde ergo tantus prælationis ardor ? unde impudentia tanta ? unde vesania tanta præsumptionis humanæ ? Audeatne aliquis vestrum terreni cujuslibet reguli, non præcipiente aut prohibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare : nec tu Deum putes quæ in magna domo sua a vasis iræ aptis in interitum sustinet approbare... (*II Tim.* II, 20; S. Bern., *De convers. ad cleric.*, c. 27.) Nec ingratum ipsi arbitraberis si ejus injussu ministeria sacra præsumens in ecclesiasticam possessionem invadas et ordinationis gratiam suffureris. (Halier., *Monit.*)

Væ, filii desertores, dicit Dominus, *ut faceretis consilium et non ex me, et ordiremini telam, et non per spiritum meum, et adderetis peccatum super peccatum, et os meum non interrogastis.* (*Isa.* XXX, 1, 2.) Væ autem dicitur quia non bene sibi complacet Deus in arroganter ordinatis, inquit sanctus Ephræm. (*De sacerdotio.*) Unde per Oseam dicit : *Ipsi regnaverunt, et non ex me.* (*Osee* VIII, 4.) Et paulo post : *Iratus est furor meus in eos usquequo non poterunt emundari.* (*Ibid.*, 5.) Si non poterunt emundari, *jam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis quædam exspectatio judicii et ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios.* (*Hebr.* X, 26, 27.)

Si quis igitur indigne hanc sublimitatem sibi usurpare sit ausus, judicium absque misericordia sibi consciscit... Cum enim se ingerat non ascitus a gratia Christi, inquit idem sanctus, ignem et mortem miser sibi accumulat... (S. Ephræm, *De sacerdotio.*) Unde illo die quo sacerdotium non vocatus assumis, rectius fuisset ut ad carcerem vel catastam pœnalem, quam ad sacerdotium trahereris. (Gildas Sapiens, *in ecclesiasticum ordinem.*)

Parcite, quæso, fratres, parcite animabus vestris, parcite sanguini qui effusus est ; horrendum timete supplicium, ignem qui paratus est declinate... *Si enim quod nolui elegistis*, inquit propheta, *hæc dicit Dominus : Ecce servi mei comedent, et vos esurietis ; ecce servi mei bibent, et vos sitietis.* (*Isa.* LXV, 13.) *Et quia non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, ideo munus non suscipiam de manu vestra.*

(*Malach.* I, 10; S. Bern., *De conv. ad cleric.*, c. ult.)

Nolite itaque *fieri insipientes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* (*Ephes.* v, 17.)... Et ut ii tantum, quos elegerit appropinquent ei, nullus unquam sacris initietur, nisi quem Dominus ad ministeria invitavit... Usurpati siquidem ausus sacerdotis sacrificium in sacrilegium, et vitam convertit in mortem... (Petr. Blesens., epist. 116.) *Et horrendum est incidere in manus Dei viventis.* (*Hebr.* x, 31.)

CAPUT IV.

De divinæ vocationis ad clerum, et ecclesiasticos ordines, indiciis.

Licet magna sublimitas magnam debeat habere cautelam, inquit sanctus Ambrosius; et honor grandis grandi debeat sollicitudine circumvallari: quia tamen multi non satis attendentes sibi et divinæ vocationi, clerum ingrediuntur; existimantes etiam aliquando quod miserit eos Dominus, et ad ipsos sacros ordines vocaverit, cum tamen a sanguinibus, a voluntate carnis, aut a voluntate viri(*Joan.* I, 13), non autem a Deo vocati sint, examinent qui ecclesiasticos gradus ambiunt an vocati veniant, et an vocati a Deo; et utrumque serio examinent. Examinent, inquam, non semel, nec festinanter, nec perfunctorie, nec suis tantum oculis, nec ad mundani honoris lucernam, sed mature, sed pluries, sed alienis oculis, sed ad divinæ veritatis lucem. (S. Ambros., *De dignit. sacerd.*, c. 3.)

Cum enim eas virtutes clero attribuat Apostolus, quæ ad angelicam pene accedunt puritatem; et onus illud angelicis etiam sit humeris formidandum; sacerdotem Dei ex millibus eligendum esse comperiemus. (*Conc. Burdig.* ann. 1624; c. *De ordine.*)

Quatuor autem noverint esse præcipua et ordinaria divinæ vocationis ad hunc statum indicia quibus vocationem suam et electionem in clero certam facere possint.

Sectio prima. — *Divinæ ad clerum et ecclesiasticos ordines vocationis indicium, conscientiæ puritas et anteactæ vitæ innocentia.*

Ad clericatum et sacros ordines vocare non solet Deus, nisi quem innocentia vitæ, et morum probitas immaculata commendat, ut scilicet quis vel innocenter vixerit, vel prioris vitæ maculas diuturna pœnitentia diluerit.

Hanc autem priorem baptismalis innocentiæ puritatem in ordinandis Ecclesiam olim postulasse, apostolorum, sanctorum Patrum, et ipsiusmet Ecclesiæ doctrina et praxis antiqua demonstrat. *Oportet*, inquit Apostolus, *episcopum irreprehensibilem esse* (*I Tim.* III, 2); id est, *sine crimine.* (*Tit.* I. 6, 7.) Et non solum, inquit sanctus Hieronymus (*in Epist. ad Tit.*, c. I), eo tempore quo ordinandus est, sed ex quo in Christo renatus est... Hoc autem non de episcopis solum, sed et de sacerdotibus intelligunt Chrysostomus, Hieronymus et alii, imo et de ipsis inferioribus clericis antiquiores Patres.

Ideo in canone 60 apostolorum dicitur: Si adversus fidelem aliqua accusatio intendatur vel fornicationis, vel adulterii, vel alicujus alterius pronibitæ actionis, et convictus fuerit, ad clerum ne provehatur.

Et concilium Nicænum primum (c. 10): Quicunque ex lapsis sunt ordinati, cum compertum fuerit deponantur.

Et can. 9: Hos enim sacerdotes ecclesiasticus ordo non recipit.

Idem concilium Nicænum (can. 2; refert. dist. 81, c. 4): Si aliquod peccatum, quod animæ noceat, inventum fuerit in ea persona, et convincitur duobus vel tribus testibus, cessabit a clero qui hujusmodi est.

Syricius Papa (epist. 1, c. 14): Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita et post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci, quia, quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum... Ideo Gelasius (epist. 1, c. 14): Si quis ad clericale munus accedat, in primis ejus vita inquiratur, si nullo gravi facinore probatur infectus, etc., si publicam pœnitentiam non gessit... Nam, ut ait Innocentius I, loquens (epist. 6; refertur dist. 50, c. 65), de iis qui propter crimina pœnitentiam egerunt, Canones, inquit, apud Nicæam (can. 10) constituti tales etiam ab infimis clericorum officiis excludunt.

Concilium item Valentinum (I, can. 4, ann. 374): Quicunque se sub ordinatione, vel diaconatus, vel presbyterii, vel episcopatus mortali crimine dixerint esse pollutos, a supradictis ordinationibus submovendos, reos scilicet vel veri confessione vel mendacio falsitatis.

Sanctus etiam Hieronymus (*in Epist. ad Tit.*, c. I) in hæc Pauli verba (ỹ 5, 6): *Constituas presbyteros sicut et ego disposui tibi, si quis sine crimine est*): Sine crimine, inquit, id est irreprehensibilis, non quod eo tantum tempore, quo ordinandus est, sine ullo sit crimine et præteritas maculas nova conversatione diluerit, sed ab eo tempore quo in Christo renatus est, nulla peccati conscientia remordeatur. Quomodo enim potest præses Ecclesiæ auferre malum de medio ejus qui in delicto simili corruerit? aut qua libertate corripere peccantem, cum tacite sibi ipse respondeat, eadem admisisse quæ corripit?

Et sanctus Augustinus (tract. 41 *in Joan.* VIII; refert. dist. 81, c. *Apostolus*): Apostolus Paulus quando elegit ordinandos, vel presbyteros, vel diaconos, et quicunque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ, non ait, si quis sine peccato est, hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, et nullus ordinaretur; sed ait, *sine crimine est* (*Tit.* I, 6, 7), sicuti est homicidium, adulterium, aut aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium et cætera hujusmodi. Crimen autem est grave peccatum accusatione et damnatione dignissimum. Quolibet itaque horum implicatus ordinari non debet; vel si jam ordinatus ante tempus, vel si post tempus suæ ordinationis aliquid eorum admisisse convincitur, susceptí gradus officio privabitur.

Innocentiam porro adhuc ordinandis necessariam satis declarat Ecclesia in psalmo illo, quem cantat in ordinatione clericorum : *Quis*, inquit, *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* (*Psal.* XXIII, 3) id est, quis in hunc cleri gradum ascendere, aut in eo permanere legitime poterit? *Innocens manibus et mundo corde.* (*Ibid.* 4.) Innocentiam ergo habeat ordinandus, si non post baptismum conservatam, ut modo dictum est, saltem per dignos pœnitentiæ fructus reparatam. Hanc enim etiam nunc tanquam absolute necessariam adhuc exigit Ecclesia, absque macula enim debent esse qui stant ante thronum Dei. (*Apoc.* XIV, 5.) Hanc vero ad ordinationem sufficere communis Ecclesiæ praxis satis evincit, quæ nusquam hodie ab iis qui promovendi sunt, baptismalem innocentiam exigit... Errant igitur, inquit Calixtus Papa (epist. 2 *ad omnes episc. Galliæ*), qui putant Domini sacerdotes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse et suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint, et suum sacerdotium digne custodierint.

Sed errant etiam qui putant hanc non esse necessariam. *Sine macula enim sunt*, qui adstant *ante thronum Dei* et Agni *serviuntque ei die ac nocte*, ut dicitur in *Apocalypsi* (XIV, 5; VII, 15). Et cum innocentia, juxta SS. Patres, vestis sit nuptialis, si quis illam non habens sanctuarium ingredi præsumit, timendum sane ipsi est ne Rex cœlestis exprobret : *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* jubeatque illum ligatis manibus et pedibus mitti in tenebras exteriores. (*Matth.* XXII, 12, 13.)

Hinc est quod in libro *I Esdræ* (II, 61), cum præmissum sit *de filiis sacerdotum filii* Hobia, *filii Accos*, *filii Berzellai qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem, et vocatum nomen eorum;* protinus additur (*Ibid.*, 62) : *Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, et non invenerunt, et ejecti sunt de sacerdotio.* Plane, inquit Petrus Blesensis (Opusc. I *De dignit. sacerdot.*, cap. 2), qui genealogiæ suæ scripturam non inveniunt, de sacerdotio repelluntur, quia qui se per ignobilitatem sæcularis vitæ ab ingenuo præcedentium Patrum stemmate degenerasse considerant, dignum profecto est ut eos a sacerdotio censuræ canonicæ vigor expellat. Nobilem ergo necesse est esse Ecclesiæ sacerdotem ut qui minister est Domini erubescat se servum esse peccati.

Is ergo quem crimen depravat proprium, intercessor fieri non appetat pro culpis aliorum, ne districti iram Judicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. (S. Greg., *Pastor.* part. I, cap. 2.)

Hinc etenim superna voce ad Moysem dicitur : *Homo de semine tuo qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus.* (*Levit.* XXI, 17.) Ubi et repente subjungitur : *Si cæcus, si claudus, si fracto pede, vel manu.* (*Ibid.*, 18, 19.) Quos omnes defectus postquam spiritualiter explicavit sanctus Gregorius, subjungit : Quisquis ergo quolibet horum vitio subigitur, panes Domino offerre prohibetur, ne profecto diluere aliena peccata non valeat, is quem adhuc propria devastant...

Nec vero ad sacros cleri ordines sufficere arbitremur si quis a peccatis jam conversus est, si recenter tantum conversus est. Cum enim, inquit sanctus Gregorius (lib. IV, epist. 50, *ad Virgil. episc. Arelat.*), ad sacros ordines Paulus apostolus neophytum venire prohibeat (*I Tim.* III, 6), sciendum nobis est, quia, sicut neophytus tunc vocabatur, qui adhuc noviter erat eruditione plantatus in fide, ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc novus est in sancta conversatione. Scimus autem quod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi a novitatis suæ humore siccentur, ne si ante pondera quam solidentur accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant. Et cum ad ædificium arbusta succidimus, ut prius viriditatis humor exsiccari debeat exspectamus, ne, si eis adhuc jacentibus fabricæ pondus imponitur, ex ipsa novitate curventur, et confracta citius corruant, quæ immature in altum levata videbantur. Cur ergo hoc non subtiliter in hominibus custoditur, quod in lignis quoque ac lapidibus tanta consideratione perpenditur.

Unde eleganter sanctus Bernardus (*De conv. ad cleric.*, c. 27) ad clericos ait : Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur; ordinem ipsum Domini sermonis attende : *Beati*, inquit, *mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt;* ac deinde : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, etc. (*Matth.* V, 8, 9.)

Væ ministris infidelibus, qui necdum reconciliati reconciliationis alienæ negotia, quasi homines qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui fideles sese mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne Deo placere non possunt (*Rom.* VIII, 8), et placere velle præsumunt... Impudenter pacifici gradum et filii Dei vices occupat homo, qui nec primam quidem vocem Domini cor revocantis audivit; aut si quando cœperit audire, resiliens fugit ad folia ut absconderetur in eis, etc (*Ibid.*, c. 28.)

Ordinata sane divina solet esse vocatio, ut nonnisi per quosdam gradus ad superiora deducat : nec ex infimo scelerum specu ad ecclesiasticæ, quæ supremæ perfectionis est, dignitatis fastigium confestim et præpropere hominem evehi patiatur; sed ab imo statu ad medium, a medio ad supremum suavi dispositione traducat; priusquam hominem a vitiis purget, illuminet, perficiat, quam ad ordinem aliorum καταρτικὸν, φωτιστικὸν, τελειωτικὸν promoveat. Inordinate itaque et contra divinæ vocationis communem legem sacris cleri gradibus sese offerunt, qui immundam habent conscientiam, quorum manus adhuc scelerum cruore distillant, quorum vulnera nondum ad cicatricem venerunt, quorum pravæ affectiones nondum sanatæ sunt, qui nec sancte mysteria sancta tractare, nec populos fideli exemplo instruere, verisimili præsumptione credi possunt; qui, ut le-

quitur sanctus Bernardus, ingrediuntur cum macula tabernaculum Dei viventis, inhabitant cum macula templum sanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi : quod tam gravissime conscientias gerunt, et nihilominus sese ingerunt in sanctuarium Dei. (Halier., *Monit.*, § 4, n. 25.)

Ideo in concilio Toletano viii, cap. 8, statutum est ut ad sacra Dei mysteria tractanda solus is accedat, quem morum innocentia et litterarum splendor reddunt illustrem aliter; ordinaturis et ordinandis imminet in posterum Dei et Ecclesiæ ejus vindicta.

Non ergo sunt promovendi ad regimen Ecclesiæ, qui adhuc vitiis subjacent. Hinc est quod præceptum est David (*I Paral.* xxii, 8) non ædificare visibile templum quia sanguinum vir belli frequentia esset. Qua figura illi spiritualiter admonentur, qui vitiorum adhuc corruptioni sunt dediti, ne templum ædificent, hoc est Ecclesiam docere præsumant. (S. Isid. Hispal., *Sentent.*, lib. iii, cap. 34.)

Cum etiam sint dati medici aliorum, si passionibus adhuc abundant, quomodo percussum curare properant, qui in facie vulnus portant ? (S. Greg., *Pastor.*, part. i, c. 9.)

Velim itaque ut quicunque illotis manibus ad ministeria divina sese offerunt, sibi et pro se dictum putent quod de Brunone Coloniensi archiepiscopo electo ad ipsum rogatus rescripsit Bernardus :

Quæris a me consilium, vir illustris Bruno, an volentibus te promovere ad episcopatum acquiescere debeas : quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitan vocat, quis audeat dissuadere? Forte non vocat, quis appropinquare consulat? Utrum vero vocatio Dei sit, an non sit, quis scire possit, excepto Spiritu qui scrutatur etiam alta Dei, vel si cui forte revelaverit ipse? Magis quoque dubium reddit consilium illa in litteris tuis humilis sed terribilis confessio qua vitam tuam tam graviter, et, ut credo, nonnisi veraciter accusas ; nec enim negandum hujusmodi vitam indignam tam sacri dignitate ministerii. (S. Bern., epist. 8, *ad Brunon. Colon. electum.*)

Sed rursum non immerito e regione times, si ob malum conscientiæ de commisso talento scientiæ non facis lucrum, etc. Horreo, fateor, sic enim tibi ut mihi loqui debeo quod sentio ; horreo, inquam, considerans unde, et quo vocaris, præsertim cum nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod utcunque hujusmodi periculosissimus transitus fiat. Et quidem rectus ordo requirit ut prius propriam, deinde alienas curare studeas conscientias. (Bern., *ibid.*)

Hæc Bernardus, quibus in eam videtur propendere sententiam, vix unquam a Deo aliquem ad sacerdotium vocari, nisi qui, ut jam dictum est, vel innocenter vixerit (quod de clericatu etiam Ecclesiam sensisse praxis priorum sæculorum satis demonstrat), vel saltem prioris vitæ maculas diuturna seu convenienti pœnitentia diluerit. (Halier., *ibid.*)

Optarem vero quam maxime ut ordinandorum quisque Brunoni isti ad quem epistolam hanc mittit Bernardus, cui consilium roganti dedit, serio se conferret : non satis ille pure vixerat, crimen agnoscebat suum, erratum humiliter fatebatur, vitæ de cætero sanctitatem contrito animo amplectebatur, doctrina porro et scientia pollebat, quam in aliorum salutem commode derivaret, canonica electione quærebatur : huic tamen vix suadet, imo dissuadet potius Bernardus quominus se ad tam altam dignitatem promoveri pateretur. (*Ibid.*)

Quid vero putas de nobis diceret qui magna ex parte, necdum vitiorum obducta cicatrice, criminum sanie taboque adhuc fluentibus, perfectionis statum quærimus, animæ morbos nec cogitatione percurrentes, nec pœnitentia diluere satagentes, non scientia conspicui, non iis talentis donati quibus aliis prodesse valeamus? Quænam in nobis divinæ ad clerum vocationis indicia? quænam non potius certissimæ reprobationis argumenta apparent?.. (*Ibid.*)

Heri sacrilegi, hodie sacerdotes, inquit Gregorius Nazianzenus (orat. 21, 29) ; heri profani, hodie sacrorum antistites; veteres vitio, pietate rudes et recentes ; discipuli simul magistrique pietatis creantur.

Hoc certe summum Ecclesiæ et cleri dedecus, cum ii in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia, etc., nec signum regni occupare cœlestis, nec illius timent imperii gestare coronam. (S. Bern., *De convers. ad cleric.*, c. 21.)

Nemo ergo e cœno peccati recenter emersus sublimem cleri gradum ascendere audeat, et Dei præpotentis sanctuarium ingredi, tremendumque illius altare circumire, priusquam non solum peccati mortalis culpam eluerit, sed etiam fetorem illius ac reliquias, id est pravos habitus, effrenatos rebellantis concupiscentiæ motus, variaque obcenitatis phantasmata exstirpare diu et sedulo laboraverit... Quomodo enim novum hominem induere sperat in clero qui veterem perfecte non exuit in populo? (Abelly, *Sacerd. christian.*, p. i, cap. 7.)

Qui ergo regimen sacerdotii contendit appetere, inquit Isidorus (quod etiam de quolibet cleri ordine dicendum est), ante se discutiat, si vita honori sit congrua... (S. Isidor. Hispal., *Sentent.*, lib. iii, c. 34.) Eos enim rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparavit, et dignos cœlestis gratia gignit... (S. Leo, serm. 2, *in Annivers. assumptionis suæ*) et quos dignos et idoneos divina probat electio secundum vitæ non generis meritum. (S. Cyprian., *Serm. de unct. chrismat.*)

Sectio II. — *Intentionis rectituao, secunaum divinæ vocationis argumentum.*

Secundum divinæ vocationis indicium est intentionis rectitudo ac puritas, seu finis, bonitas, atque perfectio ob quam aliquis ad sacram cleri ordinatio-

nem accedit; si nempe liber ab omni terreno affectu, vacuus ab omni gloriæ cupiditate, expers omnis ambitionis et avaritiæ ad clerum se conferat, Deo solum deserviendi causa, et salutis populi procurandæ gratia; vel, ut verbis sancti Bernardi utar, si gradus ecclesiasticos et ministeria sanctuarii quærit ut sine curis sæculi, in sanctimonia cordis et corporis illuminandus accedat ad Dominum, et suam pariter et proximorum salutem operetur, orationis studio deditus et verbo prædicationis. (Halier., *Monit. ad ordinand.*, § 5, n. 29.)

Unde in concilio Coloniensi I (p. I, c. 19) dicitur accurate investigandum esse quo affectu et proposito ordinandi accedant: num videlicet Dei causa tantum, an potius suæ commoditatis gratia ad ordines capessendos aspirent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. (*Philip.* II, 21.) Quid est enim sua quærere nisi cum tales non gratis Deum diligunt, non Deum propter Deum quærunt, temporalia commoda sequentes, lucris inhiantes, honorem ab omnibus expetentes... Quisquis ergo talis est, non Dei filius, nec ovili Christi idoneus pastor futurus, sed mercenarius est. Ubique Deus hominis intentionem et mentem spectat, quam Christus in Evangelio (*Luc.* XI, 34) lucernam corporis atque oculum vocat, qui *si simplex fuerit, totum corpus lucidum erit, sin autem fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit :* quare *si lumen* (quod in initiando est) *tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt!* (*Matth.* VI, 22, 23.)

Si igitur ad propria emolumenta dignitatem hanc referas quæ in Dei solius ministerium obsequiumque instituta est, illam solum expetis propter temporalia commoda sive propter lucrum, sive propter humanum honorem; si hanc etiam suscipis, ut pinguius tantum et commodius vivas, ut victum ex illa quæritès, ut ordinationis beneficium et ecclesiastici status professionem in luxuriam convertas, ut domesticas curas fugias, ut vitam agas magis otiosam, ne ad sacerdotium accedas, imo nec ad clericatum, ne tanquam temerarius ordinationis sacræ usurpator et sacrilegus invasor ejiciaris. Non enim ad cleri ordinem vocat Deus quos hi tantum fines ad clericatum alliciunt. (Halier *Monit.*, § 5, n. 31.)

Et hoc est quod manifeste declarat Ecclesia in *Pontificali Romano,* ubi exhortans eos qui ad primam tonsuram fuerunt ordinati, sic ait: Nemo debet fieri clericus ut serviat voluptati, studeat curiositati, inhiet ambitioni; nec aliud quærat, nisi ut Dominum hæreditate possideat quem elegit et a quo electus est quando in clericatum assumptus est. Et paulo post : Unde qui per clericatus officium aliud quærit quam Dominum, nec a Domino electus, nec ipse elegit Dominum, qui in sorte sua creaturam Creatori præponit.

Et ideo Tridentina synodus (sess. 23, *De reformat.*, c. 4) : Primæ, inquit, tonsuræ non initientur, de quibus probabilis conjectura non sit eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum exhibeant, hoc vitæ genus elegisse

Pudeat igitur, 1° non virtutis exemplum, sed victus parandi occasionem et subsidium hunc ordinem esse judicare. (S. Greg. Nazianz., orat. 1.)

Si enim gradus ecclesiasticos et ministeria sanctuarii, inquit Bernardus, eo quæris et tendis animo, eoque intuitu ut hujus vitæ habeas necessaria, evangelizas ut manduces; perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercaris. Quam certe dignius ampliusque consentaneum rationi, ut pro carnali carnalia magis opera et negotia exerceres, et fieres inversor rerum, aut inhonorares ministerium spiritale, etc.

Unde Hieronymus (epist. 2, *ad Nepotian.*) : Obsecro te, et repetens iterum, iterumque monebo ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militia.

Pudeat etiam hanc dignitatem honoris præcipue causa ambitioso fastu quærere et cæco impetu.... Sacrum quippe officium non solum non diligit, omnino sed nescit qui ad culmen regiminis anhelans in occulta meditatione cogitationis, cæterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exsultat. (S. Greg. Nazian., *Pastoral.*, p. I, c. 8.)

Quem (autem sic) aliis altiorem quam meliorem esse delectat, non præmium sed præcipitium exspectat. Unde Dominus per Prophetam (*Psal.* c, 7) : *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam.* (S. Bern., epist. 27, *ad Ard.*)

Pudeat tandem ad carnales aut terrenas voluptates hunc purum et divinum ordinem ingredi, et illum amplecti, sicut multi in quos invehitur sanctus Bernardus, qui libertatem in qua vocati sunt in occasionem carnis dedisse videntur, abstinentes remedio nuptiali et in omne flagitium defluentes. Vos autem, fratres, parcite, obsecro, inquit idem sanctus doctor, parcite animabus vestris, parcite sanguini qui effusus est : horrendum cavete periculum, ignem qui paratus est declinate... Et ut non inveniatur tandem irrisoria perfectionis nostræ professio. (S. Bern. *De conv. ad cleric.*, cap. 29, 30.)

Videamus apud nos et sedulo prospiciamus omnes qui de ordinibus ecclesiasticis cogitamus, vel quos clericatus titillat desiderium, cujus rei gratia ad hunc statum accedamus, sciamusque nos primos hac in parte nostri judices esse constitutos, inquisitionemque in nos ipsos a nobismetipsis primum esse faciendam. Facile enim esset super his ordinatores et examinatores falsa relatione aut specie virtutis decipere. (Abelly, *De sacerd. Christ.*, p. I.)

At vero, ut ait Chrysostomus (lib. IV *De sacerd.*, c. 2), ipse qui ordinatus est dicere non potest se sibi ut aliis fuisse incognitum. Sicut ergo is graviori supplicio puniendus, quam illi a quibus ascitus productusque est; ita debet ipse accuratius quam illi suimetipsius periculum facere.

Unde qui videt se non ea intentione ad clerum accedere, ut Deo fidelem illum cultum exhibeat, quem ab illo postulat Ecclesia, ne ulterius progre-

diatur, sistat in limine, paveat ad sanctuarium Dei (*Levit.* xxvi, 2), ne temere illud non vocatus ingrediens, tanquam *scrutator* vel potius contemptor *majestatis opprimatur a gloria.* (*Prov.* xxv, 27; Abelly, *Sacerd. Christ.*, p. i, c. 8.)

Sectio III. — *Inculpabilis ad ecclesiasticum statum ingressus et aptitudo ad munia ecclesiastica rite peragenda, tertium et quartum divinæ ad clerum vocationis argumentum.*

Tertium divinæ vocationis argumentum est inculpatus ad ecclesiasticum statum ingressus, si nempe is bonis artibus procuratus et susceptus, si semoto omni dolo, semota omni simulatione, semota fictione, ambitu, precibus, pretio, dignitas nobis ecclesiastica collata est. (Halier., *Monit.*, § 6, n. 40.)

(Episcopo insuper et Ecclesia id voluntarie postulantibus ob ejusdem Ecclesiæ necessitatem aut utilitatem.) Nullus enim ordinari debet, inquit synodus Tridentina (sess. 23, *De reformat.*), qui episcopi sui judicio non sit utilis aut necessarius Ecclesiæ.

Hic igitur non adhibeantur amicorum preces, potentum commendatio, parentum vel consanguineorum auctoritas, intercessorum gratia; non valeant importunæ flagitationes, prehensiones, discursationes, pecuniarum etiam largitiones, aut cætera ejusmodi quibus examinatorum judicium vel episcoporum electio aliquantulum perverti possit, aut utrorumque districtior sententia retundi. (Halier., *ibid.*)

Ejusmodi siquidem ordinationes irritas et inanes esse statuit Gregorius VII (lib. vi *Registr.*, in *Synod. Rom.*, c. 6; refert. 1, q. 2, can. *Ordinationes; ibid.*, c. *Quibusdam*), in synodo Romæ coacta his verbis: Ordinationes, quæ intercedente pretio vel precibus, vel obsequio alicui personæ ea intentione impenso,..falsas esse dijudicamus, quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est per Christum, intrant, sed, ut ipsa Veritas testatur, fures sunt et latrones. (*Joan.* x, 1.)

Multi, inquit Hugo cardinalis (*in Epist. ad Hebr.*, c. v), clarificant se captantes favorem humanum ut pontifices fiant: Christus autem exinanivit se (*Philip.* ii, 7), sicque per humilitatem et crucem declaratus est Pontifex; non ambivit, nec suam gloriam ipse quæsivit, sed, sicut scriptum est, *improperia improperantium ceciderunt super me....* (*Psal.* lxviii, 10; *Rom.* xv, 3.)

Unde sanctus Gregorius (lib. ii, indict. 11, epist. 7, *Columbo episc.*): Nulla sit, inquit, in ordinatione venalitas, potentia, vel supplicatio personarum.

Sæpius quoque in eas ordinationes acriter scripsere Gregorius Magnus, Symmachus ad Cæsarium (refert. quæst. 1, cap. 2, *Si nonnulli*), et alii Pontifices ac sancti Patres, quibus ita credas velim ut vocationis divinæ non leve argumentum existimes, si ab ecclesiastico prælato, vel superiore ad sacerdotium sine ullo tuo ambitu postuleris. (Halier., *Monit.*)

Sed ut certas in quantum possumus faciamus vias nostras in clero, quartum divinæ vocationis indicium prioribus adjiciamus, aptitudinem scilicet et habilitatem, tum corporis tum animæ, ad munia ecclesiastica rite et decenter obeunda. Deus enim idoneos facit ministros omnes quos vocat: *Idoneos*, inquit Apostolus (*II Cor.* ii, 6), *nos fecit ministros Novi Testamenti:* unde recte statuta synodalia Ecclesiæ Remensis, edita, ut fertur, sedente episcopo Sonnatio, quem Flodoardus refert ad ann. 600, præcepisse videntur, ut nulli tonsura detur, nisi idoneo, et ad sacros ordines postea probabiliter ascensuro. Quid enim opus mittere panem filiorum canibus (*Marc.* vii, 27), aut spiritualia mundi amatoribus? (*Stat. synod. Eccl. Remens.*, tom. III *Concil.* Binii, part. ii; Flodoard., lib. i: *Hist.*, cap. 5.)

Ivo autem Carnotensis (epist. 213): Nulli, inquit, ad sacros ordines sunt promovendi, nisi quos vita et doctrina, ac episcopalis auctoritas ad hoc agendum idoneos probat.

Quæri enim magis quam quærere debent. (S. Bern., *Declam.*)

Non ergo vocati a Deo credendi sunt ad gradus ecclesiasticos, qui, licet integritate morum fulgeant, agresti tamen ingenio cum sint, et litterarum ignari, tantum aliis simplicitate nocere possunt, quantum sibi, si privatam vitam agerent, prodesse sanctitate; hos enim semper a suis ordinibus rejecit Ecclesia, sicut et illos ne quidem ad clericatum admittit quibus non suppetunt qualitates corporis et animæ virtutes saltem inchoatæ, quæ ad ordines tam digne suscipiendos quam debite exercendos necessariæ sunt. (Halier., *Monit.*, § 4, n. 26.)

Quia vero quo unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium docet, id majore implet gratia, unusquisque suum etiam noverit ingenium, inquit sanctus Ambrosius (*Offic.*, lib. i, c. 44), et ad id se applicet quod sibi aptum elegerit. Vel potius, ut ait idem sanctus, hæc omnia spectet sacerdos; et cum alius distinguendæ lectioni aptior sit, alius psalmo gratior, alius exorcizandis qui malo laborant spiritu sollicitior, alius sacrario opportunior habeatur, quid cuique congruat id officii deputet.

CAPUT V.

Media divinæ ad clerum et sacros ordines vocationis indagandæ et exsequendæ.

Quisquis ergo in perscrutanda Dei vocatione ad clericatum dubius hæres, hæc pauca accipe: Impurus es, virtutibus vacuus, ad obeunda ecclesiastica munia ineptus, mala arte dignitatem hanc præripere tentas, rapit te ambitio, invitat avaritia, otiositas allicit, domesticæ curæ impatientia te inducit; inhias honori, non oneris, non operis aut cupidus aut saltem patiens: certe non te vocat Deus, sed diabolus tentat, muscipulam parat in quam incidas. Cavere debes ab isto meridiano dæmonio, ab angelo tenebrarum in angelum lucis transformato (*II Cor.* xi, 14), qui per-

fectissimum tibi statum objicit ut perfectionis vacuus eam capessas et ab orbita salutis exerres : ne ergo tunc etiam coactus accedas... Qui enim, inquit Gregorius (*Pastor.*, part. I, c. 1), nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur, ex se et non ex arbitrio summi rectoris regnant ; et de his dicitur : *Ipsi regnaverunt et non ex me, principes exstiterunt, et ego ignoravi.* (*Osee* VIII, 4.) Illos enim internus judex per judicium reprobationis ignorat. (HALIER., *Monit.*, § 4, n. 23 ; § 5, n. 29.)

Si vero non impurus es, non virtutibus vacuus, non ignarus divinæ legis, ad munia ecclesiastica non ineptus ; non omnino indignus es quem Deus ad clerum vocet. Bono insuper fine duceris ad ecclesiasticum statum, nec ad eum malis artibus contendis, sed ut Dei gloriam, et tuam pariter ac proximorum salutem opereris ; ab ecclesiastico etiam tuo prælato vel superiore sine ullo ambitu postularis, vocaris a Deo, sequere quo te vocat, *digitus Dei hic est* (*Exod.* VIII, 19), dextera Domini hanc virtutem facit, dextera Domini exaltat te. (*Psal.* CXVII, 16.)

Dubitas adhuc et incertus es ? 1° Cum Deo precibus age ; *Non enim hominis est via ejus ; nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos.* (*Jer.* X, 23.) *Quis hominum*, inquit Sapiens, *intelligere potest viam suam ? A Domino diriguntur gressus viri* (*Prov.* XX, 24). Ora ergo illum, sed ferventer, sed instanter, sed perseveranter, ut notam faciat tibi viam in qua ambules. (*Psal.* CXLII, 8.) Et ut efficacior sit oratio tua ac responsum habeas a Domino, privata etiam tua oratio amicorum orationibus societur ; scriptum est enim : *Dabit spiritum bonum petentibus se.* (*Luc.* XI, 13.) Et alibi : *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint fiet illis.* (*Matth.* XVIII, 19.)

2° In divina voluntate indaganda cesset omnis voluntas propria : hæc enim est secunda ratio, eaque optima inquirendæ divinæ voluntatis, propriæ scilicet indifferentia, et subjectio omnimoda divinæ. Si enim determinata sit ad unum nostra voluntas, impressionum divinarum minus capax erit ; facileque accidet ut id Deum velle nobis persuadeamus quod nos voluerimus : ut in eam partem omnia argumenta atque indicia interpretemur, quo voluntatis inclinatio ferretur.

Unde egregie sanctus Climacus : In divina, inquit, voluntate indaganda necessarium est nos ita comparare, ut nostra omnis voluntas cesset, et in neutram partem magis vergat ; nam cum ea ab omni affectu purgata ac nudata fuerit, apta erit ad divinum instinctum percipiendum.

Cum ea ergo dispositione si quis ad orationem accesserit, et divinam sibi voluntatem declarari petierit, quis dubitet quin eam Deus petenti rogantique sit manifestaturus et vocationis suæ argumenta præbiturus ? Non erit sane inefficax illa oratio nec repudiabitur a Deo. (HALIER., *Monit.*)

Dicamus ergo cum Paulo ex persecutore in doctorem gentium electo : *Domine, quid me vis facere ?* (*Act.* IX, 6.) Erumpamus in has cum Davide voces : *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* (*Psal.* CXLII, 10.) Postulemus cum Sponsa : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* (*Cant.* I, 6.) Doce me videlicet, Deus meus, quem unice et præ cæteris omnibus diligo, doce me quomodo te diligam, quomodo te complectar, in qua te conditione colam, in qua tibi professione deserviam, ne per varios Christianorum status incertus animus et dubius nutet ac fluctuet. Exclamemus tandem cum apostolo : *Domine, si tu es, jube me venire ad te* (*Matth.* XIV, 28) ; vel potius cum Propheta : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal.* LVI, 8) ; seu, ut explicat Augustinus : Vis ducem constituere populorum, paratum cor meum ; vis pastorem constituere ovium, paratum cor meum : paratum ad prospera, paratum ad adversa ; sive etiam convenientius ad propositum, paratum ad ordinationem, paratum ad repulsam.

3° Non tamen putet hanc Dei voluntatem posse in media vanitate, negotiationibus ac turbis sæcularibus percipere. Segreget se paululum de strepitu mundi, et quasi aurem admoveat et audiat quid in se loquatur Dominus. (*Psal.* LXXXIV, 9.) Tu ergo, o charissime, inquit sanctus Bernardus, huic voci Dei tui dulciori super mel et favum (*Psal.* XVIII, 11), si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito ac vacante interno sensu dicas et tu cum Samuele : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* (*I Reg.* III, 10.) Vox hæc non sonat in foro, nec auditur in publico. Secretum consilium, secretum quærit auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit et lætitiam (*Psal.* L, 10), si sobria aure perceperis. (S. BERN., epist. 107.)

4° Quia sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, inquit Gregorius (*Pastor.*, p. I, c. 9)... ne nobismetipsis fidentes in nobismetipsis responsum mortis et erroris habeamus (*II Cor.* I, 9), et simus sicut sacerdotes illi *qui ceciderunt in bello dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium* (*I Mach.* V, 67) ; consulendi etiam sunt amici : amicos dico non secundum carnem et secundum sæculum, non homines mundi hujus amatores, non parentes terrena sapientes : Beatus enim qui instar aspidis surdæ obturantis aures (*Psal.* LVII, 5, 6), non audit vocem talium incantantium sapienter : sed viros probæ vitæ et probatæ sapientiæ, qui divinæ, non humanæ sapientiæ regulis omnia metiantur, qui tam in divinis quam in sæcularibus negotiis sint oculatiores : nam, ut ait Apostolus : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei ; stultitia enim est illi, et non potest intelligere quia spiritualiter examinatur : spiritualis autem dijudicat omnia.* (*I Cor.* II, 14, 15.) Consilia etiam Dei abscondita sunt a sapientibus et prudentibus et revelantur parvulis. (*Matth.* XI, 25.) Quid enim carnalis homo ; quid sæcularis consulet quam honorem attendendum ; apertam ambitioni viam calcandam,

de dignitate, de divitiis, de re familiari præ cæteris esse cogitandum? Quis autem non videt ab his consilia Dei discrepare? Qui nempe *humilia respicit* (*Psal.* CXII, 6), *et alta a longe cognoscit....* (*Psal.* CXXXVII, 6.) Sermo itaque a propheta, consilium a sapiente quærendum est. (*Jer.* XVIII, 18.) Numquid enim de luto limpidum quidpiam haurire potestis? (S. BERN., ep. 8, *ad Brunon. Colon. elect.*)

Super omnes autem superior noster consulendus est, a cujus ore tanquam a divino oraculo pendeas : hic enim dicet tibi quid te oporteat facere, nec te latebit tandem quid velit Deus aut quo vocet.

At vero post compertam divinam ad clerum vocationem, vide ne amicorum consiliis inquirendis rem differas... (HALIER., *Monit.*) Quotos enim, ait sanctus Bernardus (*Declamat.*), mundi sapientia ista maledicta supplantat, et conceptum in eis exstinguit spiritum, quem voluerat Deus vehementer accendi! Noli, inquit, præcipitanter agere ; diu considera, diligentius intuere ; magnum est quod proponis, et opus habens multa deliberatione. Experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. (*Eccli.* XXXII, 24). Hæc sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum provocare. Cave tibi, ait ; utquid enim? Cum a Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quis sapientior illo? etc....

Quod si tandem aliquis jam sacris cleri ordinibus initiatus agnoscat se in clerum irrupisse potius quam vocatum introisse, deflcat peccatum suum, et bonis operibus ac pertinaci studio præstare satagat, ut si non plantatus in domo Domini (*Psal.* XCI, 14), apte tamen translatus videatur; si non insitus sit secundum naturam, et ex naturali excisus oleastro, naturalibus tamen ramis contra naturam inseratur in bonam olivam (*Rom.* XI, 24) ; et, ut loquitur Bernardus ad Ardutionem (epist. 27, 28), qui sine meritis virtutum præcedentibus Gebennensis episcopus fuerat electus : Bonas, inquit, fac de cætero vias tuas, et studia tua. Honorifica ministerium tuum : si vitæ sanctitas non præcessit, sequatur saltem.... Nescio quo pacto plus placebit subita hæc mutatio dexteræ Excelsi (*Psal.* LXXVI, 11), quam si vitæ prioris merita suffragarentur, etc....

Tunc vere fatebimur te præventum in benedictionibus dulcedinis ; tibi de bonis meliora sperantes exsultabimus et lætabimur, quod fidelis servus et prudens constitutus sit super familiam Domini, futurus ex hoc filius felix et potens super omnia bona Patris constituendus.... (*Matth.* XXIV, 47.)

Quamvis enim difficile sit male partam dignitatem bene administrari, et ut ex amara radice ambitionis suavis fructus prodeat charitatis... (SYNES., epist. 11, *ad sacerd.*) At id quidem nobis difficile est, imo et impossibile nobis tanquam ex nobis, qui *non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis tanquam ex nobis* (*II Cor.* III, 5) : sed non est impossibile Deo... *Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 9), et facere ut quæ præire debuerant bona, vel subsequantur... (S. BERN., epist. 27, supra citat.)

CAPUT VI.

De desiderio et fuga sacræ ordinationis et ecclesiasticarum dignitatum.

Quia dominandi studium initium est et fundamentum ad deteriora propensionis, ac parens etiam omnium vitiorum... (GREG. Nyss.) ; quia etiam magis dignus efficitur, qui quod meretur excusat... (PONTIUS diac., in *Vit. S. Cyprian.*) Et, ut ait Eucherius (13), Lugdunensis episcopus, meriti prærogativa est honoris repulsa.

Nullus... super illustre sacerdotium..., aut alios sacros ordines vel ecclesiasticas dignitates, necnon etiam cleri beneficia (idem enim de his omnibus proportione servata dicendum est) inordinate ambiat, sollicite quærat, præsumptuose postulet... (S. EPHR., *De sacerdotio.*) Cum enim intolerandum quoddam sit inordinatæ elationis genus celsissimum istum sacerdotii statum appetere, altissimum scilicet eorum omnium ad quos assurgere potest humana cupiditas, ad quem nemo ex creationis suæ vel salvationis fine destinatur, de quo vix aliquis probabiliter conjicere potest, an sibi ex divinæ Providentiæ ordine paratus sit : periculum est ne cum Lucifero in terram dejiciantur, qui cum eodem in corde suo dicunt : *In cœlum conscendam, super astra cœli extendam solium meum, sedebo in monte testamenti in latere aquilonis* (*Isa.* XIV, 14) ; qui vel reliquis nihilo meliores cæteris præesse concupiscunt, vel de se adeo præsumunt ut in excelsissimo gradu putent se collocandos. (HALIER., *De sacr. ordinib.*, p. I, sect. 5, c. 2.)

Noli, inquit Sapiens, *quærere a domino ducatum, neque a rege cathedram honoris...* (*Eccli.* VII, 4.) Multorum enim dominatio est eorum damnatio, inquit Petrus Damiani (epist. 131). Et sanctus Bernardus (*Epist. ad Henric. Senon.*, c. 7) : Meditantibus honores blandiuntur, inquit, sed onera pensantibus tædio sunt atque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum : multi enim non tanta fiducia et alacritate currerent ad honores, si esse sentirent et onera : gravari profecto metuerent, nec tanto labore et periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum.

Nunc vero quia sola attenditur gloria, purum esse clericum erubescitur in Ecclesia, seque viles æstimant et inglorios, si quocunque eminentiori loco non fuerint sublimati. (S. BERN., *ibid.*)

(13) Vulgo Eusebius Emissen.

Notent hoc quibus superbiæ typho elato et ambitioso fastu turgidis sordescit clericatus, et qui indignum sua celsitudine existimantes hunc titulum, semper ad sacerdotium et dignitates ecclesiasticas aspirant, ut dominari possint in cleris : sicque (Halier.)... manibus et pedibus repentes, sese ingerunt in patrimonium Crucifixi. O vanitas ! o cæcitas ! o temeritas ! (S. Bern., *Declamat.*)

Ex hoc principatus ambitu et dominandi libidine, inquit Basilius (14), periit gravitas sacerdotum ; pastores cum scientia gregem Domini reliquerunt, distributiones pauperum in proprios usus donaque insumpserunt. Canonum exacta observatio pessum ivit, multa peccandi libertas patet. Nam qui favore humano ad imperium devenerunt, id agunt ut gratiam eis rependant quorum opera sunt promoti. Justum judicium periit ; quisque cordis sui desiderio ambulat : malitia immodica, populi immorigeri, præfecti non libere loquuntur. Nam qui per homines sibi ipsis potestatem acquisiverunt, servi sunt eorum quorum favore adjuti sunt.

Vides etiam omnem ecclesiasticum zelum fervere pro sola dignitate tuenda. Honori totum datur, sanctitati nihil aut parum... (S. Bern., lib. iv *De consid.*, cap. 2.) (Ideo) curritur in clero passim ab omni ætate et ordine, a doctis pariter et indoctis, ad ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit cum ad curas pervenerit... (Id., epist. 42, *ad Henric. Senon.*)

Festinant etiam multiplicare præbendas, unde ad archidiaconatus evolarent ; demum aspirant ad episcopatum ; ne ibi quidem requiem habituri, quoniam

. . . . . Sic itur ad astra.
(Virgil., *Æneid.*, lib. ix, vers. 641.)

Et quia superbia eorum ascendit semper (*Psal.* lxxiii, 23), cum primos etiam gradus meruerint in Ecclesia, non ideo corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio ; quo utique magis ac magis dilatentur in plura et ad celsiora sublimentur... (S. Bern., *ibid.*) ut ab altiori gradu sit casus gravior. (Id., *Declam.*)

Quia vero ambitio subtile malum est, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem... (Id., *in psal.* xc, serm. 6) ulcus pessimum quod nec summis saltem digitis patitur attrectari : quod curari renuit, medelam non sustinet. (Id., *Declam.*)

Ne hoc tam pestifero vitio infectus ad cleri dignitates ascendas... honor te quærat, non ipsum tu... (S. Chrysost., lib. iii *De sacerdot.*, cap. 8) ; debes enim in loco humiliori discumbere ut qui te invitavit, faciat te ad honoratiorem locum ascendere. (S. Aug., hom. 13.)

Hinc ergo præcipites quique colligant cum sancto Gregorio (*Pastoral.*, part. i, c. 7) cum quanta culpa ex appetitu proprio cæteris præferri non metuunt, si sancti viri plebium ducatum suscipere, Deo etiam jubente, timuerunt. Moyses suadente Domino trepidat ; et infimus quisque ut honoris onus suscipiat, anhelat ; et qui ad causam valde urgetur ex propriis, humerum libenter opprimendum ponderibus submittit alienis ; quæ egit ferre non valet, et auget quæ portet. (S. Greg., *Pastoral.*, part. i, c. 7.)

Huic igitur negotio nec se ingerat rogans. Consilio, non prece agendum est, inquit S. Bernardus... (*De cons.* lib. iv, cap. 4.) Alius tamen undique circuit sedulus explorator : blanditur, obsequitur, simulat et dissimulat, miseraque sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus et pedibus repens, si quomodo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi et bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inveniuntur exposita. (Id., *Declam.*)

Sic alius sæpe pro se, alius forte et pro alio rogat. Pro quo rogaris sit suspectus. Qui ipse rogat pro se, jam judicatus est ; nec interest per se, an per alium quis roget. Clericum curiam frequentantem, qui non sit de curia, ad idem noris pertinere ambientium genus. Adulantem et ad placitum cujusque loquentem, unum de rogantibus puta, etiamsi nihil rogaverit ; scorpioni non est in facie quod formides, sed pungit in cauda. (Id., lib. iv *De consid.*, c. 4.)

Sed quia plerumque qui præesse concupiscunt, inquit S. Gregorius (*Pastoral.*, part. i, c. 8), ad usum suæ libidinis instrumentum apostolici sermonis arripiunt, quo ait : *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, etc. (*I Tim.* iii, 1) Notandum quod illo in tempore hoc dicitur, quo quisque plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur (15). Tunc ergo laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire ; (nunc autem) episcopatus opus mirifice laudo, divinum enim est : ipsius autem amorem minime laudo : periculosus enim est. Non dico, bene facit : neque enim ne probatissimos quidem viros hunc amorem in animo alere, verum pro viribus expellere oportet... (S. Isidor. Pelusiot., lib. vi, epist. 216) ; nam, ut ait sanctus Augustinus, nihil difficilius est aut laboriosius, aut periculosius, episcopi, presbyteri, aut diaconi officio : *Qui autem amat periculum, peribit in illo.* (*Eccli.* iii, 27 ; S. Aug., epist. 124. *ad Valerium ;* refert. dist. 40, c. *Ante omnia.*)

Unde Cyrillus Alexandrinus (hom. 1 *in festo Pentecost.*) : Reperio, inquit, omnes sanctos divini ministerii ingentem veluti molem formidantes. Et Gregorius Nazianzenus, nec oblatam præfecturam expetendam voluit, nec minime oblatam expetere cuiquam permisit. (*Orat.* 1 *apolog.*)

Oportet ergo, inquit Chrysostomus (lib. i *De sacerd.*, c. 10), tanta cum religione et cautione ad rem ipsam accedere, ut illius molem magnitudinemque

(14) Epist. 69, quam cum collegis suis scripsit episcopis Italiæ et Galliæ.

(15) S. Gregor., *Pastor.*, part. ii, c. 8 ; idem habent S. Hieronymus, S. Anselmus et alii.

primum prorsus detrectet (clericus, ita ut) tantum sit (ab omni dignitatum ambitu) sepositus, (ut non solum non quærat aut roget,) sed quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. (Leo et Anthem. imperat., leg. *Si quemquam*, c. *De episcop. et cleric.*)

Bonum est, inquit Origenes (hom. 6 *in Isa.*), non prosilire ad eas, quæ a Deo sunt, dignitates et principatus, et mysteria Ecclesiæ, sed imitari Moysen, et dicere cum eo : Provide ad alium quem mittas (*Exod.* IV, 13) ; neque enim ad principatum Ecclesiæ venit qui salvari vult, sed ad servitutem Ecclesiæ, etc. Sic enim sancti Cyprianus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Fulgentius, nonnisi vim passi ad sacros ordines et dignitates ecclesiasticas ascenderunt. Sic sanctus Augustinus : Vis,inquit, mihi facta est merito peccatorum meorum.

Sic Synesius episcopale fastigium recusans : Si, inquit, posteaquam ista manifesta fuerint (rationes scilicet ob quas dignitatem hanc recusabat) quæ celari minime volo, in episcoporum numerum nos ascribat, cui ejus potestas a Deo commissa est, cedam necessitati, et tanquam divinitus oblatam tesseram, θεῖον σύνθημα accipiam. (Synes., episc. Cyren., epist. 120.)

Sic etiam teste sancto Cypriano : Cyprianus episcopatum ipsum nec postulavit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ et superbiæ suæ tumor inflat, invasit ; sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ et pro humilitate ingenitæ sibi et custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut episcopatum coactus acciperet. (S. Cypr., epist. 52, *ad Antonin.*). Sic tandem multi alii, ut illud onus suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur. (S. Aug., epist. 184, *ad Donat.*)

Ideo sanctus Bernardus ad Eugenium Papam scribens : Non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes ; etiam coge illos *et compelle intrare*. (*Luc.* XIV, 23 ; S. Bern., lib. IV *De consid.*, cap. 4.)

Inter hæc porro quid sequendum est, quid tenendum hujusmodi clerico qui sic cogitur ? Non purgatus adire sacra ministeria non audeat ; et quia valde difficile est se purgatum quemlibet posse cognoscere, quid restat, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat? Ille, si omnino renititur, caveat ne acceptam pecuniam in sudario ligans (*Luc.* XIX, 20), de ejus occultatione judicetur (S. Greg., *Pastor.*, p. I, c. 7) ; pecuniam siquidem in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti temporis abscondere. Nolens ergo, sed humilis ille suscipiat, inquit Isidorus (lib. III *Sentent.*, c. 34) ; nam etsi dignus sit, et, ut ait Gregorius, donis præventus, quibus et aliis prosit, culmen tamen regiminis et ex corde debet fugere et invitus obedire. (S. Greg., *Pastor.*, p. I, c. 6.)

Iste vero, scilicet indignus, si faciliter acceptat, videat ne per mali operis exemplum fiat obstaculum ingredientibus regnum cœlorum more Pharisæorum quibus Dominus dixit (*Matth.* XXIII, 13), quod neque ipsi intrabant, neque alios intrare permittebant. Denique cum sit datus medicus aliorum, si passionibus adhuc abundat, quomodo percussum curare properat, qui in facie vulnus portat ? (*Ibid.*, c. 7.)

CAPUT VII.

De longa probatione ante ordinationem necessaria, ac de servandis inter singulos ordines debitis interstitiis.

In sacerdotibus ordinandis quæ sunt a Patribus præscripta cogitemus : quia sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem vicarii sacerdotes, sic et in eligendis his curam oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis : nec quidquam illi deesse personæ penes quam est religionis summa substantia disciplinæ. (Hormisd. Pap., epist. 25.)

Hoc ita fiet, si non sacerdotii gradus saltu quodam passim laicis transferantur. Longa debet vitam probatione monstrare cui gubernacula committuntur Ecclesiæ, etc. Longa observatione religiosus cultus tradatur ut luceat, et clericalibus obsequiis eruditendus inserviat, ut ad venerandi gradus summa perductus, qui sit fructus humilitatis ostendat. (*Ibid.*)

Unde Apostolus : *Nemini*, inquit, *cito manus imposueris*. (*I Tim.* V, 22.) Quid autem est cito manus imponere (juxta mentem sanctorum Patrum), nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem non probatis tribuere ? (S. Leo, epist. 87, c. 1.)

Vel, ut ait sanctus Chrysostomus : Quid est illud, *cito ?* Non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia ; sed ubi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio. Neque enim ea res periculo caret : eorum quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis qui initium dedisti etiam omnium præcedentium delictorum. (S. Chrysost., hom. 16 *in I Epist. ad Tim.*, c. V ; *De sacerd.*, lib. IV, c. 2.)

Ut ergo nemini cito manus imponantur et ad sacros ordines sine sufficienti examine et digna probatione nullus accedat..... vetus fuit et antiqua cleri regula ut aliqua a suscepto ordine ad alium temporis intercapedo necessaria judicaretur, nec momentaneus aliquis sacerdos, ut ait sanctus Leo, aut diaconus fieret. (Halier., *De sacr. ordin.*)

Quomodo enim valebit sæcularis homo sacerdotii magisterium adimplere, cujus nec officium tenuit, nec disciplinam cognovit ? aut quid docere poterit, cum ipse non didicerit ? (*Conc. Aquisgran.*, c. 9, ex S. Isid.)

Nolim hic præceptum Pauli neophytum prohibentis ordinari : *Non neophytum* (*I Tim.* III, 6), inquit ; nolim apostolicum canonem (can. 70 vel 86), eum qui sui experimentum diuturno tempore non dederit ad sacerdotium vetantem promoveri ; nam, inquit,

iniquum est, ut qui sui nondum experientiam ostenderit, sit aliorum magister; nolim etiam Tertullianum (*De præscript.*, c. 41), hæreticorum ordinationes reprehendentem tanquam temerarias ac leves, quod in eorum castris statim aliquis proficeret et ad sacram præfecturam momento eveheretur, urgere.

Cyprianum ejusdem in Ecclesia traditionis probatissimum ac luculentissimum testem adduco, qui de Aurelio confessore, quem lectorem ordinaverat : Merebatur, inquit, talis clericæ ordinationis altiores gradus, et incrementa majora, non de annis suis, sed de meritis æstimandus; sed interim placuit, ut ab officio lectoris incipiat. De quo Aurelio et Celerino hæc habet : Hos tamen lectores interim constitutos sciatis : cæterum presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut et sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, etc. (S. Cypr., epist. 33, *ad cler. et pleb.*)

Celerinum autem postea non repente e lectore presbyterum factum fuisse argumentum est, quod diaconus varia tormentorum genera perpessus obiisse referatur. (*Martyrolog. Rom.*, 3 Febr.) Quæ autem subesse causa potuit, ut tantos viros, et doctrinæ laude conspicuos, confessionis præterea gloria illustres, quamprimum presbyteros ordinare ausus non fuerit; presbyterorum tamen eis privilegia ac prærogativas tribuens, et jam tunc presbyteratus honorem eis designans, nisi quod nemo ad presbyteratum ex Ecclesiæ lege ascendere deberet, qui non prius in inferioribus ordinibus probatus fuisset. (Celerin., epist. 22, *ad Lucian.*, inter Epist. Cyprian.)

Hujus autem probationis tempus, licet varie definitum, semper tamen ab ordinandis aliquod requisivit Ecclesia.

Caius Papa, ut refert *Pontificale Damasi* (in *Caio*), constituit, ut omnes ordines in Ecclesia sic ascenderent; si quis episcopus fieri mereretur, ut esset ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter, exinde episcopus.

Et horum ordinum tempus definiens Sylvester constituit, ut si quis desideraret in Ecclesia militare aut proficere, ut esset ostiarius annis decem; lector annis triginta, exorcista dies triginta, acolythus annis quinque, subdiaconus annis quinque, custos martyrum annis quinque, diaconus annis septem, presbyter annis tribus probatus ex omni parte, etc. (*Pontific. Damas.*, in *Sylvestro I.*)

Et licet corruptus videatur hic textus, huic tamen in multis favet concilium Romanum secundum (act. 2), sub eodem Sylvestro, præcipiens ut nullus ex laica persona ad honorem acolythi usque ad episcopatum sublevaretur, nisi prius lector fuisset annis triginta, deinde uno die exorcista, postea caperet onus acolythi, et faceret in eodem ordine annos decem, ut acciperet onus subdiaconi, et in subdiaconatu esset annis quinque, deinde ad diaconatus honorem pertingeret fixus rogantibus triginta presbyteris examen, ut esset subdiaconus cardinalis, quia a prima sede erat constitutum ut serviret annis septem. Hoc enim quod si quis desideraret ordinem presbyterii, ita exigeretur, etc.

Syricius, epistola ad Hymerium Tarraconensem (epist. 1, c. 9; refert. dist. 77, c. *Quicunque*), ait : Quicunque itaque se Ecclesiæ voverit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, et lectorum ministerio debet sociari; qui ab accessu adolescentiæ usque ad vicesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit, etc., acolythus et subdiaconus esse debebit, posteaque ad diaconi gradum, si seipsum primitus continentia præeunte dignum probaverit, accedat; ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministraverit, congrue presbyterium consequatur. Exinde post decennium episcopalem cathedram poterit adipisci : si tamen per hæc tempora integritas vitæ et fidei ejus fuerit approbata. Qui vero jam ætate grandævus melioris vitæ conversatione provocatus ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore statim lectorum aut exorcistarum numero societur; et qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud acolythus et subdiaconus fiat, et sic ad diaconatum (si per hæc tempora dignus judicatus fuerit) provehatur. Exinde jam accessu temporum presbyterio vel episcopatui, si eum cleri ac plebis revocaverit electio, non immerito societur.

Et epistola tertia *ad universos orthodoxos* (c. 3), ait neophytum vel laicum qui nullo ecclesiastico functus fuerit officio inconsiderate vel presbyterum vel diaconum ordinari præsumi contra apostolica præcepta; quasi meliores apostolis sint quorum audeant irritare præceptum.

Innocentius I (*Epistola ad Felicem Nucerianum episcopum*, epist. 4, c. 5) : Tempora, inquit, a majoribus constituta serventur, nec cito quilibet lector, cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat, quia in minoribus officiis, si diu perdurent, et vita eorum pariter et obsequia comprobantur, ut ad sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant, nec præripiant quod vita probata meretur accipere.

Zosimus *Epistola ad Hesychium Salonitanum* (c. 3) : In singulis gradibus, inquit, hæc tempora sunt observanda : si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret. Si major jam grandævus accesserit, ita ut post baptismum statim se divinæ militiæ desideret mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur; exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis, et sic ad benedictionem diaconatus, si mereatur, accedat; in quo ordine quinque annis si inculpate se gesserit, hærere debebit; exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, presbyterii sacerdotium potuit promereri : de quo loco si eum exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum pontificatum sperare debebit.

Quia vero Gelasius, urgente Ecclesiæ necessitate, ut ipse testatur (*Epist. ad episc. per Lucan.*, c. 3, 4), in istis temporum interstitiis, inter singulos ordines pro quibusdam locis dispensavit, longiora scilicet ista tempora ad breviora contrahens; ex hac Summi Pontificis indulgentia, quæ legem potius firmasse quam infirmasse debuerat, ut ex ipsa ejus epistola manifestum satis est, solutioris disciplinæ initium cœpit, et dispensatio hæc, quantumvis salutaris, laxiorem tamen observantiæ occasionem dedit.

Antiquorum tamen temporum severitatem in usum postea revocare volens synodus Barcinonensis (c. 3), sub Recaredo rege, statuit, ut secundum priscorum canonum constituta, vel synodalium epistolas præsulum, nulli deinceps laicorum liceat ad ecclesiasticos ordines, prætermisso canonum præfixo tempore, etc., ad summum sacerdotium aspirare ac provehi; sed cum per canonum conscripta tempora, ecclesiasticos, per ordinem, speciali opere desudando, probatæ vitæ adminiculo comitante, conscenderit gradus, ad summum sacerdotium, si dignitati vita responderit, auctore Domino provehatur.

Clarius vero et expressius priscum morem referunt Capitularia Caroli : Qui, inquiunt (lib. VII, c. 27), divinæ militiæ desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quenquennio teneatur, exinde acolythus, vel subdiaconus quatuor annis, et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedit; in quo quinque annis, si inculpate gesserit, adhærere debebit, et postea, si probus fuerit sacerdos efficiatur.

Synodus pariter octava generalis (*Synod. Constantinopolit.* IV, c. 5) ad priscum morem videtur accedere, ubi cum eos a sacerdotio repulit qui eo proposito in clericos vel monachos attonderentur, ut repente ad ecclesiasticas dignitates eveherentur, reliquis temporum inter ordines interstitia assignavit iis verbis : Quod si quis nulla suspicione dictæ ambitionis vel honoris spe tactus, sed recta honestaque inductus, in clericum aut monachum attonsus est, perque omnes gradus ecclesiasticos definitis temporibus, vitam agendo inculpatam transiisse reperiatur, ad episcopatus honorem evehatur, sic ut in lectoris munere annum, in subdiaconi duos, diaconi tres, sacerdotii quatuor annos expleat; pie denique diuque in clericorum et monachorum ordine versatus, tempus ab episcopis qui eo tempore fuerint, contrahi potest. Si quis præter hanc sanctionem ad supremum episcopatus honorem provectus fuerit, penitus rejiciatur.

Concilium tandem Tridentinum, post multa alia tum Pontificum, tum conciliorum decreta, graviter et sapienter de intervallis et interstitiis inter singulos ordines servandis edixit :

1° Quidem de minoribus ordinibus sic cavit : Minores ordines iis, qui saltem Latinam linguam sciunt, per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur, ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, etc.

De quibus ad sacros ordines non promovendis nisi post aliquam insumptam in minoribus moram, paulo post addit : Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio episcopi aliud exposcat. (sess. 23, *De reform.*, c. 11.)

De subdiaconatu et diaconatu postea subjungit : Subdiaconi et diaconi ordinentur ut habentes bonum testimonium, et in minoribus ordinibus jam probati, etc. Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittantur. (*Ibid.*, c. 13.)

De presbyteratu tandem similiter decernit : Qui pie et fideliter in ministeriis ante actis se gesserint, et ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium; et hi sint qui non modo in diaconatu annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur, ministraverint, sed etiam, etc. (*Ibid.*, c. 14.)

Ideo concilium Mediolanense IV : Sæpe illud facileque evenit, ut vel hominis mores mutentur, vel quod de illius vita minus antea notum atque exploratum erat, id postea aliquo modo patefiat; quo fit ut quem episcopus, superiorve aliquando probarit, dignumque existimarit, aliquo etiam sacro ordine initiari, illum ipsum post inveniat indignum, neque idoneum esse, cui idem aut major ordo conferatur. Quare ut et erroribus multiplicique fraudi occurratur, plane servetur decretum illud Tridentinum quo vetatur ad superioris ordinis gradum illos ascendere, qui in inferiori aliquandiu episcopi judicio versati non sint, quique cum ætate, vitæ etiam merito doctrinaque majori non processerint.

¶ Innumeræ tandem synodi provinciales ac diœcesanæ per varias orbis Christiani partes intervalla ista a Tridentina synodo præscripta observari jubent; et maxime constitutio Sixti V contra male promotos edita.

Post tot ergo Ecclesiæ de interstitiis servandis præcepta, quid istud temeritatis est nulla urgente Ecclesiarum necessitate, imo clericorum multitudine ultra canones et antiquam consuetudinem in Ecclesia recepta, uno aut altero mense omnes ecclesiasticos gradus festinanter decurrere, nullo dato experimento aut probitatis vitæ aut doctrinæ, aut studii ecclesiasticæ disciplinæ? Annon hoc est uno die sanctos velut ex argilla velle fingere, ut aiunt sancti, eosque sacerdotes et eruditos esse qui nihil didicerunt. (S. Greg. Naz.)

Timendum sane ne hi ante statuta tempora ordinati sint tanquam abortivi fetus, ἀνθημέροι flores, qui ut cito oriuntur, ita et occidunt, et præmaturi fructus, quos vel levis pruina decoquit, vel frigus conficit, vel imber putrefacit. Quam bene Ivo Carnotensis (epist. 58, *ad canon. Senon.*) in taliter ordi-

natos contorquet verba ista Sapientis: *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.* (*Prov.* xx, 21.)

Festinatur autem sane ad hæreditatem cleri, cum tempora ab Ecclesia statuta non exspectantur; festinatur cum ad sacros ordines ascendunt qui nihil didicerunt ecclesiasticæ disciplinæ et sacrorum officiorum, et qui ad dignitatem nihil contulerunt præter velle, simul scilicet sati et editi sacerdotes, quemadmodum poetæ gigantes finxerunt. (S. Greg. Naz., orat. 20, 29, 32.)

Festinatur cum post aliquot menses veneranda ipsis etiam angelicis spiritibus dignitas confertur, cui ne extrema quidem senectus præstituta longum tempus censeri debet. (S. Bern.; S. Greg. Naz., orat. 20.)

Scilicet tribus aut sex mensibus sacræ regulæ et sacramentorum doctrina ac recta administratio et ecclesiastica munia edocentur, quæ nonnisi diuturno usu comparantur; scilicet vivendi ratio clericalis hoc parvo temporis spatio ediscitur, mundanique convictus et conversationis sæcularis habitus amittuntur : desipere sane videtur qui hoc credit.

Multo tempore ad sæcularia dediscenda et spiritualia ediscenda opus est, vixque nisi ab adolescentia, vel post plurium annorum curricula clericali vivendi rationi quivis assuevit.

Ut ergo inconversibilia maneant pro sui reverentia Ecclesiæ de interstitiis constituta :

1° Nullus nisi servatis omnibus inferiorum ordinum gradibus in quibus sese per statuta tempora ex præscripto canonum exercuerit, ad sacerdotium ascendat. Ordinatissima enim hæc ad sacerdotium videtur esse ascensio, si singuli ecclesiastici gradus per morosa temporum intervalla conferantur. Hæ sunt ascensiones, quas in corde suo juxta Psalmistam disposuit Dominus *in valle lacrymarum, in loco quem posuit* (*Psal.* lxxxiii, 7); hæc est scala Jacob per quam angeli ad Dominum ascendunt; quam si angeli, si beatissimi spiritus, si supernæ mentes nonnisi gradatim ascendere audent, qua temeritate mortales fictilia vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias, prætermissis inferiorum gradibus, saltando magis quam ascendendo, inquit Bernardus (*De convers. ad cleric.*, c. 30), uno vel pluribus statim ad ejus summitatem adnitentur? Eant potius de virtute in virtutem, de gradu in gradum, ut videatur Deus deorum in Sion. (*Psal.* lxxxiii, 8.) Casum appetit, inquit Gregorius (lib. vii, epist. 10, *ad Syagr.*), qui ad summa Christi fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. Per omnia ergo ecclesiastica beneficia promoti, sicut de sancto Cornelio dixit olim sanctus Cyprianus (epist. 52, *ad Anton.*), et in divinis administrationibus Dominum sæpe promeriti, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendant.

2° Ne interstitiorum istorum inter singulos ordines, illusoria concilii interpretatione, ignavi simus observatores; quilibet durantibus his temporum intervallis ab Ecclesia præscriptis, pietati interim, divinis Officiis, ordinisque ultimum præcipue suscepti ministeriis sedulo vacet. Si enim tota ista tempora inutiliter effluere sinat, inanis est sane interstitiorum observator; nam cum illorum præscribendorum apud sanctos Patres et concilia causa præcipue triplex reperiatur :

Prima, ministerii cujuscunque ordinis exacta et accurata cognitio ac sedulus usus;

Secunda, animi clericalis assumptio et in disciplina progressio;

Tertia, probatio promovendi ad superiores ordines, quem in inferioribus tanquam in statu discipulatus, probationis ac novitiatus retineri æquum est, ut nonnisi cum ingenti labore et virtutum gloria, ac perfectione virtutis, in iis quæ sunt sui muneris institutus, ad superiores gradus accedat. (*Conc. Trid.*, sess. 23; S. Ambros., *De offic.*, lib. i, c. 1; S. Aug., epist. 148, *ad Valer.*; Hormisd. Pap., *Ad episc. Hispan.*, epist. 4, c. 1; S. Gregor., epist. 110, al. 108, *ad Syag.*; Cœlestin., epist. 2, c. 3; Zosim., *Epist. ad Hesych.*, c. 1.)

Quis illum interstitia servare existimet, saltem secundum mentem, et spiritum Ecclesiæ, qui non pietatis incremento, non doctrinæ uberioris acquisitioni, non disciplinæ studio, et sacrorum Officiorum usui impendi curat hæc sacra temporum intervalla.

Quidam, inquit Gregorius Magnus (epist. 110, *ad Syagr.*, c. 7), desiderio honoris inflati, defunctis episcopis tonsurantur, et fiunt repente ex laicis sacerdotes, atque inverecunde propositi, religionis ducatum accipiunt, qui non adhuc esse milites didicerunt, etc. Necesse est ut quamvis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distinctos ordines ecclesiasticis exerceatur officiis, videat quid imitetur, discat quod doceat, informet quod teneat, etc. Oportet siquidem, docente Tertulliano (*De præscript.*), ipsos prius in administratione ejus rei deprehendi, et constantiam commonendi propriæ conversationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus evilescant; et cum iniquum sit, inquit apostolicus canon (can. 79, 80), eum qui nullum sui documentum dederit, aliorum esse doctorem, sic de gradu in gradum debent ascendere, qui ad sacerdotium aspirant, inquit concilium Tridentinum. (*De reform.*, sess. 23, c. 4.) Ut in eis cum ætate vitæ meritum, et doctrina major accrescat, et ut in minoribus officiis vita eorum pariter et obsequio comprobatis, moribus et bonæ vitæ meritis refulgentibus ad summum sacerdotium postmodum veniant... (Joan. VIII, epist. 199), ut testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedant. (Tertull., *De præscript.*, c. 41.)

Unde concilium Burdigalense (c. 6, n. 3, sub cardinal. Surdis habit., ann. 1624): Prudenter admodum nuperum et divinitus factum, ut per tot gradus ad sacerdotium ascenderent Ecclesiæ ministri: in quibus si punctuatim servatis temporum interstitiis consisterent promoti, exercitiis ordinum proxime susceptorum sedulo vacantes, angelicæ profecto vitæ viros ecclesiasticos haberemus.

Ideo et in concilio Aquensi ann. 1585, sub Sixto V, et ab eodem approbato et confirmato, præcipitur, ut, qui minore majoreve ordine initiandus est, testimonium afferat de illius ordinis functionibus a se præstitis, idque testificationis habeat a præfecto Ecclesiæ cui ascriptus est, in qua vere ac speciatim exprimatur quas functiones, et quandiu et quam diligenter, et quam pie, et quam decenter, recte riteque præstiterit..; ut scilicet quilibet functiones proprii ordinis anno interstitiorum labente exerceat, sicque tanquam vanæ et otiosæ in Ecclesia Dei hujusmodi functiones non traducantur. (*Conc. Burdigal.* ann. 1624.)

3° Quia ubi nulla est Ecclesiæ necessitas aut utilitas, ut de quibusdam ordinibus, ait concilium Tridentinum, vel, ut de omnibus ait Gelasius, ubi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia, Ecclesiæ de interstitiis decreta regulariter convenit custodire, nullus illorum dispensationem audeat nunc his in locis ausu temerario postulare. Cum enim nulla sit modo clericorum penuria, nec verendum sit ut Ecclesiæ desint clerici quæ jam clericorum multitudine fatigatur, nunquid temerarium est et præsumptuosum illa statuta velle prætermittere? Quasi vero possit quis sine temeraria præsumptione seipsum utilem Ecclesiæ aut necessarium existimare; vel seipsum nec utilem nec necessarium veraciter æstimans, possit sine sacrilega temeritate dispensationem sine ulla legitima ratione postulare, suscipere, extorquere.

Ubi necessitas urget, inquit Bernardus (lib. III *De consid.*, c. 4), excusabilis dispensatio; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria; nam, cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

4° Hi præcipue qui ad majores et sacros ordines sunt assumendi, majorem etiam in prædictis... cautionem adhibeant. Cum enim semel, inquit concilium Burdigalense (c. 6, n. 4), arctam viam ingressi fuerint, ab ea minime resilire poterunt, omnisque pœnitentia sera erit eis iners et inutilis.

Unde Apostolus (*I Tim.* III, 6): *Non neophytum*, inquit, ne heri catechumenus, hodie pontifex; heri in amphitheatro, hodie in Ecclesia; vespere in circo, mane in altario; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator. *Ne*, addit Apostolus (*Ibid.*), in *superbiam elatus incidat in judicium diaboli.* Momentaneus siquidem sacerdos humilitatem et mansuetudinem rusticorum ignorat, ignorat blanditias Christianas, nescit seipsum contemnere, de dignitate transfertur ad dignitatem; non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpe reprehendit et assidua meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogavit; de cathedra quodam modo ducitur ad cathedram, id est, de superbia ad superbiam. Judicium autem et ruina diaboli nulli dubium quin arrogantia sit. Incidunt in eam, qui in puncto horæ, necdum discipuli, iam magistri sunt. (S. Hier., *Ad Ocean.*)

CAPUT VIII.

De unius beneficii singularitate.

Nullus in Ecclesia sancta Dei clericus, cujuscunque gradus aut conditionis exsistat, plura in posterum beneficia ecclesiastica, si unum ad vitam ejus honeste sustentandam sufficiat, obtinere, aut obtenta retinere audeat, nisi, necessitate aut utilitate Ecclesiæ exigente, legitima interveniat dispensatio.

Hanc enim beneficiorum coacervationem et multiplicitatem, quam.... exsecrabilem ambitionem vocat Summus Pontifex Joannes XXII (Extrav. *De præbend.*, c. *Exsecrabilis*), tanquam.... canonum inimicam.... (Alexand. III, in *Conc. Lateran.* III, ann. 1180, decret. 18 et 14), ecclesiastici ordinis perturbativam... (*Conc. Trid.*, sess. 24, *De reform.*, c. 17), dissolutionis in clero materiam... (Alexand. III, *ibid.*), certum etiam animarum periculum continentem (*Ibid.*), detestantur sancti Patres, horrent canones, damnat universalis Ecclesia.

Ne liceat clericis, inquit concilium Chalcedonense, sub Leone I Pontif., ann. 451, part. II, act. 14, can. 10), in duabus simul ecclesiis ascribi. Vel (ut habent Græca) in duarum urbium simul ecclesiis, et in qua ab initio ordinatus est, et ad quam confugit quasi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocentur ad suam in qua primitus ordinati sunt et ibi tantum ministrent, etc.

Et can. 20 (al. 19): Clericos in ecclesia ministrantes, sicut jam constitutum can. 5, in alterius civitatis ecclesia ordinari seu collocari non oportet, sed ea contentos esse; exceptis iis, qui sua amissa patria, ex necessitate ad aliam ecclesiam transeunt.

Concilium Nicænum II (sub Adriano, act. 8, can. 25; refert. 21, qu. 1, can. *Clericus*): Clericus deinceps ne connumeretur in duabus ecclesiis; negotiationis enim est hoc et turpis lucri proprium, et ab ecclesiastica consuetudine alienum. Audivimus enim ex Dominica voce, quia *nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet.* (*Matth.* VI, 24.) Unusquisque ergo, secundum apostolicam vocem (*I Cor.* VII, 20), in quo vocatus est, in hoc debet manere, et in una locari Ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena sunt a Deo. Ad vitæ vero hujus necessitatem studia sunt diversa: ex his vero qui voluerit, acquirat corporis opportuna: ait enim Apostolus: *Ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* (*Act.* XX, 34.)

Unde, ne in duabus ecclesiis ministraret clericus potius censuit Ecclesia ut artificiolo aliquo vel agricultura victum et vestimentum absque officii sui

detrimento pararet, ut in concilio Carthaginensi IV (can. 52) decretum legitur, cui suus titulus non sufficiat, quam in eo pluralitas permitteretur.

Concilium item Claromontanum sub Urbano II, (can. 12) eoque præsente : Nulli, inquit, clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas præbendas obtinere cum duos titulos non possit habere.

Et can. 13 : Ut omnis clericus ad eum titulum, ad quem primum ordinatus est, semper ordinetur.

Et can. 14 : Ut nullus deinceps in Ecclesia duos honores habeat.

Sed quia ubi distinctio introducta est beneficiorum in duplicia et simplicia, item exigentia residentiam et non exigentia : sive in compatibilia et incompatibilia ; sub umbra distinctionum istarum secure se latitare ac defendi a canonum prohibitionibus et lege divina et naturali putant, qui pluralitati ejusque turpissimæ avaritiæ morem gerunt ; videamus quomodo ne quidem in simplicibus, et, ut vocant, compatibilibus beneficiis pluralitatem hanc permittat Ecclesia.

Hoc autem satis constat ex ipsis rationibus ob quas unicum tantum beneficium uni clerico concedit, quæ omnes æqualiter fere in utrisque militant. Septem autem refert Joannes XXII, Summus Pontifex. Inter cætera, inquit (Extrav. *De præbend. et dignit.*, c. *Exsecrabilis*), inconvenientia, ex pluralitate scilicet beneficiorum provenientia, subscripta subsequuntur :

1° Quod videlicet interdum unus, qui unicum, quamvis modicum, vix officium impleret sufficienter, plurimorum sibi vindicat stipendia, quæ litteratis viris, vitæ puritate et testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere æqua distributione collata.

2° Habentibus ipsa paratur vagandi materia.

3° Divinus cultus imminuitur.

4° Hospitalitas in ipsis debita non servatur.

5° Et dum non sunt sui in unaquaque regione rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis et honori, quæ carent defensorum auxilio in juribus suis et libertatibus.

6° Multipliciter collabuntur et ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia exstruxerat decessorum.

7° Et quod amarius est dolendum, animarum cura negligitur et vitiorum sensibus fomentum periculose præbetur.

8° Desumi potest ex sancto Gregorio (refert. dist. 89, c. *Singula*) qui omnibus episcopis scribens : Singula, inquit, ecclesiastici juris officia singulis quibuscunque personis sigillatim committi jubemus : *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus ; omnia autem membra non eumdem actum habent* (*Rom.* XII, 4) ; ita in Ecclesiæ corpore multa membra sunt secundum veridicam Pauli sententiam ; in uno eodemque spirituali corpore conferendum est hoc officium uni, alii committendum est illud. Neque quantumlibet exercitatæ uni personæ uno tempore duarum rerum officia committenda sunt, quia si totum corpus est oculus, ubi auditus ? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia et robur corporis servat, et pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarum per diversa nihilominus distributa officia, et fortitudinem et venustatem sanctæ Ecclesiæ Dei manifestat : et sicut indecorum est in corpore humano ut alterum membrum alterius fungatur officio ; ita nimium noxium, simulque turpissimum est si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Unde inquit Toletus, Hoc est aliquo modo contra rationem naturalem.

9° Attulit concilium Nicænum II (supr. cit.) : Hoc scilicet negotiationis est et turpis lucri proprium.

10° Addit idem concilium : *Nemo scilicet potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit et alterum diliget ; aut unum sustinebit, et alterum contemnet.* (*Matth.* VI, 24.)

11° Refert concilium Parisiense VI (lib. I, c. 49) : Vix quispiam presbyterorum in basilica, in qua divinæ servituti mancipatus est, digne atque strenue militare invenitur : quanto minus id in duabus, aut tribus, aut eo amplius basilicis digne exsequi valet ? In quo facto et religio Christiana fuscatur, et sacerdotalis ordo confunditur, imo avaritia sacerdotum a subditis denotatur, locaque Deo dicata cultu sibi debito privantur, et animarum pericula generantur.

12° Habet divus Thomas (quodlib. 9, art. 15) : Præbendæ ad hoc videntur ordinatæ quia prædicta bona sunt dispensanda ibidem ministrantibus Deo.

13° Habet concilium Coloniense II, sub Adolpho archiepiscopo, ann. 1549 : Inde populus fidelis graviter scandalizatur, et optimorum quorumcunque animi a clero alienantur.

14° Subjungit : Fundatores, quorum sacrosancta et inviolabilis debebat haberi suprema voluntas, spe et exspectatione sua fraudantur. Ad hoc enim, inquit divus Thomas (ubi supra), aliqua bona Ecclesiis contulerunt ut certus numerus Deo servientium ibi esset.

15° Tandem adjicit : Meliores quibus beneficium aliquod certæ Ecclesiæ debetur, quique ministrare in eo cupiant et possint, non absque injuria et offensione Dei excluduntur, et ad studia profana impelluntur, ubi Ecclesiæ poterant esse ornamento.

Tria hic addi possent quæ notat cardinalis Toletus de hac pluralitate, et quæ ad superiorum etiam explicationem ampliorem pertinere possunt.

1° Non tantum Deus privatur cultu suo, sed Ecclesia jure suo : Deus enim magis et melius per plures ministros quam per paucos colitur ; et dum unus plura usurpat officia, Ecclesia caret suis ministris, et sic destruitur.

2° Datur locus ambitioni : dum unus non contentus his quæ habet plura habere anhelat.

3° Pereunt studia bonarum litterarum ; nullus enim studio Scripturæ sacræ incumbit, sed scientiis humanis, de pane lucrando, quia vident se non posse ullum pro merito consequi beneficium.

Nunquid omnes supradictæ rationes pestiferam beneficiorum tam compatibilium quam incompatibilium multiplicitatem damnant, et odiosum illud ac insatiabile studium multa coacervandi, ut loquitur concilium Coloniense supra citatum, æqualiter prohibent ?

Sed et manifesta insuper habemus conciliorum et sanctorum Patrum decreta.

In concilio enim Lateranensi III œcumenico (an. 1280, sub Alexandro Papa III, decret. 18, 24), Non enim pluralitatem solum beneficiorum curatorum prohibet his verbis : Quia nonnulli dignitates diversas ecclesiasticas parochiales, contra sacrorum canonum instituta, nitantur acquirere, etc., ne de cætero fiat districtius prohibemus; sed etiam de cæteris beneficiis sic habet :

Quia in tantum jam quorumdam processit ambitio, ut non duas vel tres, sed sex aut plures Ecclesias perhibeantur habere, nec duobus debitam possint provisionem impendere : per fratres et coepiscopos nostros charissimos emendari præcipimus (inquit Alexander de sententia concilii); et de multitudine præbendarum canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam et vagationis inducit, et certum continet periculum animarum, eorum qui in ecclesiis digne valeant deservire volumus ecclesiasticis beneficiis indigentiam sublevari.

Quod decretum confirmans et renovans concilium Lateranense IV (sub Innocent. III, ann. 1215, c. 29), postquam hanc eamdem beneficiorum curam animarum habentium multiplicitatem prohibuit : Hoc idem, inquit, in personatibus decernimus observandum, etc.

Sed manifestissime concilium Tridentinum (sess. 24, *De reform.*, c. 17, ann. 1563, sub Pio IV) : Cum ecclesiasticus ordo pervertatur quando unus plurium officia occupat clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit, neminem debere in duabus ecclesiis conscribi; verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos non Deum decipientes, ea quæ bene constituta sunt variis artibus eludere, et plura simul beneficia obtinere non erubescunt, sancta synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto quod in quibuscunque personis, quocunque titulo etiam cardinalatus honore fulgeant, mandat observari : statuit ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem, si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri : hæque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnino beneficia tam sæcularia quam regularia, quæcunque etiam commendata pertineant, cujuscunque tituli et qualitatis exsistant, etc.

Et expresse in concilio Mediolanensi IV (tit. *De benefic. collat. et provis.*, § *Beneficium*), sub sancto Carolo Borromæo, ex mente Tridentini concilii, prout Patres ibi profitentur, omnis quorumlibet beneficiorum pluralitas resecta. Beneficium etiam simplex obtinenti, inquit, quod ad vitæ sustentationem satis est, si alterum simplex, aut ecclesia etiam parochialis, aliudve beneficium cujuscunque generis illud sit, possessionem pacificam adeptus est, aut si per eum stetit, quominus duobus mensibus, quos a die, quo alterum collatum est, præstituimus, illam adipiscatur, primum ipso jure vacare censeatur; cum ex Tridentini concilii sententia unum et alterum idem ab illo simul retineri nullo modo liceat.

Pergunt adhuc in illo concilio (*Ibid.*, § seq.) sancti Patres : Beneficii quacunque ratione deinceps collati, unde satis ad victum sumitur, possessionem pacificam quis adeptus, si nulla sibi facultate dispensationeve legitima concessa beneficii prioris, quod obtinebat, censum exegerit, ea pœna illi sit, ut quod exegerit, illius duplum ad Ecclesiæ usum restituat, tum alia ratione etiam multetur plectaturve episcopi arbitratu.

Cum ergo ex his omnibus Ecclesiæ decretis satis manifestum appareat, neminem posse duo beneficia (si unum sufficeret ad eum alendum, et pluralitatem hanc non exigeret Ecclesiæ utilitas) obtinere sine peccato mortali, ut definierunt theologi Parisienses. (Ann. 1238, apud Genebrard. et Guillelm. Durandum, episc. Mimat; Bellarm., *Admonit. ad Theanensem nepotem suum.*)

1° Quilibet clericus unico beneficio ad ejus sustentationem sufficienti sit contentus : væ enim illis, inquit sanctus Bonaventura (apud auctorem libri *Instruct. virorum ecclesiast.* a Joann. Arnelio editi), qui habent plura beneficia per vicarios distributa : ipsi tollunt lanam, sed de ovibus non curant. Et, ut ait sanctus Bernardus (relatus a S. Thom., *Quodlib.*, et a S. Bonavent. supr.), qui pluralis est in beneficiis, pluralis erit in pœnis. Unde sanctus Bonaventura : Ipsi debent esse paucis contenti, et unicum beneficium cum Dei timore habere, et illud devote regere et deservire, scientes quod patrimonium Jesu Christi pro peccatis populi est designatum, pro stipendio servitutis, sicut scriptum est : *Peccata populi mei comedent.* (*Osee* IV, 8.)

2° Quia, ut ait Guillelmus Parisiensis (*De collationibus et pluralitate beneficiorum*, in fin.), quantumcunque largam dispensationis gratiam videatur facere Romanus Pontifex in beneficiis cum aliquibus personis, tamen nec dispensat, nec dispensare potest cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum, nec indulget eis indulgentiis suis, ut his vel aliis vitiis indulgeant. Non enim intendit nutrire pestes vitiorum de temporalibus bonis Ecclesiæ, quæ plene novit ad sustentationem servorum Dei in ejus servitio sacrificata esse Domino et oblata. Quia, inquam, ex his dispensare non potest Summus Pontifex, nullus sibi dispensatus blandiatur aut securus vivat propter superioris auctoritatem, si hac intentione plura beneficia obtinet ut sit ditior et lautius vivat, et ut facilius ad episcopatum perveniat : hoc

enim esset illicitum, inquit divus Thomas. (quodlib. 9, art. 15 in c.) Unde tali clerico dici potest quod cuidam canonico Coloniensi redeunti ex curia cum dispensatione dicebat divus Albertus : Poteras ire in infernum sine licentia, nunc ibis cum dispensatione.

3° Quia quando causa dispensationis non est in bonum Ecclesiæ, seu quando non adest justa causa dispensandi, nec bona est dispensatio, nec homo securus est coram Deo. Timeat semper clericus dispensationem hac in re vel pro se, vel pro aliis postulare, et pluralitatem beneficiorum alicui quomodocunque procurare. (*Conc. Tolet.;* Bellarm.) Forte enim illam concedendo Papa dicit, Fiat ut petitur, onerans eorum, qui petunt, conscientias, et suam exonerans. (Joann. Major., in 4, dist. 24, q. 6, concl. 5.) Et cum piæ mentis sit, inquit Gregorius, illic timere culpam etiam ubi nulla est culpa, videat dispensatus, etiamsi legitimam habeat dispensationis causam, ne suo exemplo multiplicitatem hanc in aliis illicitam, quam feram pessimam Ecclesiam devorantem vocavit quidam, exemplo suo nutriat.

Unde Bernardus (epist. 42) : Curritur in clero passim ab omni ætate et ordine, a doctis pariter et indoctis, ad ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. Nec mirum de his qui necdum in semetipsis experti sunt. Videntes quippe illos qui jam proprios humeros cupitæ sarcinæ submiserunt, non solum non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari ; non deterrentur periculis, qui cupiditate cæcati non vident, sed favoribus amplius quos illis invident provocantur. O infinita semper ambitio et insatiabilis avaritia! Cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, etc., non ideo corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio, quo utique magis ac magis et dilatentur in plura et ad celsiora sublimentur, etc.

Ne autem pesti huic et genimini duarum viperarum, avaritiæ scilicet et ambitionis, locum dent clerici, et ne in supra dictis parum fideles aut constantes inveniantur,

Meminerint, 1° fortitudinis et constantiæ, sed et sanissimæ sententiæ sancti Bernardi (*Epist. ad Theobald.*), qui a principe Theobaldo, Campaniæ comite, rogatus, ut apud Eugenium III, cui charissimus erat, intercederet, ut ab eo quoddam beneficium filio suo Willelmo, qui jam unum habebat, impetraret, sic ad eumdem principem scribit : Scitis, inquit, quia diligo vos : sed quantum, novit Deus melius quam vos. Me quoque diligi a vobis non dubito, sed propter Deum, quem si offendero, non erit quod me diligere debeatis, cum jam non fuerit in causa Deus. Quis enim ego sum, ut de me tantillo tantus princeps curetis, nisi quandiu Deum in me esse credetis? Ergo ut offendam eum fortassis nec vobis expedit. Offendo autem procul dubio, si facio quod requiris: nam honores et dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his qui eas digne ac secundum Deum administrare et velint et possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus ecclesiis habere licet, nisi dispensative quidem, ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem vel personarum utilitatem, etc. Sane Willelmo nostro cupio bene per omnia, sed ante omnia Deum. Hinc est quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum, etc. Apud amatorem justitiæ in excusando eo quod pro justitia est, non multum laborandum.

Meminerint, 2° neminem unquam sive veterum Patrum sive sanctorum doctorum, neminem etiam sive veteris sive novæ scholæ theologum, aut alicujus æstimationis illibatæ auctorem in universa celebritate scriptorum ecclesiasticorum pluralitatem hanc tanquam licitam et laudabilem scriptis in lucem editis tueri ausum fuisse ; neminem etiam unquam sanctorum cujuscunque ordinis clericorum quos in canonem Ecclesia retulit, nosque ideo religiose colimus et veneramur, duo, plurave hujusmodi beneficia simul possedisse ; neminem in illa pluralitate detestanda vixisse ; neminem duorum aut plurium stipendia totidem sacris Ecclesiæ ministris destinata atque debita nisi cum justa causa et ob bonum Ecclesiæ consumpsisse.

Meminerint tandem quam *horrendum* sit in hoc reatu pluralitatis *incidere in manus Dei viventis.* (*Hebr.* x, 31.) Et ideo ante oculos sæpe habeant exemplum Philippi illius Parisiensis Ecclesiæ cancellarii qui definitioni Facultatis supra citatæ subscribere nolens, in pluralitate permanere nihil veritus, triennio post gravissimo ad mortem morbo correptus est ; hunc agonizantem Guillelmus Parisiensis episcopus, doctor maximi nominis, paterna sollicitudine visitavit, rogavitque uti vellet singulari sua opinione de pluralitate cedere, et sua beneficia uno excepto in manibus Ecclesiæ ejurare ac resignare : sed cum ille vellet experiri utrum exitiabile foret plura tenere beneficia, nihil illa sollicitatione permotus inflexus moritur.

Paucis vero post diebus, cum episcopus Guillelmus finitis Matutinis orare vellet, vidit inter se atque inter lampadem ardentem umbram quamdam tetram veluti hominis qui dixit : Ego sum cancellarius ille dudum miserrimus, morte æterna sum damnatus : tria in causa fuerunt : 1° crescentes fructus annuos contra pauperes tumide reservavi ; 2° contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum quasi licite tenendorum sententiam propriam defensavi, et in hoc periculo mortalis culpæ me commisi ; 3° abominabili carnis vitio in scandalum multorum multo tempore laboravi.

Item et illius clerici, qui Thomæ Cantipratensis nolens acquiescere consilio, cum duabus præbendis mortuus est ; post ejus vero obitum, cum quidam ordinis Dominicani stupefactus nimium cogitaret cur tantus clericus, si mortale peccatum esset plura beneficia retinere, in tali statu mortuus exstitisset, mox quasi semivigilanti defunctus apparens dixit : Hæc

duplicitas præbendarum sola causa est pro qua infelix ego in perpetuum damnatus sum. (Thom. Cantipr., *Bonum universale de apibus*, lib. I, c. 19, n. 7.)

Item et illorum de quibus Thomas Cantipratensis, suffraganeus Cameracensis : Ego, inquit, in quadam civitate episcopali undecim annos adolevi, ubi sexaginta duo canonici sub præbendis pinguissimis ducentarum fere librarum Parisiensium in matrice ecclesia serviebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores : vide ergo qualem vindictam Dei in ipsos turpissimos detentores ! mihi testis et judex sit sancta Trinitas, unus Deus, quod paucos eorum vidi communi hominum morte defungi, sed subito omnes et reprobe mori : ita quod quidam eorum audito quod unus sociorum, in nocte sanus, mane mortuus inventus esset, complosis manibus dixit : Et quid vultis ? secundum usum et consuetudinem Ecclesiæ mortuus est, ut videtis. Vidi ego ipse in ecclesia eadem infra paucos annos quatuor archidiaconos sic defungi. Vide, lector, mirare miraculum. Primus eorum de equo phalerato et grandi cecidit, fractisque cervicibus exspiravit ; secundus mane in cathedra sedens mortuus est repertus ; tertius in choro stans, cum ad Missam elevatio corporis Christi fieret, cecidit resupinus, et subtracta loquela cum sensu, quasi brutum animal die tertia, sine sacramentis ecclesiasticis est defunctus ; quartus confessionem peccatorum et sacramenta recusans mortuus est et extra cœmeterium sepultus. En quomodo in plurales illos et polygamos clericos totus se divinus furor effundere soleat. (*Ibid.*, n. 10.)

CAPUT IX.

De clericorum paupertate.

Quia *radix omnium* malorum *est cupiditas*, ut ait Apostolus, *quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.* (*I Tim.* VI, 10.)

Quia etiam, secundum eumdem Apostolum, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* (*Ibid.*, 9.) *Tu autem, o homo Dei, hæc fuge, sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.* (*Ibid.*, 11.) Cum enim ministerio illius addictus sis... Qui, *cum dives esset, propter nos* ita *egenus factus est* (*II Cor.* VIII, 9), ut... non haberet ubi caput suum reclinaret (*Matth.* VIII, 20), divinis illius vestigiis fideliter inhærendo, alimentis ac quibus tegaris saltem contentus... (*I Tim.* VI, 8), quæstum magnum æstima pietatem cum sufficientia. (*Ibid.*, 5.) Neque enim in abundantia hominis vita ejus, sed in voluntate Domini ; ait enim Propheta : *Et vita in voluntate ejus...* (*Psal.* XXIX, 6.) Et, *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas...* (*Psal.* XXXVI, 16.) Nihil etiam intulisti in hunc mundum... (*I Tim.* VI, 7), in quo tanquam advena et peregrinus (*Psal.* XXXVIII, 13) versari debes, abstinens carnalibus desideriis, nihil etiam hinc auferre quid poteris... (*I Tim.* VI, 7.) *Homo* enim *cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus* (*Psal.* XLVIII, 18), sed relinquet alienis divitias suas, imo sæpe thesaurizat, et ignorat cui congregat. (Psal. XXXVIII, 7.)

In hoc autem positus est quilibet Christianus ; sed ad hoc vocatus præcipue clericus, quem sublimitas ordinis, et veneranda perfectionis conditio carnalibus curis solutum, terrenis cupiditatibus liberum sacro sui ordinis ministerio penitus vacare atque incumbere permittit.

Clericus, inquit Hieronymus (*Ad Nepotian.*, epist. 2), qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primum vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græce, *sors* Latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et ipse possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, et cum propheta dicit (*Thren.* III, 24) : *Pars mea Dominus*, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia si aurum, si argentum seu possessiones, si variam supellectilem ; cum istis non dignatur Dominus fieri pars ejus. Si autem ego pars Domini sum, et funiculus hæreditatis ejus (*Deut* XXXII, 9), non accipio partes inter cæteras tribus, sed quasi Levita et sacerdos vivo de decimis et altari serviens, altaris oblatione sustentor : habens victum et vestitum, his contentus ero (*I Tim.* VI, 8), et nudam crucem nudus sequor : ne lucra sæculi in Christi quæras militia ; ne plus habeas sacerdos, quam cum clericus esse cœpisti. Nonnulli enim sunt ditiores monachi quam fuerant sæculares et clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete et fallace diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.

Clericum, inquit idem sanctus doctor, ex inope divitem factum quasi quamdam pestem fuge. Ignominia sacerdotum est propriis studere divitiis. *Non habebunt*, inquit Dominus, *sacerdotes et Levitæ, et omnes, qui de eadem tribu sunt, partem et hæreditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini et oblationes ejus comedunt, et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum : Dominus enim ipse est hæreditas eorum.* (*Deut.* XVIII, 1, 2.) Et iterum : *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel.* (*Num.* XVIII, 20.)

Si ergo eo tempore quo divitiæ fluxæ ac temporales in votis habebantur, easque Deus in præmium bene merentibus pollicebatur, studium quasi paupertatis sacerdotibus et Levitis commendavit ; quid modo cum inter evangelicas beatitudines prima reponatur : *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* V, 3), ubi paupertas tanquam cæmentum Christianæ perfectionis collocatur ; ubi tanquam via cœli proponitur...

(Molina, *De dignit. sacer.*, tract. 2, c. 13, § 1), vel manuductrix quædam quæ ducit ad cœlum... (S. Aug., *De verbis Dom.*; S. Chrysost., *in Ep. ad. Hebr.*, serm. 18); ubi virtutum parens est et socia... custos et magistra... (S. Bern., serm. 2 *in Cœna Domini*); ubi dicitur neminem fore Christi discipulum, multo minus verum sacerdotem, nisi, divitiis spretis, mundo vale dixerit; ubi opes ac thesauri sic vituperantur, ut *facilius sit camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum cœlorum.* (*Matth.* xix, 24.)

Ideo hanc sanctam professionem paupertatis a quolibet clerico exigit Ecclesia, quando clericali corona insignitur; tonditur enim in capite, et tunc hæc verba pronuntiat : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei*, etc. (*Psal.* xv, 5), ut meminerit extunc exuenda esse terrenorum desideria, et in solo Deo omnem spem divitiarum atque opulentiæ constituendam. Hæc est prima, sancta et admodum religiosa clerici professio. Hoc primum ejus et singulare votum, quæ sunt hujus sæculi oblivisci. (Molin., *ibid.*)

Ne excidat, inquit Petrus Blesensis (*Inst. episc.*), quomodo in tonsura capitis quando electus es in sortem Domini, renuntiasti ignominiæ sæculari. In die autem ordinationis tuæ super abrenuntiatione sæcularium emisisti vota quæ distinxerunt labia tua.

Vis scire, inquit sanctus Eucherius (lib. III *Commentar. in Gen.*, c. XLVII), quid intersit inter sacerdotes Dei et sacerdotes Pharaonis? Pharao concedit terram sacerdotibus suis; Dominus autem sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed dicit eis : Ego sum pars vestra. (*Num.* XVIII, 20.) Observate ergo, qui hæc legitis omnes Domini sacerdotes, et videte quæ sit differentia sacerdotum, ne forte qui partem habent in terra, et terrenis cultibus et studiis vacant, non tam Domini, quam Pharaonis sacerdotes esse videantur, etc. Festinemus transire a sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad sacerdotes Dei, quibus in terra pars non est, quibus portio Dominus est.

Clericus etiam, inquit Bernardus (*Declam.*), qui partem habet in terra, non habebit partem in cœlo. Itemque clericus, si quidpiam habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus : verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis Dominus pars ejus fieri non dignatur.

Quod luculenter explicans Augustinus (*De contemptu mundi*), ait : Qui in terra præsumunt habere facultatem, quomodo non erubescunt dicere : *Dominus pars hæreditatis meæ?* (*Psal.* xv, 5.) Ubi est illud apostolicum? *Quæ conventio Christi ad Belial?* (*II Cor.* VI, 15.) Qui terrenas possessiones relinquere nolunt, cur peccata populi comedunt? (*Osee* IV, 8.) Si decimas cum filiis Levi accipiunt, quomodo inter cæteras tribus partes accipient? Si nominis sui etymologiam attendunt, cur clerici a sorte dicti sunt, nisi quia Dominus eorum sors et hæreditas sit? Cur saltem clericatus sui signa quibus a laicis discernuntur non perpendunt? Non enim sine causa capita eorum raduntur et tonduntur, sed perspicacissima et evidentissima ratione : nam his signis secernuntur a laicorum conversatione. Caput enim radere signat cogitationes terrenas et superfluas a mente resecare : quia sicut pili non sunt pars corporis, sed quædam superfluitas procedens a corporis humore : sic bona temporalia non sunt nobis naturalia, sed aliena et superflua. Unde sacerdotes minimam partem capillorum in capite retinent ut per eorum abrasionem se minimam terrenorum sollicitudinem habere designent; illam tamen etsi minimam partem retinent, quia, dum in hoc mundo sunt, a terrenis cogitationibus omnino vacui esse non possunt. Crines præterea radimus ut inter nos et Deum, nihil esse approbemus.

Quibus consentiens Bernardus (*Epist. ad Falconem*) : *Funes*, inquit, *ceciderunt* tibi in *præclaris* (*Psal.* xv, 6), et tu opibus inhias terrenis? Si vis habere hæc simul et illa, breviter tibi respondebitur : *Memento quod recepisti bona in vita tua* (*Luc.* XVI, 25); recepisti, inquit, non rapuisti : ne etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quod tuis contentus aliena non rapias. Verumtamen quæ sunt illa tua beneficia ecclesiastica? Recte quia surgis ad vigilias, vadis ad Missas, chorum horis nocturnis diurnisque frequentas. Bene facis. Sic enim Ecclesiæ præbendam gratis non accipis. Verumtamen quidquid præter necessarium victum et simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *Habentes ergo victum et quibus tegamur, his contenti simus* (*I Tim.* VI, 8); *quibus tegamur*, dixit, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis assimilemur vel placeamus.

Cavendum ergo summopere sacerdotibus est, ut ab avaritiæ peste, quæ est idolorum servitus (*Ephes.* V, 5), et cupiditate, quæ radix omnium malorum est (*I Tim.* VI, 10), suosque sectatores a regno Dei excludunt, se compescant, etc. Gravius quippe atrociusque hæ pestiferæ lues in illis dominantur quam in his, qui eorum dictis et exemplis ab his coerceri debuerunt. Solent namque a nonnullis multæ occasiones obtendi quæ necessitatis nomine palliantur; et revera dum exterius necessitas prætenditur, interius avaritia tegitur. Ait itaque Dominus in Evangelio : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, etc. (*Matth.* VI, 19); Jacobus apostolus divites alloquitur : *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ adveniunt vobis: divitiæ vestræ putrefactæ sunt, aurum vestrum et argentum æruginavit, et ærugo eorum vobis in testimonium erit, et manducabit carnes vestras.* (*Jac.* V, 1, 2.) Scribit etiam Beda in Expositione tabernaculi ita : Nonnulli sacerdotum ac doctorum loco positi, quod dictu quoque grave ac lugubre satis est, dum ignem cupiditatis igni supernæ dilectionis anteponunt, igne supernæ ultionis absumuntur; quorum perpetua damnatio temporali est filiorum Aaron morte figurata.

(*Conc. Paris.* sub Ludov. et Lothar., lib. I, c. 13.)

Non ergo divitias temporales ament, desiderent, aut quærant clerici... Vix enim aut nunquam sine amore valent possideri : plus etiam concupiscentia mundi quam substantia nocet ; et multum deseruit qui voluntatem habendi derelinquit. (S. Bern., *Declam.*)

Victum quidem decentem habeant : non enim decet eos, qui divino ministerio ascripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut minus honestam quæstus rationem exercere... (*Conc. Aquileiens.* I, *De vita et hon. cleric.*) : aut se vilibus immiscere.... (*Conc. Narbon.* 1609.) Sed amorem pecuniæ quasi... materiam cunctorum criminum.... (*Conc. Moguntin.*, sub Carolo Magno, cap. 10, ex Isidor.), blandissimum animæ insidiatorem, parentem peccati, et diaboli ministrum... modis omnibus fugiant... (S. Basil., *Epist. ad Chilon.*) Cupiditatem enim tanquam radicem omnium malorum, et apostolica damnat sententia (*I Tim.* VI, 10), et ab omni ordine ecclesiastico canonica deturbat interdictio... (*Conc. Aquens.* II, sub Ludov., p. I, c. 5.) Christum enim possidentes quid aliud habere cupiunt ? Cui portio Deus est, inquit Ambrosius, nihil curare debet præter Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. (S. Ambros., *De fuga sæculi*, c. 2 ; refert. 12, q. 1, c. *Cui portio.*)

Beati ergo filii, inquit Petrus Chrysologus, quorum tota est in charitate Patris substantia ; beati, quibus manet tota in obsequio Patris, in Patris cultura eorum possessio... Petrus, cui oves suas Dominus pascendas tuendasque commendat, super quem posuit et fundavit Ecclesiam, aurum quidem sibi esse et argentum negat, sed esse se dicit gratia Dei divitem, esse fide ejus et virtute locupletem. (*Act.* III, 6.) Has opes, has divitias possidere non potest, qui se divitem sæculo mavult esse quam Christo. (S. Cyprian., *De discipl. et habit. virgin.*)

Unde 2°, si divitias possident clerici, caveant saltem ne possideantur ab ipsis... Avaritia enim sacerdotum altaria non sunt altaria, sed mensæ nummulariorum... (S. Chrysost.) Et ingenti periculo sacerdotes, qui Ecclesiæ oculi sunt, curis pecuniæ et familiarum rerum incrementis occupantur. Ecclesiæ enim lumen sunt, id est, corporis oculi. Et si lumen ipsum avaritiæ nocte tenebrescat, corpori, id est Ecclesiæ, cui per naturam suam tenebræ sunt, quantæ insuper tenebræ de exemplo tenebrosi luminis invehentur... (S. Hilar., *in psal.* II.) Nihil sane tam asperum, tamque periculosum est, quam si ecclesiasticus, maxime qui sublimis est, divitiis hujus sæculi studeat. (S. Ambr., *in I Epist. ad Tim.*, c. VI.)

Si igitur sapis, inquit Bernardus (epist. 103), si habes cor, desine ea sequi quæ et assequi miserum est : beatus utique qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant... Beatus vere qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Quis est hic et laudabimus eum ? (*Eccli.* XXXI, 8, 9.)

Non ergo de augendis et multiplicandis suis divitiis unquam cogitent, sed iis etiam quæ possident, toto corde renuntient ; ut enim ait sanctus Thomas, abrenuntiatio propriarum facultatum dupliciter considerari potest; uno modo secundum quod est in actu, et sic in ea non consistit essentialiter perfectio, etc. Alio modo potest considerari secundum præparationem, ut scilicet homo sit paratus, si fuerit opus, omnia dimittere vel distribuere; et hoc pertinet directe ad perfectionem; ideo clerici suis facultatibus saltem renuntient affectu... ut videlicet sic illis suppetant et exterius serviant, quatenus a supernæ dilectionis studio animum non reflectant. (*Conc. Moguntin.* ann. 813, cap. 16.)

Sic enim erunt pauperes spiritu, quod exigit essentialis evangelicæ et clericalis paupertatis perfectio. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Matth.* V, 3.) Quod egregie confirmans Arnulphus Lexoviensis episcopus, in concilio Turonensi, ait : Non requiritur a nobis divitiarum inopia, sed contemptus. *Divitiæ*, inquit, *si affluant, nolite cor apponere.* (*Psal.* LXI, 11.) Non dixit, ne affluant, sed ne cor apponant. Porro cor prohibuit apponere, sed non manum. Profecto Propheta in omni affluentia divitiarum, pauperem se prædicat et egenum. (*Psal.* LXIX, 6.) Possumus itaque licite divitias possidere, si tamen earum nos non reputaverimus dominos, sed ministros ; si intellexerimus patrimonium pauperum esse patrimonium Christi ; si proventibus Ecclesiæ, si pauperum necessitatibus erogantur. Alioquin fures et latrones nos ratio manifesta convincet, si res alienas invitis dominis nostro præsumpserimus arbitrio contrectare. (Arnulph., Lexov. episc., *Serm. in Conc. Turon.*, c. 49.)

Qui ergo Deum hæreditate possident clerici, absque ullo impedimento sæculi Deo servire studeant, et pauperes spiritu esse contendant, ut congrue illud Psalmistæ (*Psal.* XV, 5) dicere possint : *Dominus pars hæreditatis meæ.* (Isidor. Hispal., lib. II *De Offic. Eccles.*, 1.)

3° Quia avaritia, quæ est idolorum servitus (*Ephes.* V, 5), quod non sine magno pudore prosequimur, quondam invasit presbyteros, suisque retinaculis adeo vinxit captivosque effecit, ut instar cæcorum effecti, nesciant quo eant, nesciant quid esse, vel quid agere debeant ; hi namque ignibus avaritiæ æstuantes, sacerdotalisque dignitatis immemores, curamque basilicarum, in quibus promoti sunt, postponentes, datis quibusdam xeniis aut pollicitis, non solum a clericis, verum etiam a laïcis alias basilicas contra fas ad Christi famulatum peragendum suscipiunt. (*Conc. Parisiens.*, sub Ludovic. et Lothar., lib. I, c. 49.)

Quidam etiam operarii iniquitatis... (S. Hilar., *in psal.* L), qui plus invigilant subditorum evacuandis marsupiis quam vitiis exstirpandis... (S. Bern, putatus, *Serm. ad clerum*, in synod Remen.) ; comedentes populum, ut cibum Dei. quibus, ut beatus

Apostolus ait : *Deus venter est* (*Philip.* III, 19); qui ministerium deputant ad negotiationem, collationibus se plebis et muneribus dilatando... (S. HILAR., *ubi supr.*) Ideo ut efficacius avaritiæ pestem evitent, et omnis cupiditatis suspicionem longius a se propellant clerici, nec plura aut pinguiora beneficia ambiant, nec pro beneficiis medicinæ Dei... (*Conc. Mogunt.*, c. 10), aut pro impensis patrociniis, more sæcularium judicum, munera accipiant, nisi in ecclesiis oblata, etc. Si acceperint, veluti exactores fenoris, et usurarum possessores secundum statuta Patrum degradentur. (*Conc. Tarracon.*, cap. 10.)

4° Ut mores eorum sint sine avaritia, pro quocunque officio ita contenti sint his quæ sibi, vel jus ipsum, vel laudabilis consuetudo constituit.... (*Synod. Ebroic.* 1576.) Ut cum populum ad oblationes pro cujuscunque Ecclesiæ more invitant, id graviter et modeste et citra cupiditatis et avaritiæ suspicionem faciant.... (*Convent. Melodun.* ann. 1579.) Et ne quidem avidius sive inhumanius quod sibi debetur exigant ; atque in omnibus pauperiorum rationem habeant.... (*Synod. Ebroic., ibid.*) Ne pietas seu religio nihil aliud quam quæstus esse videatur... et domum Dei, quæ domus orationis vocatur, speluncam faciant latronum. (*Matth.* XXI, 13.) Latro enim est, et templum in latronum convertit specum qui lucra de religione sectatur, cultusque ejus non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est, et parentes filiis, non filii debent thesaurizare parentibus. (*II Cor.* XII, 14 ; S. BERN., lib. III *De consid.*, c. 3.)

Tandem ne multorum errore decepti existiment divitias clericis saltem in dignitate constitutis necessarias esse, ut per amplam supellectilem, magnificos sumptus, et profanos apparatus majorem apud populares auctoritatem, apud magnates benevolentiam sibi parent, sicque ecclesiasticam dignitatem splendidius conservent; meminerint decreti illius concilii Carthaginensis : Episcopus (quanto magis clericus !) vilem supellectilem, et mensam ac victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide et vitæ meritis quærat. (*Conc. Carthagin.* VI ; refert. c. *Episc.*, dist. 42.)

Meminerint etiam decreti concilii Tridentini (sess. 25, cap. 2, *De reform.*) : Sancta synodus admonet episcopos omnes, ut factis ipsis ac vitæ actionibus (quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) se muneri suo conformes ostendant : in primis vero ita mores suos componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac (quæ nos tantopere commendat Deo) sanctæ humilitatis petere exempla possint. Quapropter, exemplo Patrum nostrorum in concilio Carthaginensi, non solum jubet ut episcopi modesta supellectili, et mensa, et frugali victu contenti sint ; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caveant ne quid appareat quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat.

Meminerint tertio bona Ecclesiarum esse bona pauperum, et quidquid superest sacerdoti ultra suam necessitatem debere dari pauperibus. (*Syn. Lingon.* ann. 1404.)

Meminerint tandem nudum sacerdotem mundi totius esse dominum.... (S. CLIMAC., grad. 16, *De avaritia*), et si quidpiam habuerit præter Dominum, Christus ejus non erit Dominus.... (S. BERN., *Declamat.*) (Unde libenter) Ægyptiæ dominæ pallium relinquat, ut et nudus sequatur Dominum Salvatorem. (HIER., *Ad Exuper.*, epist. 29.)

Precatibus ergo nostris, sicut et terrenarum abdicatione... efficacissime obtineamus ut portio nostra sit Dominus : atque ut ascripti turmis contribulium Levitarum, non remaneamus terreni, quibus terra non remanet, inchoemusque ut a sæculi lucris, sic quoque a culpis peregrinari. (SIDON. APOL., epist. 3, *Ad Faustum*, lib. IX.)

CAPUT X.

De possessione et usu bonorum in clero.

Convenit pastoribus Ecclesiarum, inquit concilium Parisiense VI (lib. I, c. 18), res Ecclesiæ possidere, non ab iis possideri ; et ut Prosper scribit (lib. II *De vita contempl.*, c. 18), eas possidendo debent contemnere, et non sibi, sed aliis possidere. Constat enim sanctissimos pontifices, qui cum Christo remuneratore suo regnant, res Ecclesiæ non sibi, sed aliis possedisse, et non ad suam gloriam et delectationem, sed potius ad Dei honorem, et fidelium commoditatem eos his usos fuisse.

Res ergo Ecclesiæ non ut propriæ, sed ut Dominicæ, et a Domino commendatæ tractandæ sunt, inquit idem concilium (c. 15); unde quicunque eas ad suos proprios usus terrenosque honores et delectationes retorquet, quanti sit discriminis, quantæque transgressionis aperte animadverti potest.

Dicitur enim in Canonibus apostolorum (can. 39), Omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispenset; nec ei liceat de eis aliquid omnino contingere aut parentibus propriis quæ Dei sunt condonare. Quod si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione Ecclesiæ res deprædentur.

Et postea (can. 41) : In potestate sua episcopus res Ecclesiæ habeat, et pecuniarum curam gerat, ita ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur, et cum timore omnique sollicitudine ministrentur. Ex iis autem quibus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates, et ad peregrinorum fratrum usus qui hospitio recipiuntur, ipse percipiat, ut nihil possit ipsis deesse.

Et in concilio Antiocheno (cap. 15 ; refert. in *Conc. Paric.* VI, lib. II, c. 15) : Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent cum summa reverentia et timore Dei. Participet autem et ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam suis, quam fratrum, qui ab eo

suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut in nullo qualibet occasione fraudentur, juxta sanctum Apostolum sic dicentem : Habentes victum et tegumentum, his contenti sumus. (*I Tim.* VI, 8.) Quod si contentus istis minime fuerit, convertat autem res ecclesiasticas in suos domesticos usus, vel horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus filiisque committat, ut per hujusmodi personas occulte cætera lædantur Ecclesiæ, synodo provinciæ pœnas iste persolvat.

Ne autem in propinquos expendat res Ecclesiæ cavetur etiam canone sequenti : Quoniam, inquit concilium Parisiense (can. 15), multi amore propinquorum suorum de rebus sibi commendatis suo aut quorumlibet amicorum nomine prædia aut mancipia emunt, et ut in suorum propinquorum jus cedant, statuunt, et ob hoc et jura ecclesiastica convelluntur, et ministerium sacerdotale fuscatur, imo a subditis detrahitur et contemnitur, placuit omnibus ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur, fixumque abhinc et perpetuo mansurum esse decernimus, ut episcopus res sui juris, quas aut ante episcopatum, aut in episcopatu hæreditaria successione acquisivit secundum auctoritatem canonum, quidquid vult faciat, aut cui vult conferat : postquam autem episcopus factus est, quascunque res de facultatibus Ecclesiæ aut suo, aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus ut non in propinquorum suorum, sed Ecclesiæ cui præest jura deveniant. Similiter et de presbyteris qui de Ecclesiarum rebus, quibus præsunt, prædia eo modo emunt, faciendum statuimus, quoniam multos presbyterorum occasione taliter emptarum rerum, Ecclesias quibus præsunt, exspoliasse, et a suo ministerio multis modis exorbitasse, et se diabolo mancipasse, multosque laicorum ex hoc facto in scandalum damnationis et perditionis protraxisse cognovimus.

De rebus ergo episcopi propriis vel acquisitis, vel quidquid episcopus de suo proprio habet, hæredibus suis, si voluerit, derelinquat ; quidquid vero de provisione Ecclesiæ suæ fuerit, sive de agris, sive de frugibus, sive de oblationibus, omnia jure Ecclesiæ reservare censuimus, inquit concilium Agathense (ann. 420, cap. 18).

Hanc porro, de bonis Ecclesiæ parentibus non tradendis, regulam omnibus clericis beneficia ecclesiastica possidentibus, sicut et ipsis episcopis communem esse manifeste declarat concilium Tridentinum (sess. 25, c. 2, *De reformat.*) : Omnino interdicit sancta synodus, inquit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant, cum et apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent ; sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant ; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa : imo quam maxime potest eos sancta synodus monet ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant. Quæ vero de episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque beneficia ecclesiastica tam sæcularia, quam regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari, sed ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales pertinere decernit

Qui ergo altario deservit, de altario vivat (*I Cor.* IX, 13) ; dignus est enim operarius mercede sua (*I Tim.* V, 18) : vivat, inquam, de altario, ut, juxta eumdem Apostolum, alimenta, et quibus tegatur habens, his contentus sit. (*I Tim.* VI, 8.) De altario, inquit, vivat, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, nec contra sancti cujusdam plane dignam omni acceptione sententiam, ex clericatu ditior fiat. Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate aut superfluitate dispergat. Non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptiis tradat. (S. Bern., *Declam.*)

Tibi enim, o sacerdos (o clerice), tibi de altari vivere, non luxuriari, permittitur. Luxuriatur autem quisquis in luxum et superfluas impensas effunditur. (S. Hieron., *in cap.* III *Mich.*)

Non ergo ex iis subministrandum est canibus et caballis, cæterisque tam hominum quam animantium ministris, quæ vel ad delicias, vel ad pompas turpesque jocos possidentur, sed necessitates pauperum inde sublevandæ. (S. Agobard., in calce libri *De dispensat. rei ecclesiasticæ.*)

Hæc enim bona juxta sanctorum Patrum traditionem novimus esse res Ecclesiæ, vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, (ideoque) non debent in aliis usibus quam in ecclesiasticis et Christianorum fratrum vel indigentium converti ; ad hoc enim a Domino tradita sunt. (Urban. I, *Epist. ad omn. Christian.* ; *Conc. Paris.* VI.)

Unde sanctus Bernardus (*Declam.*) : Patrimonia, inquit, pauperum, facultates Ecclesiarum. Res autem pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur, et sacrilega eis crudelitate subripitur quidquid sibi ministri et dispensatores (non utique domini vel possessores) ultra victum accipiunt et vestitum. Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere, aut habere delicias vel ornatum, sed vivere, ait Paulus (*I Cor.* IX, 13), ex eo, ut videlicet sint contenti, alimenta corporis, non irritamenta gulæ aut incentiva libidinis, et quibus tegantur, non quibus ornentur accipere (16).

Sed quomodo poterit necessariis esse contentus, qui eo animo introivit, ut stipendia cleri in usus voluptatis, curiositatis et vanitatis congreget, servet, expendat? Triplex funiculus, qui difficile rumpitur, (*Eccle.* IV, 12) hominem miserum in perniciem tra-

(16) Vide S. Laurent. Justinian., lib. *De compunct. et complanctu Christianæ perfectionis.* Egregie.

bit ; qui impure intrat, indigne ministrat, sed et ipso fructu abutitur temporali.

Amico quidquam rapere, inquit Hieronymus (*Epist. ad Nepot.*), furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium. Accepisse quod pauperibus erogandum sit et esurientibus plurimis, vel cautum esse velle vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.

Tales similes sunt judicibus illis, de quibus Sophonias propheta : *Judices quoque ejus*, inquit, *quasi lupi Arabiæ occidentes vespere et nihil relinquentes in mane* (*Sophon.* III, 3) ; id est, possessiunculas Ecclesiæ, et ea quæ in Dei donaria conferuntur, vertunt in lucrum suum ut non habeant pauperes quod mane comedant, etc. (S. HIER. ; refert. in *Conc. Paris.* VI, c. 15.)

Ne ergo luporum more prædam sic rapiant ex bonis Ecclesiæ sacerdotes, et rem pauperibus a Deo delegatam, ut ait sanctus Augustinus (c. *Decimæ* 16, q. 1), suis usibus reservent ; instruendi sunt pariterque admonendi quatenus noverint decimas et oblationes quas a fidelibus accipiunt, pauperum et hospitum et peregrinorum esse stipendia, et non quasi suis sed commendatis uti ; de quibus omnino sciant se rationem posituros in conspectu Dei, et nisi eas fideliter pauperibus et his qui præmissi sunt, administraverint, damna passuros. (*Conc. Nannet.*, c. 10 ; *Capitul.*, l. VII, c. 375 ; Ivo, part. III, c. 204, *Decret.*)

Ex his triplicem hanc administrationis bonorum Ecclesiæ regulam accipiant clerici, ut inter dispensatores fideles inveniantur. *Hic* enim *jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* (*I Cor.* IV, 2.)

1° Sit illa concilii Parisiensis VI (ann. 829, l. I, c. 15) : Nulli, inquit, sacerdotum liceat, res Deo dicatas sibique commissas ut proprias tractare, et ad multifarios secundum libitum suum eas usus retorquere, sed potius secundum canonicam auctoritatem, sanctorumque Patrum dicta et exempla administrare vel dispensare, etc. In initio videlicet sanctæ nascentis Ecclesiæ vota fidelium ante pedes ponebantur apostolorum, eorumque judicio unicuique, prout opus erat, distribuebantur. (*Act.* IV, 35.) Et licet crescente fidelium devotione copiosissimis et munificentissimis eorum liberalitatibus sancta donata sit Ecclesia, eumdem tamen usum apostolorum successores in tractandis et dispensandis ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint ; quoniam qui stipem Ecclesiæ, juxta documentum beati Hieronymi, in suos convertit usus (superfluos scilicet, juxta doctrinam sanctorum Patrum superius allatam), Scriba est et Pharisæus, similisque Judæ perdito : et in ejus domo rapina pauperis est juxta dictum Isaiæ. (*Isa.* III, 14 ; S. BASIL., *in Isa.*)

2° Superfluum, juxta mentem sanctorum Patrum, æstimet quidquid ultra victum et vestitum ex bonis Ecclesiæ in proprios usus insumendum subripit. Unde sanctus Bernardus ad Fulconem : Dignum est ut qui altario deservit, de altario vivat ; conceditur ergo tibi ut de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde tibi compares frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea, etc.

Denique quidquid præter necessarium victum et simplicem vestitum retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

3° Quidquid ergo præter sibi necessarium superest, in reparationibus ecclesiarum, alimoniis sacerdotum, et pauperum refectione, vel redemptionibus captivorum juxta decretum concilii Aurelian. expendatur. (*Conc. Aurelian.* I, ann. 500.)

Non enim sunt illa nostra, sed pauperum quorum procurationem quodam modo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicemus. (AUG., *Epist. ad Bonifacium.*)

Mementote, inquit sanctus Augustinus (serm. 27, *ad fratres in erem.*), quod pauperem vitam sacerdos gerere debeat ; quod superest præter victum et vestitum pauperibus dare non differat, quia omnia quæ habet pauperum sunt. Et alibi : Quidquid nobis Deus plusquam opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit. Quod si non dederimus, res alienas invasimus.

Unde sanctus Gregorius (cap. *Ea fraternit.* 14, q. 1) : Omne quod superest necessitatibus, in causis piis et religiosis erogandum est, Domino magistro dicente : *Quod superest date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* (*Luc.* XI, 41.)

Si quis autem, quod absit ! secus egerit, inquit Urbanus Pontifex (*Act.* V, 1 seqq. ; c. *Videntes* 12, q. 1.) videat ne damnationem Ananiæ aut Sapphiræ perci piat, et reus sacrilegii efficiatur, sicut qui pretia prædiorum fraudaverunt.

Unde idem Bernardus *in Cantica* (serm. 23) : *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* (*Isa.* XXVI, 10.) Timeant clerici, inquit, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam inique gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant, et in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod et aliena diripiunt, et sacris in suis vanitatibus et turpitudinibus abutuntur.

Ut autem bona Ecclesiæ fidelius administrent clerici, et ea omnia in pauperes, aut alios usus pios sancte impendant,

Meminerint, 1° sanctorum Hilarii, Paulini, et aliorum, de quibus sanctus Prosper : Scientes, inquit, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum, non ut possessores sed ut procuratores possidebant, non eas in suos usus vindicaverunt ut proprias, sed ut

commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi sed aliis possidere, nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. (Et) quoniam secundum dictum Hieronymi, quidquid habent clerici, pauperum est (dicant singuli sed in corde quod dicebat olim Ambr.) : Omnia quæ habeo pauperum sunt. (*Conc. Parisiens.* VI ann. 829, l. I, c. 15 ; PROSPER., lib. II *De vita contempl.*, c. 9, 10 ; S. HIER., *Epist. ad Damas.*; refert. c. *Quoniam* 16, q. 1 ; S. AMBR., *Orat. ad Auxent.* et refert. c. *Communior.* 13, q. 8.)

Ideoque meminerint 2° sententiæ Laurentii Justiniani (*De compunct. et complanctu Christian. perfection.*), a sanctis Patribus et ab Ecclesia confirmatæ : Patres, inquit, pauperum esse recusant, qui indigentium substantiam attribuunt sibi. O quanta abusio est, Christi ditari divitiis, et Christo velle nihil tradere ! Nonne thesauri Christi sunt facultates Ecclesiæ? Unde temporalia Ecclesiis sunt prærogata stipendia ? nonne propter Christum ? nonne ut Christi pauperibus erogentur? Noli igitur, tu qui præsides, retinere quod alienum est, ne furti reprehendaris in causa.

Noli, inquam, inutiliter et prodige dispensare quod tibi Christi charitas concessit ad tempus : paris enim periculi est facultates recondere et erogare prodige, etc. Scito te debitorem omnium facultatum esse quæ honesto victui tuo supersunt.

Meminerint, 3° querelæ pauperum, et in die judicii, et sententiæ Christi terribilis in malos facultatum Ecclesiæ dispensatores.

Clamant nudi, inquit sanctus Bernardus (*Epist.* 42, *ad Henric. Senon.*, c. 2 (16*) ; conqueruntur et dicunt : Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis : et nos etiam Dei plasmatio, et nos sanguine Christi redempti sumus ; nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum et vos vanitando peritis, et nos spoliando perimitis. Jumenta gradiuntur onusta gemmis, et nostra non curatis crura nuda caligis, etc. Et hæc pauperes modo quidem coram Deo tantum cui corda loquuntur ; cæterum, in futuro *stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt* (*Sap.* V, 1), stante quippe pro eis Patre orphanorum et judice viduarum ; ipsius enim tunc vox erit : *Quandiu non fecistis uni de his minimis meis, nec mihi fecistis.* (*Matth.* XXV, 45.)

Tandem ut non sint... parentes suos extollentes, pauperes autem negligentes et deprimentes. (S. BERN., dub. serm. in *Conc. Remensi.*)

Meminerint decreti concilii Tridentini (sess. 25, c. 1, *De reform.*). Omnino, inquit, eis interdicit sancta synodus ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant : cum et apostolorum canones prohibeant ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent. Sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa ; imo quam maxime potest, eos sancta synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant.

CAPUT XI.

De castitate (17)

Quia castitas singularis munimen est invictum sanctimoniæ, ubertas gloriarum, et sterilitas criminum, pronuba sanctitatis, pax secura virtutum, integritatis dignitas, claritatis fastigium, acquisitio triumphorum, vita spiritus, carnis interitus, status qualitatis angelicæ, funus humanæ substantiæ... hanc virtutem præcipue colat altarium minister, qui ex hominibus assumptus, tanquam naturæ suæ prorsus immemor, totus cœlestis, totus angelicus, totus divinus esse debet. (S. CYPR., *De singul. cleric.*)

Hæc est quæ, instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur, sensus ipsa et artus continet et constringit ne dissolvantur otiis, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant ; hæc est quæ sacerdotium honorat et dilectum Deo et hominibus facit sacerdotem, redditque similem in gloria sanctorum. (S. BERN., *Epist. ad Henric. Senon. episc.*)

Hæc illa est, inquit sanctus Augustinus (serm. 37, *Ad fratres in eremo*), sine qua quis factus est omnium reus (*Isa.* II, 10), quæ nos etiam Deo commendat et angelos facit, sine qua vasa Dei ferre non possumus. Hanc proinde singulariter diligant clerici... et omni studio servare studeant tanquam proprium et præcipuum illorum ornamentum... Christus enim Dominus, continentiæ sicut et cæterarum virtutum magister, sacerdotum evangelicorum, quibus se tanquam exemplar imitandum proposuit, mentes puras et corpora casta esse vult, ut imaginem ejus quem præ se ferunt cum omni quidem vitæ suæ tempore, tum maxime in sacrificii altaris oblatione fideliter custodiant. Ne igitur nomen Christi, et dignitas ministerii sacerdotalis in clericis castitatem perpetuam, quam professi sunt, non servantibus contaminetur ac polluatur... *Sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et in honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ igno-*

(16*) Vide Isidor., epist. 216, l. III. Idem fere habet Laurent. Just.

(17) Vid. dist. 32, *Presbyteros*, c. 3 ; dist. 84, c. 3, *Cum in præterito ; Conc. Carthag.*, c. 3 et 4 ; et *Carthag.* II, c. 2.)

rant Deum. (*I Thess.* IV, 4, 5 ; *Conc. Burdigal.* ann. 1583.)

Nam cum ipsi templum, vasa Domini et sacrarium Spiritus sancti debeant esse et dici, indignum est eos cubilibus et immunditiis deservire. (INNOCENT. II, in *Conc. Rem.* c. 5 ; refert. dist. 28, c. 2.)

Mundamini ergo, inquit propheta, *qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII, 11) ; omnia enim munda vult auctor pietatis, ait quidam sanctus. (S. THOMAS a Villa Nova, cons. 3, *De sacr. altaris.*) Mundam et purissimam matrem elegit, virginem discipulum præ cæteris dilexit ; munda et nova sindone involvi voluit, mundo in tumulo, in quo nondum quisquam positus fuerat tumulatus ; ab his qui sunt mundo corde videtur, et ab his qui sunt mundo corpore possidetur. Nunquid ergo ab immundis manibus tractari se libenter patietur ?

Quod egregie tractans Petrus Damiani (Opusc. 7, *De cælibatu sacerdot.* c. 3) : Nunquid, inquit, ignoras Dei Filium adeo carnis elegisse munditiam, ut ne quidem de pudicitia conjugali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali ? Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo virgo sit mater, Ecclesiæ fides est ut virgo fuerit et is qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutritio virgine tractaretur ; et hoc cum adhuc parvulus vagiret in cunis ; a quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cum jam immensus regnat in cœlis ? Si mundis attingi manibus volebat in præsepio positus, quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam, jam in paternæ majestatis gloria sublimatus ?

Qui ergo flamma libidinis æstuat, qua fronte, qua audacia sacris altaribus appropinquat ? Ignorat, inquit Petrus Damiani (*Contra cleric. intemp.*, opusc. 7), quia filii Aaron, Nadab videlicet et Abiu, idcirco cœlesti sunt igne consumpti, quoniam alienum ignem offerre Domino præsumpserunt ? Altaria quippe Domini non alienum, sed ignem duntaxat divini amoris accipiunt.

Quisquis igitur carnalis illecebræ ignibus æstuat, et sacris assistere ministeriis non formidat, illo procul dubio divinæ ultionis interim igne consumitur, de quo Scriptura testatur, Et nunc ignis adversarios consumit (*Hebr.* X, 27) ; et sicut nunc æstuantis luxuriæ flamma decoquitur, ita postmodum nunquam finiendis atrocis gehennæ incendiis necesse est comburatur.

Ut ergo munditiam hanc integram, illibatam et ex omni parte integram habeant clerici, qui seipsos omnibus tanquam signum purioris vitæ debent exhibere imitandos, cogitent 1° sanctimoniam sacerdotalem (quæ consistit maxime in omnium virtutum acquisitione, ut dictum est) præcipue sitam esse in castitate tum corporis, tum animi retinenda ; sicut enim nullum est vitium quod ineptiorem reddit sacerdotem ad munus suum rite obeundum, quam impudicitia et libido ; ita nulla pene virtus, quæ magis illum exornet quam continentia, et ad digne sacrificandum melius componat. (Direct. Colon. Eccles., ann. 1596 ; ABELLY, *Sac. Christian.*)

Hinc in lege veteri sacerdos hostiam immolaturus, inter cætera ornamenta, feminalibus lineis, quæ castitatem et puritatem demonstrant, induebatur (*Levit.* VI 10; XVI, 4) : et lege præceptum erat ut ad esum agni Paschalis unusquisque lumbos præcingeret : *Renes*, inquit, *vestros accingetis.* (*Exod.* XII, 11.) Quod sancti Patres de castitate colenda interpretantur. Ideo etiam sacerdotibus præscriptum erat, ut munere suo functuri uxoribus suis abstinerent, nec templo egrederentur, ne ullum periculum immundæ voluptatis incurrerent. *Non egredietur sacerdos de sanctis*, inquit, *ne polluat sanctuarium Dei sui, quia oleum sanctæ unctionis super eum est.* (*Levit.* XXI, 12.)

Si in figura tanta observantia, inquit Ambrosius (lib. X *Offic.*, c. 5), quanta in veritate ! Necesse est, inquit Chrysostomus (*De sacerd.*, lib. III, c. 4), ita sacerdotem esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret. Quantam ergo integritatem a sacerdote exigemus !

Considera quales manus esse oportet administrantes, ne scilicet quæ intinguntur sanguine Christi polluantur carne peccati. Qualem linguam, quæ verba illa effundat ? qua denique re non puriorem et sanctiorem animam esse conveniat, quæ tantum hospitem recepit ?

Mundiores sane, inquit Ambrosius (*in I Epist. ad Tim.* c. III) debent esse cæteris, quia actores sunt Dei. Et si universis fidelibus secundum apostolicam doctrinam castitas custodienda indicitur, ut qui uxores habent ita sint quasi non habentes (*I Cor.* VII, 29) ; quanto magis sacerdotes Dei ac levitæ divino mancipati altario, custodire debent, ut non solum cordis, verum etiam corporis puritatem servantes pro plebe supplicaturi, preces illorum ad divinum mereantur introire auditum ; quia, secundum auctoritatem Apostoli : *Qui in carne sunt Deo placere non possunt ; vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 8, 9) ; et iterum : *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum, sed polluta est eorum mens et conscientia.* (*Tit.* I, 15.) Cum ergo laico abstinentia imperatur, ut possit orationi vacans et Deum deprecans exaudiri, quanto magis sacerdotibus vel levitis, qui omni momento parati esse debent in omni munditia et puritate securi, ne aut sacrificium offerre, aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur imparati aut immundi ? Qui si contaminati fuerint carnali concupiscentia, qua fronte excusabunt, quo pudore usurpabunt, qua conscientia, quo merito exaudiri se credent ? (*Conc. Turon.* I, ann. 460.)

Ideo Clemens Alexandrinus (*Strom.*, lib. IV) : Soli qui puram agunt vitam, vere sunt Dei sacerdotes.

Unde Sedis apostolicæ Ecclesiæ, inquit Hierony-

mus (*Adv. Vigil.*), aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desinunt.

Nam quia Dominicum corpus, inquit Petrus Damiani (*Contra cleric. intemperant.*, opusc. 8, c. 1), in virginalis uteri templo coaluit, nunc etiam a ministris suis continentis pudicitiæ munditiam quærit. Et plane sicut concipienti Deiferæ Virgini virtus Spiritus sancti obumbravit (*Luc.* I, 35), ita nunc in altari positum sacramentum eadem sancti Spiritus virtus est quæ vivificat : et necesse est ut hoc pudica manus et impolluta contingat.

Ideo concilium Toletanum IV (can. 26 ; refert. c. *Quando*, dist. 28) dum presbyteros et diaconos per parochias constituendos oportere dixit : 1° Professionem episcopo suo facere ut caste et pure vivant sub Dei timore, ut dum eos talis professio obligaverit, vitæ sanctæ disciplinam retineant.

Ideo etiam sacrum ordinem suscipientes votum emittunt solemne castitatis, inquit Bonifacius Papa, ita ut corpus suum per votum Deo consecratum non possit deinceps sine immani sacrilegio libido suffurari (17').

2° Cum ergo castitas omnibus, præcipue vero ministris Ecclesiæ necessaria sit, inquit Augustinus (serm. 1 Dom. 25 post Trinit.), pestiferum petulantis luxuriæ venenum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus oderint clerici, ideoque quælibet carnis peccata, tanquam pestem mortiferam fugiant, et vel minimam etiam impudicitiæ labem aut æstuantis libidinis scintillam super omnia timeant ac perhorrescant. Hanc enim voluntariam illecebrosæ carnis immunditiam ita in suis ministris horruit olim Ecclesia, ut ad sacra altarium ministeria servum libidinis etiam momentaneum non admitteret. Si quis enim ante sacrum ordinem receptum etiam semel in hoc peccato deprehensus fuisset, a sacra ordinatione ; si vero post ordinationem, ab altaris ministerio æternam patiebatur repulsam. Unde in Canonibus apostolorum : De presbyteris, inquit, et diaconibus divinarum legum est disciplina, ut incontinentes in officiis talibus positi omni honore ecclesiastico priventur, nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri. (Petrus Damian, opusc. 8, *contra cleric. intemp.*)

Episcopus, inquit can. 24 (apost.), vel presbyter vel diaconus fornicationis convictus deponatur : unde et Basilius in suis canonibus, apostolorum can. 3 : Diaconus, inquit, qui postquam in eum gradum ascenderit, scortatus fuerit, gradu suo moveatur. Et concilium Toletanum (sub Reccaredo rege, 16 episc., c. 1) : Qui, inquit, castitatis voluerit patientiam violare, tali sorte coerceatur ut ultimus, a quo est gradu dejectus Deo amplius non ministret, sed sacerdotis sui electione, sit tali claustro conseptus ut cæteros suo exemplo corrigat, et ille ex pœnitentia reviviscat.

Ideoque Gregorius (dist. 50, c. *Pervenit*) : Qui post acceptum, inquit, sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat.

Et Innocentius III in concilio Lateranensi generali (refert. c. *Ut clericorum, De vita et honest. cleric.*) : Ut, inquit, clericorum mores et actus in melius reformentur, continenter et caste vivere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcaventes, maxime illo propter quod venit *ira Dei in filios diffidentiæ* (*Ephes.* V, 6), quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde ac mundo corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, statuimus, ut qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur secundum canonicas sanctiones, quas efficacius et districtius præcipimus observari, ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat a peccato. Si quis autem hac de causa suspensus præsumpserit celebrare divina, non solum ecclesiasticis beneficiis spolietur, verum etiam pro duplici culpa perpetuo deponatur. Prælati vero qui tales præsumpserint in suis iniquitatibus sustinere, maxime obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari subjaceant ultioni.

Unde Petrus Damiani (*Contra cleric. intemper.*), scribens ad Nicolaum II, Summum Pontificem : Deponantur, inquit, qui ecclesiasticæ castitatis non verentur fœdare munditiam, et dejecti deterreant quos male stantes ad turpis luxuriæ contumeliam provocabant.

3° Non solum quælibet carnis peccata, sed etiam illorum occasiones pari studio vitare debent clerici : in illis enim sæpius naufragatur, et magis periclitatur sacrorum hominum castitas quam laicorum. Ita enim nobis spiritalis fortitudo collata est, ut providos, non ut præcipites tueatur, ut illos muniat, qui renuntiant importunitatibus delictorum, non eos qui se magis importunis delictis immergunt. Custos nobis datus est spiritus, sed ut contraria declinantibus assistendo subveniat, non ut contraria eligentibus faveat ; nec ut voluntarios et pronos in adversa confortet ; sed ut ab adversis nitentes separari confirmet. Nam quicunque perniciosis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet Spiritus sancti, qui neminem vult ultroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coarctari. Nec protegit eum, quin imo, sed deserit quem periculis irruentem per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit, sicut ipse jam tunc per Salomonem locutus est dicens : *Amans periculum in ipso peribit.* (*Eccli.* III, 27.) Hæc ad clericos sanctus Cyprianus. (*De singularit. cleric.*)

(17') Hujus voti meminerunt S. Greg. lib. I, ep. 92, in fine, *ad Petr. subdiaconum Concil. Arelat.* II, c. 2 et 3 ; *Toletan.* II, can. 1 ; *Agathen.* VI, can. 16 ; *Arausican.* I, c. 22.

Si quis vero, inquit idem sanctus (*Ibid.*), putat se prophetam esse, aut spiritalem, cognoscat quæ scribo. Non est quod vobis in hac persuasione deceptoria blandiamini, ut quia spiritales estis, velitis inter flagitiosorum armenta versari, nec vos inhabiles esse pro clericatus dignitate, quia majores majoribus consueverunt conflictiones occurrere : acrius divitibus quam pauperibus invident ; et non inopes sed locupletes inquietat infestatio sæva latronum. Plus duces et principes quam milites ab hostibus appetuntur in pugna, et violentioribus propulsantur ventis et turbinibus culmina quæcunque sunt altiora.

Magis ergo clericus, magisque quo plus cæteris potest, sciat esse sibi metuendum. Et ne in aliquo minoretur, neve a genuina sui ordinis nobilitate degeneret, contra libidinis impetum apprehendat fugam si vult habere victoriam ; ait enim Apostolus (*I Cor.* VI, 18) : *Fugite fornicationem.* (*Ibid.*)

Fugit autem fornicationem qui omnem occasionem irritantem et provocantem evitat, inquit Origenes (hom. 29 *in Mach.*). Proindeque : 1° Obscena verba, ut et res abhorreant... (*Conc. Narbon.* 1609.)

2° Ab omnibus quæcunque ad aurium et oculorum pertinent illecebras, unde animi vigor emolliri posse credatur, quod de aliquibus generibus musicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest, Dei sacerdotes abstinere debent, quia per aurium oculorumque illecebras vitiorum turba ingredi solet. Histrionum quoque turpium et obscenorum insolentias jocorum omnino effugere, cæterisque fugienda prædicare debent.

Quod etiam confirmat concilium Aquisgranense (can. 83).

Item mulierum familiaritatem super omnia devitet ; non enim potest toto et sincero pectore Deum colere, qui feminarum domos habitet, cum femina secum habitantis conscientiam exurat... (*Conc. Narbon.* 1551.) Si vis, inquit sanctus Nilus (orat. 2), pudice vivere, mulierum fuge familiaritatem, nec aditum illis ad te liberum permitte, etc. Ut enim rubus in solitudine ab ignis flamma non est combustus (*Exod.* III, 2), sic homo castus a mulierum convictu recedens, ardore libidinis non exuritur ; licet autem in mulierum familiaritate cupiditas animum non commoverit, ei tamen tu minime fidas ; canis enim qui multitudini adblanditur egrediens irruit, et insitam improbitatem ostendit. (S. Chrysost., lib. VI *De sacerdot.*, c. 5.)

Item quia animum ipsum ferit ac commovet non impudicæ tantum, sed etiam pudicæ mulieris oculus, mulierum, maxime adolescentularum, vitet aspectum, et in tantum castigator sit sui, ut etiam quæ tuta sunt pertimescat... (S. Hier., *Adv. Vigilant.*, in fine.) *Noli*, inquit Sapiens (*Eccli.* IX, 5), *in faciem virginis intendere ne te scandalizet vultus ejus.* Dicat ergo cum Job : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de virgine* (*Job* XXXI, 1) ; nam, ut inquiebat Hieronymus moriens, vinum quidem nocet, sed centuplo magis vultus mulierum. Infelix quippe cor quod evangelica tenere mysteria centies perlecta non sufficit, semel aspectæ formæ memoriam non amittit, et ibi vanitatis imaginem oblivio non intercipit, ubi lex divina descripta digito non permansit. (S. Petr. Dam.)

Ideo Gregorius (*Moral.*, lib. XXII, c. 2) : Ut munda mens in cogitatione servetur a lascivia voluptatis suæ, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad prædam... semel enim species formæ cordi per oculos illigata vix magni luctaminis manu solvitur. (*Ibid.*)

Item, si quando cum mulieribus loqui teneatur... sermo ejus sit brevis, asper, et rigidus, et nunquam solus cum sola loquatur... (S. Aug.) Nulla enim securitas est, inquit Hieronymus, vicino serpente dormire; potest fieri ut me non mordeat, tamen potest fieri ut aliquando me mordeat. Et quid sibi volunt sola et privata colloquia, et arbitros fugientes oculi? (Hier., *Adv. Vigilant.*) Si ergo etiam propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeat, nec solus cum sola secreto et absque arbitro vel teste sedeat. (S. Hier., epist. 2, *ad Nepotian.*)

Item a tactu mulieris etiam levissimo, multo magis osculo abstineat, et nunquam sub prætextu etiam urbanitatis aut necessitatis vel illius manum tangat. Per manus enim, inquit Ambrosius (*De Joseph.*, c. 5), libidinis incentiva quandoque transeunt. Et si aspectus solus tantum infert dolorem, inquit Chrysostomus, quanto majorem et contactus accendit? Stupa, si ignem odorata fuerit, protinus inflammata succenditur, neque opus est ullo adminiculo, ullove foris insufflante, ut ex ea ignis effulgeat, sed simul atque illum attigit, mox in apertas flammas erumpit, etc. (S. Basil., *De vera virginit.*)

Et sicut, cum ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus ; impossibileque est eum qui ignem tetigerit manu, illæsam illam ab ejus incentiva operatione servare ; cæterum aut bullæ repente tactum consecutæ turgescunt ac dolorosa per fervorem et inflammationem ulcera mox rumpenda minantur, aut jam quoque facta in manu acria visuntur ulcera : ita possibile non est eum quem ignis ardor attigerit, ejusmodi tactum innocuum inviolatumque præferre, sed haud dissimili ratione bullæ per tactum manus cordi clam subrepunt atque intumescunt, etc.

Unde Apostolus : *Bonum est homini mulierem non tangere.* (*I Cor.* VII, 1.) Tactum ergo, sed præcipue osculum ejus tanquam morsus diaboli, arma peccati, portum adulterii, criminis ostium, mortis initium semper refugiat.... Pulchras tandem ac egregias, ubique etiam, fugiat, ne illum superet cupiditas, ac ne levis ac fortuitus contuitus illum rapiat. (S. Eucher., *Hom. de initio Quadrag.*, in fine ; S. Greg. Naz., orat. 45, n. 15.)

4° Quia inter omnia Christianorum certamina sola sunt dura castitatis prælia, ubi quotidiana pugna et rara victoria. (S. Aug., lib. X *Confess.*, c. 29.)

De divinis castris, inquit sanctus Cyprianus (*De dono pudicit.*), ante omnia auxilium petendum

est. *Nemo enim potest esse continens nisi Deus det: idcirco adii Dominum, et deprecatus sum illum*, inquit Sapiens. (*Sap.* VIII, 21.)

Semper ergo gratiam continentiæ fusis lacrymis postulet clericus, dicatque cum sancto Augustino (*Confess.*, lib. X, c. 29) : O amor qui semper ardes, et nunquam exstingueris; charitas Deus meus, accende me; continentiam jubes, da quod jubes, et jube quod vis. — Et statim atque ut libido titillaverit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem : Dominus auxiliator meus, *non timebo quid faciat mihi caro.* (*Psal.* LV, 5; S. HIERON. *ad Eustoch.*)

Nisi enim Dominus custodierit civitatem, inquit Chrysostomus (lib. VII *De virgin.*, c. 27), *frustra vigilat qui custodit eam.* (*Psal.* CXXVI, 1.)

Impossibile quippe est hominem suis, ut ita dixerim, pennis ad tam præcelsum cœleste præmium subvolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno munere evexerit castitatis. Et revera cum in omnibus virtutum profectibus, et cunctorum expugnatione vitiorum, Domini sit gratiæ atque victoriæ, in hoc præcipue peculiare beneficium Dei ac speciale donum et Patrum sententia et experimento purgationis ipsius manifestissime declaratur his qui eam meruerint possidere. (CASSIAN., *Instit.* lib. VI, c. 6.)

5° Quia per mortificationem carnis et sensuum, præsertim visus et gustus, inordinati libidinum motus comprimuntur et sedantur; his sedulo exercitationibus incumbat clericus ad exemplum Apostoli, cui cum datus fuerit stimulus carnis, ipsum colaphizans (*II Cor.* XII, 7) : *Castigo*, inquit, *corpus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* (*I Cor.* IX, 27.)

Hoc nempe remedio usi sunt omnes sancti, unde sanctus Gregorius Nazianzenus : Ventri, inquit, claustra impono, animum mœrore conficio, lacrymarum vim profundo, sempiterno Regi debilitata genua flecto, ac sordidatus incedo, etc. Pro lecto mihi torus est, pro linteis cilicium, et pavimentum lacrymis perfusum.

Libido gravis ignis est, inquit sanctus Ambrosius (*De pœnit.* c. 14), et ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur.

Ideoque crapulam et ebrietatem, in quibus est fomes libidinis, et mentis hebetatio, causaque omnium malorum, abhorreant... (*Synod. Carnot.* ann. 1506.) Ardentes diaboli sagittas jejuniorum et vigiliarum rigore restinguant. (S. HIERON., epist. 10.)

Abstinentia quippe ciborum contra hoc vitium fortissima est; si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cum cibos subtrahis, et vinum præsertim, *in quo*, ut est apud Apostolum, *luxuria est...* (*Ephes.* V, 18; S. GREG., lib. V, *in I Reg.* V.)

His ergo et similibus exercitationibus mortificationem Domini in corpore suo semper circumferat clericus (*II Cor.* IV, 10); alioquin nunquam se libidinis victorem fore intelligat. Castimoniam enim nunquam assequeris, inquit sanctus Borromæus cardinalis (*Epist. ad Anax. Battor. cardin.*), nisi te carnis maceratione afflictaveris, sensus omnes compresseris, otium ut pestem fugeris; denique nisi in hujus doni pulcherrimi conservationem, quod Deus tibi custodiendum dedit, omnem animi ac mentis tuæ vim intenderis : mirum est enim quam facile ab iis deperdatur qui in ejus conservationem non invigilant; nec aliam ob causam sanctus Paulus Timotheum quem ab infantia educaverat, sacrasque litteras edocuerant, qui corpore erat infirmo, qui jejuniis et aquæ potu carnis petulantiam fregerat, tam serio monet ut seipsum custodiat. (*I Tim.* V, 22.)

Unde 6° : Quia belli in castitatem collati nulla datur quies, et, ut ait sanctus Isidorus Pelusiota (lib. V, epist. 144), caro sæpe in juventute subacta, in senectute redintegrato prælio superiores clades restauravit, et illustria illa tropæa de sese erecta abolevit.

Nemo se falsa securitate decipiat, nemo de suis viribus periculose præsumat... (S. AUG., serm. 250 *De temp.*, c. 2) sed usque ad mortem illius conservationi invigilet. Ex parva enim scintilla, quæ remanet, omnes paleæ accenduntur, unde nec moribundi, etiam cum anima ad labia exspirantium emerserit, securi esse possunt. (S. GREG., lib. VI *in II Reg.*, c. 1.)

Quod egregie demonstrat idem Gregorius exemplo Ursini presbyteri; is enim cum presbyteram, id est uxorem, ante inaugurationem suam habuisset, post inaugurationem vero eamdem ut sororem dilexisset, sed cavisset ut hostem, nec unquam ad se propius accedere permisisset, tandem ad extrema ex morbo deductus, cum ambigeretur an efflasset animam, mulierem illam explorantem, num superesset in eo halitus, admotis ad ejus nares auribus accessisse ad se deprehendit, et infervescens spiritu quanto valuit nisu exclamavit : Recede a me, mulier; adhuc igniculus vivit, paleam tolle.

Tandem cum vix ac ne vix quidem castitatem possit quis servare clericus, qui non servavit laicus, nullus ad ministerium altaris accedat, nisi cujus castitas ante acceptum ministerium fuerit approbata : nam post sacrum ordinem et major erit tentatio, et longe acrior pugna et operosior victoria. (S. GREG., lib. I, epist. 42; refert. dist. 28, c. 1.)

1° Enim plus appetuntur in pugna duces, et violentius propulsantur ventis culmina altiora, ut dictum est supra ex Cypriano.

2° Quia cibus Satanæ cum sit electus, gaudet iis potius dejiciendis navare operam, quorum culpa ratione status sublimioris est tetrior, ut ait recte Salvianus. (*De Provid.*, lib. IV.)

3° Quia ob interpositam prohibitionem cujuscunque carnalis voluptatis in sacris ministris magis succenditur concupiscentiæ flamma; nam quibus frui possumus arbitratu nostro ea non facile appetimus, quod facultas quam habemus percipiendi illa negligentiam omnino nobis ingenerat. (S. CHRYSOST., *De virgin.*, c. 34.) Quæ autem propter copiam

contemnimus, ubi non sunt in potestate nostra, major eorum nobis cupiditas innascitur, etc. Unde virgo non habens unde ignem restinguat, flammam quidem excitatam et in altum sublatam videt, sed eam exstinguere non potest; tantum vero relinquitur ut igni resistens non exuratur. Quid igitur est admirabilius quam universum gestare in animo rogum ardentem neque comburi? quam flammam in intimis animæ partibus versari et integram permanere rationem? Nemo enim illi dat veniam ut libidini parens ejusmodi carbones effusos exstinguat.

4° Quia cum inexperti sint earum voluptatum sacri ministri, putant eas suaviores quam deprehenduntur a cæteris. Unde Hieronymus (ep. *De suspect. contubern.*): Etiam ferreas mentes libido domat, quæ majorem in virginibus patitur famem dum dulcius putat esse quod nescit. Et mox : Libidinosa mens ardentius inhonesta persequitur, et quod non licet dulcius suspicatur. Et alibi : Multos, inquit, sæculi reperies homines facilius carere experta corporis voluptate, quam eos qui a pueritia libidinem nesciant. Ab aliis enim nota calcari, ab aliis ignota appeti. Illos vitare pœnitendo suavitatis insidias quas fugerunt; hos carnis illecebras dulci titillatione corporis blandientes, dum nulla putant, venena noxia reperire.

Cum ergo ex his et aliis multis capitibus operosius sit continentiæ certamen in clericis, ne hujus sacri ordinis sanctitas per immunditiam polluatur, quilibet in limine adhuc exsistens sedens computet si habeat sumptus ad perficiendum, id est, per longum tempus experiatur antequam ad sacrum cleri ordinem ascendat, an possit continentiam servare.

CAPUT XII.

Contubernium et societas quarumlibet mulierum clericis studiose vitanda.

Ut de mulieribus, et de earum contubernio justum judicium judicent omnes clerici; mulierem in primis æstiment fontem esse nequitiæ, naufragium super terram; mortiferam conversationem; animarum exitium; cordis spiculum; quietem serpentis; triumphum tenebrarum; sceptrum inferni; arma diaboli; eorum qui salvantur offensionem. (S. Ephr.)

Hæc fuit priscorum Patrum de mulieribus sententia, qui de earum etiam societate pestifera sic loquuntur : Corruptionem seminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, lasciviam pascit, præcipitia instruit, periculis navigat, naufragiis velificat, perditione gaudet, interitum fovet, thesaurizat opprobrium, et catervatim semel in fascem glomerans numerosas indagines captionum, per infinita dedecorum multiplices mortes invehit in perniciem perditorum. Ideoque Sapiens (*Eccli.* xlii, 14) : *Melior est,* inquit, *iniquitas viri quam mulier benefaciens.* (S. Cypr., *De singul. cleric.* et Cæsarius Arelat instruens duos germanos.)

Ut ergo tot tantasque strages calamitatis et perniciosæ conversationis omnino devitent clerici (*Ibid.*):

1° Si quando cum mulieribus cohabitare teneantur, non alias patiantur, inquit Syricius Papa (epist. 1, c. 12), nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem synodus Nicæna permisit.

Interdixit autem per omnia magna illa synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel materteram, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt. (*Aquisgr. syn.*, c. 39; *Nicæn.*, c. 3.)

Quæ autem sint illæ personæ quæ suspicionem effugiunt declarant sancti Patres, et concilia, dum statuunt, ut præter matrem, aviam, materteram, amitam, sorores, filias, filias sororum aut fratrum, quæ proxima consanguinitate junguntur, et in quibus nihil sceleris æstimari naturæ fœdus permittit, nec fas est aliud quam natura constituit suspicari, nullam secum in eadem domo feminam habere præsumat. (*Conc. Arelat.* ii, c. 3; *Tolet.* iv, c. 41; *Aurel.* iii, c. 4; *Suession.*, sub Childer., vers. fin.; *Bracc.*, c. 15; *Tolet.* iv, c. 41; *Agath.*, c. 10.)

Unde sancti Patres : Nemo clericorum, inquiunt, cum extranea habitet femina, nisi proxima fuerit, et hoc cum magna sollicitudine fiat : non enim ignoramus malitias Satanæ. (S. Clem., epist. 2, ante medium; S. Anselm., lib. vii, c. 139; Dist. 81, c. 22, *Sed si.*)

Prima siquidem tormenta sunt clericorum, feminarum frequentes accessus, inquit concilium Aquisgranense (c. 98) ex Hieronymo (*ad Oceanum*). Et iste sexus reprehensibiles exhibet clericos. Quid ergo tibi revera cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te in publico cuncti, te in agro rustici, aratores ac vinitores quotidie lacerabunt, si contra depositum fidei cum feminis habitare contendis. Et quia, ut arbitror, concupiscis irreprehensibilis inveniri, testimonio bono munire. Nunquid in choro apostolorum fœminæ adfuerunt? Prohibe ergo virgines tecum commorari, etiam quæ de genere tuo sunt.

Et si quis matrem, vel sororem, vel cognatam habet, inquit sanctus Cyprianus (*De singular. cleric.* in fine), sic habeat ut nulla ancilla intersit, neque aliqua ingrediatur extranea, ne ad hoc videatur tenere proximas suas ut ipsarum causa libere adhibeat alienas.

Quod si non possint ipsæ quæ sunt proximæ sine famularum ministerio, vel sine amicarum esse solatio, expedit ut migrent ad aliud domicilium quam propter illas personæ contrariæ teneantur : humanum est enim ut nec clericus illas necessariis feminis fraudet, nec ipsæ clericum per importunas feminas sordident. Assignari possunt sanctis mulieribus cum quibus vivant, dummodo cum clerico femina nulla commaneat, ne aut ipsi per feminas, aut feminæ per illos ad ignominiosa ludibria provocentur.

Lubrica spes est, inquit sanctus Cyprianus (*Ibid.*),

quæ inter fomenta peccati salvari se sperat; incerta victoria est inter hostilia arma pugnare; impossibilis liberatio est flammis circumdari, nec ardere.

Et infra : Ipsi nos fallimus quoties credimus inter masculos et feminas castitatem immobilem custodiri. Difficile quis venenum bibet, et vivet. Verendum est dormienti in ripa, ne cadat, cum dicat Apostolus : *Qui se putat stare videat ne cadat* (*I Cor.* x, 12) ; et utilius est infirmum se homo cognoscat ut fortis exsistat, quam, si fortis videri velit, infirmus emergat.

Et infra : De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens : *De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* (*Eccli.* XLII, 13.) Inveni enim amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est; sagena cor ejus, et vincula manus illius. *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* (*Eccle.* VII, 29.) Ideo dicebat Augustinus, nunquam debere feminas cum servis Dei etiam castissimis in una manere domo. (Possidon., in ejus *Vita.*)

Quid enim tibi necesse est, inquit Hieronymus (*Epist. de vitando suspect. contuber.*), in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie aut perire aut vincere? Quis juxta viperam securos somnos capit, quæ etsi non percutiat, certe sollicitat? Nec quis sibi de sanguinis propinquitate confidat, inquit idem sanctus, quando quidem in illicitum Thamar sororis Ammon frater exarsit incendium. (Id., *Ad Eustoch.*, epist 22, *De custod. virg.*)

2° Unde nec etiam, si fieri potest, cum feminis licet germanis et propinquis habitet clericus : hoc enim statuit concilium Forojuliense (cap. 4) : Juxta Nicæni venerandi definitiones concilii : Nullus, inquit, patiatur subintroductas mulieres secum in domo propria habere, vel private cum eis cohabitantes conversari; et quanquam de quibusdam inhonesta carentibus suspicione, clementius aliquo modo inibi legatur indultum; nos tamen omnes omnino nunc necessarium vetare prospeximus, eo quod experimento didicerimus illarum velamento, alias licentius ad eos aditum veniendi perditionis causa habuisse. Non autem vetamus quempiam, sed potius adhortamur, pauperibus personis jure sibi cognationis conjunctis benefacere, cum sit omnibus faciendum, sed ab eis segregatæ in suis degentes domiciliis perseverent. Et concilium Aquisgranense II, sub Ludovico Pio (part. III, c. 11) : Decernimus, inquit, ut presbyteris nulla omnino cohabitet feminarum : contemnentes autem hanc constitutionem periculum proprii sustinere gradus.

Et concilium Moguntinum, sub Arnulpho (*Conc. Mogunt.*, c. 10, apud Gregor. IX, tit. *De cohabit. cleric. et mulier.*) : Quamvis sacri canones quasdam personas feminarum simul cum clericis in una domo habitare permittant, tamen, quod multum dolendum est, sæpe audivimus per illam concessionem plurima scelera esse commissa, ita ut quidam sacerdotum cum propriis sororibus concubantes filios ex eis generassent; et idcirco constituit hæc sancta synodus, ut nullus presbyter ullam feminam secum in domo propria permittat, quatenus occasio mala suspicionis, vel facti proprii penitus auferatur.

Concilium etiam Metense (c. 3) : Nequaquam, inquit, in sua domo secum aliquam feminam habeant, nec matrem, nec sororem; sed auferentes omnem occasionem Satanæ, angelicam vitam ducant, et Domino Deo casto corpore et mundo corde fine tenus serviant.

Item concilium Nannetense (c. 3) : Prohibendum et modis omnibus interminandum est, ut nullus sacerdos eas personas feminarum, sicut et in canone insitum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat, sed neque illas quas canones concedunt, scilicet matrem, amitam, sororem, quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedisequis illarum, sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio presbyteri, habeat in vico aut in villa domum longe a presbyteri conversatione, et ibi eis subministret quæ necessaria sunt.

Unde Theodulphus (*Ad presbyteros Aurelianenses* c. 12) : Nulla, inquit, femina cum presbytero in una domo habitet. Quamvis enim canones matrem et sororem et hujusmodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio sive occasione illarum veniunt aliæ feminæ quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, et eum ad peccandum illiciunt.

Ideoque sanctus Augustinus feminarum intra domum suam nullam unquam manere passus est, inquit Possidonius (in *Vita S. Augustini*), nec quidem germanam sororem, quæ vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit; sed neque patrui sui filias, et fratris sui filias, quæ pariter Deo serviebant : quas personas sanctorum episcoporum concilia in exceptis posuerunt.

Dicebat enim : Etsi de sorore et neptibus secum commorantibus nulla nasci possit mala suspicio, tamen quia illæ personæ sine aliis necessariis secumque manentibus feminis esse non possunt, et quia ad eas etiam aliæ a foris intrant, de iis potest offendiculum et scandalum infirmioribus nasci. (*Ibid.*, c. 26.)

Prohibe ergo, si potes, mulieres etiam propinquas et proximas tecum in eadem domo commorari. Docti enim illius viri cautela, inquit Gregorius Magnus (lib. VII, epist. 39), magna nobis debet esse instructio : nam incautæ præsumptionis est, quod fortis pavet, minus validum non timere. Et sapien-

fer illicita superat qui didicerit etiam non uti concessis.

3° Cum ergo in domibus clericorum nullas liceat habitare mulieres, nisi quas sancti canones habitare permittunt, canones autem statuerint ut clericus cum mulieribus non habitet, nullam unquam feminam sub quolibet necessitatis prætextu, quantumvis annosam, quantumvis despectam, quantumvis probatam sibi ministrantem habeat. (Urban. II, *in conc. Claromont.*, c. 10, *Conc. Carthag.* IV, c. 46, et alia; *conc. Trosleian.* ann. 909, c. 9.)

Ideo Agathense concilium (c. 11) : Ancillas, inquit, vel liberas a cellario, vel a secreto ministerio, et ab eadem mansione, in qua clericus manet, placuit removeri.

Concilium etiam Arvernense (c. 16) : In cubiculo, inquit, episcopi, presbyteri, diaconi, atque cellario, vel familiari quolibet servitio, neque sanctimonialis ulla, neque extranea mulier, neque ancilla ullo modo admittatur.

Et concilium Turonense II (c. 10) : De familiaritatibus mulierum licet crebrius sit canonibus replicatum, attamen necesse est ut sicut secta virgulta quæ male pullulaverant, rursus fidei falce succidantur, etiam radicitus eruantur. Nullus deinceps clericorum pro occasione necessitatis faciendæ vestis, aut causa ordinandæ domus extraneam mulierem in domo sua habere præsumat, etc. Et cum jubeamur victum aut vestitum artificiolo quærere, et manibus propriis laborare, quid opus est in domo serpentem includi pro veste, etc. Nullus ergo clericorum, non episcopus, non presbyter, non diaconus ancillam propriam in domo sua stabilire præsumat, quæ etiam pronior propinquabit ad culpam, dum dignoscitur subjecta dominatui, etc.

Si quis autem episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus hac de re statuta Patrum vel nostra temerare præsumpserit, excommunicetur.

Concilium etiam Geruntinum (c. 7) : De his, inquit, qui sine uxoribus ordinantur, et familias domus habent, habito secum pro vitæ conversatione fratre in testimonium, non per quamcunque feminei sexus personam eorum substantia gubernetur, aut per puerum, sed aut per amicum domum suam debent ordinare, etc.

Cum femina enim frequenter esse, et feminam non tangere, nonne plus est quam mortuum suscitare? quod minus est, non potes; quod majus est vis tibi credam, etc. Continens vis putari? Esto, ita sit; scandalum tu mihi es, scandalizas Ecclesiam Dei ; scriptum est autem (*Matth.* XVIII, 7) : *Væ homini illi per quem scandalum venit.* (S. Bern., serm. 65 *in Cant.*)

Sed et mihi crede, inquit concilium Aquisgranense, non potest toto corde cum Domino habitare qui feminarum accessibus copulatur. Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est femina ; cum proximat stipula incendit ignem. Flammigero igne percutit femina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. Ego judico, si cum viris feminæ habitent, viscarium non deerit diaboli : ex eis ab initio aucupatum est peccatum. Ferreas mentes libido domat. Si alligaverit quis ignem in sinu suo, vestimenta ejus non comburentur? Aut si quis ambulaverit super carbones ignis, pedes suos non comburet?

Certe, inquit concilium Narbonense (ann. 1609), ubi fuerit sacerdotum cum mulieribus habitare, antiqui hostis stimuli non deerunt. Ut ergo omnis incontinentiæ et suspicio et occasio tollatur... Cum clerico, inquit Cyprianus (*De singular. cleric.*), femina nulla commaneat, non despecta, non vetula ad domesticum obsequium, quia magis illic cito delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum ; maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidita vel vilis exsistit, sed diabolus pingens speciosum efficit quidquid fœdum et horridum fuerit.

4° Quælibet extranearum mulierum familiaritas clerico vitanda, inquit concilium Andegavense (c. 5). Non solum ad domum illius extranea mulier non accedat, inquit concilium Agathense (c. 10), sed nec ipse frequentandi extraneam mulierem habeat potestatem. Nam, ut ait sanctus Cyprianus (*De singular. cleric.*), feminæ propinquitas et vicinia est delictorum latrocinium ; ejus societas gluten est delictorum, et viscum toxicatum quo diabolus aucupatur; et perditionis est meditatio frequentissimum inter mulieres celebrare processum. Unde idem concilium : Nullus, inquit, clericorum extrancæ mulieri qualibet collatione aut familiaritate jungatur. Diabolus enim per mulierem cunctos oppugnat, cunctos dedecorat, cunctos occidit, inquit sanctus Chrysostomus. Ideoque et concilium Turonense (c. 3) : Quia nullum diabolo locum dari oportet, nullam clerici cum extraneis feminis habeant familiaritatem ; multi enim, inquit Augustinus, dum se putant vincere victi sunt ; (et licet certo vincerent), cavendum tamen omnes suspiciones, inquit Hieronymus (*Epist. ad Nepotian.*) ; et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devitandum. Utquid ergo quidam, promulgata per ora doctorum sancti Spiritus edicta calcantes, a sanctis Patribus institutam puritatis ecclesiasticæ regulam violantes, et arcem clericalis castitatis oppugnantes, hæc pro monachis dicta esse contendunt, non clericis, quibus scilicet in mundo degentibus aliquid benignius videtur indulgendum? (S. Petr. Damian.)

Attendant, quæso, quid hac de re citati canones et sancti Patres statuunt, qui hanc familiaritatem non minus clericis quam monachis interdictam esse voluerunt.

Attendant quid Isidorus Pelusiota (lib. II, epist. 289, *ad Pallad. episc.*) : Mulierum congressus, vir optime, quantum fieri potest, fuge : nam eos qui sacerdotii munere funguntur sanctiores ac puriores illis esse oportet qui ad montes contulerunt. Siqui-

dem et sui et plebis, hi autem sui duntaxat curam gerunt. Atque illi in hujusmodi dignitatis fastigio collocati sunt, omnesque viam eorum perscrutantur et explorant : hi autem in spelunca sedent, aut sua vulnera curantes, aut vitia obtegentes, aut etiam coronas sibi ipsis texentes. Quod si etiam ut cum ipsis congrediaris necessitas aliqua te obstringat, oculos humi dejectos habe.

Attendant etiam quid sanctus Ambrosius (*Offic.*, lib. II, c. 20) non monachis, sed clericis dicat : Quid necesse est ut demus obtrectandi locum sæcularibus, inquit, quid opus est ut illæ quoque visitationes crebræ accipiant auctoritatem? quid si aliqua illarum forte labatur? Cur alieni lapsus subeas invidiam? Quam multos etiam fortes illecebra decepit? Quanti non dederunt errori locum, et dederunt suspicioni? Cur non illa tempora quibus ab ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? etc. Quid nobis cum alienis domibus? etc. Ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum recipimus.

Attendant denique ad illam saluberrimam concilii Cameracensis sententiam (ann. 1565, tit. *De vita et honest. cleric.*) : Consortium, inquit, mulierum sacerdoti non convenit, quem castitas et continentia ornare perpetuo debent : et ut castitas servari queat in muliebri consortio, raro tamen bonum nomen retineri potest.

5° Si aliquando feminas visitare et cum illis loqui teneatur clericus, solus, inquiunt sancti Patres, ad illarum tabernaculum non accedat, nec properet sine majoris natu principis jussione (S. Clem., epist. 2, post princip.; Ivo, part. VI *Decret.*; Anselm., l. VII, c. 189) ; nec presbyter solus cum sola adjungatur, sed duobus adductis testibus visitet infirmam, nec solus cum sola femina fabulas misceat. Quod observans sanctus Augustinus, si forte ab aliquibus feminis ut videretur, vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis nunquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset ; in visitationibus vero modum tenebat ab apostolo definitum, ut non nisi pupillos et viduas in tribulationibus constitutas visitaret. (*Jac.* I, 27.) Et si forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Dominum rogaret, eisque manum imponeret, sine mora pergebat. (Possid., in *Vita* S. Aug., c. 26, 27.)

Si ergo propter officium clericatus viduam visitas aut virginem, nunquam domum solus introeas, inquit Hieronymus (epist. 2). Tales habeto socios quorum contubernio non infameris : solus cum sola secreto et absque arbitris non sedeas.

Unde concilium Bracarense III : Omnem, inquit, fornicandi occasionem cupientes auferre, sancimus ut nullus sacerdotum, sive quisque de clero absque honesto et competenti testimonio, excepta sola matre, cum quibusvis feminis secrete se præsumat adjungere, et non solum cum extraneis mulieribus, sed nec cum ipsis etiam sororibus, vel propinquis, ne licentia sororum, vel propinquarum mulierum quisque solus familiarior habeatur ad perpetrandum scelus. Hujus præceptionis transgressor sex mensibus se noverit pœnitentiæ legibus subjacere.

Non te simules, inquit sanctus Basilius (*Admonit. ad filium spirit.*), simpliciter accedere ad virginum domus, nec velis cum eis uti longis et otiosis fabulis, ne per plurimas sermocinationes utrorumque mens polluatur.

Si ad feminarum domus importune accesserit clericus aut virgo patiatur hujusmodi introire ad se, statim immutant pristinam dignitatem, et quod Domino polliciti sunt, sua voluntate amittunt. Nec enim poterunt hujusmodi mansionem in se Domino præparare, sed desolabuntur ut lignum aridum. Tua etiam cum mulieribus colloquia vel nulla sint, vel rarissima, vel brevissima (S. Basil., *Const.* c. 4) ; siquidem quasi transeunter feminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiva. (S. Cyprian., *De singul. cleric.*)

Et sanctus Cyprianus (*Ibid.*) : Sunt equidem necessitates aliæ quæ nos quoque privatim feminas videre compellant, sed etiam ipsius operis divini vel præcepti imperat efficacia, ut visitemus, ut solatia præbeamus, ut hortamenta vitalia salubriter intimemus ; nec tamen et in his officiis minor cura agenda est pro moribus nostris ut clarescant in nostra operatione indicia puritatis : severitas non desit quæ sub clerico feminam possit astringere ut ipsam consolationem nostram suscipiat cum tremore, et ita sentiat visitationis affectum ut clericum veneretur.

6° De his vero quibus cura pro parentelæ proximitate haberi permittitur, ea cautela earum necessitates sustineant, inquit concilium Tarraconense (c. 1), ut pietatis beneficia quæ eis sunt necessaria a longius præbeant. Ipsi vero pro visendis eis cum ingressi fuerint, celeri salutatione recurrant, nec ibi faciant mansionem : qui tamen cum ad earum visitationem pergunt, testem solatii sui fide et ætate probatum adhibeant secum. Si quis clericus hæc contempserit, loci sui dignitate privetur.

7° Tandem sic ambulate, sic agite ut semper in clericis Ecclesiæ senatus candidus constet ; ideoque securitas in vobis circa feminas quascunque sive propinquas sive extraneas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur. Et, ut omnia colligamus, et ad compendiosam plenitudinem redigamus, *Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, hæc agite* (*Philip.* IV, 8, 9), *et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* (*II Cor.* XIII, 11 ; S. Cyprian., *De singul. cleric.*, in fine.)

(S. Petr. Dam.) Utquid ergo quidam, per quos scilicet sanctorum labor evertitur, canonicæ sanctionis jura confunduntur, et quod doctores Ecclesiæ fundaverunt, illis impugnantibus obruitur,

asserere audent junioribus tantum et imperfectis prædictas regulas, non senibus et perfectis imponendas? Nam

1° Omnibus omnino clericis servandas proponit Ecclesia; 2° juxta doctrinam sanctorum Patrum, sanctis etiam ac senibus ætate provectis nimia cum mulieribus familiaritas valde timenda est; nulli enim ætati, nulli virtuti parcit libido, ubique sævit, ubique grassatur. (S. Bernard., *De modo bene vivendi*, serm. 58.) Quanti et quales episcopi et clerici, inquit Cyprianus (*De singular. cleric.*), post confessionum victoriarumque calcata certamina, post magnalia, et signa vel mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, etc. Quantos leones domuit una infirmitas delicata, quæ cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam.

Nec ideo minus vitandæ quæ bonæ indolis et honestæ conversationis esse videntur, sed quanto religiosiores, tanto magis alliciunt, et sub specie religionis, viget plurimum viscus libidinis. Crede mihi, inquit sanctus Augustinus (*De cohabit. cleric. et mulier.*), ut episcopus loquor, et expertus; cedros Libani, gregum arietes sub hac peste cecidisse reperi, de quorum vita non magis suspicabar, quam Hieronymi, aut Ambrosii turpitudine impudica. Quis ad hoc quantumvis sanctus, quantumvis senex non expavescat? Metuite ergo quantum potestis ejusmodi casus exitia, et in ista subversione labentium vos experimenta perterreant. Nimium præceps est qui transire contendit, ubi alium conspexerit cecidisse; et vehementer infrenis est cui non incutitur timor alio pereunte. Amator est salutis suæ qui evitat alienæ mortis incursum; et ipse est providus qui sollicitus fit cladibus cæterorum, sicut Salomon approbat dicens: *Cadentibus impiis, justi vehementer terrebuntur.* (*Sap.* v, 2.) Adversaria est confidentia quæ periculis vitam commendat. (S. Cyprian., *De singul. cleric.*) Ideoque et Hieronymus (epist. 2) : Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas, nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior : memento quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit.

Sed etsi nullum esset incontinentiæ periculum in hac mulierum familiaritate, semper tamen est pravæ suspicionis occasio et scandali, ac offensionis infirmioribus datur exemplum, inquiunt sancti Patres. Unde licet clerici cum illis non peccent, tamen malæ suspicionis de se præbendo materiam, vitam suam maculis sinistræ opinionis infamant. (S. Prosp., *De vita contempl.*, lib. II, c. 4.)

Quod si dixeris : Et mihi sufficit conscientia mea, habeo Deum judicem, qui meæ vitæ est testis, non curo quid loquantur homines. Audi, inquit Hieronymus (epist. 97), Apostolum scribentem : *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus...* (*Rom.* XII, 17.) Audi sanctum Augustinum et post eum concilium Aquisgranense. (Refert qu. 1, c. 12, *Nolo.*) Propter nos, inquit, conscientia nostra sufficit nobis, propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi atque distinguite. Conscientia nostra est tibi, fama proximo tuo. Qui, fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, crudelis est.

Audi etiam Bernardum clamantem (*in cant.*, serm. 64) : Esto, sis continens, sed ego suspicione non careo, scandalum mihi es : tolle scandali causam; quo te præbes verum, ut jactitas, Evangelii æmulatorem. Qui scandalizaverit unum de Ecclesia, nonne Evangelium condemnat illum? Sed quo mihi, inquit, Evangelii loco monstras prohibitum istud? Evangelium appellasti, ad Evangelium ibis : si obedias Evangelio, non facies scandalum; prohibet enim plane Evangelium fieri, etc. Nam hoc mandatum habet ex Evangelio (*Matth.* XVIII, 6 seq.) non parcere nec proprio oculo scandalizanti se, non manibus, non pedi, sed eruere illum, abscindere ista, et projicere ab se.

Pro se ergo scriptum clericus quisque accipiat, quod cuidam et sacerdoti et seni et continenti dicebat sanctus Basilius (*Epist. ad Greg. presb.*) Nec primi, inquit, nec soli statuimus ne mulieres cum viris habitarent, sed lege canonem, qui a sanctis Patribus Nicææ editus est, qui aperte prohibet ne sint introductitiæ : in hoc autem situm est cœlibatus decus et honestas quod separatus sit a consuetudine et consortio mulierum. Si quis enim verbo profitens revera ea faciat, quæ qui cum mulieribus cohabitant, aperte ostendit se virginitatis quidem laudem nomine tantum prosequi, sed a turpi voluptate non recedere. Tanto magis ergo oportebat te nostræ postulationi facile acquiescere, quod dicis te ab omni corporali perturbatione liberum. Neque enim credo eum qui septuaginta annos natus est cum muliere animi perturbatione commotum habitare; nec tanquam propter turpem aliquam actionem quæ facta fuerit statuimus ea quæ statuimus, sed quia ab Apostolo docti sumus (*Rom.* XIV, 13) fratri non esse ponendum offendiculum vel scandalum; scimus autem quod id quod recte et sane fit ab aliquibus, erit aliis occasio ad peccatum. Ea de causa decrevimus ut a muliere separeris, etc. Ejice eam a domo tua, etc. Et viri tibi serviant, ne nomen Dei per vos blasphemetur (*Rom.* II, 24), etc. Sin autem non correctus ausus fueris sacerdotium apprehendere, eris toti populo anathema, et qui te susceperint, erunt in Ecclesia abdicati.

CAPUT XIII.

Ne monasteria sanctimonialium frequentet clericus, aut cum eis familiariter conversetur.

Quia castitas illa, quam singularem appellat sanctus Cyprianus (18), et quæ, ut scribit idem sanctus,

(18) S. Cyprian. *De singul. cleric.* Et Cæsarius Arelat... instruens duos germanos ad vitam perfectam.

se a sexu molliore elongat, est expugnatio fortis infamiæ, fortitudinis firmitas, et lasciviæ petulantis infirmitas; probitatis præsidium, et improbitatis excidium; animæ victoria, et corporis præda; sinceritatis indicium, et abolitio scandalorum; exercitium continentiæ, et evacuatio tota luxuriæ; pax secura virtutum, et debellatio inquieta bellorum; puritatis culmen et libidinis carcer; honestatis portus et ignominiæ naufragalis locus; virginitatis mater, et hostis immunditiæ; lorica pudoris et spolium probrositatis; corruptionis exitium, murus rigoris, et destructio vulgaritatis, severitatis gladius, triumphator, et dissolutionis occisor, armatura virium, et exarmatura fluxorum; integritatis(18*) et fornicationis abdicatio; claritatis fastigium, et dedecoris præcipitium; voluntas bonorum operum et afflictio vitiorum; refrigerium pudicitiæ; pœna petulantiæ; requies salutis et perditionis exsilium.

Ideo familiaritatem quarumlibet mulierum, etiam sanctitatis fama illustrium ac etiam monialium, studiose declinet clericus.

Proindeque ut ab omni periculo liber, castus et securus undequaque vivat clericus, hæc circa sanctimoniales et earum monasteria inviolabiliter observet, ne sub religionis prætextu naufragium faciat castitatis:

1° Ad monialium monasteria raro accedat et nonnisi urgente gravi necessitate, sicut de sancto Augustino scribit Possidonius : Feminarum, inquit, monasteria nonnisi urgentibus necessitatibus visitabat.

2° Non sine testibus et superioris licentia.

3° Ecclesiastica tantum ibi officia peragens ad secretas collocutiones sanctimonialium nullo modo se divertat.

4° Hora competenti et congruo loco ministeria sua obeat.

5° Statim peractis ministeriis suis egredi festinet.

Has enim quinque regulas ab omnibus clericis ita inviolabiliter observandas tradidere sancti Patres, et concilia, ut sine illis, in religiosis et quibuslibet etiam hominibus periclitetur castitas.

Licet enim in monasteriis sanctimonialium inter virginum choros reperiatur flos ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi (sic enim virgines Deo sacras appellant sancti Patres), tamen et sexus infirmus, et ætas sæpe adhuc lubrica, inquit sanctus Cyprianus (ep. 62), omnino frenari ac regi debent, ne diabolo insidianti et sævire cupienti ad nocendum detur occasio, cum et Apostolus dicat : *Nolite locum dare diabolo.* (*Ephes.* IV, 27.) Liberanda est vigilanter de periculosis locis navis, ne inter scopulos et saxa frangatur. Exeunda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis supervenientibus concremetur. Nemo diu tutus est periculo proximus : nec evadere diabolum Dei servus poterit, qui se diaboli laqueis implicarit (19).

Ideo concilium Lateranense (refertur tit. *De vit. et honest. cleric.*, cap. *Monasteria*) : Monasteria sanctimonalium si quisquam clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumpserit, per episcopum arceatur; et si non desierit, ab officio ecclesiastico reddatur immunis

Unde episcopis summopere providendum est, ne canonicorum aut monachorum accessus indiscretus in monasteriis puellaribus passim fiat, quia persæpe hac occasione multos utriusque ordinis, canonici videlicet et monastici, viros muscipulam diaboli incurrisse cognovimus. (*Conc. Paris.*, sub Ludovic. et Loth., lib. I, c. 46.)

Clerici porro continentes ad viduas vel virgines non ingrediantur sine voluntate episcopi vel presbyterorum; tunc vero non soli, sed cum aliis clericis ingrediantur, vel cum illis personis cum quibus episcopi vel presbyteri ingredi possunt, puta presbyteris, vel laicis honestis... (*Conc. Carthag.*, c. 38; refert. dist. 31, c. 32.) Solum enim ad solam accedere nulla religionis ratio permittit. (Dist. 18, c. *In omnibus.*)

Et Toletanum : Puella vero Dei nec familiaritatem habeat cum confessore. Unde concilium Parisiense (lib. I, c. 46) supra citatum : Comperimus quosdam canonicos, posthabito religionis suæ pudore, monasteria sanctimonialium, tam monacharum quam canonicarum, inconsulto episcopo suo imprudenter atque irreverenter adire, etc. Quod factum, quia canonico non convenit proposito, prorsus interdicimus, nisi forte causa prædicationis, aut certe inevitabilis necessitas id facere coegerit : et hoc nullatenus sine licentia episcopi, aut illius qui vice ejus fungitur, fieri præsumatur.

Quod si sermo prædicationis faciendus est, congruo in loco coram omnibus fiat. (*Ibid.*) Si colloquendum cum aliqua sanctimonialium ratio expostulat, id non alibi nisi in constituto loco, id est in auditorio, sub testimonio virorum religiosorum et religiosarum feminarum fiat, etc. (*Ibid.*)

Porro si sacerdotibus sanctimoniales peccata sua confiteri voluerint, id nonnisi in ecclesia coram sancto altari, astantibus haud procul testibus, faciant. (*Ibid.*)

Si autem infirmitas præpedierit ut in ecclesia eadem confessio fieri queat, in quacunque domo facienda est, non nisi testibus similiter haud procul astantibus fiat, etc... (*Ibid.*) Ut nullam familiaritatem habeat cum confessore puella Dei. (*Conc. Tolet.* VI.)

(18*) Supplenda vox *propositum.* EDIT.

(19) S. CYPRIAN. cum aliis episcopis in causa virginum justo familiarius agentium cum sacris hominibus.

Presbyteri vero aut diaconi, cæterique clerici non intrent monasteria nisi tempore quo Missarum solemnia celebranda sunt, vel alia quælibet ecclesiastica officia peragenda, quibus peractis statim egrediantur, nisi ibi postea aliquam moram faciant. (*Conc. Turon.* sub Carolo, c. 29.)

Hoc idem statuens Cabilonense (sub Carolo, c. 60) ait, non debere presbyteros amplius in monasterio puellari immorari nisi donec Missarum solemnia, aut aliquid ibi de Dei servitio aut suo ministerio expleant.

Et Moguntinum (c. 26) : Presbyteris per monasteria puellarum opportuno tempore liceat Missarum solemnia celebrare, et iterum ad proprias Ecclesias redire.

Ad faciendas ergo Missas qui in monasteria puellarum ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt... (*Conc. Epaun.* c. 38, præsidente S. Avito; *conc. Arelat.* c. 7) ita ut ab illis fugiant, sicut ab igne et laqueo diaboli, et fugiant obviationem earum, et collocutiones, et visionem, ne colorent corda illorum sordibus vitiorum. Quamvis enim sint sorores tuæ secundum carnem, sicut ab extraneis te custodi. (Isaac. Solit., *De contemptu mundi*, in fine.)

CAPUT XIV.

De obedientia.

Obedientiam totis visceribus diligant clerici, et illam corde magno et animo volenti amplectantur, tanquam Christianorum gloriam... (S. Ephræm.) galeam salutis, perfectam propriæ animæ abnegationem, mortem voluntariam (S. Climac.), sepulturam voluntatis (*Ibid.*), sacrificium denique quod victimis aliis excellit (S. Greg., lib. xxxv *Moral.*); *Melior est enim obedientia, quam victimæ*, inquit Sapiens. (*Eccle.*iv, 17.) Per victimas quippe aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. (S. Greg., *ibid.*) Ideoque *ingrediens domum Domini* (id est ecclesiasticum ordinem) *custodi pedem tuum et appropinqua ut audias* (*Ibid.*) et in auditu auris audias... Sacerdotes enim, ait Chrysostomus (*Op. imperfect.*, hom. 40, *in Matth.* xxi,), sicut et quilibet alii clero Ecclesiæ ascripti magis videntur promittere obedientiam Deo, præcipue per hoc ipsum quod specialiter in Dei ministerio constituuntur. Nam qui doctor populi constituitur, sine dubio profitetur se talem fore, qualem esse oportet doctorem, sicut qui sutoriam, verbi causa, aut quamcunque alteram profitetur artem, etsi specialiter non spondeat, tamen per hoc ipsum quod sutoriam professus est artem et opificium, vel magisterium ejus artis aperuit, videtur tacite omnibus spopondisse ut sine reprehensione impleat quam professus est artem; sic sacerdos et omnis clericus, etsi specialiter non promittat, tamen per hoc ipsum quod doctor constituitur aliorum, tacite promittere Deo videtur, in omnibus obediturum se Deo.

Ad obedientiam autem non solum Deo sed etiam superioribus ac præpositis suis ecclesiasticis exhibendam tum divina lege, tum ipsis Ecclesiæ sanctionibus specialiter se teneri agnoscant.

Obedite, inquit Apostolus (*Heb.* xiii, 17), *præpositis vestris et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes*; gemitus siquidem ille, inquit Chrysostomus (hom. 34 *in Epist. ad Hebr.*), quavis ultione durior est.

Addit vero idem Apostolus : *Hoc enim non expedit vobis.* Hoc, inquit Basilius (*Const.*, c. 23), quod dicitur non expedire maximi cujusdam et valde pœnitendi detrimenti, quod ægre correctionem admittat, significantiam habet.

Quamvis autem hæc Apostoli verba cunctos fideles spectent, ad clericos tamen aliosque viros ecclesiasticos speciali modo pertinere agnoscant. Nam propter majorem clericorum cum prælatis superioribusque suis in sacra hierarchia connexionem, et ab ipsis in sancto ministerio dependentiam, ad obedientiam illam præ cæteris laicis longe arctius obstringuntur. (Abelly.)

Unde admonebat Petrus apostolus, ut refert sanctus Clemens (epist. 1; refert. 2, q. 7, c. 8, *Sacerdotes*), sacerdotes suos ut cunctos reliquos Ecclesiæ ministros, episcopos tota animi virtute diligere, ut oculos suos, quia sunt oculi illorum : eorum præceptis in omnibus obedire, etsi ipsi aliter, quod absit! agant, memores dominici præcepti, *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite.* (*Matth.* xxiii, 3.)

Ipsi autem episcopi, si exorbitaverint, ab istis non sunt reprehendendi, sed supportandi, nisi in fide erraverint. In Canonibus etiam apostolorum (can. 39) : Presbyteri et diaconi præter episcopum, vel sine episcopi licentia nihil agere pertentent. Et (can. 31) : Clerici, qui sequuntur presbyterum se a suo episcopo segregantem et altare erigentem, deponantur.

Ideoque sanctus Clemens (epist. 3, c. 8; refert. dist. 12, q. 3, c. 11, *Si a vobis*) : Si episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, subdiaconi et reliqui clerici, non solum infames, sed et extorres a regno Dei et consortio fidelium, et a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt. Nihil ergo absque episcopi proprii licentia agant... Et si quis ex illis suo episcopo inobediens fuerit, etc., mox curiæ tradatur, ait Pius. (Epist. 2.)

Sylvester in synodo Romana 284 episcoporum (refert. dist. 93, cap. 5), clara voce dicebat ad coepiscopos, ut a subdiacono usque ad lectorem omnes subditi essent diacono cardinali urbis Romæ, in ecclesia honorem repræsentantes eidem; Pontifici presbyter, presbytero diaconus, diacono subdiaconus, etc., in omni loco repræsentent obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ.

Concilium Antiochenum (c. 5) : Si quis presbyter, vel diaconus contemnens suum episcopum, separet se ab Ecclesia, et altare erigat, et vocanti episcopo non obediat, etsi semel atque iterum eum vocaverit,

deponatur, et ministerium non tangat, neque honorem repetat; si perseveret et tumultuetur, per extraneas potestates ut seditiosus coerceatur.

Concilium Chalcedonense (c. 8; refert. 18, q. 2, c. 10, *Cuidam*) : Clerici etiam parochiarum et monasteriorum, et martyriorum sub potestate episcoporum urbium sint, juxta sanctorum Patrum traditionem nec per contumaciam ab episcopo suo dissiliant, etc.

Concilium etiam Toletanum II (can. 10) : Quanquam omnes, qui sacris mancipantur ordinibus, canonicis regulis teneantur astricti, expedibile tamen est ut promissionis suæ vota sub cautione (20) spondeant, quos ad promotionis gradus ecclesiastica probat disciplina. Solet enim plus timeri quod singulariter pollicetur, quam quod sub generali sponsione concluditur. Et ideo placuit huic sancto concilio, ut unusquisque qui ad ecclesiasticos gradus est ascensurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quam placiti sui adnotatione (21) promittat, ut fidem catholicam sincera devotione custodiens juste et pie vivere debeat, et in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat; atque ut debitum per omnia honorem, atque obsequii reverentiam præeminenti sibi unusquisque dependat, juxta illud beati Leonis Papæ edictum (Epist. 82, *ad Anastas. Thessal. episc.*) : Qui se scit aliquibus esse præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit etiam ipse dependat.

Unusquisque ergo sacerdos, sicut et cæteri clero Ecclesiæ ascripti, non solum in iis, quæ ad fidei doctrinam, sed etiam quæ ad morum ac ministeriorum sacrorum disciplinam spectant,

1° Romano Pontifici tanquam Christi Domini vices gerenti, supremoque proinde Ecclesiæ capiti et pastori veram perfectamque obedientiam ac subjectionem debitam reddat. Hic enim est Ecclesiarum episcopus... (*Synod. Chalced.* act. 5) omnium arbiter... (ANAST. in Præfat. ad *Vitam* S. JOANN. Elem.) basis fidei... (S. CHRYSOST., hom. 2 *in psal.* L) immobilis... (S. CHRYSOST., *hom. de Petro et Helia*) caput omnium sanctissimorum sacerdotum (JUSTINIAN. lib. VII *Cod. De summa Trinit.*) omniumque Christianorum... (PETR. DAM.) cui quidquid fidelium est ubique submittitur... (ENNOD. in *Apolog.*) et a quo membra quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quærere debent... (S. CYRILL. in *Thesaur.* apud S. Thomam, opus. 1 et 19) de cujus etiam judicio disceptare nullus audet... (ZOZIM., epist. 20) nullus enim transgredi apostolica statuta absque gradus sui periculo ullatenus potest, inquit Joannes... (epist. 1) et, ut inquit Bonifacius Papa (allocut. 3, post medium) ac post eum Hadrianus II in synodo Romana : Nemo unquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari.

Unde Gregorius VII (lib. II *Regist.*, epist. 2 et 24) : Qui apostolicæ sedi obedire contemnit, scelus idololatriæ, teste Samuele, committit, et peccatum paganitatis incurrit.

2° Proprio episcopo et prælato in omnibus obediant, quem ut animæ parentem a quolibet clerico suscipi, observari, et amari vult Hieronymus.... (*ad Nepot., De vita clericorum.*) Filii, inquit Apostolus, *obedite parentibus per omnia*... (*Col.* III, 20.) Alioquin sciant se Dei ordinationi resistere, adeoque et secundum mentem Apostoli damnationem sibi acquirere. (*Rom.* XIII, 2.)

Unde et merito sanctus Bernardus, licet monachus, licet abbas, quia tamen clericus, dicebat : Certus sum enim ego, si mei quandoque pontificis a propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quod Satanæ mox tyrannidi meipsum subjicio. Plus timeo dentes lupi, quam virgam pastoris. Patienter ab hujusmodi libertate abstineam, quæ me pessimæ addicat superbiæ servituti. (S. BERN., *Epist. ad episc. Senon.*)

Ideoque et Gregorius VII, ad clerum Carthag. scribens : Christi, inquit, vicem super vos habenti ex debito obedite; consilia, admonitiones ejus vero amore amplecti insudate, scientes cum illi, Christo obedieritis, etc. Aliter vero si feceritis, in Christum peccatis, Christum spernitis, Christi discipuli esse desinitis. (GREG. VII, epist. 22, ubi queritur de Cyriaco injuriis affecto.)

Et postea de quibusdam qui in episcopum peccaverant, ait : Peccastis in legem Christi, in Christum, imo in Christum vestri. (*Ibid.*)

Et concilium Parisiense (c. *Nulla*, dist. 98) : Nulla ratione clerici aut sacerdotes sunt habendi qui sub nullius episcopi disciplina et providentia gubernantur. Tales enim acephalos (22), id est sine capite, prisca Ecclesiæ consuetudo nominavit.

Idem ait concilium Moguntinum (c. 22).

Clemens etiam Summus Pontifex : Qui suis, inquit, episcopis non obediunt, indubitanter et rei et reprobi exsistunt. Porro ipsi a Deo donum summi muneris consequuntur, qui per justitiæ et præceptorum ejus semitas incedentes, doctoribus suis, qui recte episcopi intelliguntur, libenter obediunt. (S. CLEM., epist. 3; refert. dist. 93, c. 9, *Qui suis.*)

Reveremini ergo episcopum vestrum, inquit Ignatius, sicut Christum, quemadmodum beati nobis præceperunt apostoli. Et : Episcopo subditi estote velut Domino; ipse enim vigilat pro animabus vestris, ut qui rationem Deo redditurus sit. (*Hebr.* XIII, 17.) Et postea : Necesse est, quidquid facitis, ut sine illo nihil tentetis. (S. IGNAT. Martyr, *Epist. ad Trallianos.*)

(20) Hoc nomine juratoriam cautionem intelligit gloss.

(21) Id est scriptura pacti sui indice.

(22) Vid. S. ISIDOR., *De divinis offic.*, lib. II, c. 3.

Et *Epist. ad Magnesianos :* Decet itaque et vos obedire episcopo, et in nullo illi refragari; terribile namque est tali contradicere; nec enim aliquis hunc fallit qui videtur, sed invisibilem fallere nititur, qui non potest a quoquam falli. Nam si id fit, non ad hominem, sed ad Deum redit contumelia. Samueli namque dicit Deus : *Non te spreverunt, sed me.* (*I Reg.* VIII, 7.) Et Moses inquit : *Non contra nos est murmur universum, sed contra Deum.* (*Exod.* XVI, 8.) Nemo remansit impunitus, qui se contra superiores extulit. Nec enim legi contradixerunt Dathan et Abiron, sed Mosi, et vivi in infernum præcipitati sunt. Core autem, et qui cum illo conspiraverunt contra Aaron, ducenti quinquaginta exusti igne sunt, etc. (*Num.* XVI, 33, 35.) Saul honore privatur, non exspectans summum sacerdotem Samuelem. (*I Reg.* XIII, 8 seq.) Oportet itaque et vos revereri præstantiores; decetque non modo vocari Christianos, sed esse : nec enim dici, sed esse, beatos facit.

Si qui episcopum appellant, inquit idem, (IGNAT. *ibid.*) et sine illo omnia faciunt, etc., tales non bona conscientia mihi præditi esse videntur, sed simulatores et personati, etc.

Et postea : Nihil sit in vobis quod possit vos dirimere, et unianimi episcopo, subjecti Deo per ipsum in Christo.

Et postea : Quemadmodum itaque Dominus sine Patre nihil facit : *Nec enim possum*, inquit (*Joan.* V, 30), *facere a meipso quidquam :* sic et vos sine episcopo; nec presbyter, nec diaconus, nec laicus.

Et postea : Nec quidquam videatur vobis consentaneum, quod sit præter episcopi judicium; quod enim tale est, iniquum est, et Deo inimicum, etc.

Et postea : Subjecti estote episcopo (et vobis mutuo) ut Christus Patri, ut inter vos divina quædam sit unio.

Et *Epistola ad Philadelphenses :* Presbyteri, diaconi, et reliquus clerus ipsi episcopo pareant, et episcopus Christo, ut Christus Patri obedivit, et sic per omnia conservabitur unitas.

Et *Epistola ad Smyrnenses :* Omnes, inquit, episcopum sequimini, ut Christus Patrem.

Ita ergo ipsi episcopo uniatur, et amoris ac fidelitatis nexibus ipsi hæreat, ut possit dicere cum Fulberto : Multum amoris ac fidelitatis illi me debere censeo, per cujus manum a Deo benedictionem et sacram unctionem accepi : unde animus meus ita pendet ex tuo, ut quidquid te justa ratione aut contristat, aut hilarat, idem me, si resipiscam, simili modo afficiat. (FULBERT., epist. 23, *ad Leutericum archipræsulem Senon.*)

3° Aliis etiam sibi secundum canonicas sanctiones legitime præpositis, unicuique habita ratione dignitatis ac potestatis, quam obtinet, obedientiam fidelem reddat. *Omnis anima*, inquit Apostolus, *potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo.* (*Rom.* XIII, 1.) Si autem mundanis potestatibus obedire prædicavit Apostolus, inquit Gregorius VII (epist. 22), quanto magis spiritualibus, et vicem Christi inter Christianos habentibus!

4° Canonicis etiam regulis et ecclesiasticis constitutionibus subditus vivat, ut dictum est in Præfatione... Etsi enim non semper usitatum sit, ut expresse a singulis ordinandis earum legum professio exigatur, eo tamen ipso quo quis voluntarie ordinationem suscipit, legum quoque clericis impositarum obligationem subit. Si enim nullus ulli sodalitio, collegio, vel corpori aggregatur, qui se illius statuta servaturum promittat, cum ordo clericalis longe sit augustior et divinior, et sanctioribus legibus ornetur, non debet inferioris esse conditionis. Neque enim dignitas ad quemquam nisi cum suis oneribus transit; et qui sentit onus, sentire debet et commodum; et contra in oneribus subeundis qui favorabili officio et honorabili adnectuntur, taciturnitas habetur pro consensu, ut jura satis indicant. (HALLIER., *De sacris ordin.*, part. I; *Regul. jur.*, reg. 6.)

Clericos ergo vagos seu acephalos, etc., neque in servitio Domini nostri, neque sub episcopo, neque sub abbate, sed sine canonica vel regulari vita degentes, quos neque inter laicos aut sæcularium officiorum studia, neque inter clericos religio tenet divina, sed solivagos atque oberrantes sola turpis vita complectitur et vaga; quique dum nullum metuunt explendæ voluptatis suæ licentiam sectantur, quasi animalia bruta, libertate ac desiderio suo feruntur : habentes signum religionis, non religionis officium, hippocentauris similes, nec equi nec homines: tales omnino ubicunque inventi fuerint, præcipimus ut episcopi sine ulla mora eos sub custodia constringant canonica, et nullatenus eos amplius ita errabundos et vagos secundum desideria voluptatum suarum vivere permittant, etc. (*Conc. Mogunt.*, c. 22; *Conc. Aquisgran.*, c. 100.)

CAPUT XV.

De oratione.

Quamvis virtutes, ut loquitur Ambrosius (*in Luc.*), connexæ sibi invicem sint et concatenatæ... ita ut, quod recte dixit sanctus Gregorius (lib. I *Moral.*, c. 39), una virtus sine aliis, aut omnino nulla sit, aut imperfecta, inde tamen non sequitur omnes æquali gradu a quolibet justo possideri. Qui enim unam virtutem habet, inquit Hieronymus (dialog. 1 *adv. Pelagian.*), habet quidem omnes, sed participatione, non proprietate... Id est, participat quidem omnibus, non tamen excellit in omnibus... Unde postea subdit : Necesse est enim ut singulæ excellant in quibusdam : ut in Salomone sapientia, in Davide animi mansuetudo, in Elia et Phinees zelus, in Abraham fides, in Petro, cui dictum est (*Joan.* XXI, 16) : *Simon Joannis, diligis me?* perfecta

dilectio? In electionis vase studium prædicandi, et sic in cæteris.

Si qua autem virtus supra cæteras excellere debeat in clerico, maxime orationis studium, cui præter cæteras peculiari cura debet incumbere.

Quod ut sponte quilibet fateatur, proindeque illius exercitium libentius amplectatur, et invictum ab illo spiritum non relaxet;

Consideret, 1° orationem esse animæ cibum (S. Aug., S. Chrys.), pharmacum, nervos, vitam, sicut piscis vita est aqua (S. Chrys.); item, chori virtutum antistitem (S. Greg. Nyssen., *De scopo Christian.*), et earumdem basim (S. Chrys., lib. I *De orando Deum*), columnam (S. August., serm. 22, *ad fratres in eremo*), scutum (S. Ambros., *in obitu Valentini*), reginam ac matrem (S. Climac., grad. 28) : item virginitatis sigillum (S. Greg. Nyssen., *De orat.*), angelorum opus (S. Chrysost.), Deitatis scalam, totius boni studii caput (S. Macar., hom. 40), caput bonorum omnium (S. Chrysost., lib. I *De orando Deum*) : item ascensum in Deum et familiare cum illo colloquium, unitionem Dei et hominis. Quid ergo magis convenire potest clerico, qui in domo Dei semper vivens et constitutus in iis quæ sunt ad Deum, nunquam cessare debet a colloquiis divinis, proindeque nec ab oratione?

2° Cogitet quoslibet in clero esse ministros domus Dei, domum autem Dei esse domum orationis, proindeque orationi ipsis præcipue vacandum. (Molina, *De dignit. sacerdotum*, tract. 2, c. 6.)

3° Attendat illorum esse incensum Domino offerre; *sacerdotes*, inquit, *sancti sint*, quia *incensum Domini offerunt* (*Levit.* xxi, 6); per incensum autem in sacris litteris orationem significari : unde Propheta : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* cxl, 2); et in *Apocalypsi* (v, 8) : *Habebant sancti phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Re etenim vera nihil æque Deo gratum acceptumque est, atque fragrantia illa odorifera quæ justorum orationibus excitatur. Unde recte infertur, proprium esse et adnexum sacerdotio vacare precibus, et crebro Deum interpellare.

4° Recognoscat cum Origene (hom. 6 *in Levit.*), pontifices et sacerdotes ad imitationem Moysis et Aaron non debere descendere de tabernaculo Domini, sacerdotique Ecclesiæ incumbere, orare indesinenter ut vincat populus, qui sub ipso est, hostes invisibiles Amalecitas, qui sunt dæmones impugnantes eos qui volunt pie vivere in Christo.

Unde Ambrosius (*in I Epist. ad Tim.*, c. III) : Sacerdotes, inquit, die ac nocte pro plebe sibi commissa oportet orare... Sanctorum enim preces Dei iræ possunt resistere, inquit Hieronymus, in hæc verba Jeremiæ (c. VII, 16) : *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi.* Et, ut idem ait, Dei sententia sanctorum precibus frangitur. Unde Dominus per Ezechielem (ad sacerdotes): *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel...* (*Ezech.* XIII, 5.) *Et quæsivi ex eis virum qui interponeret sepem et staret oppositus contra me pro terra, inquit Dominus, et non inveni...* (*Ezech.* XXII, 30.) Stet ergo *Moyses electus ejus in confractione in conspectu ejus ut avertat iram ejus, ne disperdat eos.* (*Psal.* CV, 23.) *Et ne placatus Dominus faciat malum quod locutus est adversus populum suum.* (*Exod.* XXXII, 14.)

5° Cum Hieronymo : Duo genera Christianorum constituta esse sciat, quorum unum, puta... clericorum, mancipatum divino officio, et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit. (Refert. 12, q. 1, cap. *Duo sunt.*)

6° Cum sancto Cypriano (epist. 66) : Meminerit singulos divino sacerdotio honoratos et in clericali ministerio constitutos nonnisi altari et sacrificiis deservire, et precibus atque orationibus vacare debere.

7° Cum sancto Chrysostomo (*in Epist. ad Rom.*, c. VIII) : Precum donum proprium diaconi esse... et cujuslibet etiam clerici fateatur. Juxta concilium Lingonense (ann. 1404), assidue et devote orare (sicut) et lectioni perfecte intendere opera sunt clericorum...

Cum eodem Chrysostomo (hom. 79, *ad pop.*, *De orat.*, et hom. *de incomprehens. natura Dei*) : Sacerdotum esse præesse aliorum orationibus, ut populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in cœlum evehant.

Cum sancto ... : Illorum etiam esse peccata populi comedere... Sacerdotes autem cum pro populo interpellant, peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent atque consumunt. (*Conc. Alex.*; ref. I, q. 1, c. *Eadem sacrosancta.*)

Cum Ambrosio (*in I Epist. ad Tim.*, c. II) : Sacerdotum ecclesiasticam regulam esse, ut pro omnibus supplicent.

Cum Justiniano (novell. 37, c. 1) : Clericos ad orandum pro populo in ordinatione destinari...

Cum Prospero (lib. I *De vita contempl.*, cap. 13) : Ecclesiarum principes vitæ contemplativæ posse et debere fieri sectatores.

8° Cum sancto Eucherio (*in Rom.* III, *ex editis cum Theodor. Studit.*) : Omnes sacerdotio decoratos sciat columnas nuncupari, quod scilicet nutantis mundi statum orationibus sustinent, et humilitate subnixi atque prostrati, onus totius orbis portant humeris sanctitatis.

9° Sacerdotem etiam cum Chrysostomo (lib. VI *De sacerdot.*, cap. 3), sciat, pro civitate tota, quid dico, civitate? imo vero pro universo terrarum orbe legatum intercedere, deprecatoremque esse apud Deum, ut hominum omnium non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat. Qualem, quæso, inquit, illum esse oportet? Equidem neque Moysis neque Eliæ fiduciam fore unquam satis

putaverim ad supplicationem hujusmodi peragendam : quandoquidem quasi mundus illi universus concreditus atque adeo omnium sit pater ; sic ad Deum ipse accedit, deprecans quidquid ubique bellorum est exstingui, turbas solvi, atque in horum locum pacem, ac felicem rerum statum succedere ; denique celerem malorum unicuique imminentium qua privatim, qua publice defunctionem postulans.

Videant clerici quantam in oratione sacerdotum efficaciam exigat Chrysostomus ut toti mundo commodum afferre possint, et remedia salutis comparare. Quod si Moysis et Eliæ virtus ac fiducia parva sancto illi visa est, nec satis efficax : quantum nobis timendum est, qui ampliori sumus dignitate, sed minori sanctitate et efficacia deprecandi. Etenim cum divino tribunali sistemur, et nobis bella, pestes, crimina, hæreses, aliæque calamitates innumeræ, qua corporales, qua spiritales imputabuntur, tunc fortasse sacerdotes fuisse pœnitebit, et sacerdotii honor tam grave onus videbitur, ut simus optaturi quammaxime ne tantum unquam pondus subiissemus. (Molina.)

Tanta ergo sit sacerdotis orantis efficacia, ut idem ipsi contingat, quod Aaron olim evenisse Scriptura testatur. Cum autem ignis concitatam multitudinem corripuisset, et stragem ederet luctuosam, accepit ille thuribulum, et hausto igne de altari misit incensum desuper, *Et stans inter mortuos et viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit.* (*Num.* xvi, 46-48.)

Et quia sacerdotes, ut ait sanctus Basilius, sicut in munere suo Christum referunt, ita eumdem in gemitu et oratione imitari debent... Cum clamore magno et lacrymis ita preces, supplicationesque offerant, ut exaudiantur *pro sua reverentia* (*Hebr.* v, 7), sicque orationem eorum timeant qui admonitionem contempserunt. (S. Bern., *De consid.*, lib. iv, c. 17.)

Tandem quia, secundum Hieronymum (*in Matth.* vi), hoc magis præceptum est ut inclusa pectoris cogitatione, labiisque compressis Deum oremus (vera siquidem postulatio non est in oris vocibus, sed in cogitationibus cordis ; valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria) ; ideo huic orationi, mentali scilicet, peculiari studio incumbere debent sacerdotes, aliique omnes ministerio sacro addicti. (S. Greg., lib. xxii *Moral.*, c. 18.)

Quamvis enim bonum sit sono vocis Deum spiritualibus hymnis glorificare, ut dicit Isidorus, melius est tamen cum silentio orare corde sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis. (S. Isidor., lib. i *De summo bono*, cap. 7.)

Certe qui in silentio orat, fidem defert, et confitetur quod Deus scrutator cordis et renum sit, et quod orationem suam ante audiat, quam ore fundatur. (S. Ambros., lib. vi *Sacram.*, cap. 4.)

Tu ergo, o sacerdos, o clerice, *cum oraveris, intra in cubiculum tuum* juxta præceptum Christi, *et clauso ostio ora in abscondito.* (*Matth.* vi, 6.) Hoc autem fit cum strictis labiis nostris omni silentio supplicamus non vocum, sed cordium scrutatori. (Cassian., coll. 9, c. 35.)

Clauso quippe ostio petit in cubiculo, inquit Gregorius (lib. xxii *Moral.*, c. 13), qui, tacente ore, etc., fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito cum per sancta desideria silenter clamatur.

Sapienter omnino negavit quidam dici posse religiosum (subjungamus nec etiam dici posse verum Christi ministrum et sacerdotem) eum qui saltem semel in die non orat mentaliter, quia scilicet, sicut effectus sine causa, et finis absque medio, et portus absque navigatione haberi nequit ; ita perfectio Christiana, ad quam religiosus, et potiori adhuc ratione sacerdos, conniti debet, absque oratione mentali obtineri non potest, quod vel ipsa experientia satis compertum est. (Cajetan., in 2-2, a. 3 ; Abelly.)

Ideo ad quemcunque ecclesiasticum gradum vel officium basis ac fundamentum, orationis mentalis studium sapienter statuitur in concilio Mediolanensi v : adeo ut quemadmodum pia omnis actio ab oratione incipere consuevit, ita et quodlibet examen ecclesiasticæ personæ de orationis disciplina primum fiat. (Halier., *De exam. ordinand.*) Primum, inquit, de toto vitæ statu, etc., quæratur qui examen subit, etc. An in orationis sanctæ studio usuque versatus ; quibus meditationibus instructus Deum tacitus oret ; quis orationis modus ; qui illius fructus quæve utilitates : quot quibusve partibus illa constet : quæ regulæ præparationis ad orationem, et cætera multa ejusdem generis, etc. (*Conc. Mediolanens.* v.) Hæc ergo serio cogitent clerici ut dicere possint ex animo cum primis illis et apostolicis sacerdotibus : *Nos autem orationi instantes erimus* (*Act.* vi, 4), *et sic semper cum Domino erimus...* (*I Thess.* iv, 16), sicque reperiantur contemplatione præcipui, etc. (S. Gregor., *Pastoral.*)

CAPUT XVI.

De otii fuga et cura salutis animarum.

Est et aliud malum quod vidi in Ecclesia, quodque latentius gliscit ; et quam latentius, ideo periculosius : sub specie siquidem pietatis ac religionis latitat aliquando otiositas, quæ multos adducit ad clerum, et a laicali vita revocat. Persuasum quippe pluribus nonnunquam animadvertimus, clericorum vitam desidem, otiosam, vacuam laboris esse et sollicitudinis ; cum tamen præ cæteris ingentibus curis ac laboribus undequaque circumsepta sit. At enim videtur eos sanctus David cauterio gravi inurere (ipsi viderint quos hæc parabola tangit) : *In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua.* (*Psal.* lxxii, 5, 6. Halier., *Monit.*, § 5.)

Habet enim singula quæque generatio hominum laboris aliquid, aliquid voluptatis ; sed advertere

est quorumdam clericorum fatuam prudentiam et mirari quemadmodum novo inter hæc artificio discernentes et ab invicem sequestrantes, id totum quod delectat eligunt et amplectuntur; quod molestum est fugiunt et declinant. Ad statum ecclesiasticum otii causa se conferunt, cum nec milites, nec agricolæ, nec negotiatores, nec singuli quique ordines hominum laboris ac sollicitudinis expertes sint.

Cæterum suus et clericis nec modicus labor imminet; dicebat enim Apostolus, ille qui plus omnibus laboravit (*I Cor.* xv, 10): *Qui non laborat non manducet.* (*II Tim.* iii, 10.) Homo quidem natus est ad laborem, clericus autem ordinatus ad aliorum utilitatem; quodque de episcopis Ignatius Antiochenus (epist. 1), Athanasius Alexandrinus (*Epist. ad Dracontium*), Isidorus Pelusiota (lib. iv, epist. 219); quod de omnibus præpositis Augustinus dixit (l. i *De past.*, c. 2, et alibi), eos non sui causa, sed populi gratia esse constitutos; hoc de omnibus clericis dici jure merito potest, neminem eorum in quocunque gradu ecclesiastico collocari, nisi ut divinis altaribus pro suo gradu deserviat et ad populorum purgationem, illuminationem et perfectionem pro facultate sibi concessa allaboret.

Fugiat ergo otiositatem clericus, qui positus est non ut otio torpeat, non ut inutiliter tempus terat, non ut vacuos et inanes dies elabi sinat, sed ut eat et fructum afferat, et fructus illius maneat. (*Joan.* xv, 16; Abelly, *Sacerd. Christ.*)

Fugiat illam insuper quia otiositas mater est nugarum, inquit Bernardus (lib. ii *De consider.*, cap. 13), noverca virtutum; multam quippe malitiam docuit otiositas.

Sicut enim per rimam sentinæ aqua latenter intrat et excrescit, donec navis per nautarum incuriam demergatur, ita ex otiositate et ignavia, cogitationes pravæ et concupiscentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens in peccato periclitetur. (Id., *Serm. de S. Andr.*)

Fugiat tandem quia inter pleraque alia quæ Deus speciali odio prosequitur, inquit Basilius (*in cap.* i *Isaiæ*), una hæc est otiositas seu cessatio ab his, quæ nos ex officio attinet facere; ob quam etiam clericus tanquam arbor infructuosa excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* iii, 10), et sicut servus inutilis ejicietur in tenebras exteriores. (*Matth.* xxv, 30.)

Ideoque, 1° nemo ecclesiasticum statum ingrediens sibi vel pietatis prætextu vel voluptatis blandiatur, quasi clericum liceat in divinis ministeriis esse otiosum; quasi clericatum amplecti fas sit, cui nulla cura, nullus labor, nullum opus adnexum sit. Nam voluptatis quidem otiosæ prætextu clericatum amplecti, sacrilegium, pietatis specie, error, et utriusque prætextu injustitia. (Halier.)

Sicut enim clericatus sanctitati repugnat statum hunc ad vitiosam voluptatem referre, qui totus in Deum tendit, cujus professio omnis, præterquam divinæ, voluptatis renuntiatio est; ita quoque ab ejus natura alienum est, ut status ille optimus, suique maxime communicativus, cujus etiam ad populi salutem insignes sunt prærogativæ, eximiaque privilegia, ad solum habentem terminetur.

Quoquo modo otium istud defendatur, certa ex eo injustitia committitur, cum et populus debita sibi ope fraudatur, et talenta in aliorum salutem a Deo concessa in sudario reposita servantur, et contra omnium hominum sortem otiose a clericis vivitur. Non sic profecto est, inquit auctor sermonis in synodo Remensi ad pastores (inter opera S. Bern.), sed *sicut populus, sic sacerdos* (*Isa.* xxiv, 2): sicut laicus, sic et clericus: uterque cupit, uterque diligit mundum, et ea quæ in mundo sunt: laicus tamen cum labore, sed clerici sine labore volunt possidere totum mundum, communicare volunt cupiditati et superfluitati hominum, peccare volunt, sed non flagellari cum hominibus: unde timendum est quod flagellentur cum dæmonibus...(*ibid.* ap. S. Bern.) Inde sacerdotes multi, sed operarii pauci. Illud ergo unusquisque clericus sæpe repetat, se non ad inertiam atque ignaviam, sed ad spiritalis et ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse. (*Acta Mediolan.*, part. i, lib. iii, tit. *De vit. et honest. cleric.*) Proindeque :

2° Non modo sibi persuasum habeat vir ecclesiasticus, nec sacerdotem nec clericum quemvis otiosum esse oportere, sed etiam ita negotiosum ut non sui tantum sollicitum se præbeat, sed in aliorum quoque salute inquirenda vigilem et solertem. (Hallier.) Clericus duas res professus est, inquit Augustinus, et sanctitatem et clericatum. Interius sanctitatem; nam clericatum propter populum suum Deus posuit cervicibus ipsius. Magis onus est quam honor. (S. Aug., *Serm. de vita et moribus cleric.* apud *Conc. Aquisgran.*, cap. 112.)

Antiqua hoc Ecclesiæ praxis ostendit, juxta quam nemo ordinabatur nisi ad ministerium. Idipsum Tridentina constitutio confirmat (sess. 23, *De reformat.*, cap. 16), in qua præcipitur nullum debere ordinari, qui judicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis, statuiturque ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus.

Natura quoque sacerdotii hoc aperte exigit; *omnis enim pontifex*, teste divo Paulo, *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt apud Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* (*Hebr.* v, 1.)

Quis vero sacerdos, nisi mediator inter Deum et populum? *Pro Christo enim legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*, sacerdotum omnium nomine dicebat Apostolus. (*II Cor.* v, 20.) Quomodo autem sacerdos hominum apud Deum mediator, sequester pacis, legatus pro Christo, si se intra seipsum contineat nec in alios patiatur divinorum cha-

rismatum sibi concessorum præclaros effluere fontes ?

Qui in ecclesiastico ordine sunt constituti, inquit divus Thomas (*Suppl.*, q. 34, a. 1), in hoc positi sunt, ut Deum repræsentent, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, suo modo Deo assimilati, quasi Deo cooperantes, sicut et in corpore naturali quædam membra influunt.

Unde et concilium Mediolanense I (sub S. Carol. Borrom., ann. 1579 ; tit. *De vita et honest. episcop. et cleric.*) . Intelligant, inquit, se cum in Dei militia ascripti sunt, non ad commoditates aut voluptates, sed ad labores ac sollicitudines vocatos esse, et in iis numerari, quos *dedit Deus, quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* (*Ephes.* IV, 11, 12.)

Recte ergo ad propositum Chrysostomus privatam vitam sacerdotali opponit. Tu enim, inquit (hom. 86, *in cap.* XX *Joan.*), rem tuam curas, quam si bene ordinaveris, nulla tibi alia sollicitudo impendet : sacerdos vero si vitam disposuerit, tuam autem non diligenter curaverit, cum impiis in gehennam detrudetur : et nonnunquam non propriis actionibus, sed tuis damnatur, nisi omnia quæ ad te spectant efficiat. Quidni ? publicum est clerici officium, publica cura, nec solus perire potest, qui aliis præire debet, nec solus salvari, cui aliorum salus commissa est.

Jure ergo punitur clericus non quod malum ipse fecerit, sed quod populum a malo non represserit. Sacerdotes siquidem, inquiebat Isidorus Hispalensis (lib. III *Sentent.*) post Gregorium Magnum (hom. 11 ; *Pastoral.* part. II, c. 6), pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non corrigant, testante Domino ad prophetam : *Speculatorem dedi te domui Israel; si non fueris locutus ut se custodiat impius a vita sua mala, ille in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* (*Ezech.* III, 17, 18.)

Hoc quoque clericorum esse officium docuit lucidissimum Galliarum lumen Cæsarius Arelatensis episcopus (hom. 22), dum ait, volentibus audire verbum Dei offerendum esse, fastidientibus ingerendum ; ne forte contra nos ante tribunal Dei stantes dicant se a nobis non fuisse admonitos, et animarum illarum sanguis de nostris manibus requiratur. Unde subdit : Cum grandi timore et tremore considerare debemus ne ad nos etiam illa terribilis sententia dirigatur, quam servus ille audire meruit, qui acceptum talentum duplicare noluit : *Serve*, inquit, *male et piger, quare non dedisti pecuniam meam nummulariis ad mensam, et ego veniens cum usuris exegissem illam?* (*Luc.* XIX, 23.) Et post hæc sequitur (avertat hoc Deus a nobis !) : *Inutilem*, inquit, *servum projicite in tenebras exteriores ; ibi erit fletus et stridor dentium.* (*Matth.* XXV, 30.)

Animadvertant, quæso, omnes quorum interest in ista parabola evangelica non tantum noxium, sed inutilem servum in tenebras exteriores damnatum amandari ; neque tantum in malo opere versantem, sed etiam a bono opere torpentem plecti : neque solum qui pecuniam creditam non exsolverit, sed et qui cum usura non reddiderit ; non tantum qui pecuniam fœde dissiparit verum etiam qui utiliter non dispensarit.

Credidit tibi Deus eloquia sua, sacramentorum administrandorum potestatem, bonorum Ecclesiæ procurationem tibi reliquit ; non dissipasti ? neque hoc satis ; nisi fructuose dispensaris, si talentum in terra absconderis, nisi utiliter ministerium tuum impleveris, nisi populi saluti invigilaveris, peristi. Certa est servi inutilis, æque ac deprædatoris damnatio. *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*, ut habetur in Lamentationibus Jeremiæ prophetæ. (*Thren.* IV, 4.) Quos non pavisti, occidisti : neque enim occidit tantum qui panem ab esuriente abstulit, sed qui in ejus utilitatem datum non obtulit. (S. Aug.)

Panem angelorum in tuas manus commisit Deus, quo esurientes reficias; panem verbi sui, in quo etiam, non in solo pane terrestri vivit homo, tibi concessit; an ut eo solo vescereris? an non ut saltem ex micis cadentibus de mensa tua pauperes recreares ? Ordinatus es sacerdos, nonne ut sacra dares ? nonne ut secundum sancti Dionysii mentem cooperator sis Dei in reductione animarum ad suum Creatorem..? Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium... nullum officium ipsi charius sicut zelus et lucrum animarum... Et hoc est character vitæ apostolicæ illarum salutem sitire... (S. Chrysost.)

Ingens hæc, imo angelica, imo divina est dignitas, Dei cooperatorem fieri in conversione animarum, divinamque in se operationem palam cunctis ostendere. (S. Dionys., *De cœlesti hierar.*, c. 3.)

In opere creationis non fuit qui adjuvaret spiritum Domini, aut consiliarius ejus esset. In mysterio vero redemptionis nostræ voluit habere coadjutores... *Nos autem*, inquit Apostolus, *Dei adjutores sumus.* (*I Cor.* III, 9 ; Petr. Blesens., serm. 9, *De vit. et offic. præsul. et cler.*)

Noli ergo negligere gratium, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri, inquiebat Timotheo discipulo divinus magister Paulus. (*I Tim.* IV, 14.) Idem tibi dictum puta ; gratiam quippe ordinationis negligis, si eam viriliter in animarum salutem non impendis... Itaque etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen efficies si converteris animam : nihil est enim quod animæ possit æquiparari, ne universus quidem mundus. (S. Chrysost., hom. 3 *in I Epist. ad Cor.*)

Nihil frustra divina Providentia instituit ; multo minus vero perfectissimam potestatem et nobilissimum animæ tuæ impressum characterem situ obso-

lescere, aut tanquam inutilem traduci divina ordinatio patietur.

Unde nobis, secundum sanctissimi Pontificis Anacleti (epist. 3) monitum, studendum est, ut cooperatores simus gratiæ Dei, quia ad hoc vocati sumus, ejusque familiari colloquio sociati, et sacerdotes sacrati, ut fructuose illi manipulos reportemus operante gratia ejus.

Quam sententiam confirmat Alexander III, epistola ad omnes presbyteros conscripta (epist. 3) : Gratia Dei, fratres charissimi, sumus id quod sumus ; idcirco nobis providendum est, et omnino decertandum, ne in ea vacui inveniamur. Sed eadem nobis cooperante gratia fructum Domino plurimum reportemus. Et paulo post : Nec enim negligendam gratiam nobis Dominus dedit, sed fideliter exercendam tribuit.

Idem docet Augustinus (*Cont. Faustum Manich.*, lib. XXXII, c. 10) et egregia antiquæ legis figura illustrat. Olim, inquit, jussus est frater præmortui fratris uxorem ducere, ut non sibi sed illi sobolem suscitaret, ejusque vocaret nomine quod inde nasceretur. Quod si recusaret, discalceatus uno pede conspui solebat in faciem. (*Deut.* XXV, 5-20.) Nunc Evangelii quisque prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri, id est Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, et quod suscitatum fuerit ejus nomen accipiat. At vero qui electus ab Ecclesia ministerium evangelizandi renuerit, ab ipsa Ecclesia merito digneque contemnitur : Qui enim et sibi prodest, et Ecclesiæ, bene intelligitur utroque pede calceatus ; unde illud : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (*Isa.* LII, 7 ; *Rom.* X, 15) ! Qui autem curam lucrandorum refugit aliorum, discalceati illius non figuratum significavit, sed in se impletum portabit opprobrium.

Paulus sacerdos cum esset, quamvis nullius Ecclesiæ præfecturam accepisset, *Si evangelizavero*, inquit, *non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. Væ enim si non evangelizavero.* (*I Cor.* IX, 16.) Item : *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.* (*II Cor.* XI, 28.)

Quid vero pastoribus Israel objicit Deus per Ezechielem? an quod oves in præcipitia ducerent, quod inficerent? quod mactarent? quod occiderent? Neutiquam. At, inquit Dominus, *quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis ; quod confractum est non alligastis ; et quod abjectum est non reduxistis ; et quod perierat non quæsivistis*, etc. (*Ezech.* XXXIV, 4.)

Item : *Erraverunt greges mei in cunctis montibus et in universo colle excelso, et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret* (*ibid.*, 6) ; propterea eis multa mala comminatur.

Discant ergo ex his clerici, qui populi duces, medici, doctores constituuntur, nequaquam se indignationem Dei effugere, quamvis in nullum præcipitium impulerint, si nullum errantem reduxerint. Discant non excusari, quamvis nullum spiritualiter occiderint aut infecerint, nisi plures ad vitam spiritalem revocarint aut sanarint... (*Conc. Trid.*, sess. 14, c. 5.) Non enim sibi uni tantum, sed multis populis vivit clericus. Discant non satis esse ad salutem quod nullos erroribus imbuerint, nisi etiam vera docuerint. (S. CHRYSOST., l. III *De sacerdot.*) Discant quod sicut.... soli non possunt perire... sic nec soli salvari qui præire debent dicendo et operando. (S. BERNARD. putatus *Serm. ad pastores*, in synod. Rem.)

Hæc enim sacerdotum ac clericorum sunt munia, quæ nisi quis pro suo quisque gradu obire cogitaverit, frustra et ridicule dignitatem amplexus est, quæ nonnisi propter ista confertur. Et cum presbyter ordinatur, non ut sibi tantum, sed ut aliis vacet..... Quod enim Christiani sumus, inquit Augustinus, propter nos est ; quod presbyteri, propter alios. (S. AUG., l. I *De pastor.*, et *Contra Crescent.*, l. I, cap. 11, sive *De com. vita clericorum.*)

Ideo tales sint qui divinis cultibus se mancipandos student exhibere, scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent. (*Conc. Mogunt.* sub Carolo Magno, ann. 813, c. 10.) Hoc enim exigit presbyteralis ordinis ratio ; hoc potestatis in populum et pro populo instituta dignitas, hoc antiquæ Ecclesiæ disciplina, quæ inutiles presbyteros, otiosos, populi curam non habentes vix patiebatur. (HALIER., *De sacr. ordin.*, p. 142.) Hæc institutio Christi, et apostolorum traditio, quibus constat presbyteros ad populi utilitatem et sacramentorum dispensationem primum institutos. (*Can. apost.*, 55, 57.)

Tu ergo te omnibus exhibe, cogitans te omnium servum, nec tibi sed cunctis genitum te vivere credas ; datum indoctis doctorem, consolatorem pauperum, solatium oppressorum, patrem orphanorum, defensorem viduarum et omnibus debitorem. Væ ergo illis si non evangelizaverint, necessitas enim illis incumbit. (*I Cor.* IX, 16; PETR. BLES., *De instit. episc.*, c. 4.)

CAPUT XVII.

De vera et religiosa clericorum in parentes pietate, seu de amabili parentum odio, ubi etiam de patriæ fuga.

Levitarum ea fuit olim insignis commendatio, quod, ut Deo obsequium præstarent, pietatis erga patrem, matrem et consanguineos obliviscerentur : *Qui enim dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum.* (*Deut.* XXXIII, 9.) Christus vero discipulis suis loquens : *Si quis*, inquit, *venit ad me et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* (*Luc.* XIV, 26.) *Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filium adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici*

ejus, et qui amat patrem et matrem plus quam me, non est me dignus. (*Matth.* x, 35-37.)

Idem etiam Dominus, cum adolescentem ad se vocasset, dicentem illum : *Permitte me primum ire et sepelire patrem meum*, hac responsione durius excepit : *Sine*, inquit, *ut mortui sepeliant mortuos suos : tu autem vade, et annuntia regnum Dei* (*Luc.* IX, 59, 60), renuentemque et parentum sepeliendorum cura laborantem, indignum esse judicavit quem apostolorum vel discipulorum loco haberet.

Ideo perfectionis non solum Leviticæ sed charismatum meliorum æmulatores clerici, maxime vero sacerdotes discant, ad Christi discipulatum, et ad sequelam Domini in ecclesiastico statu sicut in monastico necessarium esse suorum parentum odium ; quod sancti Patres non solum amabile odium (S. Climac., *Grad.*), et summum pietatis genus (S. Hieron.), sed ipsum Christiani alphabetum vocant.(S. Climac., *Grad.*)

Quale autem debeat esse illud discipulorum Christi in parentes odium facile erit ex sequentibus illorum testimoniis colligere.

Sanctus Basilius (*Epist. ad Chilon.*, et *Quæst. fus. disp.*, interrog. 32) : Si mortuus es cum Christo a cognatis tuis secundum carnem, quid rursus inter ipsos conversari cupis ? etc. Ne igitur ob cognatorum tuorum necessitatem secesseris a loco tuo : nam discedens e loco fortassis ex æquo discedes a moribus tuis....Nec etiam mente distracti huc illucque cogitatione temere rapiamur, simulationeve propinquorum visendorum nostrorum a reliquis fratribus discedamus, etc. Nam iis nullam utilitatem exhibemus : insuper et nostram ipsorum vitam tumultibus et perturbatione replemus, et peccatorum occasione attrahimus. In eo vero summe elaborandum est, ut iis, qui se adhuc in veræ pietatis spatiis exercent, omnes ab omni parte ad peccandum causæ circumcidantur ; in quibus illa est maxima recordatio vitæ superioris, ne quando id illis usu veniat quod dictum est, quod cordibus suis reversi sunt in Ægyptum : quæ res per frequentem cum naturalibus propinquis consuetudinem ac familiarem congressum solet accidere.

Sufficiat igitur illos semel aut bis in anno videre, inquit sanctus Ephræm (*De varia disciplin.*, c. 53) ; sed, et si inutilem illorum conversationem penitus præcideris, melius ages.

Sanctus Hieronymus (epist. 1, *ad Heliod.*, qua ad solitudinem repetendam ipsum hortatur) : Quid facis in paterna domo, delicate miles? Ubi vallum, ubi fossa? Ubi hiems acta sub pellibus? Ecce de cœlo tuba canit, etc. Recordare tirocinii tui diem, quo Christo in baptismate consepultus in sacramenti verba jurasti pro nomine ejus non te patri parciturum esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere, etc. Licet parvulus ex collo pendeat nepos, sparso crine scissisque vestibus, ubera quibus te nutrivit, mater ostendat, in limine pater jaceat ; per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola : pietatis genus est hac in re crudelem esse, etc. Neque vero nescio quo te dicas compede præpediri ; et nos per ista transivimus. Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis ; nunc cum quibus adolevisti, vernaculi, aiunt, Cui nos servituros relinquis ? nunc gerula quondam, jam anus, et nutritius secundus post naturalem pietatem pater clamitat, Morituros paulisper exspecta, et sepeli : forsitan et laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens mammæ lallare congeminet ; dicant, si volunt et grammatici :

> ... In te omnis domus inclinata recumbit.
> (Virg., *Æneid.*, lib. XII, vers. 59.)

Facile rumpit hæc vincula amor Dei et gehennæ timor. At contra Scriptura præcipit parentibus obsequendum ; sed quicunque eos supra Christum amat, perdit animam suam. Gladium tenet hostis, ut me perimat, et de matris lacrymis cogitabo ! Propter patrem Christi militiam deseram, cui sepulturam causa Christi non debeo, quam omnibus alioqui ejus causa debeo ! Domino passuro Petrus timide consulens scandalum fuit. (*Matth.* XVI, 23.) Paulus, retinentibus se fratribus ne Jerusalem pergeret, respondit : *Quid facitis plorantes et conturbantes cor meum ?* (*Act.* XXI, 13.) Aries iste pietatis, quo fides quatitur, Evangelii retundendus est muro : *Mater mea et fratres mei ii sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* (*Matth.* XII, 50.) Si credant in Christum, faveant mihi pro ejus nomine pugnaturo ; si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos, etc. Hæc Hieronymus ad Heliodorum, qui monasticam equidem vitam jam professus fuerat ; sed ejus rationes æque in clericos ac in monachos torqueri possunt, quos carnalis parentum affectus retardat.

Idem Hieronymus Rusticum monachum laudans, quod invita matre institutum monachale amplexus fuerat : Crudelitas, ait, ista pietas est ; imo quid tam pium, quam sanctæ matri sanctum filium custodire ? (S. Hieron., epist. 4, *ad Rustic.*)

Idem filiam quamdam hortatur ad matrem religionis suscipiendæ gratia deserendam his verbis : Si quis, inquit, te carpit, quod virgo, non cures ; quod ideo matrem dimiseris, ut in monasterio inter virgines viveres, talis detractio laus tua est, ubi in Dei puella duritia carpitur, non luxuria : crudelitas ista pietas est, illum matri præferre, quem et animæ præferre juberis, quem si et ipsa prætulerit, et filiam se sentiet, et sororem. (S. Hieron., epist. 47, *ad matrem et filiam de suspect. contubern. vitando.*)

Idem etiam Hieronymus (epist. 3), seu quicunque alius ad Geruntii filias, ejus rei causa a parentibus exhæredatas : Non solum moneo, inquit, sed obtestor, ut si Geruntium pro Christo offendistis, in ea offensione duretis : *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22) ; nam si causa offensionis est Christus, amplexandum est impii patris

elogium, non dolendum, ne a Christo recedamus, cui nos exhæredatio commendat, etc. Quod si vocatæ ad Dominum in imagine Levitarum spiritualibus gladiis corporeos occidistis affectus, quem patrem desideratis? unus est enim Pater noster, qui in cœlis est (*Matth.* XXIII, 9), ac proinde Dominus hæreditas vestra. (*Psal.* XV, 5.) In Christo enim possidendum est quod cum Christo possidendum. Ne revertamini ad mortuum, qui sequimini viventem; mortui, inquit, sepeliunt mortuos suos. (*Matth.* VIII, 22.) At si jam pridem dixistis patri : Non novimus te (*Deut.* XXXIII, 9), ut testamentum Domini servaretis, quid adhuc repudiati patris quæritis testamentum? Hic est ille gladius, qui a Domino per terras patrem a filio separaturus immissus est. Hoc est vere circumcidere naturam cultro petrino, qui Christus est : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X, 4), is utique qui dixit : *Si quis amaverit patrem aut matrem super me, non est me dignus.* (*Matth.* X, 37.) Hoc vos gladio utentes illos imitamini Levitas (*Exod.* XXXII, 27 seq.) ab interiori homine per exteriorís viri castra currentes, obvios affectus pro Domini amore jugulantes, juxta legislatoris imperium, pertranseuntes primum virtutum exercitum cum reditu, videlicet ut præterita transeuntes, nec non sæculi mirabilibus inhærentes, ubi primum ad eum qui nos misit in mundum cum femorali gladio redeamus, resistentes nobis, remorantesque nos, propinquum, proximum fratremque, ne per hos elongetur peregrinatio nostra, perimamus. Et hæc a porta faciamus ad portam, id est, ne cum in oculi porta fratrem fuero persecutus, portam fortasse auris obsideat, et per aliam portam prætermissus occurrat, etc.

Idem denique : In simili causa contristabitur, inquit, pater, sed lætabitur Christus; lugebit familia, sed angeli gratulabuntur. Faciat pater quod vult de substantia : non es ejus cui nata, sed cui renata, et qui te grandi pretio redemit sanguine suo, etc. (S. HIER., epist. 10, *ad Furiam matron.*)

Idem : Sepultura, inquit, non datur patri, et pietatis genus est impium esse pro Domino. (ID., epist. 23).... Et grandis etiam in suos pietas, impietas in Dominum est. (ID., epist. 25, *ad Paulam, De obitu filiæ.*)

Sacerdos magnus, inquit idem sanctus doctor, ad patrem fratremque vel liberos prohibetur accedere, ne videlicet anima Dei sacrificiis vacans et tota in illius mysteriis occupata, aliquo impediatur affectu. (ID., *ad Paulam, De obitu Bles.*, epist. 24.)

Sanctus Hilarius, discipulorum exemplum, qui, relictis omnibus, secuti sunt Dominum, omnibus imitandum proponens, ait : Illis artem et patrias domos relinquentibus docemur Christum secuturi hac et sæcularis vitæ sollicitudine et paternæ domus consuetudine non teneri. (S. HILAR., cap. 3 *in Matth.*)

Sanctus Ambrosius (*in Luc.* XIX) : Quomodo, inquit, maledictus, qui non honorat patrem, religiosus qui deserit? Sed, si advertamus, quia prima causa religionis, secunda pietatis est, enodandam etiam æstimabimus hanc quæstionem : oportet enim ut divinis humana posthabeas : nam si officium parentibus exhibendum est, quanto magis auctori parentum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes. Bonum est illud studium, inquit sanctus Ambrosius (*Ibid.*), sed majus impedimentum : nam qui partitur studium, derivat affectum; qui dividit curam, differt profectum.

Idem etiam sanctus Ambrosius (*De virgin.*, lib. I, in fin.) : Bonum, inquit, si virgini studia parentum quasi flabra pudoris aspirent, sed illud gloriosius, si teneræ ignis ætatis, etiam sine veteribus nutrimentis, sponte se rapiat in fomitem castitatis. Dotem negabunt parentes, sed habes divitem Sponsum, cujus contenta thesauro, patriæ successionis emolumenta non quæras; quanto dotalibus præstat compendiis casta paupertas! et tamen quam audistis propter studium integritatis legitime factam successionis extorrem. Contradicunt parentes, sed volunt vinci; resistunt : 1° quia cedere timent : indignantur frequenter ut discas vincere : abdicationem minantur, ut tentent si potes damna sæculi non timere : quæsitis blandiuntur illecebris, ut videant si variarum mollire te non queat blanditia voluptatum. Exerceris, virgo, dum cogeris : hæc tibi prima certamina, anxia parentum vota proponunt : vince prius, puella, pietatem : si vincis domum, vincis et sæculum, etc.

Idem (*De bono mortis*, cap. 6) : Levitæ fugitantes sunt mundi hujus ut placeant Deo; relinquunt parentes, filios, omnem cognationem, ut adhæreant uni Deo. Denique Abrahæ dictum est : *Exi de cognatione tua*, etc. (*Gen.* XII, 1.) Sed fortasse dicas : Levita non erat; sed habebat in lumbis suis Levi, ut legimus in *Epistola ad Hebræos* (VII, 10). Et Dominus Levitis dicit, cum discipulis suis et apostolis dicit : *Si quis vult venire post me*, etc. (*Matth.* XVI, 24.) Ergo cui Deus portio est nihil curare debet præter Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. Hæc est enim vera sacerdotalis fuga, abdicatio domesticorum, et quædam alienatio charissimorum, ut suis etiam se abneget, qui servire Deo gestit, etc., fugitans enim suorum est sacri altaris minister. Unde Dominus quasi princeps sacerdotum, formam Levitis in Evangelio dans suo ait : *Quæ est mater mea?* etc. (*Matth.* XII, 48.)

Ideo idem sanctus Ambrosius (*in Exod.* XXXII), loquens de Levitis ex præcepto Moysis fratres et propinquos post adorationem vituli aurei occidentibus : Neque vero, inquit, aliquid durum videtur pro vindicta injuriæ cœlestis. Quod occidi fecit a proximis proximos, filios a parentibus, a fratribus fratres, præceptum evidens, quia præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati; ea enim est vera pietas quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Levitarum, quorum portio Deus (*Num.* XVIII, 20); nesciunt enim suis

parcere, qui nihil suum norunt, quoniam sanctis omnia Deus..... Percussus igitur Levitico gladio moriatur sensus carnis in nobis ut vivat anima nostra. (S. Ambros., *De fuga sæculi*, c. 2.)

Favet et Cyrillus Alexandrinus (*in Luc.* IX), Volens, inquit, consulere proximos, non consensuros huic proposito (deserendæ scilicet sæcularis vitæ), judicat se ubicunque labentem : propter quod Dominus improbat, sequitur enim ; ait ad illum Jesus. *Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei.* (*Luc.* IX, 62.) Apposuit manum aratro, qui affectus est ad sequendum ; tamen respicit retro qui dilationem petit occasione redeundi ad domum, et cum propinquis consulendi. Non hoc invenimus fecisse apostolos, qui protinus, omissa navicula et parentibus, secuti sunt Christum ; sed et Paulus statim non acquievit carni et sanguini. Tales decet esse volentes sequi Christum, etc. Et postea : Discipulus ille non petiit quod patrem jam defunctum sepeliret, sed adhuc viventem in senectute sustentaret usquequo sepeliretur, quod Dominus non concessit, quia erant alii qui ejus curam habere poterant linea parentelæ astricti.

Sanctus Chrysostomus (hom. 28 *in Matth.*) : Dominus enim ipse, inquit, non quia despiciendi sunt parentes abire vetuit, sed quia discere nos hinc voluit, nihil esse utilius magisque necessarium nobis doctrina cœlesti, et si magna sunt, quæ urgeant, incumbere tamen omni diligentia atque vigilare debeamus. Quid enim majus videatur, quam, dum sepeliuntur parentes, adesse? quid enim facilius, aut quid breviori tempore peragi potest? Quod si nunc ad tam breve tempus propter sepeliendos parentes abesse a spiritualibus vetitum est, perpende quo supplicio digni sunt, qui semper ab iis quæ digna sunt Christo absunt ; qui vilia nimirum atque abjecta sæcularium rerum negotia necessariis anteponunt, nullo urgente, etc. Paulo post vero subdit ; Multo melius est regnum promulgare, et mortuos suscitare, quam mortuum sepelire, ideoque uno spreto alteri vacare possumus.

Sane, inquit ibidem sanctus Chrysostomus, experientia didici eos qui vocantur ad sequelam Christi, si testamentis suorum se implicent, ad plures annos retardari, fieri sæculares et perdere vocationem.

Sanctus Augustinus (serm. 8 *De verbis Domini*) : Honorandus est pater, sed obediendum est Deo ; amandus est generator, sed præponendus est Creator. Ego, inquit, ad Evangelium te voco, ad aliud opus mihi necessarius es : majus est hoc quam quod vis facere : *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* (*Matth.* VIII, 22.) Pater tuus mortuus est, sunt alii mortui, qui sepeliant mortuos,,,. Nolite anteriora posterioribus subdere.... Amate parentes, sed præponite Deum parentibus... Vocat te Oriens, et tu attendis Occidentem... Quando Dominus parat hominem Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis hujus temporalisque pietatis. (*Ibid.*, serm. 7.)

Sed fusius audiamus Augustinum (epist. 38), sive Paulinum, *Epistola ad Lætum*, ubi totus in eo est, ut ecclesiasticum statum piis erga parentes officiis præferendum esse, et ipsis invitis licite suscipi posse demonstret : ubi scilicet vocatus quis a Deo, Ecclesiæ necessitate, vel utilitate allectus, populorum salutem, Dei gloriam, parentum desideriis ac voluptati præponit. Sic enim matris affectu Lætum ab eo subeundo retardatum alloquitur sanctus ille Pater : Nam unde te nunc irretitum involvit, et ab instituto cursu retardatum reflectit et curvat, nisi ex quo tua propria mater est? etc. Quod ergo tu illi etiam carnali necessitudine annecteris, ad sortem valere debet familiarius alloquendi, et apertiore janua consulendi, ut hoc ipsum, quod te privatim diligit, hoc interficiatur in ea ; ne quod ex utero suo te genuit, pluris pendat, quam quod ex utero Ecclesiæ genita est tecum, etc. Et paulo post : De parentibus rectissime dicitur, ut qui eos amat perdat ; non more parricidarum interficiens, sed spirituali gladio, verbo Dei, carnalem affectum eorum, quo et seipsos, et eos quos genuerunt irritamentis hujus sæculi obligare conantur, pie fidenterque percutiens et occidens, illud in iis vivere faciat quo fratres sunt, quo cum filiis suis temporalibus parentes æternos Deum Ecclesiamque cognoscunt. Ecce rapit te studium veritatis cognoscendæ percipiendæque voluntatis Dei in Scripturis sanctis, rapit evangelicæ prædicationis officium ; dat signum Dominus ut vigilemus in castris, ut reædificemus turrim, de qua hostem sempiternæ vitæ et prospicere et propellere valeamus. Rapit militem Christi tuba cœlestis, tuba ad prælium, et retinet mater, non plane qualis Machabæorum, nec saltem similis Lacedæmoniis matribus, de quibus memoriæ traditum est, quod filios suos, ut pro terrena patria sanguinem funderent, multo amplius atque ardentius ad certamina bellica, quam signorum sonitus excitabant. Nam mater quæ te ad discendam vitam removeri a curis sæcularibus non permittit, satis ostendit, quemadmodum te, si opus esset ad obeundam mortem, penitus sæculum repudiare permitteret. Sed quid dicit aut quid allegat? Forte dicet illos menses quibus viscera ejus onerasti, et dolores parturitionis ac labores educationis? Hoc, hoc interfice verbo salutari, hoc perde matris, ut in vitam æternam invenias eam : hoc memento ut oderis in ea, si diligis eam, si tiro Christi es, si turris fundamenta posuisti, nec dicant transeuntes : *Hic homo cœpit ædificare et non potuit perficere.* (*Luc.* XIV, 30.) Carnalis affectus est iste, et adhuc veterem hominem sentit : hunc carnalem affectum et in nobis et in nostris militia Christiana, ut perimamus, hortatur. Nec tamen ut ingratus sit quisque parentibus, et eadem ipse beneficia, quibus in vitam hanc editus, susceptus, atque nutritus est, enumerata derideat ; servet potius ubique pietatem : habeant hæc locum,

ubi majora non vocant. Mater Ecclesia, mater etiam est matris tuæ; hæc nos de Christo concepit, hæc martyrum sanguine parturivit, hæc in sempiternam lucem peperit, hæc fidei lacte nutrivit, et nutrit, cibosque majores præparans. Quod adhuc parvuli et sine dentibus vagire vultis, horrescit; hæc mater toto orbe diffusa tam variis et multiplicibus errorum infestationibus agitatur, ut abortivi jam filii ejus adversus eam belligerare non dubitent... Ignavia etiam atque torpore quorumdam membra sua frigescere plurimis in locis, et fovendis parvulis minus idonea fieri dolet. Unde nisi per alios filios? Unde nisi per alia membra, quorum e numero es, justum ac debitum poscit auxilium? Hujus tu necessitates deserens ad carnalia verba converteris. Nonne hæc gravioribus querelis insonat auribus? Nonne hæc chariora viscera, et cœlestia ubera ostentat? Adde viri ejus susceptionem carnis, ne carnalibus inhæreres, et a Verbo æterno universa, quæ tibi mater improperat, ne his implicareris, assumpta. Adde contumelias, flagella, mortem, mortem autem crucis. Talibus concepte seminibus, talique in vitam novam connubio procreate, languescis et contabescis in veterem hominem! Itane matrem terrenam non habebat Imperator tuus? Quæ tamen cum ei nuntiaretur cœlestia agenti, respondit : *Quæ mihi mater, aut qui fratres?* (*Matth.* XII, 48.) Et extendens manum in discipulos suos, dixit, non pertinere ad cognationem, nisi qui facerent voluntatem Patris ejus; in quo numero profecto ipsam sanctam Mariam benignus inclusit; faciebat enim et illa voluntatem Patris ejus. Ita optimus Magister atque divinus maternum nomen quod ei tanquam privatum propriumque nuntiaverant, quia terrenum erat in comparatione cœlestis propinquitatis abjecit, et eamdem cœlestem propinquitatem in discipulis suis commemorans, quos sibi rursum consortio generis cum cæteris sanctis virgo illa cohæreret, ostendit; et ne saluberrimo magisterio, qua contemni carnalem affectum in parentibus docuit, adminiculum error acciperet, quo matrem habuisse a quibusdam negatur, alio loco (*Matth.* XXIII, 9) discipulos monuit, ne se patrem in terris dicant habere; ut quomodo illos manifestum est habuisse patres, sic se habuisse matrem manifestaret, cujus tamen terrena cognatione contempta, contemnendarum talium necessitudinum discipulis præberet exemplum. Hæc ergo interrumpuntur vocibus matris tuæ? Et inter hæc locum invenit commemoratio prægnantis atque lactantis, ut de Adam et Eva alius Adam nascereris atque nutrireris? Respice potius, respice Adam secundum de cœlo: et porta jam cœlestis imaginem sicut terreni portasti. Imo et hic habeant locum materna beneficia, quæ tibi ad enervationem cordis enumerantur : habeant prorsus locum, noli esse ingratus : repende gratiam matri tuæ : repende spiritualia pro carnalibus, pro temporalibus sempiterna. Si quis non vult sequi, non impediat : non vult converti in melius, caveat ne in deterius pervertat et evertat. Sanctus Joannes Climacus (grad. 3) : Solet, inquit, et hæc cogitatio ab ipso statim principio, Domini sectatoribus tanquam igne cœlesti succensis, assidue vehementerque obstrepere et incumbere, sejunctio et separatio a suis, etc. Cum etiam post desertam Christi causa domum et domesticos, nos ipsos per fugam patriæ rerum cœlestium studio vendiderimus, tum per insomnia nos cacodæmones perturbare conantur, dum nobis domesticorum imagines repræsentant, et vel lamentantes exhibent, vel morientes, vel nostra causa afflictos, vel incommodis mactatos objectant, etc..... Quando vero a familiaribus unum alterumve aut complures annos sejuncti, qualem qualem in solitudine pietatis fructum retulimus, etc., tum nobis ineptæ mox cogitationes de repetenda patria occursant, ubi multis, quos ante morum pravitate offendimus, exemplo vitæ, novaque vivendi ratione, ad imitationem promoveamus. Quod si qua nobis dicendi facultas aut aliqua rerum cognitio inerit, tum nos eximios aliorum magistros et doctores ductoresque salutis in populo fore prædicant, uti collectum in portu thesaurum in pelagus spargamus. Lotum, non uxorem Loti imitari studeamus. (*Gen.* XIX, 26.) Nam quicunque ad ea, unde abiit, revertitur, tanquam sal infatuabitur, et deinceps, ut statua illa, immotus obdurescet. Ægyptum sine spe reditionis fuge; nam quorum animi cordaque illuc reversa sunt, sedem pacis et tranquillitatis Jerusalem non viderunt, etc. Præstat offendere parentes quam Dominum parentum : hic enim te formavit et liberavit; illi sæpe, quos dilexerunt, perdidere, æternisque inferorum cruciatibus tradidere, etc. Quemadmodum aliis omnibus in rebus, ita in hac quoque re Dominus nobis magister et exemplum exstitit. Videtur enim et ipse sæpe parentes suos reliquisse : nam cum a quibusdam audiret : *Mater tua et fratres tui quærunt te* (*Marc.* III, 32), optimus Magister et præceptor noster extemplo odium absque odio et sine malo affectu nobis exemplo ostendit, dicens : *Mater mea et fratres mei sunt qui faciunt voluntatem Patris mei.* (*Ibid.*, 35.) Pater tuus sit qui te possit et velit ab onere peccatorum levare; mater compunctio, frater tecum collaborans ad cœlestem cursum perficiendum. Quære tibi conjugem nunquam separandam, assiduam mortis meditationem. Nati tui charissimi sint perpetui gemitus cordis; servus tuus sit corpus tuum; amici cœlitum legiones, etc. *Hæc est generatio quærentium Dominum.* (*Psal.* XXXIII, 6.) Desiderium cœli desiderium exstinxit parentum, seu affectus Dei parentum excludit affectum. Qui jactat se utrumque possidere, seipsum fallit, cum audiat Dominum dicentem : *Nemo potest duobus dominis servire.* (*Matth.* VI, 24.)

Et non veni pacem mittere parentum erga filios, et fratres, sed bellum et gladium, ut separem cultores Dei ab amatoribus mundi, etc. (*Matth.* X, 34, 35.) Delectatur enim Dominus hac dissensione et secessione sua causa fa-ta, etc. Non te parentum et amicorum lacrymæ moveant, ne in æternum plo-

res. Quando illi te velut apum examina, imo vesparum cinxerint, tuique super te velut lessum et lamentationem instituerint, extemplo animum pertinaciter ad mortis meditationem et labores transfer, ut laborem labore tanquam clavo pellas. Pollicentur nobis montes aureos, etc., ut nos ab optimo salutis cursu præpediant, ac demum ad sua studia votaque pertrahant, etc.

Idem sanctus Climacus (grad. 3) : Vehemens est erga quemcunque propinquorum affectus qui nos sensim ad mundum potest retrahere, et salutaris ignem luctus penitus exstinguere.

Idem : Quemadmodum fieri non potest, ut altero oculorum cœlum, altero terram respiciamus ; ita nulla ratione penitus fieri potest, ut is qui non perfecte penitusque omnibus charis, seu domesticis, seu quibuscunque aliis corpore et anima renuntiat, non ultimum salutis et animæ discrimen adeat.

Sed quid de avunculi dicam malitia, inquit Bernardus (epist. 2, *ad Fulconem puerum, postea Lingonens. archidiac.*), qui a Christi militia retrahit nepotes suos, ut secum trahat ad inferos? Itane solet beare amicos? Quos Christus vocat secum in æternum mansuros, avunculus revocat secum in æternum arsuros. Miror si jam ei Christus non irascatur, et dicat (*Matth.* XXIII, 37, 38) : *Quoties volui congregare* nepotes *tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur tibi domus tua deserta.* Christus dicit : *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* (*Marc.* X, 14.) Avunculus ait : Sinite nepotes meos ut ardeant mecum. Christus dicit : Mei sunt, ego eos redemi : Sed ego, inquit avunculus, eos nutrivi. Tu quidem, ait Christus, eos nutrivisti, sed pane meo, non tuo. Ego vero redemi non sanguine tuo, sed meo. Sic carnalis avunculus contra Patrem spirituum pro nepotibus certat, quos dum bonis cupit onerare terrenis, cœlestibus exhæredat.

Nunquid quod de illius avunculi malitia dicit sanctus Bernardus, hoc de aliis ut plurimum dici potest?

Quos ergo adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. (S. GREG., hom. 27 *in Evang.*)

Barbari, inquit Clemens Alexandrinus (*Protreptico ad Græcos*), dicuntur cadaveribus alligare captivos, donec cum illis putrescant, etc. Cave ne idem tibi contingat : ne te barbarus dæmon alliget amicis, vel consanguineis, donec cum illis putrescas : *Dimitte ergo mortuos sepelire mortuos suos.* (*Matth.* VIII, 22.)

Sunt enim plerique, inquit Gregorius (*Moral.* lib. VII, c. 14, *in* VI *cap. B. Job*), qui non solum aliena non appetunt, verum etiam cuncta, quæ possederant in mundo, derelinquunt, semetipsos despiciunt, nullam præsentis vitæ gloriam requirunt, ab hujus mundi se actibus separant, et pene quidquid prosperitatis arriserit, calcant : sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiscrete deserviunt, ad ea sæpe per affectum cognationis redeunt, quæ jam et cum proprio despectu subegerunt. Cumque plus quam necesse est carnis propinquos diligunt, retracti exterius, a cordis parente dividuntur. Nam sæpe quosdam videmus, quantum ad proprium studium spectat, jam præsentis vitæ desideria non habere, mundum et opere et professione reliquisse ; sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum prætoria irrumpere, terrenarum rerum jurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, et mundi studia in se jamdudum destructa reparare. Quo itaque isti, nisi in rete ambulant, quos a præsenti sæculo inchoata jam vitæ perfectio solverat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat? Qui enim districto studio et non dissolutis gressibus æternæ sponsionis præmium sequuntur, sicut semetipsos pro divino amore despiciunt, sic cuncta, quibus se sentiunt præpediri, postponunt : et cum pro Deo necesse est, ut quibus valent cunctis inserviant, pro Deo privata obsequia etiam propinquis negant. Hoc est enim quod quidam, cum diceret : *Permitte mihi primum ire et sepelire patrem meum*, protinus ex ore Veritatis audivit : *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei.* (*Luc.* IX, 59, 60.) Qua in re notandum est, quia electus discipulus, dum a parentis sepultura compescitur, hoc devotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu carnali propter Dominum non licet, quod propter Dominum et exteris debet. Hinc rursus Veritas dicit : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* (*Luc.* XIV, 26.) Quo in loco videlicet dum propinquorum odio, animæ quoque nostræ odium subinfertur, patenter ostenditur, quia sic propinquos, sicut nosmetipsos odio habere præcipimur, ut hos ad æterna rapientes, eorumque carnalem gratiam, cum præpedit, postponentes, discamus temperata eos discretionis arte et convenienter diligere, et salubriter odio habere, quatenus sic sciat per amorem odium surgere ut valeamus eos verius per odium amare.

Sanctus Bernardus (serm. 64 *in Cantic.*) super hæc verba (*Cant.* II, 15) : *Capite nobis vulpes parvulas :* Vidi ego hominem currentem bene et ecce cogitatio (quidni vulpecula fuit?), quantum, inquit, bonum, quo solus fruor? si essem in patria, possem utique impartiri fratribus, et cognatis, et amicis ; amant me et facile acquiescerent suadenti, etc. Nec verendum in nos immutationem : nam dum bene faciam, quid interest ubi? etc. Quid plura? It et perit miser non tam exsul ad patriam, quam canis reversus ad vomitum, et se perdidit infelix, et suorum acquisivit neminem.

Multi, inquit Isidorus (lib. I *De summo bono*), amore parentum non solum terrenis curis, sed etiam forensibus jurgiis involuti sunt, et pro suorum temporali salute suas animas perdiderunt.

Unde Petrus Blesensis epistolam scribens ad clericum jam ætate provectum (epist. 11), quem pa-

rentes ab ingressu religionis, quam voverat, retardabant, ea scribit, quibus quam vana sit in iis rebus parentum excusatio, aperte ostendit. Scio, inquit, quia parentes tui te retrahunt a proposito meliori. Non differat, quæso, non evacuet propositum tuum conversionis proditoria et seductrix affectio parentelæ. Noli eos diligere contra Christum, quos teneris odio habere pro Christo.

Multi pro parentibus suis animas perdiderunt, quorum occasione mundus, qui in eis aruerat, denuo revirescit, atque divitias et cætera impedimenta salutis, quibus se exoneraverant, affectant aliis, tanquam eis prodesse credant ea, quæ sibi esse nociva pro certo cognoverant. Nunquid quod damnabile est uni, alteri est salutare? Nunquid gaudia viventium solatia sunt mortuorum? Impius est qui animæ suæ pro parentibus est crudelis, majoremque temeritatem hac nemo habet, quam ut animam suam ponat quis ita periculose pro amicis suis... (*Joan.* xv, 13.) Et melius sane est ut et propinquitate et emolumentis carnalibus careas, quam dum vis lucrifacere cognatos et necessarios, causam habeas ruinarum. (S. Hieron., *in Matth.*, lib. II, super hæc verba (*Matth.* v, 30) : *Si manus*, etc., *scandalizat te*, etc.

Dicat igitur quilibet cum sancto Bernardo in quadam epistola (epist. 111), scripta nomine Eliæ cujusdam monachi ad parentes, quibus invitis ille monasticæ sese disciplinæ manciparat. Sola causa, inquit, qua non liceat obedire parentibus, Deus est ; ipse enim dicit : *Qui amat patrem suum, et matrem plus quam me, non est me dignus.* (*Matth.* x, 37.) Si me vere ut boni, ut pii parentes diligitis ; si veram, si fidelem erga filium pietatem habetis, quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, et ab ejus servitio, cui servire regnare est, retrahere attentatis? Vere nunc cognosco *quia inimici hominis domestici ejus.* (*Ibid.*, 36.) In hoc vobis obedire non debeo : in hoc non agnosco parentes sed hostes : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem meum atque vestrum* (*Joan.* xiv, 28; xx, 17), imo universorum Patrem ; alioquin quid mihi et vobis? etc.

Quando de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus ; postquam relinquimus nosmetipsos, ab eorum conversatione liberi sumus... (S. Bern., serm. 2 *De mutatione aquæ in vinum.*)

Et sicut vaccæ amore vitulorum suorum mugiebant, et tamen non declinabant ad dexteram neque ad sinistram, sed recto tramite incedebant (*I Reg.* vi, 12) ; ita servi Dei recto tramite incedere debent, et pro amore parentum suorum non debent neque ad dexteram, neque ad sinistram declinare a bono opere vel proposito, sed recto itinere usque Bethsamet, id est, usque ad introitum cœlestis regni pervenire. Et sicut vaccæ pro filiis suis mugiendo pergebant, ita convenit servis Dei pro parentibus suis mugire, id est, pro eis Dominum orare... non tamen cum iis commorari, aut inter ipsos Christum requirere... Quomodo enim te, o bone Jesu, inter meos cognatos inveniam, qui inter tuos minime es inventus? inquit sanctus Bernardus. (S. Bonav., part. I *Specul. discipl. ad novit.*, cap. 23, num. 3; ex S. Bernardo, c. 7 *De modo bene vivendi.*)

Omnem ergo humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, unde malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant.... (*Concil. Trid.*, sess. 25, cap. 1, *De reform.*) Illorum lacrymas ac luctus, ut diaboli illecebram, et ad Deum ferentis impedimenta rejiciant.. (S. Greg. Naz., orat. 18, loquens de Cypriano martyre.) Et in corde non atramento, sed spiritu Dei vivi insculptum ferant, quod in Pii IV Summi Pontificis stemmate inscriptum legitur : *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero..... et emundabor a delicto maximo.* (*Psal.* xviii, 14.)

CAPUT XVIII.

Munai curas et sæcularia negotia fugiat.

Semper decuit, et bonum Deo visum est totum mundum a duobus ministris regi optime et gubernari, sacerdote scilicet et rege. Desertio ergo utriusque muneris mali totius labes est, dum laicus, quæ clerici sunt, et clerici quæ sunt laici, peragere curant, et sic eorum nemo suum peragit officium, quo fit ut diutius harmonia constare non possit.(*Convent. Melodun.* ann. 1579, *De sacramentis.*)

Cum igitur sacerdotes et principes a recto tramite devient, dum et principalis potestas, diversis occasionibus intervenientibus, secus quam auctoritas divina se habeat, in causas ecclesiasticas prosilit, et sacerdotes partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate in sæcularibus negotiis et sollicitudinibus sæculi, ultra quam debuerant, et aliter quam divina auctoritas doceat, se occupant.... (*Conc. Parisien.*, sub Ludovico Pio, lib. III, cap. 26; et *conc. Aquisgran.* II, part. IV, cap. 14.)

Tanto sit remotus a sacris omnis mundanarum rerum administrator, quanto quemlibet ex catalogo clericorum et militantium Deo, nullis convenit negotiis sæcularibus implicari. (Nicolaus Papa, *ad Michaelem imper.*)

Clericorum enim status, quia laicorum ordini dignitate præponitur, et morum honestate ac vitæ spectabilitate, ut sidera in hoc Ecclesiæ cœlo debet præfulgere ; hinc eis sæcularia pertractare negotia canonum vetustis legibus prohibetur. (*Synod. Massens.* ann. 1626.)

Audiant ergo singuli pro muneris debito illud Pauli : *In omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple...* (*II Tim.* IV, 5.) Et iterum : *Labora ut bonus miles Christi. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus...* (*II Tim.* II, 3, 4 ; *convent. Melodun.* ann. 1579.) Ut sic sui nominis memores clerici, quo continue admonentur se a curis mundi sequestratos, et in sortem Domini vocatos esse.... (*Ephes.* I, 11 ; *conc. Camerac.* ann. 1586), sæcularia officia negotiaque abjiciant... (*Conc. Mo-*

guntin. ann. 813), sicque placeant ei cui se probaverunt... (*II Tim.* II, 4.)

Ecclesiasticus siquidem idcirco se probat, inquit Ambrosius (*in II Epist. ad Tim.* c II) ut huic devotus officium impleat, quod spopondit, in Dei rebus sollicitus, a sæculari negotio alienus.

Et non solum clerici qui ab episcopo in servorum Dei numerum ascripti, mundo et pompis ejus renuntiaverunt, sed multo magis decet sacerdotes, qui altiora tractant, sacramenta Ecclesiæ ministrant, mentes a mundo et iis quæ sunt mundi abducere. In hunc enim finem Christus Dominus apostolos de mundo non esse dixit, cum tamen eos de mundo elegisset (*Joan.* XV, 19), nec ad terrena desideria reverterentur, qui semel sacerdotes facti fuissent. (*Conc. Bituric.* ann. 1584, tit. 26, *De sacerdotib.*)

Ideo negotiis sæcularibus.... (*II Tim.* II, 4; *Synod. Perus.* ann. 1575) aut profanis nullo modo sese immisceant... (*Conc. Burdig.* ann. 1583) ; nec sæculi curas assumant... (cap. *Spiritus*, dist. 88); aut officia vel commercia sæcularia exerceant.... (*Conc. Lateran.* IV ann. 1215.) *Nemo enim potest duobus dominis servire, Deo et mammonæ.* (*Matth.* VI, 24 ; Petr. Blesens., in *Canon. episcopali*, seu *De institutione episc., Joanni Wigorniensi episcopo.*)

Unde Petrus Blesensis (*Ibid.*) cuidam clerico, sacerdoti, episcopo : Non ergo excidat a te, inquit, quomodo in tonsura capitis quando electus es in sortem Domini, renuntiasti ignominiæ laicali. In die autem consecrationis tuæ super abrenuntiatione sæcularium emisisti vota, quæ distinxerunt labia tua. Alligatus es verbis oris tui, ubi ad consecrantis interrogationem sine exceptione aliqua promisisti quod de cætero a terrenis negotiis et a turpibus lucris te alienares, tuamque sollicitudinem divinis semper negotiis mancipares. Quid tibi ad fiscales reditus, ut vel horula brevi curam posthabeas animarum?... Duobus constat totum presbyterorum ministerium, quorum alterum est, ut in commissum sibi populum Deum reddere propitium nitantur piis precibus ac sacrificiis, etc.; alterum, ut sint religionis magistri meditantes in lege Domini die ac nocte... Quid ergo tibi cum rebus et curis sæculi? Quid adhuc sæcularia tractas, qui nihil amplius habere debes commune cum mundo?... (*Conv. Melod.* ann. 1579.) Impietatis crimen est, inquit Clemens (epist. 1, *ad Jacobum frat. Domini*), neglectis verbi Dei studiis, sollicitudines suscipere sæculares... Et hæc res sacerdotem vilem reddit, et reverentiam sacerdotalem annihilat... (23) Unde sancti viri nequaquam occupationum sæcularium curas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gerunt... (*Conc. Aquisgran.*, cap. 18; ex S. Isidor., l. III *De summo bono*, cap. 33.) Quis enim curans res mundanas, et immergens se distractionibus, Dei sermonibus intentus esse potest? (S. Basil., *in psal.* XLV.)

Sacerdotem ergo oportet irreprehensibiliter vivere, et summo studio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjiciat, ne in ulla aliqua occupatione prorsus inveniatur mundialis officii occasione perplexus, et præfocatus præsentibus hominum curis non possit verbo Dei vacare... (Clemens Alex., ubi supra.) Animam siquidem his labyrinthis intricatam necesse est ancillari, et ad terrenorum inquietudinem diffundi, ut cum Jeremia dicat (*Thren.* II, 11) : *Effusa sunt in terram viscera mea.* (Petr. Blesens., epist. 5.)

Igitur qui Deo militat implicare se negotiis sæcularibus prohibeatur.... (*Conc. Mediol.* I, cap. *De negotiis sæcular. a clerico fugiend.*) Et quia curarum sæcularium abjectio optimum est Christiani, multo magis clerici alphabetum... (S. Climac., grad. 26); idcirco edicimus :

1° Ne clericus sacris initiatus aut ecclesiastico beneficio præditus coram judice sæculari aut advocati, aut procuratoris nomine causas agat, nisi ab aliis in judicium vocatus, suam vel Ecclesiæ suæ, propinquorum, etiam si necesse erit, et miserabilium personarum causas ab episcopo facultate prius scripto concessa tueatur. (*Conc. Mediol.* I, *ibid.*)

Sic enim Alexander III (in *Conc. Lateran.*, cap. 12) : Clerici in subdiaconatu, et in minoribus quoque ordinibus, si stipendiis ecclesiasticis sustentantur, coram judice sæculari advocati in negotiis fieri non præsumant, nisi propriam vel Ecclesiæ suæ causam fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, quæ proprias causas administrare non possunt...

Et concilium Narbonense (ann. 1609) : Sacerdotes, inquit, coram judice sæculari causas non agant ut advocati aut procuratores, præterquam suas, pauperum, parentum, aut Ecclesiarum in quibus obtinent beneficia, et hoc gratis : gratis enim postulare et patrocinium impendere debent... (*conc. Senon.* ann. 1524) ; ac pro amore Dei, et de licentia episcopi... (*Conc. Narbon.* supr.) Non sint ergo advocati, inquit synodus Carnotensis (ann. 1526), aut procuratores in foro sæculari, nisi pro se vel suis, aut miserabilibus personis... Nec in causis forensibus se venales exponant, aut patrocinium cuiquam publice præstare præsumant... (*Conc. Andegaven.* ann. 1229.) Si enim cavere debent a processibus et litibus (*servum* siquidem *Dei non oportet litigare* [*II Tim.* II, 24]) ; multo magis a forensi, a procuratoris aut causidici munere, nisi quantum per canones licet, abstinere debent... (*Convent. Melodun.* ann. 1579.) Sed nec sint etiam judices... Nec etiam jurisdictiones sæculares sub aliquibus principibus, vel sæcularibus viris, ut justitiarii eorum fiant, clericorum quisquam assumere præsumat. (*Synod. Carnot.* ann. 1526; Alex. III, in *Conc. Lateran.* III.)

2° Ne in profanis negotiis exerceant officium... (*Conc. Mediol.* I), et commercia tabellionatus... Sic enim debent sacerdotes et clerici abs-

(23) S. Gregor., præcipiens ut sacerdos quidam a negotiis sæcularibus quibus vacabat separaretur. Refertur dist. 88.

tinere a sæcularibus negotiis, ut non sint tabelliones sæculares nec exerceant officium notariatus curiæ sæcularis... (*Conc. Senon.* ann. 1525.) Nam et cum nullus, qui Deo militat, se implicare debeat negotiis sæcularibus (*II Tim.* II, 4), ut ei placeat, qui ipsum ad militiam elegit, et non possit quis Deo servire et mammonæ (*Luc.* XVI, 13), non debent esse tabelliones sæculares in sacris constituti, sed nec mercatores, nec etiam receptam seu procurationem gerere alicujus domini temporalis. (*Synod. Carnot.* ann. 1526.)

3° Ab omni etiam genere mercaturæ omnino abstineant, neque in negotiationibus et mercaturis se interpretes aut medios interponant... (*Conc. Mediol.* I; *conc. Bituric.* 1585; *Conc. Aquens.* 1585.) Et quia plurimi clericorum negotiationibus inhonestis et lucris turpibus imminent, nullo pudore cernentes evangelicam lectionem, qua ipse Dominus noster negotiatores e templo verberatos flagellis asseritur expulisse; nec Apostoli verba recolentes, quibus ait: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4); Psalmistam quoque David, surda dissimulantes aure cantantem : *Quoniam non cognovi* negotiationes, *introibo in potentias Domini.* (*Psal.* LXX, 16.) Proinde hujusmodi aut ab indignis posthac quæstibus noverint abstinendum, et ab omni cujuslibet negotiationis ingenio vel cupiditate cessandum, aut in quocunque gradu sint positi, mox a clericalibus officiis abstinere cogantur, quoniam domus Dei, domus orationis et esse debet, et dici, ne officina negotiationis, et spelunca potius sit latronum. (GELASIUS, epist. 1, cap. 17, apud *Conc. Aquisgran.*, cap. 93; refert. dist. 88, c. 2.)

Negotiationem igitur fugiant clerici... (*Conc. Burdig.* ann. 1583.) *Non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo*, inquit propheta... (*Zachar.* XIV, 21.) Et si quis turpis lucri gratia aliquod genus negotiationis exercuerit, depositus a clero a communione alienus habeatur. (*Conc. Arelat.* II, c. 14.) Unde non sint propolæ empta ex professo vendentes... (*Conc. Narbon.* ann. 1609.) Nec etiam emendi vilius, sed vendendi carius studio utatur, quicunque in clero esse voluerit : et qui hæc voluerit exercere, cohibeatur e clero, hoc enim canonum statutis firmatum est (*Conc. Tarracon.*, c. 2) ut omnis negotiatio sæcularis de rebus emendis vilius et carius distribuendis sit sacerdotibus interdicta. (*Synod. Lingon.* ann. 1404.)

Ideoque et si quando sacerdotes fruges vel quosdam reditus terræ congregant et protelant, non ideo hoc faciant ut carius vendant, et thesauros congregent... (*Conc. Cabillon.*, sub Carolo, c. 8); negotiatorem enim clericum ex inope divitem, ex ignobili gloriosum quasi quamdam pestem fugiendum esse declarant sancti... (*Conc. Aquisgran.*, c. 94; ex HIERON., *ad Nepotian.*); sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant. (*Conc. Cabillon.*, supra.)

4° Ne etiam aliena prædia lucri causa, aut possessiones alienas... (*Conc. Mediol.* I, et *Burdig.* 1583) ; aut proventus conducant... (*Conc. Rem.* 1583) ; nec se eorum locationibus immisceant... (*Conc. Narbon.* 1609) ; aut ullo modo villici fiant... (*Synod. Perusin.* 1575; *Conc. Cabillon.* XII, sub Carolo) ; aut conductores... (*Conc. Hippon.*, c. 17); nec aliorum prædiorum coloni aut redemptores... (*Conc. Bituric.* 1584.) Non debet sacerdos conductor, aut procurator esse rerum sæcularium, neque negotium quodcunque illud sit, exercere... (*Synod. Lingon.* 1404) ; sed nec prædia ecclesiastica, aut decimas ipsi, vel per interpositas personas conducere, aut cum ipsis conductoribus aliquo modo participare, minusque ab eis aliquid eo nomine accipere. (*Conc. Bitur.* 1585 ; *Synod. Aquens.* 1585.)

Episcopus enim, inquit concilium Chalcedonense (c. 3; add. *conc. Paris.* sub Ludov. et Lothario, lib. I, c. 28), clericus, monachus ne aliena prædia conducat, neque tractet administrationem rerum sæcularium, nisi ex legibus ad tutelam impuberum inexcusabilem vocetur; aut si episcopus urbis ei commiserit curam rerum ecclesiasticarum, aut orphanorum, pupillorum, vel viduarum, et earum personarum quæ ecclesiastico auxilio indigent, contraveniens ecclesiasticis pœnis subjaceat.

Et synodus Nicæna : Decrevit, inquit, sancta synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, nisi propter causam pupillorum, et orphanorum, ac viduarum, aut si forte episcopus civitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat. (Refert. dist. 88, cap. 1.)

Concilium etiam Carthaginense III (c. 15) : Episcopi, presbyteri, diaconi conductores vel procuratores non fiant, neque ex aliquo turpi vel inhonesto quæstu cibum parent; scriptum est enim : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* (*II Tim.* II, 4.)

Unde concilium Aquisgranense (*Conc. Aquisgr.* II, c. 8, sub Ludov. Pio) : De illis, inquit, presbyteris, qui contra statuta canonum villici fiunt, turpia lucra sectantur, etc., observandum judicavimus, ut abhinc districte severiterque coerceantur, ne per illicitam eorum et indecentem actionem et ministerium sacerdotale vituperetur, et quibus debuerant esse in eorum exemplum, deveniant in scandalum.

Si quis ergo clericus conductor alienæ rei voluerit esse, depositus a clero, a communione alienus habeatur. (*Conc. Arelat.* II, c. 14.)

5° Sed nec aliorum tutelam aut curam suscipiant..... Singuli enim divino sacerdotio honorati et in clericali ministerio constituti, non nisi altari, et sacrificiis deservire, et precibus atque orationibus vacare debent. Scriptum est enim (*II Tim.* II, 4): *Nemo militans Deo implicat se curis sæcularibus, ut possit placere ei cui se probavit.* (*Conc. Mediolan.* I, *ibid.*, et *Syn. Aquens.* ann. 1585; S. CYPRIAN., l. I, ep. 9; refert. cap. *Cyprian.* 21, q. 3.)

Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis molestiis et curis sæcularibus obligari non debent, qui divinis rebus et spiritualibus occupati, et ab Ecclesia recedere, et ad terrenos et sæculares actus vacare non possunt. Cujus ordinationis ac religionis formam Levitæ prius in lege tenuerunt. Nam Levitica tribus, quæ templo et altari, et divinis ministeriis vacabat... nihil de portione terræ perciperet; sed aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret, et ab aliis tribubus decimis et primitiis sustentaretur. Quod totum fiebat de auctoritate et dispensatione divina, ut qui operationibus divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare aut agere sæcularia cogerentur.

Quæ nunc ratio et forma in clero tenetur, ut qui in Ecclesia Dei ad ordinationem clericalem promoventur, nullo modo ab administratione divina, nec ab altari et sacrificiis recedant; sed die ac nocte cœlestibus rebus ac spiritualibus exercitiis serviant. Quod episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes censuerunt, et in concilio statuerunt, ne quis de clericis et Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo nominaret. Et si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari, qui ab altari sacerdotes et Dei ministros voluit avocare.

Ne ergo ad aliorum tutelam curamve nominentur clerici... (*Conc. Aquens.* ann. 1585); sed nec tutelam curamve... (*Conc. Melodun.* ann. 1579, *De sacramento ordinis*); seu curatelam etiam nepotum suscipiant... (*Conc. Aquens., ibid.*): nisi intuitu pietatis... aut religionis causa, aut nisi necessitas aliud suadeat.... (*Conc. Melodun., ibid.*) Sed nec episcopus vel sacerdos tuitionem testamentorum suscipiat, aut ullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni et orationi, et verbo prædicationis tantummodo vacet. (*Conc. Carthag.*)

6° Nec pro aliis etiam fidejubeant... (*Conc. Mediolan.* I.) Fidejussiones enim cum sæcularibus vel de re sæculari, sicut negotiationes, mercaturæ, alienæ rei procurationes, alienorum tutela, advocationes, et alia hujusmodi cum clericorum vita et studiis consentire nemo affirmarit : Clericum siquidem, qui a sæculo discessit, in sortem Domini ascitus (*Ephes.* I, 11), sæculi adhuc negotia appetere non decet. (*Conc. Aquileiense* I, *De vita et honest. cleric.*)

7° Nec publicis se administrationibus immittant... (can. 80 apostolorum); vel alicujus principis, aut alterius negotiorum procuratores sint sine facultate episcopi, etc.... (*Conc. Mediol.* I); nec etiam rei domesticæ administrationem suscipiant. Non enim clerici, aut sacerdotis est a rebus ecclesiasticis animum abducere, ut laicis consulat, ne plus foris quam domi sapere videatur... (*Conc. Narbon.* ann. 1551, can. 21.) Laicorum ergo negotiis tractandis omnino abstineant clerici, neque eis se medios, aut interpretes adhibeant... (*Synod. Aquens.* ann. 1585.) Apostolorum enim statuta sunt quæ dicunt : *Nemo militans Deo ingerit se negotiis sæcularibus.* (*II Tim.* II, 4.) Qui ergo serviunt Deo, et annexi sunt clero, non accedant ad actus seu administrationem, vel procurationem domorum, etc. Proinde aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum. (*Conc. Carthag.* I, cap. 6.)

Nullatenus siquidem habent potestatem qui principum domorum, aut suburbanarum rerum curam gesserint, inter clerum magnæ Ecclesiæ colligi vel constitui : nemo quippe Deo militans sæcularibus negotiis implicatur. (*Synod.* VIII *general.*, cap. 13.)

Quia vero multoties accidit quod personæ ecclesiasticæ negotia exercendo per dominos sæculares aliquoties comprimuntur, quod cedit in vituperium totius ordinis clericalis... (Carol., Lingon. episc., in synod. ann. 1421); nemo (deinceps) laicorum presbyteros ecclesiarum suarum turpi villicationi, et secundum Apostolum (*II Tim.* II, 4) sæculari et inhonestæ negotiationi implicare, nec secum aliorsum contra auctoritatem præsumat ducere, quo ministerium sibi commissum cogatur negligere. (*Conc. Melden.*, cap. 49.)

Præcipimus vero omnibus et singulis capellanis, curatis et non curatis, et aliis beneficiatis ne fiant ministri laicorum, receptores, procuratores, neque notarii sæculares, etc., neque gubernatores seu administratores cujuscunque jurisdictionis temporalis pro domino temporali. (Carol. Lingon. in syn. supra.)

Ne igitur quicunque viri ecclesiastici de cætero habeant accipere seu exercere aliquod onus receptionis seu procurationis quorumcunque dominorum temporalium contra sanctorum Patrum decreta negotiis sæcularibus se immiscendo... (Philipp. Lingon., in synod. ann. 1452); aut etiam villarum procurationes vel jurisdictiones sæculares assumant... (*Conc. Senon.* ann. 1524.) Procuratores enim ac dispensatores domorum alienarum, atque villarum, quomodo possunt esse clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates? (*Conc. Aquisgr.*, cap. 94, in fine, ex S. Hieron., *ad Nepotian.*) Unde *Canon. apostolorum* (81, al. 80). Si episcopus vel presbyter versetur in publicis administrationibus, aut cesset aut deponatur... Nec oportet episcopum, aut presbyterum, aut diaconum publicis se administrationibus immittere, sed vacare et commodum se præbere usibus ecclesiasticis : in animum ergo inducant hæc facere, aut deponantur..... (*Ibid.*

Et in concilio Lateranensi, c. 12 : Si quis clericorum, inquit Alexander III, procurationes villarum, aut jurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus principibus vel sæcularibus viris, ut justitiarii eorum fiant, assumere præsumat, quoniam contra doctrinam Apostoli est : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4), et sæculariter agit, ab ecclesiastico fiat ministerio alienus, pro eo quod

officio clericali neglecto fluctibus sæculi, ut potentibus sæculi placeat, se immergit.

8° Ne parum memores ordinis et dignitatis suæ sint in famulatu laicorum etiam principum, etc... (*Conc. Mediol.* I, p. II, tit. *De negotiis sæcularibus.*) Nemo enim qui se strenuissimum sub tutissimo Christi imperatoris vexillo militem obtulit, negotiis sæcularium animum involvere debet, ut ei placeat, quem omni admiratione dignum et quovis honore colendum ducem elegit. Itaque æquissima ratione id postulante, prohibet concilium Narbonense clericis omnibus, maxime presbyteris, ne suæ dignitatis immemores in ædibus laicorum, aut viduarum cujuscunque status, conditionis et honoris fuerint, in maximum totius cleri probrum et dedecus seipsos suasque actiones venales exponant; et quia turpissimum est quos sibi ministrare Deus voluit, domesticis laicorum sordibus contaminari, caveant sedulo clerici ne pincernarum, coquorum, stabulariorum, hippocrinorum, cæterisque hujusmodi sordidis officiis fungantur... (*Conc. Narbon.*, can. 28; ann. 1551.)

Unde concilium Burdigalense (ann. 1583) : Ab omni, inquit, turpi et vili ministerio abstineant; ideoque nemo clericus in alicujus familia sit procurator, dispensator, auceps, venator, promus, cellarius, coquus...; neve aliud ecclesiastica dignitate indignum ministerium exerceat.., aut profanis negotiis se immisceat.

Et concilium Remense (ann. 1583) : Ne clerici sacris initiati aut beneficiati se suamque operam laicis quantumvis nobilibus addicant, ad rerum domesticarum dispensationem, negotiorum civilium procurationem, cellæ vinariæ vel annonæ regimen, aut aliquid aliud vile indecorumque suo ordini ministerium, etc.

Synodus etiam Rothomagensis : Ne sint, inquit, curati, et alii presbyteri in alienis præsertim laicorum familiis rerum domesticarum dispensatores, et œconomi, aut sæcularium rerum ministri, aut litium præter quam ecclesiasticorum sive miserabilium, viduarum et pupillorum procuratores et promotores, etc. Nec ad voluptatem, nec ad scurrilitatem cuiquam inserviant.

Concilium Turonense (ann. 1588) a Gregorio XIII approbatum : Cum, inquit, prospiciat concilium quamplures ecclesiasticos in contemptum sacrorum canonum sæcularibus negotiis se immiscere, nobilium et aliorum laicorum procurare negotia, firmas sæcularium administrare, mercaturis, nundinatorum more, instare, ipsis etiam laicis domestice famulari et inservire, inhibet hæc synodus, ne cujusvis ordinis ecclesiastici talia in posterum quovis quæsito colore sub pœna perpetuæ depositionis exercere audeant.

Concilium tandem Narbonense (ann. 1609, *De vita et honestate cler.*): Divinum, inquit, quod a sacerdotibus exercetur, vituperatur ministerium, dum ab illis quibus subditur populus, etiam vilia et sordida servitia exercentur, et quos sibi ministrare Deus voluit, domesticis laicorum sordibus contaminantur. Caveant igitur clerici ne pincernarum, coquorum, stabulariorum, cæterisque hujusmodi sordidis officiis fungantur, imo nec rei domesticæ vel familiaris administrationem suscipiant laicorum, nec causis litibusque persequendis eorum quibus serviunt dent operam, aut aliorum nomine, quod districtius sub anathemate prohibemus.

9° Ne præcursores aut asseclæ feminarum, aut eis discumbentibus assistant, aut ancillentur, neve ullo pacto mancipes exsistant...(*Conc. Mediol.* I, supr.) Valde enim indecens et inhonestum est ac in maximam cleri redundat ignominiam clericum vel sacerdotem ventris aut cupiditatis gratia fieri atque jactari laicorum mancipium, ac sæpe mulierum deambulonem aut procuratorem, vel domus laicæ præfectum, et eos quos gregis Dominici decebat esse duces, fieri totius populi caudas, et turpissimæ alligari servituti, proh dolor ! (*Conc. Burdig.* ann. 1583.)

10° Ne artem medendi faciat... (*Conc. Mediol.* I, sup., p. II, *De negotiis sæcular.*), nec ullam chirurgiæ partem subdiaconus, diaconus, vel sacerdos exerceant, quæ ad ustionem, vel incisionem inducit. (Innoc. III, in *Conc. Lateran.*, c. 18.)

11° Quia vero multa sunt negotia sæcularia, et de his pauca perstringimus, ad quæ etiam pertinet omnis libido, non solum in immunditia carnis, sed etiam in omni concupiscentia carnali, quidquid plus justo appetit homo, verbi gratia, turpe lucrum, munera injusta accipere, vel etiam dare, pro aliquo sæculari quæstu pretio aliquem conducere, contentiones et lites, vel rixas amare, in placitis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum, aut viduarum, conductores aut procuratores esse sæcularium, turpis verbi vel facti jaculatorem esse, vel jocum sæcularem diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens proposito suo quærere, in deliciis vivere velle, etc., canes et aves sequi, etc. Ecce talia et his similia ministris altaris Domini, necnon et monachis omnino interdicimus, de quibus dicit Apostolus (*II Tim.* II, 4) : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus...* (*Conc. Mogunt.*, c. 14, ann. 813.)

Et generaliter omnia sæcularia negotia sacerdotibus sint interdicta, nisi inveniantur permissa. (*Synod. Lingon.* ann. 1404.)

12° Clericum tandem nemo occupet ab his studiis, per quæ salus hominibus datur. (S. Clemens Papa, cap. *Te quidem*, 11, q. 1.)

Et quoniam inter cætera quæ religioni Christianæ adversa sunt, hoc nihilominus contrarium et periculosum exstat, quod quorumdam prælatorum temerario ausu, qui sibi licere putant quod non licet, et expedire quod non expedit, Ecclesiæ suis ad tempus viduantur sacerdotibus ; quoniam si quid eis in forensibus negotiis agendum, si quid jam in diversis aliis partibus nuntiandum occasio ne-

cessitatis opponit, id potius per sacerdotes Domini currentes et discurrentes, quam per alios effici præcipiunt, etc. Proinde omnibus etiam prælatis cavendum est, ne illicita sibi presbyterorum transmissione animarum suarum habeant damnationem. (*Conc. Paris.* ann. 829, lib. I, c. 29.)

Presbyteri porro qui non sui prælati imperio coacti, sed potius voluptatum suarum delectatione, imo avaritiæ æstuatione succensi id facere præsumunt, perpendant necesse est quam luctuosam descriptionem Jeremias propheta Dei describat : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color ejus optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?* (*Thren.* IV, 1.) Quod divus Gregorius in *Pastorali* sic exponit : Quid namque auro, quod metallis cæteris præeminet, nisi excellentia sanctitatis? quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reverentia religionis exprimitur? quid sanctuarii lapidibus, nisi sacrorum ordinum personæ significantur? etc.

Aurum igitur obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur... Et cum sacerdotum vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus per terrena et abjecta opera ad ignominiam despectionis venit ... (S. Greg., hom. 17 *in Evang.*)

Nos ergo, fratres charissimi, nos sumus lapides sanctuarii, qui apparere debemus in secreto Dei : quos nunquam necesse est foris conspici, id est nunquam in extraneis actionibus videri. Sed *dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum,* quia hi qui per vitam probam et orationem intus semper esse debuerant, per vitam foris vacant. Dum ergo in sancto habitu constituti exteriora sunt quæ exhibent, quasi sanctuarii lapides foris jacent... Et in plateis sunt cum lata itinera sectantur. Nec solum in plateis, sed et in capite platearum dispersi sunt, etc., quia et jacent per ministerium operis et honorari volunt de imagine sanctitatis. (*Ibid.*)

CAPUT XIX.

Quinque puncta serio clericis meditanda : 1° dignitas status clericalis ; 2° gravitas offensionis ; 3° difficultas conversionis ; 4° severitas punitionis ; 5° paucitas salvandorum.

Dignum est, inquit sanctus Ambrosius (*De dignit. sacerd.*, c. 2), ut dignitas sacerdotalis prius noscatur a nobis, deinde servetur a nobis, ut Psalmographi sententia queat repelli a nobis : *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* (*Psal.* XLVIII, 13.)

Grave autem pondus esse sacerdotii monet Gregorius (epist. 39, lib. I, indict. 1) : Prius quippe est sacerdoti necesse, ut cæteris ad exemplum vivat, ac deinde servandum, ut mentem per ostensa exempla non elevet.

(Sed quia) grave pondus (ut cum Bernardo loquar), grave est periculum istius honoris ; gradus quippe iste, gradus casualis est, gradus judicialis est, nisi meritis illustretur dignitas unctionis, nobilitate morum, exercitatione virtutum et instantia bonorum operum.

Impense cavendum est, ne, quod verebatur Ambrosius (*De dignitat. sacerd.*, c. 3), sit deifica professio et illicita actio ; ne sit religiosus amictus, et irreligiosus provectus ; ne sit gradus excelsus, et deformis excessus ; ne habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, et conscientia sacerdotis reperiatur humilior ; ne professionem monstremus ovinam, et ferocitatem habeamus lupinam... Monstruosa siquidem res, gradus summus, et animus infimus ; sedes prima, et vita ima, lingua magniloqua, et manus otiosa ; sermo multus, et fructus nullus ; vultus gravis, et actus levis ; ingens auctoritas, et nutans stabilitas. (S. Bern., lib. II *De consid.*, c. 7.)

1° Ergo enitendum toto animi conatu, totoque studio, ut digne noscamus quid sumus, et quod sumus professione magis quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, crimen immane. (S. Ambros., *ibid.*)

Perpendendum est etiam ordinando ne dignitatem eximiam cum adeptus fuerit, turpi eam conversatione commaculet. Ut enim ait sanctus Thomas (2-2, q 184, a. 8), gravius peccat cæteris paribus clericus in sacris ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis religiosus, qui non habet ordinem sacrum ; majora enim facit crimina sublimitas dignitatis, inquit Hilarius Papa (epist. 3, *ad Lothar.*), et reatu majore delinquit, qui potiore honore delinquit.

Unde, sicut nihil est sacerdote excellentius, sic nihil est miserabilius, si de tanta vita periclitetur ; si sacerdos in crimine teneatur : quia ut levius est de plano corruere, sicque gravius est de sublimi cadere dignitate : quia ruina quæ de alto est, gravi casu colliditur. (S. Ambros., *De dignit. sacerd.*, c. 3.) Grandis ergo dignitas sacerdotum, inquit Hieronymus (lib. XIII, *in cap.* XLIII *Ezechiel.*), sed grandis ruina eorum, si peccent. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum ; non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimi corruisse.

Quod confirmans Augustinus ait : Sicut nihil est in hac vita beatius presbyteri dignitate, si eo modo militetur, quo imperator Christus noster jubet ; ita nihil est apud Deum tristius, miserabilius et damnabilius, si perfunctorie atque adulatorie res agatur.

Et Chrysostomus : Homo Christianus fortiter cadit in peccato aut propter magnitudinem peccati, ut puta, si laicus homicidium fecerit ; aut propter altitudinem dignitatis, ut puta, si sit clericus, etc. Clerici enim, etsi pondus peccati non habeant, id est, etsi grande peccatum non fecerint, sed leve, tamen fortiter pereunt propter altitudinem dignitatis. (S. Chrysost., hom. 46 *Oper. imp.*)

Nam, ut egregie ait Petrus Chrysologus (serm. 25, *De fidel. dispens.*), quanto altius ascenderit homo lapsus, tanto altius cadet. Quid altius cœlo ? De cœlo cadit, qui in cœlestibus delinquit ; desperatus incurrit, qui in ipsis dominantis oculis offendit ; et excusatione caret, qui facinus ipso judice teste committit, etc. Sic diabolus cum esset angelus et in cœlo, et coram Deo, etc Sic dispensator verbi, qui ante Dominum stat jugiter, versatur inter altaria semper, neque a Dei oculis recedit unquam, ex homine totus in angelum substitutus, non potest, nisi in ipsa Dei facie, inter Sancta sanctorum peccare.

Unde Bernardus (*Serm. ad clerum*, in conc. Remens.) : *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.* (*Psal.* LXXXI, 6, 7.) Unde cadetis, et quo ? De latere Domini in profundum inferni.

Ideo sanctus Gregorius (hom. 5 *in Evang.*) : Qui, inquit, plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquod cernimur, ab Auctore mundi gravius inde judicamur : cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Gravius autem illud judicium describens sanctus Bernardus (Serm. in hæc verba *Matth.* XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia*) : In clero, inquit, tanquam in cœlo gerens iniqua, quid nisi de ministerio judicetur? Cœleste tenet officium : *Angelus* etenim *Domini exercituum* factus *est* (*Malach.* II, 7), tanquam angelus aut eligitur, aut reprobatur. Inventa quippe in angelis pravitas et districtius judicetur necesse est et inexorabilius quam humana. Ideoque Chrysostomus (hom. 3 *in Act.*) : Si pecces privatim, nihil tale passurus es ; si in sacerdotio, periisti.

Unde et illud : Clericos presbyteratui præsertim initiandos attente considerare velim formidandum divinæ punitionis genus ipsis imminere, si peccaverint : quod nempe ubi Deum deseruerint, ita a Deo deseri soleant, ut vix ad meliorem redeant frugem. Peccavit clericus, peccavit presbyter, pœnitentiæ quidem patet aditus quo peccata commissa eluat, sed pœnitendi raro subit affectus. (D. HALIER., *Monit. ad ordinandos.*)

Quid enim non essent indurato corde, qui adeo ad peccata ruentes perfractæ fuerunt audaciæ, et induratæ mentis, ut divinis monitis, quæ quotidie legunt, audiuntque, aures obturarent, frequentioribus divinis vocibus cor occluderent, gratiæ sacerdotii efficacissimæ resisterent, nec divinorum ministeriorum quæ quotidie pertractant, nec dignitatis eximiæ, quam habent, veneratione continerentur ; nec pudore, nec infamia, nec populorum scandalo a peccando deterrerentur ?

Adde quod, ut habet Hieronymus (epist. 1 *ad Heliodor.*), monachus si ceciderit (dicam et laicus) orabit pro eo sacerdos, pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est ? (Qui nempe, teste Paulo : *Ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* [*Hebr.* V, 1.]) Quantum ergo periculum, ne postquam peccaverit, ille pereat, cui cavere incumbit ne alii pereant.

Quis aliquando, inquit Chrysostomus (hom. 40, *in cap.* XXI *Matth., Oper. imperf.*), vidit clericum cito pœnitentiam agentem ? Sed, etsi deprehensus humiliaverit, non ideo dolet quia peccavit, sed quia confunditur, quia perdidit gloriam suam. Putasne Deus quasi crudelis pœnitentiam denegavit dicens : *Si sal infatuatum fuerit, in quo condietur?* (*Matth.* V, 13), sed quasi naturalem rem considerans, quia non est qui doceat illum errantem, qui errantes alios corrigebat.

Sæcularis homo, inquit idem sanctus (*Ibid.*), post peccatum facile ad pœnitentiam venit : nam occupatus negligentia sæculari, dum Scripturis non satis attendit, semper ei, quæ in Scripturis posita sunt, nova videntur ; ideoque cum audit aliquid de gloria sanctorum, aut de pœna peccatorum, quasi novum aliquid audiens expavescit : dumque aut bona concupiscit, aut mala timet, compunctus ad pœnitentiam cito decurrit. Nihil autem impossibilius quam illum corrigere, qui omnia scit, et tamen contemnens bonum, diligit malum. Omnia enim quæcunque sunt in Scripturis propter quotidianam meditationem, ante oculos ejus inveterata et vilia æstimantur. Nam quidquid ibi terribile est, usu vilescit. Propterea clericus, qui semper meditatur Scripturas, aut omnino observaturus est, et erit perfectus : aut, si semel cœperit illas contemnere, nunquam excitatur in illis ut terreat.

Unde idem sanctus : Alii, inquit (hom. 15 *in Matth.*), si sæpe delinquant, possunt tamen ad veniam pervenire ; si vero hoc magister ipse patiatur, omni excusatione privabitur, et supplicia extrema persolvet... Erubescit siquidem aliquando fieri reus, qui semper fuerat judex. (*Ibid.*)

Nolim tamen ut clericus dicat cum Cain : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* (*Gen.* IV, 13.) Ausim tamen dicere majorem esse debere clerici integritatem, quam ut eam post commissum crimen in totum reparandam esse confidam, majoremque peccantis clerici, et pertinaciorem iniquitatem esse, quam ut communiter ab eo non ficta resipiscentia speretur. (S. CHRYSOST. *in Matth.*)

Quid enim non violabit? quo non prorumpet temeraria ejus audacia, qui sanguinem Testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est ? qui nec sibi infamiam, nec populo scandalum, nec ordini divinissimo ignominiam, nec cœlestibus sacramentis, quorum minister est, injuriam metuit ; qui nec Christo fidem, nec Ecclesiæ sponsionem servavit.

Nihil tam sanctum, nihil tam religiosum esse de cætero potest, quod furentem ejus peccandi libidinem compescere possit, qui sanctissimam dignitatem contempserit, sacratissimum officium dehonestarit, angelicum ministerium turpi conversatione contaminarit, inhabitantem in se Spiritum sanctum

rejecerit, ejus templum fœde profanarit, polluerit.

Toto in scelera ruat impetu necesse est, quem a peccando nec officii religio, nec status sui sanctitas, nec solemnis Christo sponsio, nec universi populi salus, nec pudor, nec verecundia retardarunt.

4° Considerent clerici quod hinc fit ut in facinorosos clericos totus se divinus furor effundere soleat, et in ipsos tam in hac quam in altera vita divina grassari copiosius vindicta videatur.

Potentes enim, inquit Scriptura, *potenter tormenta patientur.* (*Sap.* VI, 7.) Unde Chrysostomus (hom. 27, *in cap.* VIII *Matth.*) : Non pariter, inquit, commissa in omnibus accipienda sunt : *qui enim novit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit plagis multis* (*Luc.* XII, 47). Unde plurimarum rerum cognitio acerbiores peccatorum efficit pœnas. Ideo sacerdos si pariter cum subditis peccat, non eadem, sed multo acerbiora patietur... judicium scilicet multiplex accepturus... et si reddenda unicuique est ratio de his quæ quisque gessit in corpore suo : heu! quid fiet de his quæ quisque gessit in corpore Christi *quod est Ecclesia !* (Coloss I, 24; Bernard., *Serm. ad cler.*, in conc. Remensi.)

Vide quam severum se præstiterit Deus erga Nadab et Abiud, quod prima vice qua sacrificatorum officio functi fuerant, alienum ignem obtulissent, quos ideo cœlitus ignis continuo depastus est. (*Num.* III, 4.)

Quam inopina morte punitus Oza Levites, quod cadentem arcam testamenti non sanctificatis manibus sustulisset. (*II Reg.* VI, 6, 7.)

Quam graviter Heli ac filios ejus divina justitia punierit, quod hi populo sacrificanti molesti, turpi quæstui intensius et importunius, quam par esset, studerent, ille nimia in filios indulgentia usus, eos a vitiis non revocasset. (*I Reg.* IV, 18; II, 22-24.)

Quantis, Deus bone, quantis nostro sæculo malis, et quam inopinis mortibus plures ex cleri etiam proceribus nobis videntibus miserabiliter vexatos, ereptosque meminisse possumus!

Sane si credimus sancto Bernardo (*Serm. in psal.* XC : *Qui habitat*, etc.) quod quinto loco attente debent omnes perpendere : *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX, 16), etiam inter ipsos clericos...

Ideo sanctus Chrysostomus non ficte, non obiter, non inconsulto, non rhetorica amplificatione : sed serio, sed ex animo, sed mature, sed ex rei veritate loqui se profitetur, cum ait : Non temere dico, sed ut affectus sum et sentio : non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant : in causa est quoniam res excelsum requirit animum, et innumeris oculis opus illi undique.

Tremenda sane sententia quam nec audire sine timore, nec legere sine horrore, nec attentius cogitare sine lacrymis sapientes possunt. Horreamus audientes divinorum judiciorum sacratissimum interpretem, nosque mature prolata Chrysostomi ista verba fructuoso timore percellant.

Pauci sunt, inquiebat sanctus doctor, sacerdotes qui salvi fiant; quid ergo de hujus sæculi sacerdotibus et de nobis diceret, quorum optimus quisque vix alicui ex pessimis illius temporis est conferendus, qui clericatum otii gratia quærimus? qui statum perfectissimum imperfecti temere, inconsulto apprehendimus, qui officii nostri functiones vel ignoramus, vel ex contemptu rejicimus, quos nulla disciplina coercet, nullus ordo complectitur, nullæ leges erudiunt aut refrenant? etc.

Neque vero multum abest ab hac divi Chrysostomi sententia revelatio ista, quam a Deo viro cuidam sancto et pio factam refert Dionysius Carthusianus. (*De quatuor novissimis.*) Vidit ille purgatorii pœnas, unumque inter cætera demiratus est, quod cum multi ex omni conditione hominum flammis ultricibus purgarentur, pauci sacerdotes locum inter eos habere viderentur; cujus rei rationem ab angelo ductore sciscitatus, audivit, paucos sacerdotes dedi purgantibus flammis, quod fere omnes ex ipsis morientes continuo aut gloria æterna, aut æterna supplicia manerent. Si quos vero ad locum purgatorium mitti contingeret, ipsos ocissime transire per ignem, nec in eo diutius detineri, quia nempe adeo excelsa est sacerdotis dignitas, ut qui eam pravis actionibus commaculant, vix pœnitentiæ locum coram Deo inveniant; ideoque miseri ad inferos æternum puniendi detrudantur. Qui vero congruentem sacerdotali statui vitam degerint, nihil mirum est si vel penitus purgatorii pœnas evadant, vel ex iis brevi liberentur, qui non multa expianda habeant cum magnæ dignitati pares esse non potuerint, nisi qui magna excelluerint sanctitate.

Hæc velim ab ordinandis serio cogitari : sicut et sacerdotum damnatorum horrenda supplicia; etenim, si beatæ Brigittæ revelationibus (l. I, c. 47, 48) credimus, parva sunt reliquorum damnatorum supplicia, præ iis, quibus sacerdos in inferno plectitur. Quod consonat Hieronymi sententiæ (*in Isa.* XXVIII) : Vulgus, inquit, indoctum in die judicii tanquam gith et cyminum corripietur virga et baculo, sacerdotes magnis suppliciis torquebuntur : et hoc Domini fiet judicio, qui ostendit in cunctis mirabile consilium suum et justitiæ veritatem, ut qui plus acceperint, plus exigatur ab eis. Ideoque juxta Bernardum, sacerdotes judicium multiplex accepturi sunt.

Timeamus ergo vehementer, fratres charissimi, inquit Gregorius (hom. 17 *in Evang.*), et curemus ut conveniat actioni nostræ ipsum ministerium nostrum; de nostra quotidie relaxatione cogitemus; consideremus sine cessatione quid simus, nempe sacerdotes; pensemus negotium nostrum; pensemus pondus quod suscepimus; faciamus quotidie nobiscum rationes quas cum judice nostro habebimus; ut simus semper *parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet.* (*Luc.* XII, 40.)

Quapropter, fratres, quia non dignitas, ut inquit

Hieronymus (*in Sophon.* III), sed opus dignitatis sacerdotes salvare consuevit : *Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis ; sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.* (*II Petr.* I, 10, 11.)

—

APPENDIX

De scientia sacris altarium ministris necessaria.

Pones, inquit Deus ad Moysen, *in rationali judicii doctrinam et veritatem, quæ erunt in pectore Aaron.* (*Exod.* XXVIII, 30.) In sacerdotis pectore, inquit Hieronymus (*in Malach.* II), rationale est, et in rationali doctrina et veritas ponitur, ut discamus sacerdotem doctum esse debere et præconem veritatis... *Ut* scilicet *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (*Tit.* I, 9)... ac revincere... (HIER., *hic.*) Unde Apostolus scientiam in illo requirens ait : *Oportet doctorem esse.* (*I Tim.* III, 2.) *Labia* siquidem *sacerdotis*, inquit Dominus per prophetam, *custodiunt scientiam, et legem requirent de ore ejus.* (*Malach.* II, 7.)

Ideo in basibus, id est in sacerdotibus, cherubim exprimuntur, quia decet ut sacerdotum pectora plenitudine scientiæ sint referta. (S. GREG., *Hom.*)

Unde hac dote carens, frustra sibi, tanquam per Christum introierit, blanditur (S. BERN., *Declam.*), siquidem dicitur ignoranti : *Si cæcus cæco ducatum præstet, nonne ambo in foveam cadunt?* (*Matth.* XV, 14); et : *Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus ; et tenentes legem nescierunt me.* (*Jerem.* II, 8.) *Ipsi prophetæ et pastores abierunt in terram quam ignoraverunt.* (*Jerem.* XIV, 18.) Ignorantia igitur, mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. (*Conc. Tolet.* IV, c. 24; refert. dist. 36, c. *Ignorantia.*)

Quid enim periculi sit ubi non invenit pastor pascua, ignorat dux itineris viam, vicarius nescit Domini voluntatem, Ecclesia quotidie multipliciter et miserabiliter experitur. (S. BERN., *Declam.*, c. 6.) Per sacerdotum quippe imperitiam plebs indocta deperit... Hinc : *Erraverunt cæci in plateis, cumque non possent, tenuerunt lacinias.* (*Thren.* IV, 14.)

Hinc : *Unaquæque gens fabricata est deum suum, posueruntque eos in fanis excelsis.* (*IV Reg.* XVII, 29 ; S. PETR. DAM., *Contra ignorant. cleric.*, Præfat.)

Propterea etiam captivus ductus est populus Dei. Nam quia non habuit scientiam et nobiles ejus interierunt fame et multitudo ejus siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, etc. (*Isa.* V, 13, 14.) *Speculatores enim ejus cæci omnes, nescierunt universi ; canes muti non valentes latrare.* (*Isa.* LVI, 10.)

Unde verbum lamentationis prophetæ est... *Grex perditus factus est populus : pastores eorum seduxerunt eos.* (*Jerem* L 6.)

Ideoque et Dominus in Evangelio : *Si lumen*, inquit, *quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt.* (*Matth.* VI, 23.)

Unde ignorantiæ tenebris involutos tanquam irregulares jus divinum a sacerdotio rejicit... *Quia*, inquit Dominus per Oseam, *tu scientiam repulisti et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi...* (*Osee* IV, 6.) Et in lege, cæcus ad ministerium Dei prohibetur accedere... *Homo*, inquit, *de semine tuo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus ; si cæcus fuerit*, etc. (*Levit.* XXI, 17, 18.)

Ineptus siquidem est ad sacerdotium qui spiritualiter cæcus est, et cujus mens non divino lumine illustratur, etc. (S. CYRILL. Alex., lib. XII *De sacerd.*)

Ideo 1°... Nullus ad sacra mysteria tractanda veniat indoctus, aut ignorantiæ tenebris cæcutiens, sed solus accedat, quem morum innocentia et litterarum splendor reddunt illustrem. Aliter ordinaturis et ordinandis imminet in posterum Dei et ejus Ecclesiæ vindicta. (*Conc. Toletan.*, *ibid.*)

Duo quippe faciunt sacerdotem, virtus et scientia ; et unum sine altero prodesse non potest... (LACTANT.) Tam enim doctrina quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor ; nam, sicut doctrina sine vita arrogantem reddit, ita vita sine doctrina inutilem facit... (*Conc. Aquisgran.*, can. 2, ex sancto Isidoro.) Litteras siquidem mortis suæ portant viri litterati, qui sciunt et docent, et non faciunt ; istæ sunt litteræ sine sigillo, id est scientia sine vita, et ideo non creditur eis. (S. THOM. putatus, Præf. in *Epist. canonic.*)

Porro, si in laicis intolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis qui præsunt, nec excusatione digna est nec venia. (S. LEO.)

Unde absurdum est eos qui cæteros simpliciores et laicos habent docere, quibus et disciplinæ et vitæ debent esse quoddam speculum, ad alicujus ordinis vel dignitatis promoveri statum, qui legem ignorant, nec litterarum saltem mediocritate sunt insigniti. (*Conc. Toletan.* VIII, c. 8, juxta edit. Garciæ.)

Ideoque statuit Gelasius (8, quæst. 1) ut nullus præsumat ad clericatus ordinem illitteratos promovere, quia litteris carens sacris non potest aptus esse mysteriis... et qui in ordinem sacerdotalem talem inducunt, ii ex mente sancti Dionysii (inf. cit.) ... in ovile Dominicum non pastorem, sed lupum immittunt ; non ovium Dominicarum custodem, sed fallacem ac ridiculum fraudatorem.

Idolum etiam tristitiæ et mœroris est prælatus illitteratus et fatuus, qui in ira Dei et populi desolatione eligitur, et quasi idolum eligitur, ut veniat quod legitur in Matthæo : *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*, id est in Ecclesia, *tunc væ prægnantibus et nutrientibus* (*Matth.* XXIV, 15, 19) : illi enim qui spem salutis conceperunt exemplo talium suffocantur. Qui vero vitæ cœlestis alimenta petebant, nullo verbi divini pabulo sustentantur : *Parvuli*, inquit propheta, *petierunt panem*,

et non erat qui frangeret eis. (*Thren.* IV, 4 ; PETR. Blesens., serm. 23.)

Qui ergo nihil didicit aliorum doctor non efficiatur : quasi enim æs sonans, aut cymbalum tinniens (*I Cor.* XIII, 1), usurpat prædicantis officium, cum sit truncus inutilis et idolum mutum. (*Ibid.*)

Porro, si sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profecto penitus abhorret a sacerdotum ordine atque facúltate is qui illustrandi vi non est præditus, ac multo magis qui illustratus non est ; atque mihi videtur temerarius, qui sibi sumit quæ sunt propria sacerdotum ; neque metu et pudore a divinorum tractatione, præter captum et mentem, deterretur. (S. DIONYS., epist. 8, *ad Demophilum.*)

Si ergo episcopus, inquit Clemens Rom. (*Const. apostolic.* lib. VIII, c. 2), ignorantia, aut malo animo oppletus sit, episcopus est, sed falsus episcopus, non a Deo, sed ab hominibus promotus.

2° Non plus sapiat quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem... (*Eccle.* VII, 17; *Rom.* XII, 3.) *Mel invenisti*, inquit Proverbium, *comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.* (*Prov.* XXV, 16.) Satiatus mel evomit, qui plus appetens penetrare quam cupit, et illud perdit, unde potuit enutriri... Et *sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis opprimitur a gloria*, etc. (*Ibid.*, 27); unde oportet quædam considerata intelligere et quædam non intellecta venerari, ut et quæ intelligunt veneranter teneant, et quæ necdum intelligunt, humiliter exspectent. (S. GREG., *Moral.*, lib. XVI, c. 2; lib. XIV, c. 12.)

3° (Quia vero) ignorantia Scripturarum Christi est ignorantia.... arcendus est a sacerdotio, qui non sincere exaudire potest sacras potissimum litteras... Petro enim et successoribus ejus præcipitur ducere in altum rete (*Luc.* V, 14), id est, profundam sacræ Scripturæ intelligentiam in capturam hominum aperire, etc. Et prælati est erudire subditos, reddere populum acceptabilem Deo, aperiendo mysteria Scripturarum... (Unde) sacræ Scripturæ prorsus expertes, onus importabile dignitatis usurpant, de aliena potius quam de sua scientia præsumentes. Alia erat Apostoli discipulum instruentis : Tibi, inquit (*II Tim* III, 10 seqq.), commendo, fili Timothee, regere Ecclesiam Dei, secundum quod novi te scientiam habere sacrarum litterarum. Scientia siquidem spiritualis gladius est in manu potentis. (*Psal.* CXXVI, 4.) Hæc est pera in qua David tres limpidissimos lapides posuit, quibus Goliath prostravit. (*I Reg.* XVII, 40.) Hæc est asini mandibula quæ Samsoni mille hostium stragem fecit. (*Judic.* XV, 15.) Hic est vomer ille aratorius, quo Samgar sexcentos Philisthæos occidit. (*Judic.* III, 31); S. HIER., *in Isa.*; S. CYRILL. Alex., lib. XII *De sacerdot.*; PETR. Bles., epist. 23.)

(Et quia) cor sacerdotis arca est testamenti... et illius sermo Scripturarum sale debet esse conditus (*Coloss.* IV, 6)... quotidie sacri eloquii præcepta meditetur... et nunquam ex ejus manibus Biblia deponantur... liber siquidem est sacerdotalis... hortus episcoporum... substantia sacerdotii nostri. Evangelium vero quia est cor gratiæ Christi... totius Scripturæ primitiæ... breviarium et compendium totius theologiæ... illud cordis sui thesaurum faciat... Si enim sacerdos est, scire debet legem Domini ; si vero legem Domini ignorat, convincit se non esse Domini sacerdotem. (S. GREGOR. VII, *Regist.*, epist. 30; S. HIERON.; S. GREG., *Pastor.*, p. II, c. 11; *Conc. Colon.*; S. AMBR ; S. CAROL. BOR., dist. 23 et 38, ex VII *Synod.*; S. PROSP., *Epist. ad Augustin.*; ORIGEN.; S. HIERON., *Epist. ad Gaudent., in c.* II *Aggæi.*)

4° Non sit etiam mysteriorum nostræ religionis ignarus... qui divina rituum sacrorum significata, et augusta sacræ legis arcana populo explanare nescierit... talis sacerdos non est habendus, sed inimicus, fallax, irrisor sui, et lupus, etc... (Sed) mysteriorum causas notas et perspectas habeat, ac per philosophiam, quam a Deo hauserit, aptus esse debet ad inquirendam sacrorum disciplinam. (S. DIONYS., *Epist. ad Demophilum*; CLEM. Alex., lib. II *Strom.*, p. 406, et lib. I, p. 283.)

5° Sciat etiam quæ a synodis decreta sunt de fide, de vitæ instituendæ ratione deque ecclesiastica administratione... sic enim decreta, de quibus, juxta canonem concilii Carthaginensis, debet moneri clericus antequam ordinetur, explicant Zonaras et Balsamon interpretes non contemnendi. (ZONAR., in can. 18 *Conc. Carthag.*, et in can. 19.)

Ordinandis episcopis, vel clericis, inquit concilium Carthaginense III (c. 3), prius ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorum inculcentur... Quem canonem ex suggestione Augustini editum fuisse refert Possidonius (*Vita S. Aug.*, c. 8) : Sategit, inquit, ut a conciliis constitueretur episcoporum ab ordinatoribus ordinandis vel ordinatis omnium statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda (24).

Et sane si ostiarius, antequam ordinetur, debet instrui ab archidiacono, qualiter in domo Dei debet conversari... quanto verisimilius est reliquorum ordinum, quorum major est ratio et dignitas, parem fuisse conditionem. (*Conc. Carthag.* IV, c. 8.)

Ideo absolute synodus Aurelianensis IV (c. 6) : Parochiani, inquit, clerici a pontificibus suis necessaria sibi statuta canonum legenda perspiciant, ne sibi ipsi vel populi, quæ pro salute eorum decreta sunt, excusent post modum ignorasse.

Et capitula Caroli (lib. V, tit. 37) præcipiunt ut... presbyteri non ordinentur, priusquam examinentur, et ut ante ordinationem pleniter et studiosissime instruantur qualiter se a vitiis cavere debeant, et qualiter subditos doceant, ne torpentes vel hebetes in doctrina sancta, vel vitio malæ famæ eorum neglectu, vel alia mala similitudine, quod absit ! abstergantur

(24) *Vide* S. AUG. in Actis ordinat. Eradii, epist. 110.

Concilium etiam Cabilonense II (sub Carol. Magn.) : Ecclesiastici, inquit, canones intelligant. Et concilium Toletanum IV (c. 24, refert. dist. 36, c. *Ignorantia*) : Sciant, inquit, sacerdotes Scripturas sacras, et canones meditentur.

6° Sacerdotibus item necessaria sunt ad discendum: liber Sacramentorum, Lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, Computus, Canon pœnitentialis, Psalterium, Homiliæ per circulum anni Dominicis et singulis diebus festivitatibus aptæ... Quæ quidem qui ignoraverit, hunc Senonense concilium ad sacerdotium vetat promoveri. (S. Aug., apud Gratianum, dist. 38, tract. *Quæ ipsis*. Eadem fere habentur in *Pœnitentiali* Bedæ, et in libro *De Officiis Ecclesiæ; Conc. Senon.*, sub Antonio cardinali a Pratis, c. 3, *Decret. morum*.)

7° Computo necessario, et cantu per anni circulum plenissime instituantur... Et qui prima etiam tonsura sunt initiandi, quærantur et investigentur an epactæ intelligentiam habeant. (Hincmar. Remens. capitul. 8, *Capitul.* ann. 852 ; *Conc. Mediol.* v.)

8° Ut unusquisque presbyterorum expositionem Symboli, atque Orationis Dominicæ juxta traditionem orthodoxorum Patrum plenius discat, præfationem quoque Canonis et eumdem Canonem. (Hincmar., *ibid.*)

9° Non cupiant implere ventrem de siliquis porcorum (*Luc.* xv, 16), etc... Siliquæ vero porcorum sunt carmina poetarum, sæcularis sapientia, pompa verborum, dæmonum scilicet cibus... (Hieron., epist. 146, *ad Damasum Pap.*) Non solum enim thura offerendo dæmonibus immolatur, sed etiam poetarum dicta libentius capiendo; ideo prohibetur Christianos figmenta legere poetarum, quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiva libidinum. (*Ibid.* ex S. Isidor., lib. III *De summo bono.*)

Hæc quippe sua omnes suavitate delectant, et dum aures versibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, et pectoris interna devinciunt. Studiosi eorum in fame veri et virtutum penuria laborant. (Can. *Ideo*, dist. 37, c. *Sacerdotes;* S. Hieron., supra.)

Absit vero ut de illorum ore sonet Jupiter omnipotens, et me Hercule, et me Gastor, et cætera magis portenta quam numina... (S. Hieron., supra.) In uno enim se ore cum Jovis laudibus, Christi laudes non capiunt... (S. Greg.; refertur can. *Cum multa*, dist. 86.) At nunc etiam sacerdotes Dei omissis Evangeliis et prophetis videmus comœdias legere, amatoria *Bucolicorum* versuum verba canere, tenere Virgilium; et id quod in pueris necessitatis est, crimen in se capere voluptatis, etc. (S. Hieron., supra.)

Cavendum sane ne scandalum patiatur frater, pro quo Christus mortuus est (*I Cor.* VIII, 11), cum in ipsius Christiani ore carmina in idolorum laudem composita audierit personare. (*Ibid.*)

Quæ enim communicatio luci ad tenebras? Qui consensus vero cum Belial? (*II Cor.* VI, 14, 15.) Quid facit cum Psalterio Horatius? cum Evangeliis Maro? cum apostolicis Cicero? Nonne scandalizatur frater, si te viderit in idolio recumbentem? Et licet omnia munda mundis (*Tit.* I, 15) et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione sumitur (*I Tim.* IV, 4), tamen simul bibere non debemus calicem Christi et calicem dæmoniorum... (*I Cor.* X, 20 ; S. Hieron., epist. 22, *ad Eustoch., De custodia virginitatis.*)

Quam vero noxia sit profanorum aut sæcularium codicum lectio, discat unusquisque a sancti Hieronymi exemplo, qui illud expertus est in ipsa adhuc adolescentia, cum jam mundo renuntiasset.

Referam tibi, inquit idem sanctus, meæ infelicitatis historiam. Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis, propter cœlorum me regna castrassem, et Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ summo studio ac labore confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memet reversus prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus... Subjicit deinde febri æstuantem pertractum in spiritu ad tribunal Judicis, et cum rogatus de conditione Christianum se esse respondisset, præsidem dixisse... Mentiris, Ciceronianus es, non Christianus ; *ubi* enim *thesaurus tuus, ibi et cor tuum...* (*Matth.* VI, 21.) Ac mox jussisse ut flagellaretur, donec diceret... Domine, si unquam habuero codices sæculares, si legero, te negavi. (S. Hier., epist. 22, *ad Eustoch.*)

Nec vero, subjungit, sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe ludimur. Testis est tribunal illud ante quod jacui; testis judicium triste, quod timui : ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæstionem, liventes habuisse scapulas, plagas sensisse post somnum, et tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia legeram. (*Ibid.*)

10° Quia scientia quam profitentur clerici... a mundo abstrahentem... et ad Deum adducentem... vocant sancti Patres. (S. Greg. Nazianz., orat. 7.)

11° Tandem discant in terris quorum scientia cum illis perseveret in cœlis. (S. Hier., *Epist. ad Paulam.*)

Vectes in circulis esse semper jubentur (*Exod.* XXV, 14), ut cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur ; quia videlicet cum spiritale aliquid a subditis pastor exigitur, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. (S. Greg., *Pastor.*, p. II, c. 11.)

In sacerdote non solum ea cognitio requirenda est, quæ ad sacramentorum usum et tractationem pertinet, sed etiam sacrarum litterarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo Christianæ fidei mysteria et divinæ legis præcepta tradere, ad virtutem et pietatem excitare, a vitiis revocare fideles possit, etc. (*Catech. Concilii Trid.*, p. II, c. 7, *De ordin. sacr.*, n. 32.)

PARS SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

De seminariorum institutione.

Spes et seminarium religionis et Ecclesiæ catholicæ, ac reipublicæ in scholis versatur, in quibus juventus efformetur ad fidem veram, pietatem et doctrinam, ut inde sancti et idonei sacerdotes, etc., propagentur, etc. (*Synod. Ebroic.* ann. 1576.)

Quemadmodum enim agricola nisi serat tempestive non potest metere, ita Ecclesia Dei ex sacramentis fructus uberes per idoneos operarios afferre nequit, nisi seminaria juventutis erudiendæ et moribus informandæ causa foveat... (*Synod. Remen.* ann. 1583) : in quibus a teneris assuescant institui, quasi in eodem ovili, eodem lacte religionis et doctrinæ imbui, atque idem prorsus sentire et velle... (*Synod. Ebroic.* ann. 1576.)

Unde recte olim a quodam hujus sæculi sapiente litteris mandatum est, nihil esse de quo consilium divinius iniri possit quam de recta puerorum institutione. Juventus enim spes est ac soboles reipublicæ, quæ si dum adhuc tenera est diligenter excolatur, maximos et miræ suavitatis fructus feret. Contra vero si negligatur, aut nullos, aut amarissimos. Quare optima, eaque facillima, et maxime compendiaria restituendæ in pristinum statum reipublicæ Christianæ ratio est diligens et accurata ex majorum institutis educatio juventutis. (*Conc. Burdig.* ann. 1583.)

Licet autem præcipua cura debeat haberi, ut puerilis ætas in timore Domini, qui totius sapientiæ fons et initium est, nec non bonis et sanctis moribus ante omnia imbuatur... clericalis tamen militiæ propagines (præsertim) aptari et in futuræ sobolis spem ali suadet pietas et Christianæ prudentiæ ratio. (*Ibid.*; *Conc. Aquileiens.* ann. 1595, *De vita et honest. cleric.*)

Cum enim adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, aut sine maximo, ac singulari propemodum omnipotentis Dei auxilio in disciplina perseverabit. (*Conc. Turon.* ann. 1583; *Conc. Trid.*, sess. 23, c. 18.)

Ideo seminariorum institutio, conservatio, et promotio... quæ scilicet eo tendit ut clerici ad pietatem, religionem, ecclesiasticam disciplinam, bonos mores, et litteras erudiantur... in Ecclesia Dei summopere fructuosa est, qua videlicet clericalis militiæ propagatur ordo et progressio, et tantopere necessaria, ut stare ecclesiastica disciplina sine illorum subsidio et adminiculo vix possit. (*Conc. Aquileiens.*, supr.; *Conc. Rothom.*, ann. 1581.)

Ut enim vinea Domini ex illius præcepto rite semper colatur, multaque messis in ejus horreum reportetur, multis operariis opus est, quorum tamen non tam numerus, quam virtus et industria spectanda est. Paucos enim idoneos et probatos habere satius est, quam multos inutiles, atque adeo ipso vitæ genere perniciosos. Danda nihilominus opera est ut probi habeantur et multi, cum satis constet majora ex multis idoneis quam ex paucis emolumenta percipi. Ut ergo talibus operariis nunquam destituatur Ecclesia, qui aliis in partem oneris vicissim succedant, saluberrimo decreto a sancta synodo Tridentina sancitum fuit, ut seminaria instituerentur in quibus clerici a teneris annis ad pietatem et disciplinam ecclesiasticam informarentur. (*Conc. Burdigal.* ann. 1582.)

Nihil quippe dici aut cogitari potest hoc decreto exquisitius ad hæreses exstirpandas, et reddendum Ecclesiæ Dei pristinum suum nitorem, et clero sacerdotioque pristinum suum decus; ac consequenter ut intra non multos annos Ecclesia mire floreat eruditione sacra, pietate vitæque puritate, atque adeo jam inde ab initio Ecclesiæ vix quidquam præclarius aut efficacius institutum esse videtur ad reddendum Ecclesiæ Dei florentissimum statum, litterarum sacrarum cognitione, pietate, religione vitæque puritate. (*Conc. Camerac.*, tit. *De seminar.*, c. 1.)

Quam etiam utilis sit seminarii institutio, ac quam necessaria ad cleri disciplinam in singulis Ecclesiis propagandam, animarumque salutem procurandam... quamque illius usus multis de causis et rationibus Ecclesiæ catholicæ supra modum utilis..., ex eo intelligi potest quod hujus rei salutaris ratio aliquando intermissa damna et detrimenta non mediocria Ecclesiæ Dei attulit. (*Synod. Aquens.* an. 1585; *Acta Eccl. Mediolan.*, lib. II, cap. *De semin.*, n. 6; *Synod. Turon.* ann. 1582.)

Unde hanc in Ecclesia Dei renovare.... et tam pium opus... promovere cupiens, synodus Tridentina ait : Cum adolescentium, nisi recte instituatur, etc., sancta synodus statuit ut singulæ cathedrales metropolitanæ, atque his majores Ecclesiæ pro modo facultatum et diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis et diœcesis, vel ejus provinciæ si ibi non reperiatur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab ipso episcopo eligendo alere, ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur... ut sic clerici ad pietatem, bonos mores et ad litteras erudiantur. (*Conc. Bituric.* ann

1584; *Synod. Trident.*, ut supra; *Convent. Melod.*, ann. 1579)

Sunt igitur ea potissimum de causa seminaria erecta, ut in iis boni strenuique operarii ad curationem animarum, quas suo sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur, et ii quidem adolescentes (qui ob ætatem, cum tenera sit et proclivior ad voluptates, et flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendas), in operibus virtutum erudiri debent, ut eam vitæ perfectionem adipiscantur, quæ in iis, qui doctores populorum futuri sunt, elucere debet, et severioribus disciplinæ legibus coercendi. (*Act. Eccles. Mediolan., De institut. seminar.*, p. III, c. 1.)

Cum ergo seminario propositum sit ad ecclesiasticæ vitæ normam et ingenuas artes dirigere juventutem, ut pro suo quisque gradu et conditione, cum sibi ipsi profuerit, Ecclesiæ etiam orthodoxæ pro virili parte prodesse possit et communi utilitati consulere.., duo sunt in seminario perpetua exercitatione retinenda, ut clerici discant, et ministrent. Ex iis quæ addiscere debent, item duo proponuntur: alterum ad pietatis, religionis et devotionis documenta, quod est omnium rerum certissimum fundamentum, pertinet, ut Christianæ fidei rudimenta, in primis inter se juvenes addiscant et recitent : qui provectiores sunt, doceant et exerceant, quod singulis Dominicis et festis diebus curandum et faciendum est. (*Conv. Melodun.* ann. 1579; *Conc. Aquileiens.* ann. 1596, c. *De semin. cleric.*)

Licet autem hæc duo præcipue in sacerdote et animarum pastore requirantur, probitas videlicet ac doctrina, et earum utraque in seminariis sit comparanda, tamen, sicut probitatis major est necessitas quam doctrinæ, sic illis in ejus studio magis est elaborandum. Cum præsertim acquisitio virtutum in uniuscujusque assiduitate et industria, potius quam in rectorum aut præceptorum diligentia sit posita; ita ut nisi quis laborem adhibeat, non multum aut nihil illi aliorum vigilantia sit profutura. (*Act. Eccl. Mediol., De instit. semin.*, part. III, c. 1.)

Quamobrem unusquisque sit ea mente ac voluntate, idque sibi quotidie proponat, ut omnino velit in bonum ministrum pro Ecclesiæ adjumento evadere, seque Deo juvante, purum ab omni peccati labe conservare. Sic enim affectus multo facilius doctrinæ cognitionem accipiet, majore tum suo, tum cæterorum emolumento ; beneficii magnitudinem agnoscens, quod illi tam præclara sit oblata facultas, toto animo singulis diebus Deo se offerat, rogetque ut se ad prædictum finem idoneum efficiat operarium. (*Ibid.*)

Ideo maxima cautio adhibenda est in eo præcipue ut idonei clerici in seminario recipiantur. Neque solum ingenium et habilitas ad studia litterarum functionesque ecclesiasticas spectetur, sed multo magis morum ac disciplinæ in singulis ratio habeatur. Quales enim ii fuerint qui admittentur, tales prorsus e seminario fructus exsistent. (*Ibid.*)

Unde non recipiantur nisi bonis moribus atque indole præditi, non asperi nec duri, domesticæ disciplinæ libentius obtemperantes. (*Conv. Melod.* ann. 1579, *De legib. semin.*, c. 1.)

Nec etiam opinionibus a fide orthodoxa alieni. (*Ibid.*)

Et quoniam vultus morum index esse solet, eligantur pueri bona indole præditi, et apta membrorum compositione conspicui, nec sint notabili deformitate signati, qui spirent ab infantia pietatem, et ad sacros ordines promoveri optent, quosque omnino spes sit ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. (*Conc. Remens.* ann. 1583, *De semin.*)

Recipiendus porro moneatur de statu ecclesiastico, de seminario nonnisi pro servituris Deo et Ecclesiæ fundato, de mendacio in Spiritum sanctum, et de sacrilegio quod committet, si non libenti animo, sed ficto, ad sacrum ministerium venerit. (*Conc. Rothomag.* ann. 1581.)

Ideo non recipiantur, nisi qui libenti animo accesserint, ac promiserint se futuros ecclesiasticos.... eorumque indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. (*Conv. Melod.*, supra, n. 5; *Conc. Trid.*, sess. 23, c. 18.)

Recipiendis item proponantur omnia instituta officia et onera in seminario subeunda... legesque illius ac institutiones legentur, quibus etiam se obtemperaturos esse promittent. Et nisi se ad ejus finem accommodaverint (cujus rei per dies aliquot periculum fiet), a collegio sine ulla cunctatione aut tergiversatione sunt dimittendi : atque idem faciendum, si post aliquantum temporis a recto itinere deflexerint, nisi reditus in viam superiorum judicio speretur. (*Conc. Rothom.* ann. 1581; *Conv. Melod., ibid.*, n. 6.)

Nullus porro laicus ad quemlibet gradum ecclesiasticum repente promoveatur, nisi post mutatum habitum sæcularem, diuturna conversatione inter clericos fuerit comprobatus... Presbyter Christianus, priusquam ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat (etiam) in episcopio discendi gratia suum officium tandiu donec possint et mores et actus ejus animadverti; et tunc, si dignus fuerit, ad sacerdotium promoveatur. (*Conc. Roman.* sub Nicol. II, c. 14, ann. 1059; *Conc. Turon.* III, c. 12, sub Carolo Magno.)

SECTIO UNICA.

De legibus seminarii.

Certas vero seminarii clericis constitutiones præscribat episcopus, quas frequenti eorum conventu in singulos menses legi curet, quæ sæpius repetitæ, illorumque mentibus impressæ, serventur diligentius. (*Acta Ecclesiæ Mediolan.*, lib. II, c. *De seminar.*, n. 15; *Conc. Aquense*, ann. 1585.)

§ I. — *Quæ in seminario generatim observanda.*

Dato mane surgendi signo statim consurgant

omnes, nec permittatur ut quisque ante surgat. (*Acta Ecclesiæ Mediolan., De institut. semin.*, part. III, c. 2.)

Semihora ad vestes induendas, et abluendas manus, et sternendum lectum concedatur. (*Ibid.*, part. I, c. 6.)

His peractis, tempus aliquod mentali orationi assignetur... cui singuli quotidie mane vacabunt. (*Ibid.*)

Munditiei corporis rerumque suarum studiosi sint... ideoque mundities servetur in omni vestimento, in cubiculo, in lecto, et in libris; cubiculumque suum, aut dormitorium verrent, quoties in hebdomada submagistro videbitur. (*Acta Eccl. Mediol., ibid.; Conc. Burdigal.* ann. 1583.)

Unusquisque lectum suum componat... summo mane... e loco suo sordes amoveat. Omnibus in rebus munditiem ac nitorem procuret. (*Ibid.*)

Singulis diebus omnes Missæ sacrificio intersint... eique vicissim inserviant. (*Acta Eccles. Mediol., ibid.; Conc. Turon.* ann. 1583, a Greg. XIII approbat.; *Trid.*, sess. 23, c. 18.)

Cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant. (*Conc. Trid.*)

Omnibus etiam diebus festis ad Missam majorem et Vesperas, etc., bini, etc., prodeant superpelliceis induti. (*Conc. Rothom.* ann. 1581; *Conc. Burdig.* ann. 1583.)

Dum in ecclesias prodeunt et loci sanctitatem, et conveniendi causam attente cogitent, debitamque pietatem, modestiam, et silentium servent. (*Acta Eccles. Mediol.*, sup.)

Confiteantur omnes seminarii confessori peccata sua. (*Acta Eccles. Mediol., De instit. semin.*, part. III, c. 2.)

Quia leve est quod puerili ætati insitum est, ut vel minimo negotio deleatur et exstinguatur, idcirco summopere laborandum, ut qui pueri in seminarii disciplina educantur et pietatis studio ac modestiæ lege astricti sunt, ab ea non discedant quandiu confirmatiores fuerint. Quod animadvertentes episcopi acute prospicient ne pueri, dum in instituta seminarii educatione vivunt, permittantur a disciplina discedere et libere divagari sine ministro, custode, et reliquorum puerorum communi victu et exercitatione, etc. (*Conc. Aquileiense* ann. 1596; *De semin. cleric.*)

Quia etiam nihil perniciosius adolescentibus, iis præsertim qui sub certa vivendi disciplina degunt, et litterarum studiis dant operam, quam sæpius domi, multo magis per urbem vagari, estque hoc inanis cujusdam levitatis certissimum argumentum; ideo nullus a cubiculo, ne a suo quidem loco, nullus relaxationis tempore a loco constituto sine præfecti sui venia discedat. (*Act. Eccles. Mediol., ibid.*, c. 5.)

Nec vagari aut tempus perdere, aut colloquiis insumere, nec alios ab officio divertere aut depravare studeant. (*Conc. Rothomag.* ann. 1581.)

Nemo alterius cubiculum intrabit absque facultate præfecti... Nec loca ministrorum adibunt, aut quidquam ab ipsis accipient, nisi impetrata venia. (*Conv. Melodun.*, sup.; *Act. Eccles. Mediolan., ibid.*)

Nullus etiam ad januam accedat, nisi ejus rei facultatem a rectore obtinuerit. (*Act. Eccl. Mediolan., ibid.*)

Ne de nocte nisi cum lumine domo incedant: qui secus fecerit, graves pœnas dabit. (*Act. Eccl. Mediolan., ibid.*)

Nulli quavis ratione privatis de causis e seminario exire liceat, nisi de licentia rectoris... Quod si quis inscio primario egressus fuerit, aut foras remanserit, rursus non admittatur, nisi consulto episcopo. (*Acta Eccl. Mediolan., ibid.*, c. 5; *Conc. Rothom.* ann. 1581; *Conv. Melodun., ibid.*)

Nemo collegio sine facultate et comite sibi addito egrediatur et revertatur. (*Conv. Melodun., ibid.; Conc. Burdig.*, ann. 1583.)

Cum assignatis etiam sibi sociis exeuntes, ab iis nunquam se disjungentes domum revertantur. (*Acta Eccl. Mediolan., ibid.*)

Ea tantum loca petent, ad quæ proficiscendi concessa fuerit facultas, ac dent operam ut quam celerrime fieri poterit, se expediant domumque se recipiant. (*Ibid.*)

Quocunque locorum venerint juventutem curent informari, educari, et doceri, ad eam regulam quam de seminariis reliquerint. (*Conc. Rothomag.* ann. 1581.)

§ II. — *Quæ speciatim observanda circa studia.*

Catechismus exacte ac fere scholastice explicetur. (*Acta Eccles. Mediol., Inst. seminar.*, p. I, c. 2.)

Lectio Scripturæ sacræ non scholastico more, sed tanquam theologia positiva explanetur.

Sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac cæremoniarum formam ediscent (*Conc. Trid.*, sess. 23, c. 18; *Turon.* ann. 1583.)

In seminario ergo ubi commode potest præter cætera quibus et ad pietatis exercitationem, et ad litterarum doctrinam adolescentium animi eruditur, studia etiam sacrorum rituum certis statis diebus instituantur. (*Act. Eccles. Mediol.*, lib. II, c. *De semin.*, n. 25.)

Cantus item, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent. (*Conc. Trid.*, sup.; et *Turon.* 1583.)

Lectio etiam casuum conscientiæ habeatur. (*Act. Eccl. Mediol., Inst. semin.*, p. I, c. 2.)

Nullos libros norint a Sede apostolica damnatos, nec illis ulli legantur, nisi pudici, et qui ad morum ædificationem conducunt. (*Synod. Rothomag.* 1581.)

Ne cuiquam permittatur ut per diversa librorum et studiorum genera vagetur, sed unicuique certi

libri præscribantur, quibus legendis tempus ponere debeat. (*Act. Eccles. Mediol., Inst. semin.*, p. I, c. 2.)

Rationem studendi a studiorum præfecto diligenter servent.... ideoque quam diligentissime incumbant in ea studia, quibus per rectorem addicti fuerint, in iisque etiam præscriptum sibi ordinem servent. (*Conc. Burdigal.* 1583; *Act. Eccl. Mediol., De inst. semin.*, p. III, c. 4.)

Brevi aliqua piaque oratione flexis a discipulis genibus in schola recitanda lectiones auspicabuntur et finient. (*Conc. Tolos.* ann. 1590.)

Moneantur sæpissime clerici ut pietatis et religionis in primis rationem habeant, nec non in virtutum et spiritualium rerum studium incumbant, majoresque progressus ea ratione sperent se facturos, quam ex assiduo in libris et indefesso studio. (*Conc. Burdig.* ann. 1583.)

§ III. — *Quæ speciatim observanda circa mensam et recreationes.*

Initio prandii aut cœnæ atque etiam in fine benedictionem et gratiarum actiones, etc., ne intermittant.... et in benedictione ac gratiarum actione conveniens devotio ac reverentia observetur. (*Synod. Rothomag.* ann. 1581; *Conv. Melod.* ann. 1579.)

In mensa loco sibi assignato assideant, nec panem detegant, nec edendi initium sumant priusquam id a rectore fieri viderint, vel eo absente, ab illo qui ejus partes eo loco geret; ibique silentium, modestiam, honestatem, temperantiam adhibeant. (*Act. Eccles. Mediolan.*, c. 3.)

Nullus comedat, ac ne aquam quidem bibat extra tempora consueta, etc. (*Act. Eccles. Mediol.*, supr., p. III, c. 3.)

Nullus promptuarium, culinam, aut alia hujusmodi loca ingredi audeat, nec cœnaculum quidem nisi cum prandendum sit, aut cœnandum. (*Conv. Melod.* ann. 1579.)

Extra collegium nemo apud aliquem comedat, nisi apud suos parentes, vel propinquos, idque raro et cum facultate. (*Ibid.*)

Quo tempore cibum capient excerpta aut ex sacris Bibliorum libris, aut sanctorum Patrum homiliis lectio mensæ nunquam deerit.... quo pascatur animus cum corpore.... et dum corpus edendo reficitur, suæ etiam animæ spiritualis refectio in Domino ex lectione vel concione, quæ tunc temporis habebitur, teneatur. (*Conc. Tolos.* ann. 1590; *Synod. Rothomag.* 1581; *Conv. Melod.* 1579.)

Tempore ergo prandii et cœnæ legat unus e suggestu caput aliquod ex sacris Bibliis, cui addatur pii alicujus libri lectio, quam omnes attente audient, ut dum corpus cibis alitur, mens nequaquam jejunet otiosa. (*Conc. Burdigal.* 1583, *De legib. semin.*, a S. Greg. XIII approbat.)

Ad ea porro, quæ leguntur, ita diligenter attendant, ut ex his aliquem fructum percipere studeant... (*Act. Eccles. Mediol.*, supr.)

Negligit enim famem corporis qui pabula lectionis intendit; nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit. Ipsa est enim refectio quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, etc. Ipsa est esca quæ vitam æternam tribuit, et insidias a nobis diabolicæ tentationis excludit. (S. Ambros., serm. 35.) A prandio et a cœna unam horam honestæ relaxationi dabunt. (*Conc. Burdig.*, supr.)

Habeant etiam post studia et obedientiam recreationes liberiores ætati convenientes et professioni, ad laxiora ne dimittantur. (*Conc. Aquileiens.* 1596, *De semin.*)

Eo tempore quod animorum corporumque remissioni conceditur nihil agant immodeste, et caveant ne immoderata exercitatione æstuet corpus. (*Conv. Melodun.* ann. 1579.)

Nemo vero eo loco, qui ejusmodi requiei est constitutus, exibit, nisi sit ei facultas concessa. (*Ibid.*)

§ IV. — *Quæ speciatim observanda erga superiores.*

Superioribus omnes et singuli debitam obedientiam et observantiam omnino præstent... ac suis præpositis obediant tanquam patribus, et ab eorum nutu toti pendeant, prompti et parati ad omnia quæ fuerint illis præscripta, nec minus patientes ad ferenda quæcunque incommoda. (*Act. Eccl. Mediol., De semin.*, part. III, c. 3; *Synod. Rothomag.* 1581.)

Si quid a rectore petierint, repulsamque tulerint, taciti acquiescant: quod si videatur eidem in memoriam revocandum, id postero die facere possint. Amplius nullo modo, nisi nova interveniente causa. (*Act. Eccl. Mediol., ibid.*)

Quia erga rectorem ea debent esse animi affectione, qua filii erga parentem, ab eo si quid præter voluntatem imponitur, aut negatur, id existiment ad utilitatem suam referri, pro certo habentes superiores ad id multis duci causis, quæ adolescentes plerumque lateant. (*Ibid.*)

Eidem rectori libere suos sensus exponant, ut illis prout opus fuerit, consulat, cum nihil sit difficilius adolescenti, quam immoderatis animi affectionibus per se moderari. (*Ibid.*)

Quapropter litteras neque mittant ipsi, neque ad se missas aperiant, priusquam rectori ostenderint. (*Ibid.*)

In virtute proficere cupientes ea forma regendi contenti esse debebunt quam illi in quorum disciplinam traduntur, aptiorem iis esse judicaverint. (*Conv. Melodun.* ann. 1579; *Conc. Burdig.* ann. 1583.)

Quoniam vero omnem ordinem sine obedientia perturbari necesse est, omnes profecto et suis moderatoribus parere diligenter oportet, non modo collegii communia decreta perstudiose observando, sed etiam ea omnia, quæ illis ad eumdem finem spectantia præscribentur. Quare præfectum et moderatores suos tanquam patres intueantur, seipsos vero bonos filios, ut decet, præbeant. (*Conv. Melod.*, c. 3.)

Promptos in iis rebus exsequendis præbeant, quæ illis, prout ratio temporis postulabit, præscribentur, vel campanæ sono signabuntur... Et statis tempori-

bus omnia peragant; celeritate in omnibus utentur. (*Conv. Melod.*, p. III, c. 3.)

Conveniant omnes ad res communes in ecclesiam, in cœnaculum, in locum recreandis animis assignandum, et ad alia hujusmodi generis, idque etsi peculiaribus occupationibus concionum, aliarumve ejusmodi rerum impediti teneantur, nec inde absque venia discedant, priusquam id absolutum fuerit, cujus causa convenerint. Sic in aliis rebus publica semper privatis anteponant. (*Ibid.*)

§ V. — *Quæ speciatim cuilibet observanda erga se.*

Ut in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim atque habitu clericali semper utentur. (*Conc. Trid.*, sess. 23, c. 18; *Conv. Melod.* ann. 1579; *Conc. Turon.*, ann. 1583.)

Memor sit unusquisque vocationis suæ; eoque nomine sæpe Deo gratias agat; coneturque maxime vitam ut clericum decet instituere... cum tam multæ utilitates ex boni, tot detrimenta ex mali vita sacerdotis proficiscantur.

Modestiam ubique servent, in ecclesia præcipue, dormitorio, cœnaculo, ac extra domesticas parietes: cum illa adolescentiæ peculiare sit ornamentum. (*Act. Eccl. Mediolan.*, p. III, c. 3.)

Caveant igitur ne oculos huc illuc circumferant, ne loquantur altius, præsertim si multi sint, ne strepitum excitent, ne nimis festinanter incedant. (*Ibid.*)

Studeant non solum modestiæ virtuti, sed et morum elegantiæ, et caveant aliis suo exemplo detrimento esse. (*Conv. Melodun.*, supr.)

Cum silentium permultum ad pacis pietatisque conservationem, ad studia, ad multas perturbationes evitandas conferat, nunquam colloquantur nisi de rebus necessariis; idque præcipue ante et post orationem, Missam, examen conscientiæ, sanctissimorum pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentorum perceptionem, præterquam relaxationis tempore, quo de rebus utilibus sermones habere sine tumultu tamen licebit. (*Act. Mediolan. Eccles., ibid.*)

Silentium ergo ubique servetur, etc., et in omnibus etiam locis ecclesiastica modestia eniteat. (*Conc. Burdigal.* ann. 1583, a Gregor. XIII approb., tit. *De semin. legib.*)

Caveant per collegium vagari studiorum tempore; neque eo tempore, vel alio quo id non licet, cum iis colloquantur, qui sibi obviam fient, tempus conterentes... excepta decenti salutatione atque verecunda quæ prætereundo fieri potest. (*Conc. Burdig.* ann. 1583; *Conv. Melodun., ibid.*)

Vitent minus honesta verba inanesque collocutiones. (*Act. Eccl. Mediol., ibid.*)

In omnibus actionibus motu corporis et verbis elationem ac superbiam fugiant, cum ea homines Deo inimicos et cæteris odiosos reddat. (*Ibid.*)

Quanquam collegium pro sua parte cujusque valetudinis rationem habet, unusquisque tamen suam curet valetudinem; cum aliquid parum salubre senserit, aut noxium, continuo superiorem admonebit. (*Ibid.*)

§ VI. — *Quæ speciatim observanda erga alios.*

Non superiores modo, sed et omnes colant, et observent, eosque, qua par est, modestia alloquantur. (*Conc. Burdigal.* ann. 1583, a Gregor. XIII approbat.)

Sint in loquendo prudentes, et caveant alios verbis offendere, studeantque concordiam cum omnibus retinere. Quod si quid contra acciderit, quamprimum in gratiam redire teneantur. (*Ibid.*)

Mutuam charitatem ac benevolentiam omni studio amplectantur, ut quemadmodum debent, tanquam unius corporis membra, perfecto amoris vinculo colligentur. (*Act. Eccl. Mediolan., De instit. semin.*, p. III, c. 3.)

Nihil inter ipsos differat, aut alter alteri præferatur, aut posthabeatur, omni divitis et pauperis, nobilis et obscuri discrimine sublato. (*Ibid.*)

Nescit enim religio nostra personas accipere, sed merita inspicit singulorum. (S. Hieron.)

Alter alteri honorem exhibeat, præcipue in superiori ordine constituto, maxime vero si sit sacris initiatus. (*Act. Eccles. Mediol., ibid.*)

Hoc enim vel maxime mutuam alit benevolentiam, estque purgatæ conscientiæ, et animi vere nobilis certissimum argumentum. Non tamen *reverendi*, aut *domini*, aut hujusmodi titulos usurpent. E contra vero ea loquendi ratione non utantur, quæ morum rusticitatem coarguat. (*Ibid.*)

Nullus nisi proprio aut familiæ nomine quemquam appellet, nec ei quovis modo illudat.... Non tamen puro nomine, aut solo cognomine, vel nomine nationis aut patriæ nuncupet, sed proprio nomini apponat semper religiosæ pronuntiationis insigne. A privatis amicitiis, nimiaque inter se familiaritate abstineant. Conventicula ne agant, ex quibus multa damna in congregationibus exsistunt. Quamobrem sine ullo discrimine cum omnibus versentur. (*Act. Eccles. Mediolan., ibid.*; S. Bonav., p. I *Specul.*, c. 6.)

Nunquam vero separatim ab aliis inter se colloqui aut esse liceat, nisi tres saltem, aut quatuor fuerint, præsertim a relaxationis tempore. (*Ibid.*)

Cum iis tantum agent conturbernalibus cum quibus agere permittentur ad eorum utilitatem. (*Conv. Melodun.*, supr.; *Conc. Burdigal.* ann. 1583.)

Bonis jungantur se, et sapientes sequantur, hoc enim ad instructionem plurimum proficit et ad probitatis testimoninm. Ostendunt enim adolescentes eorum se imitatores esse quibus adhæserint. (S. Ambros., lib. II *Offic.*, c. 20.)

Sine facultate præfecti etiam cum externis ne colloquantur. (*Conv. Melodun., ibid.*)

Qui aliquid minus laudabile in quoquam perspexerit, aut aliquem correctione dignum animadverterit, rectorem statim commonefaciat; qui secus fecerit, tanquam malorum fautor punietur. (*Act. Eccles. Mediol., ibid.*)

Si crimen' .... aliquod deferri contingat, auctorem ne quærant : rescientes autem, nullam male erga illum affecti animi significationem dent; conentur potius in posterum meliores fieri, neque ea admittere propter quæ merito possint accusari. (*Act. Eccl. Mediol., ibid.*)

Nullus sive joco, sive quovis alio prætextu alium tangere præsumat.... sed ubique et apud omnes eamdem tueantur modestiam.... et gravitatem. (*Act. Eccles. Mediolan., ibid.; Conv. Melod., ibid.*, c. 4; *Conc. Burdigal.* ann. 1583.)

Quas in aliis virtutes cernunt, eas in seipsis exprimere certatim contendant; humilitatis, obedientiæ, modestiæ exempla vicissim desumant : vitia si quæ forte in aliis perspexerint, vitent, nullusque tam sit impius, ut alios pie aliquid agentes vituperare audeat et dæmonis officio fungens, eum ab operibus virtutum conetur abducere. (*Act. Eccles. Mediolan., ibid.*)

§ VII. — *Quæ seminario præcavenda et ab eo removenda.*

Omnia auferent quæ impedimento esse possent in clericis quominus finem propositum consequantur. In quibus hæc esse solent. (*Convent. Melodun.* 1579, *De seminar. legib.*, c. 1.)

1° Ea negligere quæ ad pietatem, collegii institutum et præfectos pertinent.

2° Cum iis societatem inire qui minus proficiunt.

3° Suos errores deferri moleste ferre, aut eos inficiari, aut excusare.

4° Singulare aliquid velle quod iis nequaquam expedire censeatur.

Quæ quidem omnia vere impedimenta dicuntur, nam experientia compertum est qui hanc vel hujusmodi viam ingrediuntur, eos neque sibi ipsis prodesse, et obesse cæteris.

Detur opera præcipue in sermonibus et confessionibus, ut omnis ex clericorum mentibus sitis et aviditas beneficiorum tollatur. Ac proinde videatur, ut ea de re ne ipsi quidem inter se colloquantur, ac iis sæpius inculcetur quam aversi ab omni rerum humanarum cogitatione ecclesiastici ordinis homines in via Domini ambulare debeant. (*Act. Eccles. Mediol., De instit. semin.*)

Quia in communi conventu privatæ coitiones justitiam violant, quod æquali inter se vicissim charitate complecti omnes debent. (S. Basil., serm. 2, *De instit. monach.*)

Ex conventu rejiciatur amor singularis, ex quo suspiciones invidiæque oriuntur, nam ubique æqualitatis defraudatio, invidiæ odiique mater exsistit. (*Ibid.*)

Partiales siquidem amicitias ac societatis dilectiones lex non permittit. Qui enim unum magis quam cæteros diligit, non perfecte cæteros diligit. Si quis ergo majoris charitatis habitu sit affectus erga fratrem aut cognatum, velut injuriam faciens communitati, castigetur : nam redundantia affectionis in una persona multam accusationem affert defectus in aliis. (S. Basil., *Exercit.*, serm. 4.)

Et affectiones quæ in hanc magis quam in alteram partem propendent, plurimum incommodant communi omnium concordiæ. Unde, qui majori propensione aliquem diligit... seipsum reum facit... et castigandus ut injurius publicæ charitati. (*Ibid.*)

Summa etiam observantia custodiatur, ne quisquam cum alio ac præcipue juniore vel ad punctum temporis pariter substitisse, vel uspiam secessisse, manus suas invicem tenuisse deprehendatur. Si qui contra, etc., ut contumaces non levis culpæ rei pronuntiati, suspicione etiam conjurationis pravique consilii carere non poterunt. (Cassian., lib. II *Instit.*, c. 15.)

In cœtu enim cœtum facere, non charitas, sed seditio et divisio. Et in communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex aliquas seorsum aut amicitias, aut sodalitates. Charitatem siquidem mutuam habere inter se fratres debent, non ita tamen ut duo tresve seorsum a cæteris sodalitatem coeant, quando quidem hoc non charitas est, sed seditio et divisio. (S. Basil., *ibid.*)

Videas enim illos ambulare seorsim, convenire sibi et sedere pariter, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrum.

Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam ; conciliant inter se inimicissimas amicitias, et pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Sicut Herodes et Pilatus facti sunt amici in illa die (*Luc.* XXIII, 12), id est, in die Dominicæ Passionis. Convenientibus sic in unum jam non est Dominicam cœnam manducare (*I Cor.* XI, 20), sed magis propinare et bibere calicem dæmoniorum. (*I Cor.* X, 21; S. Bern., serm. 24 *in Cant.*)

Vitiosa sane hujusmodi amicitiæ conciliatio est... et eorum qui sic coeunt improbitatis indicium. (S. Basil., ubi supr.)

Ideo ab omni societate et congressu procul arceatur singularis illa dilectio, perinde ac pugna quædam indecens. Nam ut hæc manifestas producit inimicitias, sic illa invidias et simultates generat. (S. Basil., orat. 1, *De amore Dei et proximi.*)

Si ergo duo reperti fuerint inter se conversantes, et commoniti non secesserint, sint excommunicati donec corrigantur... sicut et qui inventi fuerint conjurantes, aut conspirantes, aut fratrias vel factiones componentes aliquas aut episcopis suis, aut clericis aliis; quia etiam singularitatis... et disconvenientiæ nota ubique et maxime in congregatione fugienda... tanquam tinea et ærugo virtutis... immanis bellua illa devorans .. singularis ferus depascens eam. (*Psal.* LXXIX, 14.) Ideo clericum in seminario commorari non patiantur... cui non sufficit communis regula vel quod majorum cohortantur exempla, quatenus dicere possit: *Non sum sicut cæteri hominum.* (*Luc.* XVIII, 11:) *Singulariter sum ego...* (*Psal.* CXL, 10.) Reprehensibile enim est diversum habere cultum, ubi non est diver-

sum propositum. (S. Basil.; S. Bonav.; S. Bern., grad. 5 *superbiæ*; S. Isid.)

Discolos tandem et incorrigibiles, malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam si opus fuerit expellendo. (*Conc. Trid.*, sess. 28, c. 18; *Conc. Aquil.* I, supr.; *Conv. Melod.* ann. 1579.)

Qui etiam difficiles natura fuerint, nisi se verbis aut castigatione correxerint, diu non erunt in seminario retinendi. (*Conc. Burdigal.* 1583.)

Quamvis desides ac rudes, etc., nulla ratione sint ferendi in seminario, multo magis animadvertere oportet in eos, qui pietatem negligant, qui seminarii statuta passim violent, qui societatem cum protervis ineant, qui exteriorum colloquiis delectentur, qui facile obtrectare soleant, qui suos errores (licet ob eorum utilitatem id fiat) deferri moleste ferant, qui mentiri aut sua errata inficiari aut excusare soleant, qui injunctas pœnitentias graviter ferant, qui singulare aliquod, quod iis nequaquam expedire censeatur, velint, qui procaciter, impudice, ironice loquantur, aut respondeant. Hæc enim et similia vitia sunt in primis a toto seminario arcenda, et acriter, nemine excepto, corrigenda. (*Conc. Burdigal., ibid.*)

CAPUT II.

De cohabitatione et communi vita clericorum.

Quam bonum sit *et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1), simulque in eadem domo commorari clericos, ex eo intelligant universi in ecclesiastico ordine constituti quod communem hanc et socialem vitam sæpius clericis præceperit, semper autem in illis optaverit Ecclesia.

Hæc vita communis, inquit Clemens I, his maxime necessaria est, qui Deo irreprehensibiles militare cupiunt, et vitam apostolorum eorumque discipulorum imitari volunt. (S. Clemens, epist. 5; refert. c. 12, q. 1, *Dilectissimis.*)

Unde synodus Romana sub Eugenio II et Leone IV (c. 7; refert. 12, q. 1, c. 3) : Necessaria res exsistit, inquit, ut juxta ecclesiam claustra constituantur in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis vacent. Itaque omnibus unum sit refectorium ac dormitorium, seu cæteræ officinæ ad usus clericorum necessariæ. Ministri vero post episcopum super eos tales eligantur, quorum vita atque doctrina illos potius exornent, quam dehonestent. Concilium Vasens. II : Omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores, etc., secum in domo ubi habitare videntur recipiant, et eos quomodo boni patres spiritualiter Psalmos parare, divinis lectionibus insistere, et in lege Domini erudire contendant, etc.

Concilium etiam Toletanum II (cap. 2) : De his quos voluntas parentum a primis infantiæ annis in clericatus officio posuit, etc., statuimus observandum, ut mox cum detonsi, vel ministerio lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub episcopali potentia a præposito sibi debeant erudiri. At ubi decimum octavum ætatis suæ compleverint annum, coram totius cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab episcopo perscrutetur.

Et Toletanum IV (c. 24; refert. 12, qu. 1, c. 1) : Prona est, inquit, omnis ætas ab adolescentia in malum. Nihil enim incertius quam vita adolescentium. Si qui in clero impuberes aut adolescentes exsistant, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos, non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem et magistrum disciplinæ et testem vitæ habeant. Quod si aliqui ex his pupilli exsistunt, sacerdotali tutela foveantur, ut et vita eorum a criminibus intacta sit, et res ab injuria improborum. Qui autem his præceptis resultaverint, monasteriis deputentur, ut vagantes animi et superbi severiori regula distringantur.

Concilium Aquisgranense (c. 135) : Solerter ectores Ecclesiarum vigilare oportet ut pueri et adolescentes, qui in congregatione sibi commissa nutriuntur, vel erudiuntur, ita jugibus ecclesiasticis disciplinis corrigantur, ut eorum lasciva ætas, et ad peccandum valde proclivis nullum possit reperire locum quo in peccati facinus proruat. Quapropter in hujuscemodi custodiendis et spiritaliter erudiendis, talis a prælatis constituendus est vitæ probabilis frater, qui eorum curam summa gerat industria, eosque ita arctissime constringat; qualiter ecclesiasticis doctrinis imbuti, et armis spiritalibus induti, et Ecclesiæ utilitatibus decenter parere, et ad gradus ecclesiasticos quandoque digne possint promoveri.

Ne autem quidam arbitrentur hæc ad juniores tantum clericos pertinere, in quibus scilicet lasciva ætas et ad peccandum proclivis severiori disciplina debet coerceri, ut nempe... adolescentiam suam nulla sorde commaculent, sed ad altare Christi quasi de thalamis virgines procedant... Attendant quid de aliis etiam ordinet Ecclesia. (S. Hier., epist 4, *ad Rusticum.*)

Statuimus, inquit Nicolaus II, in synodo Romana CXIII episcoporum, ut ii prædictorum ordinum (loquitur de sacerdotibus, diaconis, subdiaconis) qui prædecessori nostro (Leoni) obedientes castitatem servaverunt, juxta ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos simul manducent et dormiant, et quidquid eis ab ecclesiis venit, communiter habeant. Et rogantes monemus ut ad apostolicam, communem scilicet vitam, summopere pervenire studeant. (S. Nicolaus II, in synod. Rom., c. 4, ann. 1059; refert. d 32, c. 6, *Præter*, p. 1.)

Clemens Romanus Pontifex : Communis vita, fratres, omnibus necessaria, et maxime his qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, et vitam apostolorum eorumque discipulorum imitari volunt. (S. Clemens, epist. 2 vel 5; refert. 12, q. 1, c. 2, *Dilectissimis.*)

Urbanus Papa ad omnes Catholicos scribens : Scimus, inquit, vos non ignorare quia vita communis inter bonos Christianos viguit, et adhuc gratia Dei viget, et maxime inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est clericos, etc. (S. Urban., *epist. Singul.*, in princ., refert. c. 12, q. 1, c. 9.)

Unde Gregorius Magnus Augustinum hortatur ut omnes clericos Anglicanos secundum illam communis vitæ formam instituat : Quia tua fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum fieri non debet a clericis suis in Ecclesia Anglorum, etc. Hanc debent conversationem instituere, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris ; in quibus nullus eorum, ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, etc. (*Act.* iv, 32 ; S. Greg. Magn. *ad Augustin.*, interr. 1 et 2, refert. 12, q. 1, c. 8.)

Et Gregorius VII ad episcopos : Statuimus ut, facultatibus ecclesiarum vestrarum, proventibus et expensis diligenter inspectis, certum in eis valeatis ponere numerum clericorum, et statuere ut bona eorum veniant in commune, in una domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant et quiescant. Si qui vero contradictores exstiterint, licitum vobis sit per suspensionem officii et beneficii, aut graviori etiam pœna, si opus fuerit, ad hanc observantiam eos compellere, appellatione non obstante. (Refert. in lib. iii *Decret.*, tit. *De vita et honest. cleric.*)

Concilium item Moguntinum (ann. 813) : Simul dormiant, ad mensam similiter lectionem audiant, et obedientiam secundum canones suis magistris exhibeant.

Concilium Turonense sub Carolo (cap. 23) : Canonici et clerici civitatum, qui in episcopiis conversantur, consideravimus ut in claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulque in uno reficiantur refectorio, quo facilius possint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vita et conversatione sua admoneri et doceri. Victum et vestimentum juxta facultatem episcopi accipiant, ne paupertatis occasione compulsi, per diversa vagari, ac turpibus se implicare negotiis cogantur, dimissoque ecclesiastico officio incipiant indisciplinate vivere et propriis deservire voluptatibus.

Concilium Aurelianense II (ann. 536) : Nullus clericorum sine permissione episcopi sui cum sæcularibus habitare præsumat.

Hanc ergo socialem vitam in quantum potest amplectatur vir ecclesiasticus ; *frater* enim qui adjuvatur *a fratre*, inquit Salomon, *quasi civitas firma* (*Prov.* xviii, 9) ; et, ut ait sanctus Augustinus, clericus qui professus societatem, professus communem vivendi sanctitatem, professus *quam bonum et quam jucundum* sit *habitare fratres in unum* (*Psal.* cxxxii, 1) : si ab hoc proposito ceciderit et extra manens clericus fuerit, dimidius cecidit et ipse. (S. August., *Serm. de vita et honestat. cleric.*, apud *Conc. Aquisgran.*, cap. 112. *Vid.* qu. 1, c. 12, *Certe.*)

Altare etiam de sectis lapidibus reprobat Deus. (*Exod.* xx, 25.) Secti autem lapides sunt, qui fraternæ societatis consortium respuunt, qui vivere cum fratribus et conversari concorditer nolunt. Tales Christus in suo non recipit corpore, quos a membrorum suorum sectos judicat unitate. Væ igitur clerico soli, quia cum non habeat emolumentum societatis, et facilius cadit, et cum ceciderit non habet sublevantem se... (*Eccle.* iv, 10.) Unde de cœtu gregis segregatus, pecus est opportunum prædæ. Væ etiam clerico cum sæcularibus commoranti, quia aut ex nimia cum illis familiaritate et conversatione æquali (reddetur) contemptus dignitatis, (aut) ex nimia austeritate, fastu, aut pompa superbi, aut plus æquo elati (judicabuntur)... Et cum nec Joannis Baptistæ austeritas, nec Christi in victu popularitas probari potuerit, inquit synodus Ebroicensis... quid conservandæ dignitati clericali convenientius, quam ut clericalis cohabitatio a sæculari sit secreta... sicut et eorum conversatio debet esse secreta et remota ab actibus laicorum? (S. Petr. Damian., *De communi vita canonic.*, opusc. 4, c. 6 ; *Synod. Senonens.* ann. 1528 ; Cassian., *Instit.*, lib. vii, c. 9 ; *Synod. Ebroic.* 1576.)

Beatus autem in sociali vita cum fratribus permanens... Ibi enim homo in virtute probatur et exercetur, etc. Ibi ad perfectiora verbo et exemplo trahitur. Ibi suam imperfectionem considerare et lugere compellitur. Ibi alterius fervore excitatur, alterius humilitate docetur. Istius obedientia, illius patientia movetur, etc. Ibi alterius correptio fit ipsius admonitio. Ibi alienum periculum proprium efficitur speculum. Ibi unius vigilantia, alterius est custodia. Ibi homo portat, et portatur. Ibi multa audit et videt unde docetur. Ibi boni commendantur ut meliores fiant. Ibi negligentes arguuntur ut refervescant, etc. Hæc enim angelicæ vitæ æmulatrix est. (A Kempis, part. i, serm. 2.)

Et cum in ea operatio Spiritus sancti in uno ad omnes transeat, uniuscujusque donum commune fiet omnium.

CAPUT III.

De modesta et exemplari clericorum conversatione.

Cum vita clericorum dispar esse debeat a vita laicorum, et maxime sacerdotum, qui positi sunt in exemplo, tanquam signum ad sagittam, et in gestu, habitu et incessu maturitatem et puritatem mentis propalare debent,... ecclesiastici omnes qui se divino cultui addixerunt, quemadmodum sublimiori eminent vitæ gradu, atque a fidelibus cæteris sunt sejuncti, sic lumine virtutum conspicui prælucere debent, et a communi instituto vulgaris vitæ semoti præcipuum quoddam profiteri, præstantiusque genus vivendi, quo alios exemplo excitent ad sanctitatem. (*Synod. Pictav.* ann. 1377 ; *Synod. Perusin.* ann. 1639.)

Quamvis enim fides et veritas non ex moribus expendi debeant, sed contra ex fide mores ; attamen

eorum religio et doctrina facile contemnuntur, quorum vita despicitur. (*Synod. Ebroic.* ann. 1576.)

Cum igitur ea sit sacerdotalis ordinis dignitas, ut aliis videatur dignitatibus prælucere, summa ope sacerdotes niti debent, ut effictam omnium animis tanti muneris dignitatem exempli raritate sustineant, illudque perpetuo reputent se non sibi solum vivere, sed præclaræ vitæ documenta hominibus aliis debere. (*Conc. Tolos.* ann. 1590.)

Licet autem vita clericorum liber sit laicorum... et ita lucere debeant opera eorum ut populo sint tanquam lucerna... lucens in caliginoso loco (*II Petr.* I, 19) ad propulsandas (scilicet) mundi tenebras et dirigendos pedes eorum in viam pacis... (*Luc.* I, 79); quia tamen nonnulli a via modestiæ ita deviant, ut nec nomine nec re se venerabili clericorum cœtui in aliquo conformant, sed satore malorum operum procurante, in illam vesaniam sunt deducti, quod profanos ritus laicorum concomitari non erubescant, et elata præsumptione, et præsumptuosa elatione vitam clericalem non ducunt. (*Synod. Turon.* ann. 1537 ; *Synod. Colon.* ann. 1551.)

Ideo omnes clericos, et maxime constitutos in sacris admonitos esse volumus, se cum in loco sanctorum sint, necessitatem bene vivendi, non licentiam peccandi esse assecutos. (*Synod. Carnot.* ann. 1550.)

Omnes igitur hortamur ut opera sanctorum exerceant, gradui suo honorem conferant, et ipsi non ex honoris gradusve aut generis dignitate, sed sermone, conversatione, dilectione, fidei puritate, et castitate coram hominibus lucere studeant... Et cum ipsi debeant esse exemplum fidelium in conversatione, verbo, charitate, fide et castitate (*I Tim.* IV, 12), sic curent mores, vitam et conversationem componere, ut se populo exhibeant speculum sine ruga et macula (*Sap.* VII, 26), in quo se speculantes normam et exemplum sanctimoniæ accipiant. (*Synod. Senon.* 1524 ; *Synodus Lexoviens.* ann. 1550.)

Bona enim exempla voces edunt omni tuba clariores... neque tam considerantur ea quæ a nobis dicuntur, quam quæ a nobis aguntur. (S. Chrysost., hom. 15 *in Matth.*; *Synod. Urgellens.* ann. 1580.)

Et cum ad cultum divinum propagandum nihil fructuosius aut frequentius fideles instruat, quam vita eorum qui se divino ministerio manciparunt... ita ut languescat sæcularium pietas, ubi clericorum vita non splendescit. (*Synod. Sancti Miniatis* ann. 1658 ; *Synod. Venet.* ann. 1592.)

Monemus omnes clericos ut se ad probatæ et religiosæ vitæ normam ita componant, ut in omnibus actionibus exemplum moderatum ac religione plenum præ se ferant... In actibus suis ita errata condamnent ut amorem innocentiæ conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericorum. (*Synod. Venet.*, supr.; S. Bernard., lib. III *De consid.*, cap. ult.)

Attendant itaque in omnibus suis actionibus eam exhibere modestiam et honestatem quæ viros religiosos et veros Dei ministros decet, pro certo habentes scandalum, quod clerici laicis præbent, gravissimum esse peccatum... (*Synod. Alatrina* ann. 1584.)

Unde 1° loco sacerdotes, vel ministri Ecclesiæ, de quibus dictum est : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14), ita in omni sancta conversatione a Dei timore actus suos dirigant, ut et divinæ possint placere clementiæ, et bonum fidelibus præbeant exemplum, quod sicut væ eis interminatur, per quos nomen Dei blasphematur, ita illi immortalitatis gloriam consequentur, per quorum actum nomen Dei benedicetur. (*Conc. Turon.* I ann. 460.)

2° Cum nihil sit quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue moneat, quam vita et exemplum eorum qui se divino cultui dedicarunt, quos cæteris ad virtutem prælucere, et antesignanos esse par est ; omnes de clero vitam et mores ita componant, ut habitu, gestu ac sermone cunctis afferant ædificationem. Quapropter ab omni levitate, vanitate, spurcitia sermonis, lasciviæ atque intemperantiæ specie sibi caveant, multoque magis ab ipsa incontinentia, comessatione, ebrietate... Morum enim compositio inter simplices et mundanæ vitæ homines maxime est necessaria, quia facillime scandalizantur, quando vel parum clerici ad libertatem extrinsecam declinant. (*Synod. Audomarens.* ann. 1583 ; *Conc. Hildesem. in form. vivendi canon.*, c. 13.)

SECTIO I.

Quibuscum conversari debeant.

Convivia etiam et nimiam laicorum familiaritatem, multarum offensionum et scandalorum originem, debent clerici in quocunque gradu constituti declinare ac fugere ; honestatem, quæ inter clericos tutius servatur, amare ; contraria diligentissime devitare. Meminisse vero debent non aliunde clericalis ordinis dignitatem gravius fuisse offensam quam a nimia laicorum familiaritate. Illi enim ut honeste de iis quæ honesti speciem præ se ferunt, sentire solent, ita si honestum illud, quod optime comprehenderunt, assidua tractatione non reperiunt, parvipendere, et quos imperfectiores norunt, contemnere omnino solent... Domini (ergo) sacerdotum secreta debet esse conversatio a sæcularium laicorum. (*Conc. Aquileiens.* ann. 1596, *De vita et honest. cleric.*; S. Fabian. II Papa, q. 1, c. *Sicut sacerdotes.*)

Nec aliquos malos associent sibi, videlicet homines diffamatos vel mulieres ; quia sæpe consortia malorum hominum mores bonorum corrumpunt; etiam in modestia et sobrietate, et in munditia vitæ, etc. Debent enim esse assidui in lectione vel studio litterali ; talia enim decent presbyteros, non per villam discurrere vel tabernas, nisi in casu necessitatis, seu loca otiosa frequentare ; quia conversatio eorum debet esse secreta, et ab actibus laicorum remota... Mulieres vero majore adeunt

periculo quam fructu. (*Ex Synod. Eccl. Trecens.*; S. Francisc. Xaverius, *Ad rectorem Goa.*)

Militarium, aleatorum, infamium personarum conversationem declinent... Recedant etiam ab omni fratre inordinate ambulante et non secundum traditionem quam acceperunt... contestantis enim Apostoli vox est et in nomine Domini nostri Jesu Christi præcipientis. (*II Thess.* III, 6.) Recedendum porro a delinquentibus, vel imo fugiendum, ne dum quis male ambulantibus jungitur, et per itinera erroris et criminis graditur, a via veri itineris exerrans, pari crimine et ipse teneatur. (*Conc. Aquileiens.* I; S. Cypr., *De unitate eccles.*)

A mundanis etiam quibuslibet, ac sæcularibus conversationibus abstineant... Hoc enim uniuscujusque esse proprium solet, ut qualis ipse fuerit, tales sibi conjungi et alios velit, ut diversitatem vitæ refugiat, atque hoc imitandum imprimat quod amat. (S. Greg., lib. VIII *Moral.*, c. 30.)

Qui autem conversationibus gaudet mundanis, sæculum nondum se odisse ostendit... Et sæcularium etiam conversationes mentem a Deo segregant... Quot enim temporibus nostris fuerunt et sunt, qui tanquam ardentes lampades et mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ac frequenti sæcularium conversatione et confabulatione tepefacti ad prima opera sæcularis vitæ miserabiliter redierunt... *Commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et factum est illis in scandalum.* (*Psal.* CV, 35; S. Ephrem., parænes. 46; S. Nilus; S. Laurent. Justinian., *De disciplin.*, c. 12.)

Hominum inutilium familiaritatem fugiant... Nam, ut ait Bernardus, heu! quam avido cordis ore pravum hunc et pestilentem tepidæ conversationis attrahimus spiritum, et corrumpentem haurimus auram... Consortia juvenum, et maxime illorum, qui imberbes sunt, in quantum convenienter poterunt devitent... Et nonnisi magna adhibita diligentia circumspectioneque in congressum cum extraneis hominibus veniant... Sicut enim qui in aere pestilenti in morbos incidunt necessario, sic qui temere cum quibuslibet veniunt, in vitia illorum incurrunt. (S. Nilus, *Lib. ascet.*; S. Bern., serm. 13 *in Cant.*; Id., *Form. honestæ vitæ*, c. 9; S. Basil., *Constit.*, cap. 7.)

Tandem quia... tenenda est cum sanctis viris unitas charitatis; et quantum se quisque subtrahit mundo, tantum opus est ut se associet bonorum consortio.. ad eos se crebro conferant qui in sacerdotio constituti, in spiritualis vitæ studiis exercitationibusque versati atque ejusmodi sunt de quorum consilio vitam ad omnes sancte religioseque agendi rationes instituant... Ab his enim vivendi accipimus similitudinem, cum quibus conversandi hausimus cupiditatem... Et qui congreditur sapientibus, sapiens est... (*Prov.* XIII, 20.) Qui enim sancto viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis accipit, ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fugat, in desiderio lucis exardescat. (S. Isidor., *De summo bono*, lib. II, c. 3, sentent. 6; S. Bonavent., *Pharetr.* lib. IV, c. 22; *Conc. Mediol.* IV, *De vita et honest. cleric.*; S. Greg., *in Ezech.* hom. 5, apud Bonaventur., *Pharetræ* lib. IV, c. 22, *De societate.*)

SECTIO II.

Quænam in visu observanda.

1° Quia oculi sunt quasi fenestræ animæ, per quas mors intrat, et fures ac corruptores castitatis nostræ dum non custodiuntur... ideo oculis suis maxime pareat (clericus)... ne idem ipsi accidat quod prophetæ: *Oculus*, inquit, *meus deprædatus est animam meam.* (*Thren.* III, 51.) Non igitur solum animum, sed etiam oculos habeat continentes, ne vel ipse frontem sobrietatis fortuitus violet occursus. (S. Bonav., lib. II *Perfect.*, c. 39; Clem. Alexand., *Pædag.*; S. Bonav., *ibid.*; S. Amer., lib. I *Offic.*, cap. ult.)

2° Non circumspiciat in vicis civitatis, nec oberret in plateis illius, etc. (*Eccli.* IX, 7.) Sed... oculos ab inordinata evagatione et exaltatione diligenter custodiat... *Propter speciem* enim *multi perierunt et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit...* (S. Bonav., *ibid.*)

Unde Clemens Alexandrinus, Melius, inquit, esset labi pedibus quam oculis...

Idcirco humiliter demissos ut plurimum teneat oculos, elatum siquidem caput, sublimiores oculi, facies vultuosa nudam superbiam clamant... *Oculi stultorum*, inquit Sapiens, *in finibus terræ...* (*Prov.* XVII, 24.) *Et dilatatio cordis est exaltatio oculorum...* (*Prov.* XXI, 4.) Qui vero inclinaverit oculos suos ipse salvabitur. (*Job* XXII, 29; S. Bonav.)

3° Ut oculi illius semper videant æquitates... (*Psal.* XVI, 2.) Oculis Christum spectaturis nihil aliud, si fieri potest, dignetur aspicere... Aut si quid aliud aspicit, nulla curiositate, quin potius necessitate aspiciat... Magna enim sollicitudine et magno insuper studio danda est opera, ut mundari possit oculus, quo videndus est Deus...

Visum (ergo) fovendo contegat
Ne vanitates hauriat...
(*Hymn. Prim.*)

Et ne in oculis suis quasi hamo capiatur... (*Job* XL, 19.) Non enim satiatur oculus visu... (*Eccle.* I, 8). Et quisquis per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis incipit velle quod noluit. (S. Hier.; S. Bonav.; S. Bern., serm. 1 *in festo Omnium Sanctorum*; S. Greg., *in Job.*)

4° Cum per oculos cupiditas ineat primæ pugnæ præludia... faciem (in quantum patietur prudentia illa fraternæ societatis moderatrix) incedens, stans et sedens, habeat deorsum, et cor sursum revolvens in animo suo quod pulvis est... *Si enim oculus tuus fuerit simplex*, inquit Christus, *totum corpus tuum lucidum* erit; *si nequam, totum tenebrosum...* (*Matth.* VI, 22.) Unde Hieronymus: Non solum, inquit, ab opere in-

mundo, verum a jactu oculi, et cogitationis errore mens Christi corpus confectura sit libera. (Clemens Alex.; S. Bern., *Formula honest. vitæ;* S. Bonav., p. 1 *Speculi;* S. Hieron., *in Ep. ad Titum*, cap. 1.)

SECTIO III.

Quænam circa risum sunt observanda, etc.

Risus tuus sit rarus... Christus enim sæpius legitur flevisse, risisse nunquam. Et sapiens risum reputat errorem, et gaudio dicit, quid frustra deciperis?... Sacerdos etiam angelus est : angelus autem risum nescit Deo cum metu et pavore ministrans... Risus etiam tuus sit sine cachinno... Cachinnus enim præcipue gravitatem sacerdotalem plurimum dehonestat... Non enim decet virum ecclesiasticum, sicut de religioso dicebat sanctus Bonaventura, ut puerum cachinnare, aut labiis dissolutis risum proferre... Et, ut ait Basilius, in immanes cachinnos prorumpere non est moderati animi, aut plane probi... Risus ergo tuus sicut risus sanctorum... Non sit stulta cachinnatio labiorum, sed rationabile gaudium... Sobriam siquidem a turbis gravitatem et singulare pondus conversationis dignitas sibi vindicat sacerdotalis. (S. Basilius, *Admonit. ad filium spirit.;* S. Aug., serm. 35, *De sanctis;* S. Isidor. Pelusiot., lib. 1, epist. 319; S. Bonav., p. 1 *Speculi*, cap. 24; S. Basil., *Quæst. fus. disput.;* S. Chrysost., *Op. imperf. in Matth.;* S. Ambros., epist. 61.)

Risus igitur petulantiam odio insectare, si lumen esse vis... Unde si aliquando coram aliis positus, ridere alicujus rei gratia fueris compulsus, ut assolet, non sit risus tuus excussus... Et si eductus interdum, effusus nunquam... ita ut etiam dentibus careat... Nam juxta Sapientem, *amictus corporis et risus dentium, et gressus hominis annuntiant de illo...* (*Eccli.* xix, 27.) *Et fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit...* (*Eccli.* xxi, 25.) Sed *jucundus secundum faciem sanctorum...* (*Judith* xvi, 24), non exsultat nisi in Christo, et pro Christo. (S. Isidor. Pelus., lib. 1, ep. 319; S. Bern., *Formul. honest. vitæ*, cap. 6 et 15; S. Doroth , doctrin. 24; S. Bern., *ibid.* ex *Eccli.* xix; *Serm. de diversis.*)

Absit porro a nobis ut irrideamus quemquam, a quo primum incipit contumelia, ex quibus lites, pugnæ, etc. (*Jac.* iv, 1.) Propter charitatem convenimus, ne ergo inimicitias irridendo provocemus. (Clem. Alexandr., *Pædag.*, lib. ii, c. 7.)

Si vero sint nonnulli, qui libenter alios irrideant, nobis quidem tacendum est, et plena pocula a nobis transmittenda, lubricus enim et periculosus est ejusmodi ludus. (*Ibid.*)

SECTIO IV.

Quænam in locutione servanda.

Agnoscamus ut in vestitu, victu, risu atque incessu, sic in sermone ac silentio modum quemdam ac decorum tenendum esse; præsertim cum inter tot Dei virtutes ac nomina verbum quoque colamus... Senior, loquere, te enim decet, sed in perfecta scientia; adolescens, loquere etiam, sed si opus sit, et vix cum bis interrogatus fueris. Sermonem autem tuum paucis in summam redige... Interrogatus autem dico de re necessaria et utili, nam inutilem quæstionem silentium debet solvere. (S. Greg. Naz., orat. 38; Clem. Alexandr., *Pædag.*, lib. ii, c. 7; S. Vincent. Ferrar., *De vita spirit.*, c. 2.)

Tunc etiam loquaris, cum melior est sermo silentio : taceas si secus est... Tacendo enim disces quod postmodum graviter proferes... Ille enim loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit... Et sapiens, ait Ambrosius, ut loquatur multa prius considerat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. (S. Greg. Naz., *Orat.;* S. Petr. Dam., epist. 114; S. Greg., hom. 2 *in Ezechiel.;* S. Ambr., lib. 1 *Offic.*, c. 10.)

Tunc autem cum loqueris, sit tibi in sermone pondus, et in verbis modus... Ex sermone enim tuo justificaberis, et sermone tuo condemnaberis. (*Matth.* xii,37.) Quia vero magna quædam honestas est potissime in sacerdote temperare linguam, sacerdos debet discretum silentium, quantum potest, observare... ut linguam, quæ inter Deum et nos est quodam modo mediatrix a supervacui sermonis levitate compescat... Ideoque et ori ejus sit ostium ut claudatur uti oportet... Ita tamen os custodiat, ut affabilitatis gratiam non excludat... Et quia illud ostium apponere solius Domini est, dicat cum Propheta (*Psal.* cxl, 3) : *Ponè, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis...* Non sit ergo nimium loquax sacerdos, sed parce loquatur : tunc autem parce loquitur quando non loquitur nisi necessaria et utilia. (S. Bern., *De ordin. vitæ;* S. Ambr., lib. 1 *Offic.*, c. 3; *Synod. Lingon.* ann. 1404; S. Petr. Dam., *Contra ignaviam clericor.*, opusc. 6, c. 1; S. Ambr., lib. 1 *Offic.*, c. 3; S. Bern., *De consid.*, lib. iv, c. 6; *Synod. Lingon.*, supra.)

Dum est in consortio hominum loquatur de divinis præceptis, vel de evitandis peccatis, vel de exemplis sanctorum Patrum et similibus... Quid enim magis nos oportet loqui, quam de conversatione optima, adhortatione observationis, disciplinæque custodia? (*Synod. Lingon.*, supra; S. Ambros., lib. 1 *Offic.*, c. 22.)

Cum ergo ea tantum debeat loqui, quæ decent, sanam doctrinam sicut decet sanctos (*Tit.* ii, 1)... Non de fabulis, aut vanis verbis, aut rebus mundanis loquatur... *Nam ex abundantia cordis os loquitur...* (*Matth.* xii, 34) et *qui de terra est, de terra loquitur* (*Joan.* iii, 31); nos autem non de terra terreni, sed de cœlo cœlestes. *Eripuit* enim *nos Deus de præsenti sæculo nequam, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ...* (*Coloss.* i, 13); *Galat.* i, 4.) Unde *ipsi de mundo sunt*, inquit Christus *ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit; nos ex Deo sumus* (*I Joan.* iv, 5, 6), loquela

ergo nostra manifestos nos faciat. (*Synod. Lingon.*, supra.)

Sit ergo tibi amarus sapor mundanarum fabularum narratio. Et sicut aures tuas, sic et linguam tuam custodi a mundanis fabulamentis... mentem enim a Deo mundana colloquia separant... Quid, quæso, nobis cum fabulis, qui ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum accepimus? (S. Basil., *Exercitam.*, serm. 1; S. Ephr. *Encom. Psalmorum;* S. Ambr., lib. I *Offic.*, 20.)

Inter sæculares, inquit Bernardus, nugæ, nugæ sunt; in ore sacerdotis blasphemiæ. Consecrasti os tuum Evangelio, nugis ergo jam os aperire illicitum est, assuescere sacrilegium. (S. Bernard., lib. II *De consid.*)

Nec etiam sacerdos cantet cantilenas mundanas, quæ in se continent turpia interdum et inhonesta, et præbent occasionem peccandi. Si oportet eum in honesta societate cantare, cantet unum hymnum, aut aliud canticum ecclesiasticum. (*Synod. Lingon.*, supr.)

Caveat insuper summe sacerdos et quilibet clericus ne proferat verba detestanda aut pudenda.... obscenitatemque verborum, sicut opera ipsa exsecretur. (*Ibid.; Conc. Burdig.* ann. 1582.)

Nec etiam ea loquatur unde cachinni risusque solutiores exsistunt. (*Conc. Mediol.* IV, *De vit. et honest. cleric.*)

Nec dicteriis aut mordacibus utatur salibus, neve sacræ Scripturæ verbis ad profanos sermones abutatur. (*Synod. Aquens.* ann. 1585.)

Nec etiam scurrilia exerceat.... (*Conc. Remens.* ann. 1583.)

Cum enim ab omnibus Christianis, juxta Apostoli documentum, stultiloquium et scurrilitas sit cavenda, multo magis a sacerdotibus Domini, qui aliis exemplum et condimentum salutis esse debent, caveri oportet.... Unde concilium Agathense definit clericum scurrilem et verbis turpibus joculatorem ab officio retrahendum. (*Conc. Paris.* ann. 829, cap. 38; *Conc. Agathens.* ann. 420.)

Obscenitatem ergo verborum, dicacitatem, parasitiam... et fœdam ac illiberalem assentationem omnes detestentur, sicque non sint scurræ, non parasiti, non faceti, non dicaces.... Nec etiam profanis et sæcularibus ineptiis risum ulla ratione capiant. (*Conc. Bituric.* ann. 1584; *Conc. Burdig.* ann. 1585.)

Cum vero tempus inciderit ut necessario loquendum sit, et præstet loqui quam tacere; tunc os tuum aperiens cum timore Dei atque tremore, et capite demisso modeste et submissa voce verba facito... et neque elato, neque prolixo, neque præcipiti sermone utere. (B. Esaias, orat. 27; Clem. Alexand., *Pædagogi* lib. II, c. 7.)

Vox tamen ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans, qualem multi gravitatis specie simulare consueverunt, sed formam quamdam et regulam, ac succum referens virilem, etc. Ut enim molliculum et infractum vocis sonum, aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem ac rusticum. (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 19.)

Ipsum vero vocis sonum libret modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior... Elatus quidem clamor pronuntiationis est res insanissima.... et signum superbiæ.... Et quantum clamosus iste sermo a disciplinatis cavendus sit, ipse auctor disciplinæ ostendit, de quo per Isaiam scriptum (*Isa.* XLII, 1; *Matth.* XII, 19): *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.* (S. Ambros., lib. I *Offic.*, c. 18; Clem. Alexand., *Pædag.*, lib. II, c. 7; S. Bern., *De interiori domo*, c. 41; Hugo, *De institut. novit.*)

Absit etiam pertinax in familiari sermone..... et vehemens verborum contentio, inanis verborum victoria... Collatio enim inter servos Dei esse debet, non altercatio... et *servum Dei non oportet litigare.* (*II Tim.* II, 24.) Nam, ut ait S. Isidorus, sicut instruere solet collatio, ita contentio destruit: contentione siquidem destruuntur audientes... Satius autem est tacere quam contradicere, peccatum peccato addendo.... Nec etiam pro veritate, sed pro appetitu laudis certat contentiosum studium: verbis enim contendere, non est curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo sua dictio dictioni præferatur alterius... Contentionem item inter opera carnis septimo loco ponit Apostolus. (*Galat.* V, 20.) Quodam, inquit Hieronymus, quasi sacrato et eminenti inter vitia numero collocata... Sine contentione ergo colloquamur, non inani ac puerili animositate studentes alterutrum vincere, ut pax Christi potius vincat in cordibus nostris. Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. Et ubi regnat contentio non potest esse vera religio. (S. Ambr., lib. I *Offic.*, c. 22; Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 7; S. Ambr. *in II Tim.* II; S. Isidor., lib. III *Sentent.*, c. 14; S. Aug., lib. IV *De doctr. Christ.*, c. 28; S. Hieron.; S. Aug., *Poseiano adversus Arianos*, epist. 174; Adrian., *Resp.* apud Gratianum; S. Bern., *De modo bene vivendi*, serm. 17.)

Adsit vero (econtra) affabilitas sermonis quæ ad conciliandam gratiam valet plurimum; sed hanc volumus esse sinceram ac sobriam sine ulla adulatione. (S. Ambr., lib I *Offic.*, c. 20.)

SECTIO V.

Quæ in gestu et reliquo corporis motu servanda.

Quia vero species corporis simulacrum est mentis, ac figura probitatis... et vox quædam animi, hominisque cordis absconditi motus est corporis; ita ut, ex actibus exterioribus homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut gravior, aut constantior, et purior, et maturior æstimetur... In omnibus motibus clerici nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed

quod illius deceat sanctitatem. (S. Isidor., *Soliloq.*, c. 20; S. Ambr., lib. 1 *Offic.*, cap. 24; S. Aug. in c. 3 *Reg.*, ante med.)

Unde in ipso motu, gestu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cognoscitur. Et disciplina honestæ conversationis ex gestu et motu, sicut ex affectu et convictu perpendi potest... Cum enim quis spiritualiter vivit, hujus habitus ipse et incessus, et verba et actus, et omnia prorsus audientibus prosunt. (S. Ambros.; Hugo cardin., lib. *De discipl. monach.*; S. Chrysost., *Præfat. in Epist. ad Philemon.*)

Unde in concilio Mediolanensi v præscribitur ut cum quis ordinandus in examen venerit, ejus vultus et habitus corporis, et vestitus, et incessus, et gestus, et sermo inspiciatur diligenter. (*Constitut.*, part. III, tit. *De examinandi ratione.*)

Et sanctus Ambrosius (lib. 1 *Offic.*, c. 18) quemdam amicum, cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum ab illo non est receptus, quod gestus ejus plurimum dedeceret. Alterum quoque cum in clero reperisset, jussit ut nunquam præiret sibi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret suos. Uterque autem ab Ecclesia recessit, ut qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi monstraretur.

Neque vero bonum quidquam significare aut ominari videntur cervix non stata, humeri subsultantes, ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens et vagus, pedes instabiles et titubantes, nasus contumeliam et contemptum spirans, risus petulantes et effrenes, nutus et renutus temerarii, sermo hærens spirituque concisus. (S. Greg. Naz., orat. 2 *in Julianum*, de eodem Juliano loquens.)

Sit ergo gravis (clericorum) aspectus, collique conversio ac motus honestus et decorus, et manuum quoque in loquendo gestus. (Clem. Alex., *Pædag.*, lib II, cap. 7.)

Omnes omnino fugiant dissolutiones manuales, quales sunt aliquem ad cingulum vel manum extra necessitatem accipere, flores, fructus, vel baculum otiose gestare, cingulum inter digitos volvendo rotare. Hæc et similia honestati non consonant, sed puerilitatis et lasciviæ signum quodam modo prætendunt. (S. Bonav., part. 1 *Specul. instit. novit.*, c. 24.)

Ne manum mento sustentet; illiberale non est, et indecorum seipsum non ferre, idque datur vitio adolescenti. (Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 7.)

Sibili et digitis expressi soni, quibus accersuntur (alii), cum sint defectus rationis indicia, ratione præditis hominibus vitandi sunt. (*Ibid.*)

Aurium quoque fricationes, et sternutamentorum irritationes, sunt sulli pruritus, et confricationes quæ intemperantiam meditantur. (*Ibid.*)

Tædium autem et dormitationes, et pendiculationes, et oscitationes sunt instabilia animæ fastidia. (*Ibid.*)

Ne pedes sæpe permutet, aut sæpe moveatur, habitumque et figuram mutet; hoc enim signum est levitatis. (*Ibid.*)

Incedat porro sine modulatione gressuum, ventilatione brachiorum, gesticulatione scapularum, et sedeat sine alterutra injectione pedum : humilem enim et honestum pedes cancellare non decet. Nec alterum femur alteri superponat. (S. Bonav., part. 1 *Specul. instit. novit.*, c. 19; Clem. Alex., *Pædag.*, lib. II, c. 7.)

Sedens etiam non pigre in latus se reclinet, nec crura longe extendat, maximè præsentibus aliis. (S. Bonav., p. 1 *Specul. instit. novit.*, c. 20.)

Tandem indecoram quamcunque actionem caveant, præsertim in publico, ut puta notabiles corporis seu membrorum extensiones, frequentes oscitationes, similesque socordiæ actus, quos cum omnino vitare non potuerint, saltem pro posse moderentur, ne circumstantes offendant. (Id., *ibid.*, c. 24.)

SECTIO VI.

Quædam alia in conversatione servanda.

1° Esto gravis, sed non austerus, etc., ut neque de severitate sis oneri, neque de familiaritate contemptui... Gravem enim decet esse sacerdotem, sed minime fastuosum; terrificum, sed humanum; visenda majestate principem, sed omnibus tamen appellandum comem... Sit facies communis cum cæteris, intus vero dissimilis; hoc est non nimia gravitate contracta, nec nimia locutione dissoluta, sed bona quadam mediocritate regatur, ut de sancto Martino legitur : Faciem ejus non suscitavit mœror, nec levigavit risus. (S. Bern., *De consid.*, c. 4; S. Greg., *Moral.* lib. XX, c. 3; S. Chrysost., *De sacerd.*, c. 3.)

2° Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. (S. Bern., *Formul. hon. vitæ*, c. 15.)

3° Nemini tamen te multum familiarem exhibeas, quia nimia familiaritas parit contemptum, et subtractionis a studio materiam subministrat. (S. Thom., opusc. 68.)

4° Debent sacerdotes et clerici contentiones, rixas et lites vitare, neque in plateis sæcularibus litigare seu disputare. (*Synod. Lingon.* ann. 1404.)

Si aliquis dicat sacerdoti vel clerico injuriam, etc., debet patienter sustinere et tacere; et si viderit expediens de loco injuriæ recedere, recedat, ut in omnibus istis sequatur exemplum Domini nostri Jesu Christi, qui cum male tractaretur pro salute nostra, *non aperuit os* (*Isa.* LIII, 7); *et cum maledicetur, non maledicebat* (*I Petr.* II, 23); et cum Judæi dicerent ei plurima opprobria, exivit de templo, et abscondit se. (*Joan.* VIII, 59; *Synod. Lingon.*, *ibid.*)

Sit tibi simplicitas religiosa, et gravitas verecunda, omnibus enim nobis nulla virtus magis necessaria est. (S. Bern., *De ordin. vitæ*, et serm. 86.)

Serenitas exterior, quæ interioris est indicium, cernatur. (S. Bonav., p. I *Specul. instit. novit*, c. 24.)

Novissimum semper locum præoccupemus, non tamen pertinaciter de eo contendamus; alioqui simile quiddam eveniet, ac si de principali loco contendamus. Pugnax ea de re contentio damnanda, et cedendo potius ad veram humilitatem perveniemus. (S. Basil., *Reg. fus.*, resp. 21.)

Quæ foris audietis, ea revertentes nemini dixeritis. (Esaias abbas, *Ad fratrem junior.*, orat. 3.)

Quocunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo teramus. Tandem ut in omni conversatione vestra sancti sitis... (*I Petr.* I, 15.) In timore conversamini tempore vestri incolatus, scientes quod non corruptibilibus auro et argento redempti estis a vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine, etc. Satis enim fuit præteritum tempus ad faciendam gentium voluntatem. (Tertull., *De coron. militis*, c. 3; Clem. Alex., *Pædag.* lib. III, c. 4.)

CAPUT IV.

De clericorum habitu.

Clericalis habitus moderatio, non in veste solum, sed et in aliis debet elucere. Honestas enim clericorum, inquit synodus Remensis, consistit in tonsura capitis condecenti, in ornatu vestimentorum et aliorum; nec illud ignorare debent clerici. Ideo de singulis in sequentibus nobis dicendum est : 1° de veste clericali; 2° de tonsura, præcipuo capitis ornamento; 3° de reliquo corporis ornatu. Quæ enim circa tonsuras et vestes per canonica statuta fuerunt de honestate clericorum laudabiliter instituta, ea ab omnibus ecclesiasticis viris servari districte præcipit concilium Parisiense, imo et universalis Ecclesia. (*Synod. Rem.*, circ. ann. 1510; *Conc. Paris.* ann. 1428; *Conc. Constantiens.*, sub Martino V, sess. 43, tit. *De vita et honest. clericor.*, et *Trident.*)

SECTIO I.

De veste clericali.

Quia nonnulli qui non Ecclesiæ serviunt, sed mundo ac Satanæ..... vile æstimant et autumant inhonestum, in ordinum signis et insigniis, in tonsura scilicet et habitu eos decentibus conversari, et in publico apparere; quidam etiam in clero, sed non de clero, tenebris obscuratum habentes intellectum, dicere solent, num de vestibus cura est Deo, et non magis de moribus? sicque vana hac clericorum cum sæculo luxuriantium excusatione a plurimis jam sæculis præoccupata delusi, gravitate ecclesiasticæ religionis abjecta..... vestes deferunt publice laicales, ita ut propter eos blasphemetur nomen Dei in gentibus : ne quis deinceps in aliena et a suo statu peregrina veste incedens et suæ professionis insignia gestare contemnens sibi frustra de moribus blandiatur : audiant omnes quid de clericorum habitu, qui habitus religionis... habitus sancti nominis dictus est, dixerunt, statuerunt, ordinaverunt sancti Patres, Summi Pontifices, ipsa universalis Ecclesia. (*Synod. Spoletina* ann. 1583; *Edictum archiep. Colon.* ann. 1387; S. Bern., lib. III *De consid.*, c. 5; *Synod. Colon.* ann. 1371; *Pontific. Rom.*, orat. 2 *De clerico faciendo*; Salvian., *Ad Eccles. catholi.*, l. IV; *Synod. Colon.* ann. 1549, et Sidon., epist. 24.)

§ I. — *Quod oporteat clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre.*

Nullus eorum qui in cleri catalogum relati sunt vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque in itinere ambulans, sed utatur stolis (στολοῖς) quæ iis qui in clerum relati sunt attributæ fuere. Hoc enim præcipit concilium Quinisextum œcumenicum (sub Sergio, can. 21, ann. 692).

Concilium etiam Lateranense generale III : Clerici, inquit, qui relicto ordine et habitu lapsi in apostasiam, tanquam laici versantur, si in criminibus deprehensi, etc. Tales enim inter apostatas numerandos sanctorum Patrum statuta declarant. Et postea : Clericis vestimentis aut calceamentis, nisi quæ honestatem et religionem deceant, uti non liceat. Si quis autem contravenire præsumpserit, et commonitus emendare noluerit, excommunicationi subjaceat. (*Conc. Lateran.* III, sub Alexand. III, ann. 1179, part. XXVI, cap. 16; part. XXVII, cap. 4; dist. 23, c. *Clerici qui comam*, et cap. *Clericis*, De vita et honest. cleric.)

Concilium Viennense generale : Qui, inquit, abjectis vestibus proprio congruentibus ordini, alias assumere et in publico portare, rationabili causa cessante præsumpserit, professorum illius ordinis prærogativa se reddit indignum, etc. (*Conc. Vienn.* sub Clem. V, ann. 1311, et lib. III *Clement.*, tit. *De vita et honestat. cleric.*)

Concilium Constantiense œcumenicum : Inter cæteros prælatorum et clericorum excessus hoc maxime inolevit, quod, spreta in vestibus forma ecclesiasticæ honestatis, plurimi delectantur esse deformes, et cupiunt laicis conformari; quod mente gerunt habitu confitentur. Unde præter cætera quæ circa vestes, tonsuram et habitus clericorum tam in formis quam in coloribus, atque comam seu capillos vitamque et honestatem jura statuunt, et quæ nimium collapsa sunt, tam in sæcularibus quam in regularibus sacro approbante concilio innovamus et præcipimus diligenter observari, etc. (*Conc. Constant.*, sub Martin. V, sess. 43, *De vit. et honest. cleric.*, ann. 1414.)

Concilium Basileense œcumenicum : Vestimentis utantur prout sacri canones statuerunt. (*Conc. Basileens.* ann. 1431, in *Appendice*, inter reformationes de suppositis hujus concilii sub Eugenio V.)

Concilium Lateranense œcumenicum (ann. 1511) : In presbyteratus ordine constituti vestes colorum, quæ clericis a jure non prohibeantur, deferre debent usque ad talos saltem demissas, etc.

Concilium Tridentinum œcumenicum : Quia vero, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes; unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes ecclesiasticæ personæ, quantumcunque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio et beneficio, ac fructibus, reditibus ac proventibus ipsorum beneficiorum; nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum ac beneficiorum hujusmodi coerceri possint et debeant, secundum constitutionem Clementis V in concilio Viennensi editam quæ incipit : *Quoniam innovando et ampliando.* (*Conc. Trident.*, sess. 14, *De reformat.*, c. 6.)

Hæc quæ a Patribus magna Spiritus sancti luce perfusis in œcumenico concilio Tridentino, de vita et honestate clericorum graviter et sapienter præcepta sunt, ea omnes assidue meditari atque observare studiosissime debent, inquit concilium Limense. (Ann. 1683.)

Innocentius III : Clerici qui sunt de apostasiæ crimine infamati, qui videlicet abjecerunt habitum clericalem, non sunt in sæculari habitu tolerandi, sed per districtionem ecclesiasticam coercendi. (Innocent. III, *Constit.*, circa ann. 1210, cap. *Tuæ*, De apostatis.)

Honorius III, archiepiscopo Turonensi, circa annum 1220 : A nobis expetiit tua fraternitas edoceri quid de apostatis sit agendum, cum in custodia detinentur, qui minis vel blanditiis nullatenus possunt induci ut abjectum habitum reassumant. Ad quod tibi breviter respondemus, quod tales, si volueris, poteris sub gravi custodia carcerare, ita quod solummodo vita sibi misera reservetur, donec a suæ præsumptionis nequitia resipiscant. (C. *A nobis*, De apostatis.)

Et Sixtus V : Cum sacrosanctam Dei Ecclesiam, quam Salvator noster suo pretiosissimo sanguine acquisivit, sponsam sibi elegerit, et nobis licet indignis custodiendam tradiderit, eidem sine ruga, sine macula, atque in omnibus suis membris placentem conservare debemus, ut in ea omnia ordinata, singula distincta, cuncta interius exteriusque pietatem et devotionem redolentia inveniantur, et ut ineffabilibus circumamicta varietatibus speciosa in oculis suis appareat, quantum favente Deo valemus, id-ipsum munus exsequi decrevimus. (Sixt. V, ann. 1589, in bulla quæ incipit *Cum sacrosanctam.*)

Quare animadvertentes quod qui in sortem Domini ad ejusdem Ecclesiæ decus et ornamentum sunt vocati, et ex eo clerici nomen consecuti, quique censu ecclesiastico vivunt, singulari aliquo signo a reliquo populo distingui debent, ne cui eorum jure dici possit : *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* (*Matth.* xxii, 12.)... Et eorum plerique, clericali honore neglecto, in vestibus laicalibus incedentes, eo se mirifico indignos privilegio reddiderunt. Quapropter licet sacris conciliis generalibus et apostolicis constitutionibus certus circa eorum qui clericali charactere insigniendi sunt, habitum, ætatem, et alias qualitates sit præscriptus modus, et contra clericos in habitu clericali et tonsura non incedentes, imposita pœna, nempe ut gratiis et privilegiis clericalibus minime gaudeant; tamen cum injuria temporum, et forsan dormientibus pastoribus inimicus homo letiferam transgressionis zizaniam superseminaverit;

Nos propterea, etc. Ne quis nimia sive pastorum sive temporum indulgentia et impunitate seu oscitantia cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu, et propriæ salutis dispendio de cætero abutatur, hac nostra perpetuo valitura constitutione præcipimus et mandamus omnibus et quibuscunque clericis, non solum in sacris, sed etiam in aliis minoribus ordinibus constitutis, et clericali tantum tonsura insignitis, et nedum beneficia ecclesiastica qualiacunque etiam simplicia nunc et pro tempore obtinentibus, et in illis vel ad ea jus habentibus, verum etiam pensiones super reditibus aut proventibus quarumcunque Ecclesiarum, etc., ut ipsi et eorum quilibet quantumvis excepti exsistant, etc... debeant tonsuram et habitum clericalem, vestes scilicet talares, etc., quacunque remota excusatione, assumere, et jugiter deferre, etc. Alioquin et ipsos et ipsorum quemlibet, etc., præter alias pœnas contra eos inflictas beneficiis necnon pensionibus, etc. Ipso facto privatos declaramus, etc. (Sixt. V, *ibid.*)

Quæcunque in hac bulla sancita sunt debite observent clerici, inquit concilium Tolosanum. (Ann. 1590.)

Item Joannes Garcia presbyter cardinalis, S. D. N. Papæ vicarius generalis, in edicto quod ex mandato Urbani VIII Summi Pontificis publicavit anno Domini 1614 : Præcipimus, inquit, et statuimus de mandato domini nostri Papæ Urbani VIII, ut omnes qui sacris ordinibus initiati sunt, vel qui possident beneficia ecclesiastica, aut cum stipendiis serviunt in ecclesiis, gestent tonsuram clericalem, etc., et omnes gerant vestes, sive, ut vocant, subtanas a collo usque ad talos demissas, et desuper præcinctas, etc.

Quamvis autem supradicta generalium concilium Summorumque Pontificum decreta ad auctoritatis pondus abunde sufficiant, si quis tamen clericus, in

disciplinæ et externæ compositionis suæ negotio studiosior, percurrere velit singulas Ecclesias, omnes profecto licet remotioribus locorum intervallis dissitas in discernendo clericorum a laicis habitu communibus votis junctas intelliget. (Chamillard., *De tonsura et habitu cleric.*)

Præter concilia centum et quadraginta, sive generalia sive nationalia, sive provincialia, a priscis Ecclesiæ temporibus ad hunc usque senescentis orbis languorem, per succedentium sæculorum curricula nunquam interrupta serie hac de re congregata, et præscindendorum capillorum, necnon talaris vestis deferendæ renovatas sanctiones observabit. Ducentas etiam et plusquam quinquaginta diœcesanas synodos in idem disciplinæ negotium conspirasse reperiet.

Quod si non parvæ stultitiæ constat, si quis cujuslibet unius hominis sano consilio acquiescere detrectat, quanto magis, inquit Apologeticus *Decretorum* Gregorii VII, reprehensibile videtur, si quis impudenter resistat hujusmodi conciliorum statutis, non unius, sed plurimorum sapientum auctoritate et judicio prolatis atque probatis.

Quia vero provincialia illa concilia et synodi arctiori quodam vinculo constringant eos qui in ejusmodi locis commorantur, quædam tantum hic in Gallia congregata referre sufficiet. Concilium Agathense nationale ann. 506 (Can. 50; refert. dist. 23, c. *Clerici qui comam*) : Vestimenta vel calceamenta eis, nisi quæ religionem deceant, uti vel habere non liceat.

Concilium Matisconense (ann. 581, can. 2) : Ut nullus clericus sagum, aut vestimenta, vel calceamenta sæcularia, nisi quæ religionem deceant, induere præsumat.

Suessionense (ann. 744, can. 3) : Omnes clerici fornicationem non faciant, nec habitum laicorum portent.

Concilium Meldense (ann. 845, c. 37, anno sequenti Parisiis absolutum) : Ut quicunque ex clero esse videntur, armati non incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus et religioso habitu præbeant; quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores, et ecclesiasticæ sanctitatis profanatores proprii gradus amissione multentur.

Concilium Metense (ann. 888, c. 6) : Ut nemo clericorum indumenta laicalia induat, etc.

Concilium Turonense (ann. 1230) : Hujus approbatione concilii prohibemus ne sacerdotes in publico incedant sine cappis clausis, vel in mantellis; clausa etiam habeant supertunicalia.

Concilium Montispessulanum (ann. 1258, cap. 3) : Perpetuo statuto duximus ordinandum quod clerici, etc., qui tonsuram dimiserint, aut in habitu non vixerint clericali, etc., a taliis sive quæstis ab Ecclesia minime defendantur, ut qui honore clericali se indignos reddiderint, ejus beneficio nullatenus foveantur.

Concilium Rothomagense (apud Pontem Audomari) ann. 1279 : Placuit sancto concilio promulgare quatenus in singulis parochialibus ecclesiis et locis publicis moneantur diebus Dominicis et festivis a se distantibus ter clerici ut deferant tonsuram et habitum congruentem; alioqui si ter moniti non resipuerint, etc., et clerici in apostasia tonsuræ vel habitus clericalis permanserint, etc.

Concilium Noviodunense (ann. 1344) : Auctoritate præsentis concilii statuimus injungentes omnibus decanis, capitulis et judicibus ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientiæ quatenus clericos et canonicos sibi subjectos moneant, ut incedant in tonsura et habitu congruis et decentibus, eosdem ad hoc per subtractionem distributionum et alias pœnas canonice compellentes.

Synodus Lingonensis (an. 1404) : Portent sacerdotes et clerici vestes clericales, etc.

Concilium Parisiense (ann. 1428) : Districte præcipimus omnibus ecclesiasticis viris, ut circa tonsuras et vestes servent ea, quæ per canonica statuta fuerunt de honestate clericorum laudábiliter instituta, etc.

Concilium Remense celebratum ann. 1455 : Quoniam domini episcopi, qui cæteris exemplum esse debent, et ea quæ in divinis Scripturis et sacris canonibus ac juribus statuuntur, in seipsis maxime observare, ipsi, habitus honestos, superlunaribus amictos, prout jura volunt, tam in suis diœcesibus quam extra deferant, non nimis breves aut viles, sed nec nimis curiosos.

Monemus omnes et singulos quatenus suos subditos ecclesiasticos ad honeste et cum habitu condecenti incedendum impellant. (*Ibid.*)

Synodus Tullensis : Vestibus utantur non reprobatis a jure.

Concilium Senonense (ann. 1527, sub Clemente VII, *Decret. morum*, decret. 23) : Omnes clericos maxime in sacris constitutos admonitos esse volumus, etc., ut professionem suam probent habitu, scilicet, ut per decentiam habitus extrinseci, intrinsecam morum honestatem ostendant. Et postea : Vestes sint talares, etc.

Synodus Xantonensis (ann. 1541) : Honestum habitum deferant secundum quod in concilio et synodo statutum est.

Synodus Parisiensis (ann. 1557) : Præcipimus eis ut vestes ordini ecclesiastico congruas, utpote talares, deferant, etc.

Synodus Lugdunensis (ann. 1566) : Vestes sint talares, etc., in quibus clericalis honestas, etc.

Synodus Carnotensis (ann. 1575) : Vestes suo ordini congruentes in signum vitæ purioris deferant.

Conventus Melodunensis (ann. 1579, sub Greg. XIII, *De vita et honest. cleric.*) : Clerici vestes non peregrinas, sed ordini congruentes deferre cogantur, ut quondam generali concilio statutum est.

Concil. Rothomagense (sub Greg. XIII, ann. 1571, capitul. *De curatorum et aliorum presbyterorum offic.*,

num. 9, et ab eodem approbatum et confirmatum) : Oculus, inquit, incessus, vultus ac vestitus annuntiant de homine, ut Scriptura tradit. Idcirco nec in exteriori cultu presbyteri sint negligentes. Probrum est nostræ provinciæ a plerisque etiam ditioribus affectari sordes in familia, in vestibus atque in ecclesiis, sacramentis et altari, quod immundi cordis est indicium ; alii contra præsertim nobiliores clerici exquirunt delicias, ac sui status et ordinis pertæsi, more induuntur sæculari. Omnes ut revocemus ad modestiam, hortamur ac præcipimus ut tonsuram in capite et coronam habeant suis ordinibus congruentem et honeste rasam, etc. Et vestibus oblongis minime laceris, aliisque omnibus vestimentis ecclesiasticæ dignitati et modestiæ convenientibus utantur. Qui si postquam ab episcopo suo per edictum publicum moniti fuerint, non paruerint, per suspensionem ab ordinibus, ab officio et beneficio, ac fructibus beneficiorum, etc., coerceantur.

Concilium Remense sub eodem Gregorio XIII approbatum et confirmatum (ann. 1583) : Veste ecclesiastica, inquit, eaque talari ac decenti utantur omnes clerici, nec sine illa pallium breve, aut longum deferant, etc. Eamdem autem pœnam inobedientibus imponit ac concilium Rothomagense supra relatum.

Concilium Burdigalense eodem anno et ab eodem Papa approbatum : Clericos, inquit, gestu, vultu, habitu et vestitu statum et ordinem suum profiteri decet. Quapropter omnibus qui sacris ordinibus initiati sunt, vel qui beneficia ecclesiastica etiam simplicia obtinent, præcipimus ut tonsuram et habitum clericalem ordini suo atque dignitati congruentem gerant, etc.; et vestes eorum sint talares.

Concilium Turonense eodem anno, et ab eodem Gregorio XIII approbatum et confirmatum : Omnes ecclesiasticos tam sæculares quam regulares, honestos et ordini suo convenientes habitus deferre jubet hæc synodus. Et postea : Iisdem quoque synodus sub pœna carceris præcipit, etc., ut togis talaribus utantur.

Concilium Bituricense (ann. 1584) a Sixto V confirmatum : Quicunque, inquit, sacris initiati sunt, aut beneficia etiam simplicia obtinent, eo vestitu atque habitu corporis utantur, quo suum ordinem testentur.

Et postea : Clerici omnes tonsuram gerant, etc.; vestibus talaribus utantur.

Concilium Aquense (ann. 1585) sub Sixto V et ab eodem approbatum et confirmatum : Sciat quisquis sibi ad examen pro quocunque ordine suscipiendo aditum aliter non patere, quam si decenti habitu clericali indutus et cum congrua pro sui status et ordinis ratione corona, sese coram examinatoribus sistat.

Et infra : Qui vero aliquo minore majoreve ordine initiandus est, testimonium afferat de habitu clericali post ordinem susceptum a se continuo gestato (quod etiam exigit concilium Burdigalense ann. 1624).

Et postea (*Conc. Aquens.* ann. 1585) : Vestes coloris tantum nigri ac simplices adhibeant ; exteriorem quidem talarem, interiorem autem saltem usque ad tibiæ medium, quanquam in civitate talaris utraque esse debet, etc. Qui vero clericus cujusvis etiam gradus, ordinis et dignitatis non obtemperaverit, is præter pœnas jam inflictas aut salutari pœnitentia, etc., aut suspensione ab ordinum munere, et beneficiorum administratione, aut ipsis etiam beneficiis, aut carcere, aut exsilio, aut pluribus simul ex iis pœnis, aut etiam gravioribus pro modo culpæ episcopi arbitratu multetur, etc.

Concilium Tolosanum (ann. 1590) : Quo major ordini auctoritas concilietur, honesto decentique habitu incedant clerici ; quæcunque super hac re a sanctissimo domino nostro Sixto V sancita sunt, debite observent ; vestem talarem utramque, si fieri potest, adhibeant ; sin minus, exteriorem saltem, alteram vero ad suræ imum demissam, etc.

Synodus Parisiensis (ann. 1620) : Omnes sacerdotes vestes talares semper ferant.

Idem ait synodus Sylvanectensis (ann. 1626).

Concilium Avenionense sub Clemente VIII (ann. 1590), et a sacra congregatione Cardinalium concilii Tridentini interpretatum, emendatum et approbatum : Habitus clericorum sit decens et honestus, etc.

De clericis autem beneficiatis, vel in sacris constitutis, vel pensionem aureorum sexaginta obtinentibus, ait idem quod Tolosanum supra de omnibus clericis.

Ex his omnibus et multis aliis conciliorum hac de re decretis, quæ et in concilio Tridentino non obstantibus consuetudinibus quibuscunque confirmata sunt : et a posterioribus etiam conciliis ad hæc usque tempora renovata ; facile colliget quilibet clericus saltem in sacris constitutus, aut quæcunque beneficia ecclesiastica obtinens, non posse sine peccato vestem deserere clericalem, cum ejus sicut et tonsuræ desertionem sancti Patres, concilia, Summi Pontifices temeritatem vocent, præsumptionis nequitiam, excessum qui clericali honore, seu clericali prærogativa reddit indignum ; sacrorum canonum contemptum, et ecclesiasticæ sanctitatis profanationem ; gravem et perversum nimis abusum, in quo Deus irrideri dicitur, obscuraturque decus Ecclesiæ, clericalis ordinis celsitudo deprimitur ; Christus a suis militibus ferentibus insignia aliena deseritur, decus honestatis Ecclesiæ maculatur, dum clericum a laico respiciens oculus non discernit, fit omnibus vere fidelibus in scandalum et in despectum ; religionis etiam dedecus, nominis Dei contemptum, ac propriæ salutis dispendium ; apostasiam, quam carcere, exsilio, privatione privilegii fori ecclesiastici, nec non redituum ac beneficiorum, suspensione etiam ac aliis censuris ecclesiasticis et pœnis canonicis multandam existimant ac decernunt (passim in conci-

liis), ut sic sæculo reddantur, quos sæculo malle servire quam Deo vita et vestitus ipse annuntiant. Ac sic tandem a castris Dominicis, quibus ascripti sunt, profugi et apostatæ coerceantur, et a sæculo ad sinum matris Ecclesiæ revertantur. (*Conc. Trid.*; Honor. III *ad archiep. Turon., De apost.*, cap. *A nobis; Conc. Montispessul.* ann. 1253; *Conc. Moguntin.* ann. 1423; *Conc. Meldens.* ann. 845; refert. 23, qu. 8, *Quicunque ex clero; Conc. Londin. nationale* ann. 1248; Sixtus V; *Conc. Lateran.* III ann. 1179; Eugen. I *ad Sarenox. episc.*, ann. 654, cujus verba in hoc concilio referuntur; Innocent. III, circa ann. 1210, cap. *Tua*, De apostatis; *Conc. Rothomag.* ann. 1279; *Synod Ebroic.* ann. 1576; *Conc. Triburiens.* ann. 895, can. 27.)

Quis post hæc clericum sui ordinis insignia temere deserentem excusare audeat? Quis illum innoxium æstimet, qui sanctum amictum illusit? Quis a crimine liberum, qui talem abnegationem admisit? (Theodorus Balsamon, *Canon. apostolorum.*)

Nusquam ergo, nisi in habitu clericali, decenter incedant clerici. (*Conc. Oxoniens.* ann. 1273.)

Nusquam domo exeant non clericalibus vestibus induti. (*Synod. Cremensis* ann. 1590.)

Nusquam ne domi quidem suæ ullam, quæ clericum minus deceat, vestem adhibere audeant. (*Synod. Amerina* ann. 1595.)

Contrarias vero consuetudines tanquam pessimas, juri divino et positivo ac rationi contrarias, et ex corruptela introductas rejiciant. (Has enim qui sequuntur) crudeliter famam suam negligere, et cleri statum deformare non dubitent. (*Edictum archiep. Colon.* ann. 1337.)

Sciatque tandem quilibet e clero, quod qui etiam nigris simpliciter vestibus fuerit indutus ab episcopo ut clericus fieret, amictum amplius mutare non posse, ut qui Deo consecrari proposuerit; et ideo nec suam Deo pollicitationem rescindere, nec sanctum habitum, artificum scænicorum instar ludificari possit. (Theod. Balsamon, in can. 14 conc. VII.)

§ II. — *Cur oporteat clericos vestes decentes et proprio congruentes ordini semper deferre.*

1° Beatissimus Paulus, inquit concilium Coloniense (ann. 1536, sub Paulo III, part. II, cap. 26), habitus modestiam et in mulieribus desiderat, quem vult verecundum esse, *non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* (*I Tim.* II, 9, 10.) Itidem apostolus Petrus eas commendat, *quarum non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* (*I Petr.* III, 3, 4.)

Quam turpis ergo putanda est in clericis tanto gradu sublimioribus deformissima illa ac frequentissima nostræ tempestatis habituum variatio quam ne inferiori quidem vasculo apostolorum principes permittendam duxerunt. (*Ibid.*)

Ex veste apud homines sanctimoniæ opinionem aucupari prohibuit Christus (*Matth.* II, 3), qui in omnibus operibus nostris, id quod intus est primum respicit mundarique jubet, deinde quod deforis est; væ illud horrendum Pharisæis hypocritis interminans qui, ut viderentur ab hominibus justi, dilatabant phylacteria sua et magnificabant fimbrias, cum essent intus pleni rapina et immunditia. (*Ibid.*)

Interim tamen Evangelium non temere vestimentum Joannis Baptistæ, quod illius professioni ac menti respondebat, de pilis camelorum contextum celebrat, ac ipse Christus vestium mollitiem ac levitatem aversatur: *Ecce*, inquiens (*Matth.* XI, 8), *qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* (*Ibid.*)

Quæ omnia huc spectant ut velimus clericos præter tonsuram, vestes quoque proprio ordini congruentes deferre, quemadmodum olim generali concilio cautum est. (*Ibid.*)

2° Ut Christi militia, laudibus deputata divinis, non solum vita, gestis et moribus, sed et habitu a militia secernatur humana. (*Conc. Herbipolense nationale*] ann. 1247.)

3° Clerici, inquit Anicetus, quia laicis et simplicibus, virtutis, honestatis, pudicitiæ et gravitatis exemplar esse debent, ac seipsos tanquam signum puritatis vitæ, rudioribus ad imitationem prudenter exhibere; ideo sicut discreti debent esse in conversatione, ita et in tonsura, et in omni habitu discreti appareant. (Anicetus, *Epist. decretal. ad omnes episcopos Galliæ*, in fin.; refert. dist. 23, can. *Prohibete.*)

4° Clericalis stolæ, inquit synodus Leonensis (ann. 1629), momentum est tale ut de ejus occursu vitia suffundantur, mores improbi erubescant; et sicut scriptum est in septima synodo a superioribus usque temporibus omnis vir sacerdotalis cum moderato et honesto indumento versabatur, ut scilicet per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem ostenderet.

5° Hoc enim requirit honestas status clericalis et ordinis... Nam sicuti clericorum honestas intus per morum compositionem in animo esse debet, ita quoque in habitu exteriori ad populi ædificationem, et ad sui etiam ipsorum atque totius clericalis ordinis reverentiam et dignitatem elucere maxime oportet. (*Conc. Gnesnens.* ann. 1532; *Synod. Hortanens.* ann. 1586, cap. 1, *De vita et honestate clericorum.*)

6° Et quoniam magis oculis quam auribus credunt homines, et bona exempla voces edunt omni tuba clariores, necesse est ut sacerdos bonum præbeat exemplum, tam in suo vestitu quam in reliquis suis actionibus. (*Synod. Urgellens.* ann. 1580.)

7° Vestitus, secundum Scripturas, sicut sermo, incessus et vultus annuntiant de homine, ideo

sicut omnis sacerdos ab hominibus segregatur, et assumitur, in his quæ sunt ad Deum, ita debet eximi et separari ab hominibus sæculo et mundo servientibus, sive in sermone, sive in exteriori quocunque habitu et gestu, ut internoscatur servire Deo et non mundo. (*Synod. Ebroicens.* ann. 1576.)

8° Illi nempe necesse est sint cæteris norma vivendi, a quibus ii legem instituendæ vitæ requirunt, eorumque nomina oleum effusum, qui sanctæ unctionis oleo sunt perfusi ; et quanto perfectior est ordinis gradus quo sunt insigniti, tanto magis disciplinæ sanctitate, morumque sanctimonia cunctis studeant antecellere. Et quando quæ oculorum subeunt aspectum, ea etiam interioris animi speciem injiciunt, eam idcirco ecclesiastici quicunque in victu et vestitu ineant rationem, quæ cæteros a depravata vivendi ac vestiendi consuetudine possint revocare. (*Synod. Bononiens.* ann. 1634.)

9° Ut ex eorum exteriori habitu, possit interior quodam modo deprehendi, ac ita luceant opera eorum, ut populo sint tanquam lucerna ad propulsandas mundi tenebras, et dirigendos eos in viam pacis. (*Synod Turon.* ann. 1557.)

10° Cum ergo etiam, ut inquit concilium Londinense, sancti Evangelii Veritas (*Matth.* xxii, 12, 13) hominem nuptialem vestem non habentem jubeat foras mitti, quanquam de virtutum ornatu dictum esse illud sacra expositio doceat; quia tamen per exteriorem habitum sæpe interior designatur, oportet hunc exterius talem esse, ut ei qui debet interius esse, verisimiliter coaptetur, ne ex habitus forsan indecentiis, qui eum gestat, in scipso vilis appareat, aut corda videntium pro facilitate judicii scandalizet, provide tam ab antiquis, quam a modernis Patribus tradita est moderatio, quam clerici, qui juxta nominis impositionem in sortem Domini sunt vocati, in habitu exteriori sequantur, qui se lumbos præcingere, et lucernas ardentes gerere manibus edocent. (*Conc. Londinens. national.* ann. 1248.)

11° Ideo quo major ordini auctoritas concilietur. (*Conc. Tolos.* ann. 1590.)

12° Clericalis ordinis honor debitus servetur. (*Conc. Axoniens.* ann. 1222.)

13° Ne etiam a populo contemnantur Ecclesiæ ministri... Desertio enim clericalis habitus eos in magno apud omnes contemptu ponit... Constans semper a primis Ecclesiæ sæculis in clero regula servetur, ut clerici habitum ordini suo et statui convenientem, ac qui religionem apprime deceat, tanquam vitæ ac morum insigne semper deferant. (*Constitut. provinc. Spolatensis et Jadrensis* promulgat. ann. 1578; *Synod. Amerina* ann. 1595, cap. 65; *Conc. Aquileiens.* ann. 1595, tit. *De vita et honestat. cleric.*)

14° Ut ex ipso clericali habitu obstrictos se obligatione modestiæ et temperantiæ cognoscant. (*Ibid.*)

15° Et quia clericalis sinceritas et modestia ecclesiastica non minus ex honesto habitu, quam ex honestis moribus ostenditur, et talis quis esse præsumitur, qualis ex habitu judicatur, ita ut per vestium indecentium delationem sacerdotalis dignitas vilescat... et per honestatem habitus demonstretur honestas, modestia et gravitas, quæ virum religiosum decet, in habitu clericali, nusquam autem sæculari clericus incedat. (*Synod. Veron.* ann. 1540; *Synod. Turon.* ann, 1575.)

16° Nec suæ tandem sortis, calicis et hæreditatis Domini immemor, clericalem tanti momenti ad existimationem ecclesiasticam conservandam ornatum induere renuat. (*Conc. Burdig.* ann. 1624.)

17° Sed quanto honestioribus poterit indumentis utatur, ut ex illis qualis sit, non modo cognosci, sed etiam honorari possit; cum aliter mali animi argumentum sit, ut quid quis sit, illud videri. Nulli ergo liceat, nisi aliud necessitas exegerit, habitum transformare. (*Synod. Veron.* ann. 1542.)

18° Grave enim scandalum inde laicis generatur. (*Conc. Londin.* ann. 1237.)

19° Sed sicut cæteris dignitate præeminent (clerici), sic plenius et formam et exemplum exhibeant sanctitatis... Ita ut vestitus etiam ipse tanto in illis sit decentior, quo sunt altiori loco, proindeque atque in specula quadam constituti. (*Conc. Eboracense* ann. 1194; *Conc. Colon.*, ann. 1238.)

20° Porro quia perseverantiam in bono studio figurat tunica talaris, quam induit Joseph in præfiguratione corporis Domini; (ideo) et nos clerici eam portamus, sive in quotidiano usu, sive in ecclesiastico. Ex ea nempe admonemus populum Dei ut usque ad finem mundi satagat se operire bonis operibus. Unde Gregorius in *Moralibus :* Quid est, inquit, talaris tunica nisi actio consummata? Quasi enim prætensa tunica talum corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos usque ad vitæ nos terminum tegit. (Amalar, Fortunatus, lib. iv *De eccl. Offic.*, cap. 33; Gregor., *Moral.*, lib. i, cap. ult.)

21° Tandem nigra vestis insinuat humilitatem mentis, vile vestimentum denuntiat mundi contemptum. Nunc ergo moneo te ut habitum, quem ostendis specie, impleas opere. Obsecro te ut habitum ordinis bonis ornes moribus. Sanctus est habitus, sanctus sit animus : sicut sancta sunt vestimenta, sic opera tua sint sancta; non aliud abscondas intus, et aliud ostendas foris; non sis aliud in secreto et aliud in publico; qualis vis haberi, talis esto; qualis es in vultu, talis esto in actu. (S. Bern., *De modo bene vivendi*, serm. 9.)

§ III. — *Qualis debeat esse clericorum vestis.*

Et si habitus non facit monachum, in clero tamen magnum indicium est, ut ait Salomon (*Eccle.* viii, 1), ejus quod in corde latet.... Habitus quippe decentia vitæ animique clericalis integritatem ostendit... Oportet etiam personas ecclesiasticas esse ornatas exterius... Quamquam vero clericalis sinceritas et modestia ecclesiastica non minus ex honesto

habitu quam ex honestis moribus ostenditur, et talis quis esse præsumitur qualis ex habitu judicatur : complures tamen clerici ad hoc non advertentes, etiam in sacerdotio constituti, tam curati quam non curati, rejecta honestate dissolutos habitus, suoque statui deformes etiam in ecclesiis et publicis conventibus deferre non verentur : sunt et alii qui tam vilibus utuntur vestimentis, ut potius operum locatores quam Missarum celebratores videantur : et cum pariter et affectatæ sordes et exquisitæ deliciæ damnentur.... Quia tamen, quod probrum est nostræ provinciæ, a plerisque etiam ditioribus affectantur sordes in vestibus, etc., quod immundi cordis est indicium ; alii contra, præsertim nobiliores clerici exquirunt delicias, ac sui status et ordinis pertæsi more induuntur sæculari. (*Synod. Aleriens.* ann. 1571 ; *Synod. Concordiensis* ann. 1587 ; *Synod. Carnot.* ann. 1526 ; *Synod. Veron.* ann. 1542 ; *Conc. Rothomag.* ann. 1581.)

Omnes ut revocemus ad modestiam... (*Ibid.*) Et ut omnia scandala omnesque occasiones laicis subtrahantur. (*Conc. Melphitanum*, cui præfuit Urban. II, can. 13, ann. 1090.)

1° Ne pomposis induantur exuviis clerici. (*Ibid.*) Pensandum est namque quantum viris flagitii ascribatur, a quibus curam Pastor Ecclesiæ exigit et feminas prohibere, dicens : *Non in veste pretiosa* (*I Tim.* II, 9), quam Dominus ipse vituperans nobisque cavendam insinuans, ait : *Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt....* (*Matth.* XI, 8.) Mollibus enim vestimentis delectatur regis curia, asperis vero et humilibus delectatur Christi Ecclesia. Unde sanctus Bernardus : In hoc cognoscimus quod sæculum diligimus quia pretiosa vestimenta amamus : qui sæculum non diligit, pretiosa vestimenta non quærit, sed vilia.... Inspecto etiam clericorum elato et superbo habitu sæculares scandalizantur, et exinde assumunt exempli perniciem, et inhonestatis signum, unde deberent reperire normam totius condecentiæ, humilitatis et devotionis exemplum : ita quod pereunti populo viam perditionis ostendunt, qui debuerant esse doctores ad vitam... Non ergo sint pomposæ clericorum vestes. (S. Bern., *De modo bene vivendi*, serm. 9 ; *Synod. Atrebat.*, circa ann. 1490.)

2° Nec splendida : omnis enim luxus et ornatus corporeus est a sacerdotali statu alienus. Episcopos ergo vel clericos, qui se splendidis et insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet, sin autem permaneant supplicio tradi... A superioribus enim usque temporibus omnis vir sacerdotalis cum moderato et honesto indumento versabatur : quidquid enim non propter usum, sed ostentatorium ornatum assumitur, in nequitiæ reprehensionem incurrit, ut ait Basilius Magnus... Nemo autem vult pretiosis vestibus indui, nisi ubi ab aliis possit videri... unde nemo existimet in cultu atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse, quia si hoc culpa non esset, nullo modo Joannem Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset... (*Matth.* XI, 8.) Dicat igitur quilibet clericus cum sancto Augustino : De pretiosa veste erubesco. Et iterum : Non decet hanc professionem, non decet hanc admonitionem, non decet hos canos... *Non in veste pretiosa*, clamat Apostolus. (*I Tim.* II, 9.) Clamatur autem specialiter ad feminas, ut erubescat in se deprehendi episcopus, quidni et clericus, quod in fragiliori quoque sexu audierit reprehendi... Unde quidam sanctus : Si dederit, inquit, mihi Dominus vestimentum quo operiar. Nota, quo operiar. Sic ergo et nos contenti simus vestimentis quibus operiamur, non quibus superbiamus, non quibus lasciviamus, non quibus mulierculis vel similari vel placere studeamus. (*Conc. Nicæn.* II, ann. 787, act. 8, cap. 16 ; refert. 21, q. 4, c. *Omnis ;* S. Basil., *Resp. ad interrog.* ; S. Bern., *De modo bene vivendi*, serm. 9 ; *Conc. Aquisgran.*, sub Ludovico Pio, cap. 122, ex S. Gregor., hom. 6 *in Evang.* ; S. Bern., epist. 42, *ad Henric. Senon. episcop.* ; *Epist. ad Fulcon.*)

Sed hoc faciunt, inquis, cum quibus habito; si non facio quod cæteri, de singularitate notabor. Propterea, inquam, exi de medio eorum, ne in urbe notabiliter vivas, aut exemplo pereas aliorum. (S. Bern., *ibid.*)

3° Nec ergo sericeæ sint clericorum vestes aut sericeis ornamentis intextæ.

A sericeis vestibus abstineant, inquit concilium Florentinum (ann. 1517), a Leone X approbatum... Nec eas ullo modo deferant clerici, inquiunt concilia Ravennatense (ann. 1569), Genuense (ann. 1574), Bituricense (ann. 1584), a Sixto V confirmatum, et multa alia. (*Conc. Avenionens.* ann. 1209, c. 12 ; *Moguntinum* ann. 1423.)

Concilium etiam Mediolanense I (ann. 1565) : Ne, inquit, serico vestimento aut ornamento domi aut foris utantur : jubemus vero lineum, et ei ordini decorum vestimentum adhibere.

Concilium etiam Burdigalense (ann. 1583) : Neque foris, neque domi vestimento aut ornamento ullo sericeo, alteriusve quam nigri coloris, nisi causa dignitatis id eis liceat, ullo modo utantur.

Et concilium Narbonense (ann. 1551) : Talari veste incedant ornati, quæ neque serico, vel bombicino limbo, aut assuto veluti nervo deturpata, verius quam ornata, quæ apte composita sit, cujus color sacerdotem deceat.

Item vestes non sericas, aut serico foderatas, aut quocunque modo dissectas, vel bombicino limbo ornatas. (*Conc. Narbonens.* ann. 1609.)

Concilium vero Burdigalense (ann. 1624) : Deponant etiam pallia ex sericeis filis duplicata et contexta.

A superioribus enim sæculis, inquit concilium Nicænum II (ubi supra), nec ex sericeis texturis variatum quis vestimentum habebat, neque in extremis vestimentis adjecta erant alieni coloris additamenta.

Et cum elationis habeat calumniam quidquid

propter venustatem, non propter necessitatem accipitur ; ne etiam bona Ecclesiæ, quæ pauperum sunt, in fastum et corporis ornatum (qui a sacro ordine alienus esse debet) convertantur, inhibemus omnibus et singulis ecclesiasticis, etc., ne vestimentis sericeis in publico aut domestice utantur, etc. (*Conc. Senon.* ann. 1527.)

Non tamen intendimus ecclesiasticis ex sanguine regio aut ducali ortis hujusmodi vestimentorum sericeorum delationem prohibere ; quos tamen hortamur, ut in suis vestimentis decentiam ecclesiasticam observent. (*Ibid.*)

4° Neque nimis ornatæ et comptæ, neque contra nimis laceræ et sordidæ debent esse clericorum vestes... (*Conc. Bitur.* ann. 1584, *De clericis ; Conc. Senon.*, ann. 1589, a sacra Cardinal. congregatione approbat., ann. 1600.)

Unde concilium Burdigalense (ann. 1583, a Greg. XIII confirm.) : In omni vestitu, inquit, et habitu clericali, nec affectata et immoderata cultus et elegantiæ diligentia, nec sordes et nimis abjecta incuria appareant.

Et concilium Mediolanense I (ann. 1565) : Ne in habitu clericali aut studiosius exquisita cultus elegantia, aut nimis abjecta negligentia et affectatæ sordes appareant.

Caveant igitur ne pannosi, sordidi, aut laceri vestibus incedant. Neque enim affectatæ sordes, aut exquisitæ deliciæ laudem pariunt, inquit Hieronymus... sed persæpe scandalum, et laicis obloquendi ansam præstant.., In nimio enim cultu vanitas, in abjecta incuria rusticitas accusatur,.. Alterum animi elationem aut levitatem, alterum avaritiam indicat. (*Conventus Melodunens.* ann. 1579 ; *Synod. Lucens.* ann. 1571 ; *Conc. Narbon.* ann. 1609 ; *Synod. Faventina* ann. 1569.)

Non sint ergo 1° pannosi, seu lacerati aut alias viles clerici, ne cadant sub illusione plebis... et a plebe contemnantur... Ex cultu enim corporis nimium neglecto non tam affectatæ parcimoniæ et humilitatis commendationem ferent quam cupiditatis aut sordium suspicionem incurrent... Ne etiam viles et indecentes, ac sordidas fere vestes deferendo operarum locatores potius quam sacerdotes videantur. (*Synod. Matiscon.* ann. 1498 ; *Synod. Valentina et Diensis* ann. 1558 ; *Synod. Amerina* ann. 1595 ; *Synod. Spoletana* ann. 1583.)

Et cum oculus, incessus, vultus, ac vestitus annuntient de homine, ut Scriptura tradit, idcirco nec in exteriori cultu presbyteri sint negligentes... Sed ut animi nitorem et munditiem relucere faciant etiam in exteriori vita et habitu, ne vituperetur aut spernatur eorum ministerium, et in contumeliam Ecclesiæ recidat, ne sordidius induantur, quam deceat ordinem sacerdotalem. (*Conc. Rothom.* ann. 1581, a Greg. XIII approbatum ; *Synod. Ebroic.* ann. 1576.)

(Sed nec etiam splendidius :) clericos siquidem gestu, vultu, habitu et vestitu statum et ordinem suum profiteri decet... Et exterioris clericorum habitus modestia, signum est et indicium compositionis et ornatus hominis interioris... Nec etiam vestis tenera clericum facit aut sacerdotem, sed casta mentis intentio... Imo mollis vestitus vexillum est superbiæ et nidus luxuriæ. (*Conc. Burdig.* ann. 1583, a Greg. XIII confirmatum ; *Synod. Aleriens.* ann. 1571 ; *Conc. Aquisgran.*, c. 98, ex S. Hieron. ; S. Aug.)

Sit ergo clericorum habitus decens et honestus, nec nimium elegans, nec sordidus, sed hujusmodi qui ipsorum statui et vocationi respondeat. (*Conc. Avenionens.* ann. 1594.)

Sit illorum habitus simplex ac mundus, ut ex illo animi eorum integritas significetur. Sed dum nimium cultum vitare student, id caveant ne affectatas habitus sordes ament... Nec enim tam nimiæ elegantiæ quam sordium et negligentiæ suspicionem vitare debent. (*Synod. Placentina* ann. 1570 ; *Conc. Aquens.* ann. 1585, a Sixto V confirmat.)

Sint denique omnes clerici, quisque pro suo ordine et gradu, decenter compositi vestibus talaribus, in quibus neque pompa aut luxus, sed neque etiam affectatæ sordes appareant. Non sint magnificæ aut pretiosæ vestes, sed neque olidæ aut obsoletæ ; non niteant, sed neque horreant ; non sint pictæ, sed neque incultæ ; non sint regiæ, sed neque plebeiæ. Non libenter videmus clericos vestibus concinnatos et perpolitos, sed neque pannosos, sordidos, et quasi atra amictos ferrugine. Detestamur vestes laceras, detritas, tineosas, quæ etiam tetros a longe odores emittunt... Cupimus ut quidquid est in clerico, prius quidem quod intus est, sed et illud quod foris est, sit mundum, nitidum et irreprehensibile. (*Synod. Bisunt.* ann. 1570.)

Pannosi siquidem clerici ac vestibus laceri displicent. (*Ibid.*)

5° Ne sint nimia brevitate aut longitudine notandæ ; unde concilium Narbonense : Talari, inquit, veste incedant ornati, quam nec longitudo, nec brevitas nimia deformem reddat. (*Conc. Lateran.* IV, cap. 16 ; *Conc. Parisiense*, apud Bernarditas sub Martino V ; *Conc. Narbon.* ann. 1551.).

6° Non etiam nimia amplitudine superfluæ, in quibus scilicet clericalis ordinis honestas et modestia, non fastus jactantia, vel elationis vitium deprehendatur ; non etiam plus æquo constrictas... ne forma corporis more sæcularium appareat foris... sed nec superiorem vestem, nec inferiorem, laxiorem aut astrictiorem quam deceat ad elegantiam et fastus ostentationem... Ex cordis enim thesauro procul dubio procedit quidquid foris apparet vitiosum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, et exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. (*Conc. Senon.* ann. 1527 ; *Synod. Hildesemensis* ann. 1539 ; *Conc. Senon.* ann. 1589 ; S. Bernard., *Apologetic. ad Guillelm. abbatem.*)

7° Non fronciatæ, aut in rugas contractæ... nec desuper ab extra cum plicaturis foderatæ. (*Conc. Senon.* ann. 1527; *Synod. Catalaun.* ann. 1557; *Lugdun.* ann. 1566; *Moguntin.* ann. 1423.)

8° Non virgatæ vel partitæ, aut variatæ. (*Conc. Senon.* ann. 1527; *Synod. Catalaun.* ann. 1557; *Synod. Lugdun.* ann. 1566.)

Quicunque enim clericus virgata vel partita veste publice utetur, nisi rationalis causa subsit, si beneficiatus exstiterit, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum quæ obtinet, sit eo ipso suspensus : si vero beneficiatus non fuerit, per idem tempus reddatur eo ipso inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum. (*Ibid.*)

9° Sed simplices sint... et nulla vanitate notandæ... ita ut scilicet mediocriter honestæ sint sine curiositate... ut in vestitu clericali undique fulgeat modestia... et sic clericorum modestia nota sit omnibus. (*Synod. Cosentin.* ann. 1579; *Conc. Mediolan.* I ann. 1565; *Synod. Hildesemensis* ann. 1539; *Synod. Suanensis* ann. 1626; *Synod. Parisiensis* ann. 1557.)

Ideoque habitu sint contenti simplici, non inciso, neque artificiose facto... neque ullo superfluo cultu ornato... nec ulla diversitate notabili, ne ad illos obvios turba consistat, ac digito monstrentur. (*Conc. Salernitan.* ann. 1615; *Conc. Camerac.* ann. 1586; *Synod. Urgellens.* ann. 1580.)

Cum enim tam episcopi quam clerici, inquit concilium Lateranense, in habitu corporis et in statu mentis Deo et hominibus placere studeant, nec in superfluitate, scissura aut colore vestium, intuentium, quorum forma et exemplum esse debent, offendant aspectum, sed potius, quæ eos decet sanctitatem præ se ferant. (*Conc. Lateran.*, sub Innoc. II, ann. 1139, can. 4; refert. 21, q. 4, c. ult.)

Et quia indecentia vestium in colore sicut in pompa nodorum, vel apertura vestium a latere, aut nimia brevitate notatur... (*Conc. Colon.* ann. 1260.)

10° Nigræ sint, in signum scilicet humilitatis et religiosi timoris... Unde Simeon Thessalonicensis : Episcopus, inquit, vestem nigram, quæ humilitatis et religiosi timoris symbolum est, benedicit et consecrandum jubet induere. (Simeon. Thessalon., *De sacr. ordinat.*, c. 2, *De ritu ordinationis lectoris.*)

Non ergo variatæ aut divisiatæ sint vestes clericorum omnium, etiam quibus intra domesticos parietes utuntur. Ut enim ait Urbanus VIII, non deferant vestes alterius quam nigri coloris, nisi eorum dignitas, aut aliqua alia ratio id fieri permittat. (*Conc. Moguntin.* ann. 1423; *Synod. Ferrar.* ann. 1612; Urban. VIII, *Edict.* ann. 1614.)

Et concilium Mediolanense I : In omni vestitu color niger adhibeatur, nisi forte alium colorem requirat dignitatis gradus.

Pannis ergo rubeis aut viridibus non utantur... nec croceis, aut variis hujusmodi... sed et a roseo etiam colore abstineant... (nec etiam) ullus clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem, ut sicut est devotio in mente, ita et ostendatur in corpore. (Innoc. III, in *Conc. Lateran.* IV, c. 16; *Synod. Parisin.* ann. 1557; *Conc. Florentin.* ann. 1517, a Leone X approbatum; *Conc. Narbon.*, cap. 19.)

11° Talares etiam debent esse, inquit Sixtus V (ann. 1589). Et inter plurima alia concilia concilium Ravennatense, ann. 1314; Narbonense, ann. 1551; Mediolanense I, Sypontinum, ann. 1567; Ravennatense, ann. 1569; Urbinate, eodem anno; Florentinum, ann. 1573; Hidrontinum, ann. 1576; Neapolitanum, ann. 1576, a Gregorio XIII approbatum; Senense, ann. 1589; Aquileiense, ann. 1596; Salernitanum, ann. 1615; Remense, ann. 1583, a Gregorio XIII confirmatum; Turonense, ann. 1583, a Gregorio XIII confirmatum; Burdigalense, ann. 1685, ab eodem confirmatum. Et synodus Parisiensis, ann. 1557; Catalaunensis, ann. 1557.

Etiamsi studii causa absint... ac in gymnasiis publicis sint..., et in illis studiorum causa commorentur... honestas enim status clericalis et ordinis requirit, ut tam clerici quam etiam studentes gymnasiorum, et scholares in scholis particularibus manentes habitum conformem, honestum, statui clericali congruentem, etc., portent, etc. (*Synod. Florent.* ann. 1569; *Ravennat.* ann. 1580; *Conc. Mediol.* I ann. 1565, et III, ann. 1573; *Synod. Cremon.* ann. 1584; *Synod. Amerina* ann. 1595; *Synod. Senogalliens.* ann. 1627; *Conc. Ravennat.* ann. 1569; *Conc. Aquileiens.* ann. 1569.)

Breviores tamen induere possunt valde pauperes... et rurales clerici... modo protensæ sint ad dimidium tibiarum... vel ad minus infra genua... Similiter et iter facientes... in longo scilicet itinere, aut per vias lutosas... Seu, ut ait concilium Mediolanum IV, dum eos pedibus iter facientes viæ difficultas et longitudo ad id cogit... Tunc enim vestibus contractioribus uti poterunt; modo tamen 1° infra genua saltem demissæ sint... ut saltem genu clerici stantis operiant... 2° Nigræ sint... aut alterius honesti coloris arbitrio ordinarii... 3° Tales sint ut clericalem... et religiosam retineant honestatem... et in iis decorum ordinis ecclesiastici eluceat... quo clericus facile cognoscatur... et personis Deo dicatis suus honor possit rependi... 4° Modo etiam eas nec in urbe aut oppidis, nec in ecclesiis... nec in diebus solemnibus... nec in locis eorum residentiæ deferant, etc. (*Conc. Mechliniens.* ann. 1570; *Synod. Spolet.* ann. 1583; *Conc. Salernitan.* ann. 1615; *Synod. Vincentina* ann. 1583; *Conc. Mediol.* IV ann. 1576, a Greg. XIII approbatum; *Neapolit.* ann. 1576, a Gregor. XIII approbat.; *Senens.* ann. 1584; *Conc. Vincent.* ann. 1585; *Conc. Aquileiens.* ann. 1596; *Genuens.* ann. 1574, *Beneventan.* ann. 1567; *Florentin.* ann. 1573; *Burdigal.*, sub Urbano VIII; *Synod. Placentin.* ann. 1589;

Synod. Venusina ann. 1614; *Synod. Senogalliens.* ann. 1627; *Synod. Belvacens.* ann. 1653.)

In ecclesia enim et in civitate, inquit synodus Placentina anno 1589, et in loco residentiæ, inquit synodus Claromontana circa ann. 1510 et 1537, semper veste talari utantur omnes. Et synodus Faventina anni 1569 : Clerici omnes, etiam rurales, cum per urbem et oppida incedunt, exteriores vestes talares habeant.

Et synodus Sabinensis ann. 1593 : Cum sacerdoti aut clerico in ecclesia, civitate, aut aliquo oppido manendum erit, veste usque ad pedes demissa omnino utantur, etc.

Et synodus Senogalliensis, ann. 1627 : Breviores vestes non induant, nisi valde pauperes, aut rurales, et hi ultra genua tamen protensas habeant, etc. Verumtamen et ii pauperes atque rurales pro diebus solemnibus in ecclesia et in synodo vestes talares habeant.

12° Undique clausæ... Sic enim præcipit concilium Lateranense IV. Clausa, inquit, desuper deferant vestimenta. (*Conc. Ravennat.* ann. 1314; *Avenion.* ann. 1209; *Burdig.* ann. 1210; *Turon.* ann. 1230; *Aurelian.* ann. 1525; *Carnot.* ann. 1526; *Lateran.* IV, cap. 16, cap. *Clerici*, De vit. et honest. cleric.)

Et concilium Basileense ann. 1421 : Vestimenta, inquit, deferant talia, ut tam retro quam a lateribus et ante clausa... ut scilicet omnia scandala omnesque occasiones laicis subtrahantur. (*Conc. Basileens.*, in *Appendice*, inter reformat. de suppositis hujus concilii sub Eugen. IV; *Melphitanum* ann. 1090, can. 13.)

Vestitus ergo clericorum, maxime in sacris constitutorum, non sit expectoratus, sed a collo desuper undique clausus, a manicis, lateribus, et retro... Nec scissus sit a parte anteriori aut posteriori nisi usque ad genua. (*Conc. Senon.* ann. 1527; *Paris.*, sub Martino V.)

Quicunque ergo clericus, ab ostiario usque ad sacerdotem, sine tunica visus fuerit atque turpitudinem ventris et nuditatem non tegat, pariter a laicis contemnatur, et ab Ecclesia separetur. (*Synod. SS. Patricii*, etc., ann. 450 vel 456, sub Leone I.)

13° Manicas non dissectas habeant, nec ab humeris pendentes... extra brachia... aut laicorum more incisas... aut nimium grossas seu caudatas... sed strictas... et brachiis indutas habeant. (*Conc. Bituric.* ann. 1584, a Sixto V confirm.; *Synod. Amalphitan.* ann. 1639; *Ravennat.* ann. 1607; *Parisiens.*, sub Martino V; *Conc. Mogunt.* ann. 1423.)

Unde concilium Constantiense, sessione 43, alias vestes in omnibus reprobans, ait : Illum specialiter abusum, eodem approbante concilio, decernimus penitus abolendum, quod in quibusdam partibus nonnulli clerici et personæ ecclesiasticæ sæculares et regulares, etiam quod magis exsecramur, prælati Ecclesiarum, manicas ad cubitum pendentes, et longas cum magna, sumptuosa superfluitate vestes, etiam fissas retro et in lateribus cum fodaturis ultra oram excedentibus, etiam in fissuris deferunt, etc. Hanc vestium deformitatem in quibuscunque personis ecclesiasticis reprobamus, et usum talium inhibemus. Contrarium autem facientes ut transgressores canonum puniantur. (*Conc. Constantiens.*, sub Martino V, *De vit. et honest. cleric.*)

14° Zona præcinctæ... seu cingulo semper colligatæ... Cingulum autem nonnisi nigrum... nec serico, retisve instar contextum, aut e corio confectum adhibeant. (*Synod. S. Agathæ Gothorum* ann. 1585; *Forojul.* ann. 1639; *Amalphitan.* ann. 1639; *Viterbiens.* ann. 1624; *Synod. Marica*, ann. 1634; *Synod.* IV *Mediolan.* ann. 1574.)

15° Tales denique sint quæ ipsorum religioso statui ac piæ vocationi modeste respondeant... In quibus scilicet clericalis honestas, non fastus, jactantia et elationis vitium reprehendatur. Et ejusmodi sint, sive colorem, sive materiam, sive artificium spectes, quæ honestæ personæ ecclesiasticæ conveniant... et quæ consuetudini bonorum cum quibus degunt, convenire videantur. (*Synod. Castellan.* et *Hortana*, ann. 1626; *Synod. Lugdun.* ann. 1566; *Synod. Bituric.* ann. 1519.)

Et ut illos vel ipse vestitus, nedum religionis professio, a laicorum moribus et conversatione secernat... Totus tandem clericalis ornatus vestitusque ostentationem, luxum, et quidquid novum, inane, exquisitum, sumptuosum est, nesciat : quibus enim indumentum Christus est, quam omnia parvi facienda et rejicienda sunt, quæ hominem elumbem, effeminatum et vanitatis captantem arguunt. (*Synod. Ravennat.* XVI; *Synod. Nucerina* ann. 1606.)

16° Has porro vestes statui suo convenientes nec domi deserant. Vestes enim quas domi privatim induent clerici, inquit concilium Mediolanense IV, sub Gregorio XIII, et ab eodem approbatum, ejusmodi sint, quæ non colore, non ulla habitus specie a clericali modestia discrepent... Habitu ergo non exquisito, inquit sanctus Carolus Borromæus, cardinalis archiepiscopus Mediolanensis (*Monit. conc. Mediol.* IV *insertis*), ad clericos, non delicato nimis, non serico, ne ornamento quidem, rursus non sordido, non neglecto, sed gravi et talari; atque ejusmodi tum domi, tum foris pro uniuscujusque vestrum ordinis gradusque ratione utimini, ut a decretis eo de genere editis nulla in re vel minima discedatis.

Et concilium Aquense (ann. 1585), a Sixto V confirmatum : Vestes, inquit, quas domi privatim clericalis ordinis homines induent, ejusmodi sint, quæ non colore, non ulla habitus specie a clericali modestia discrepent.

17° Ne tandem in morte propinquorum aut parentum exuant ut lugubres assumant.

Clericus, inquit concilium Mediolanense V, et synodus Castellana, qui amictu clericali indutus incedit, ne in propinquorum, ne parentum quidem obitu,

vestes lugubres more laicorum induat gestetque... Neque vero, inquit idem concilium Mediolanense v, vestis formam aut panni genus, quo clerum universum uti moris est,commutet : sed pium erga propinquos mortuos charitatis studium officiumque præ se ferat, omni alia ratione quæ cum clericalis ordinis decoro dignitateque omnino conveniat. (*Conc. Mediol.* v ann. 1579, a Gregor. XIII confirmat. ; *Synod. Castellana* ann. 1595; *Conc. Mexican.* ann. 1585.)

Concilium etiam Toletanum : Statuimus ut ulterius luctuosas vestes induere clerici in sacris ordinibus constituti vel beneficiati nostræ provinciæ non audeant. (*Conc. Toletan. nationale* ann. 1473, cap. 8.)

Synodus Placentina (ann. 1589) : Vestes lugubres, et pullas ex lino gossipino seu xilino confectas (vulgo *di cottone*) nemo clericorum, cujuscunque sit conditionis atque gradus, gestare audeat.

Synodus Florentina (ann. 1589) : Clerici lugubres vestes alias quam clericales in obitu parentum non ferant...

Synodus Amerina (ann. 1595) : Communem inter sæculares homines morem, ob suorum funera, lugubrem vestem sumendi, eamque pro gradu propinquitatis quo mortuum attingebant, diu gestandi, in clericis minime probamus. Hos enim Deo addictos non lugere suorum mortem decet, luctusque insigne præferre, sed animam humanis miseriis defunctam sanctis ac piis precibus Deo commendare, ac suam erga propinquos pietatem ac benevolentiam hoc genere officii, potius quam vestimenti mutatione testari : et non fractum dolore atque luctu, sed constantem, æquabilem et res humanas humaniter ferentem animum, in unumque intentum Deum profiteri.

Igitur posthac qui clericali in veste incedunt, eam ne in parentum quidem funeribus ponant, et cum atrata lugubrique commutent... Lugubres enim vestes deferre clericis non est honestum neque conveniens.

Tandem palliis diffibulatis non utantur in publico, sed vel post collum vel ante pectus hinc inde connexis. (Innoc. III, in *Conc. Lateran.* IV, cap. 16, ann. 1215.)

SECTIO II.

De tonsura et corona clericali præcipuo capitis ornamento.

Habitum clericalem, inquit concilium Aquileiense (ann. 1596), declaramus eum esse, qui veste vel talari, vel breviori in itinere, ac tonsura constat. Si ex duobus alterum desit, habitum clericalem dimidiatum declaramus ac dicimus, ut constitutionibus de habitu clericali deferendo, disponentibus satisfactum non sit.

Non igitur sufficiat clerico vestem clericalem jugiter deferre in corpore, nisi et tonsuram perspicue gestet in capite. Insigne enim clerici tonsura est ac vestis talaris, inquit concilium Aquileiense (ann. 1596) ; ideo qui in clericalem militiam ascitus est, norit a se hoc primum requiri, ut (non solum) habitum, (sed) et tonsuram deferat, quæ est militiæ clericalis... seu ecclesiasticæ nota et insigne (*Conc. Benevent.* ann. 1567 ; *Synod. Faventin.* ann. 1569) ; seu, ut ait synodus Coloniensis (ann. 1596), sacræ militiæ incentiva, symbola et insignia. Ideo postquam de veste clericali egimus, nunc de tonsura nobis dicendum est.

§ I. — *Quod clerici tonsuram ac coronam conspicuam semper deferre debeant.*

Quia, inquit concilium Moguntinum (ann. 1461), pessimæ, et juri divino et positivo, ac rationi contrariæ vigent, et ex corruptela introductæ sunt consuetudines, etc. Quod clerici habitum statui suo condecentem non deferant et tonsuram per revolutionem crinium, de quo potius gloriari deberent, abscondant, longos crines seu comam, adeo ut aures videri nequeant, nutriant... Ut pro amputando Ecclesiæ scandalo hoc signum dedecoris auferatur... Ad reformationem etiam moris ecclesiastici status ordinamus et statuimus quod presbyteri, diaconi, subdiaconi et alii in minoribus constituti de cætero tonsuram deferant clericalem... necnon et clerici tonsura clericali pro qualitate gradus et ordinis sui in capitis vertice aperte conspicua semper insigniantur... juxta statuta sanctorum Patrum. (*Conc. Toletan.* ann. 633 ; *Colon.* ann. 1452 ; *Remens.* ann. 1583, a Greg. XIII confirmat.)

Sanctus enim Petrus ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit. (S. Greg. Turon., lib. I *De gloria martyr.*, c. 28.)

Anicetus constituit ut clericus comam non nutriret secundum præceptum Apostoli. (*I Cor.* XI, 14.) Prohibete, fratres, inquit idem Anicetus ad episcopos Galliæ scribens, ut clerici comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant. (Anicet., ex *Lib. Pontif. Damasi*, *Ep. decret.* ; refert. dist. 23, cap. *Prohibete.*)

Sanctus Gregorius Papa : Si quis ex clericis laxaverit comam,anathema sit. (S. Greg. Papa,ann. 594, ex *Decret.* S. Gregor. Papæ, capitul. 16, 17.)

Idem habet concilium Romanum I sub Gregorio II. (Ann. 721, capitul. ult., dist. 23, cap. *Si quis.*)

Hoc etiam statuerunt Gregorius IX (circa ann. 1227, cap. *Si quis*, De vit. et honest. cleric.) et Stephanus II (ann. 754, ex responsis ejus ad varia consulta, dum esset in Gallia, cap. 18), et concilium Romanum (ann. 748, cap. 8), sub Zacharia I, concilium Lateranense III (ann. 1179) : Clerici qui comam nutriunt inviti ab archidiaconis suis tondeantur. Idem ait concilium Agathense nationale. (Ann. 506 ; refert. cap. *Clerici qui comam*, dist. 23.)

Concilium Lateranense IV, cap. 16 (ann. 1215 ; refert. cap. *Clerici*, De vita et honestat. cleric.) : Coronam et tonsuram habeant congruentem.

Concilium Constantiense (sess. 43, ann. 1414) : Quæ circa tonsuram clericorum atque comam seu

capillos jura statuunt innovamus et præcipimus diligenter observari.

Concilium Basileense (ann. 1431) : Tonsuras deferant suis ordinibus congruentes.

Concilium Lateranense (ann. 1511) sub Leone X : Clerici tam beneficiati, quam in sacris ordinibus constituti comam non nutriant.

Concilium Carthaginense (ann. 398; refert. cap. *Cleric.*, De vita et honest. cleric.) : Clericus nec comam nutriat nec barbam.

Concilium Avenionense nationale (c. 12, ann. 1209) : Circa clericos sæculares illud firmiter præcipimus observandum, ut amodo, maxime in sacris ordinibus constituti convenientem coronam habeant.

Concilium Rothomagense, ann. 1279 et 1299; Senonense, ann. 1324; Noviodun., ann. 1344; Parisiense, ann. 1428; Cantuariense, ann. 1445; Constitutiones Guillelmi Parisiensis, ann. 1240; Synodus Pictavensis, ann. 1347; Lingonensis, ann. 1404; Bisuntina, ann. 1481; Tolosana, ann. 1481; Laudunensis, ann. 1493; Matisconensis, ann. 1498; Suessionensis, ann. 1502; Remensis, ann. 1510; Parisiensis, ann. 1514 et 1620; Tullensis, ann. 1515; Turonensis, ann. 1537; Claromontana, ann 1537; Lingonensis, ann. 1537; Carnotensis, ann. 1528; Bituricensis, ann. 1584, a Sixto V confirmata; Sylvanectensis, ann. 1620 : Clerici, inquiunt, tonsuram deferant clericis congruentem... et, ut ait concilium Rothomagense (ann. 1581), honeste rasam.

Concilium Burdigalense (a Gregorio XIII, ann. 1583, confirmat.) : Tonsuram clericalem ordini suo ac dignitati congruentem, seu, ut ait concilium Florentinum (ann. 1517, a Leone X approbat.), suo ordini ac statui convenientem gerant... cujuscunque dignitatis, status et conditionis exsistant. (*Conc. Burdig.*, ann. 1624.)

Synodus Sancti Patricii (ann. 450 vel 456) : Si non more Romano capilli ejus tonsi sint, etc., pariter a laicis contemnatur, et ab Ecclesia separetur quicunque clericus ab ostiario usque ad sacerdotem.

Concilium Londinense (ann. 1194) : Clerici omnes tonsuram habeant canonicam.

Concilium Oxoniense (ann. 1200) : Nec clerici comam nutriant, sed honeste tonsi et coronati incedant.

Concilium Albiense nationale (ann. 1254, c. 15) : Statuimus, antiquos canones innovando, ut clerici in sacris ordinibus constituti et qui beneficiis ecclesiasticis sustentantur, coronam et tonsuram habeant congruentem.

Concilium Senonense (ann. 1269) : Clerici, qui coronas benedictas habuerunt, et reliquerunt, usque ad dignam satisfactionem excommunicentur.

Et alibi (ann. 1527, decret. 24) : Ipsi clerici in sacris præsertim constituti neque comam relaxent, etc., sed tonsuram, coronam seu rasuram habeant secundum ordinem suum honeste rasam.

Omnes ergo qui sacris ordinibus initiati sunt, vel qui possident beneficia ecclesiastica, aut cum stipendiis serviunt in ecclesiis, gestent tonsuram clericalem magnitudinis unicuique ordini et gradui convenientis, quæ ita conspicua sit, et adeo sæpe renovetur, ut aperte possit videri. (*Edict.* Urban. VIII jussu editum a Joan. Garcia cardinal. ejus vicario generali.)

Nec (unquam) eos pudeat tonsuram ipsis inditam portare. (*Conv. Melodun.* ann. 1579.)

§ II. — *Qualis debeat esse clericorum tonsura et corona.*

Quia multi inordinata crinium lascivia... sacerdotium suum deturpant, caveant 1° clerici ne nutriant, aut etiam ferant, nisi dura necessitate cogantur, luxuriantes comas : quippe qui sacra et sacramenta Christianæ religionis celebrare debent Nazaræi Domini; unde synodus Ferrariensis : Capillorum, inquit, congeriem illam turbinis instar, quam in clericali tonsura deposuerunt ne gestent... Hoc enim, ut ait Apostolus, *Ignominia est viro* (*I Cor.* xi, 14); et, ut dicit Hieronymus, proprie luxuriosorum, barbarorum et militarium est... Non ergo capillos adeo excrescere sinant ut retorti et hirsuti Turcarum, ut aiunt, instar sint. (*Synod. Colon.* ann. 1307; *Ravennat.* ann. 1607; *Bisuntina* ann. 1570; *Ferrariens; Director. Ecclesiæ Colon.* ann. 1596.)

2° Caveant etiam clerici ne comam gestent molliter et effeminate comptam. (*Synod. Cremens.* ann. 1609.)

Nec capillos calamistratos aut concinnatos habeant. (*Ibid.*)

Non aquis odoriferis similibusque rebus vel aliter delibutos. (*Synod. Faventin.* ann. 1615.)

Nullus cinnis cincinnisve calamistratis atque contortis frontem inumbret, et effeminet tempora. (*Synod. Cephalinditana* ann. 1655.)

Si enim mulieribus extrinseca capillatura et intorti crines prohibentur (*I Petr.* iii, 3), quanto magis erit vituperanda in clericis mollities in ordinando capite. (*Synod. Faventin.* ann. 1615.)

Comam ergo ne studiose nutriant, sed capillis simplicem cultum adhibeant. (*Conc. Mediolan.* ii ann. 1565.)

3° Non crispatos et retortos..... et impariter attonsos ferant..... vel in aliqua capitis parte cæteris longiores..... Unde Urbanus VIII : Ne deferant, inquit, capillos, sive cucuffatos crines, crispatos, aut calamistratos, qui supra frontem promineant, aut a posteriori capitis parte, vel ab utroque latere demissi sint, sed qui pariter et æqualiter attonsi ejusdem sint et moderatæ longitudinis. (*Synod. Vincentin.* ann. 1583; *Conc. Bituric.*, ann. 1584, a Sixto V confirmat.; *Synod. Tarantasia*, ann. 1609; *Synod. Ravennat.* ann. 1607; *Synod. Marcina*, ann. 1643; Urban. VIII edictum ann. 1614, editum a Joan. Garcia, ejus vicar. gener.)

Et synodus Tarvisina (ann. 1619) : Cæsariem in posteriore, vel longiores capillos in anteriori parte capitis nemo gerere sub pœna excommunicationis audeat.

Non ergo capillos cincinnatos, aut supra frontem

aliis eminentiores habeant..... Nam quamvis illi capillorum manipulo frontem aspergente, augeri formæ dignitatem inepte existiment, hoc tamen summam arguit levitatem, et deformis aspectu res est. (*Synod. Collens.* ann. 1594; *Synod. Cladiens.* ann. 1603.)

Nec etiam capillitium in cristam componant, seu a brechmate in occiput recrispent: forma enim hæc superba et vana crinium magna deformitas est mentium, præcipue in canonicis aliisque viris ecclesiasticis, quibus ob hoc etiam frequenter præscinduntur, ne aut eorum cura teneantur, aut incuria molestentur... Nec etiam cæsariem fronte bipartitam seu discriminatam deferant. (*Director. Ecclesiæ Colon.*, ann. 1596; *Conc. Gnesnens.* ann. 1525.)

4° Sed capillitium dependens a fronte ad auriculas sensim et rotunditer præcidatur... ita ut comam et tonsuram patentibus auribus habeant congruentem. (*Conc. Mechliniens.* ann. 1576; *Conc. Basilcens.* ann. 1431; *Conc. Budens. national.* ann. 1269; *Ravennat.* III ann. 1314; *Londin.* ann. 1248.)

Quod sic intelligi volumus et observari, ut omnes prælati et regulares personæ supra aures in gyrum, ita quod aures omnino pateant, sint attonsi. Alii vero in rotundum, etc..... Vel supra aures..... vel ad minus, usque ad medium aurium..... vel ita tondeantur ut saltem extremitas inferior auris appareat discooperta..... et oculi non tegantur..... Capilli ergo tondeantur usque ad revelationem oculorum, temporum et aurium... Hanc enim mensuram tonsionis comæ servandam esse declaramus : ut non modo extremitatem aurium detegat, sed etiam ne in temporibus et in occipitio longius producatur; neque ullo pacto collare, etiam cervicis partem respiciens, cooperiat. (*Conc. Albiens. national.* ann. 1254, cap. 15; *Synod. Faventin.* ann. 1569; *Direct. Eccl. Colon.*, ann. 1501; *Conc. Florentin. provinc.* ann. 1517; *Synod. Florentina* ann. 1645; *Conc. Londin.* ann. 1102; *Synod. Paris.* ann. 1514.)

5° Rasura porro sit decens : (non solum) tonsura capillorum ad aures rotunda, (sed) et in vertice capitis..... ut scilicet : 1° tonsuram et coronam in vertice conspicuam semper gerant..... et competentem; 2° ita capilli sint abrasi, ut omnibus corona clericalis sit conspicua..... et patenter ab omnibus conspiciatur. (*Synod. Carnot.* ann. 1550; *Synod. Lugdun.* ann. 1566; *Conc. Mechliniens.* ann. 1570; *Conc. Florent. provinc.* ann. 1517, a Leone X approbat.; *Synod. Brixiens.* ann. 1574; *Castellana* ann. 1595; *Conc. Mediolan.* ann. 1565; *Synod. Astiens.* ann. 1588; *Synod. Aleriensis* ann. 1571; *Venusina* ann. 1614; *Nebbiens.*, ann. 1614.)

6° Desuper ergo caput in modum sphæræ radant..... ita ut coronam in vertice conspicuam et notabilis magnitudinis pro gradu ordinis sui semper gerant..... seu ad eam formam, quam ratio uniuscujusque ordinis episcopi arbitrio postulabit. (Anicet., *Epist. decret. ad omnes episcopos Galliæ*; refert. dist. 23, c. *Prohibete; Conc. Mechliniense* ann. 1570; *Synod. Audomar.* ann. 1583; *Conc. Rem.* ann. 1583; *Conc. Mediol.* I, p. II.)

Unde concilium Narbonense (ann. 1551) : Statuit, inquit, hæc synodus ut clerici sacros ordines consecuti coronam gerant grandem, rotundam et apertam, ordinibus, in quibus constituti sunt, congruentem.

Et concilium Avenionense (ann. 1594) : Presbyteri, inquit, diaconi, subdiaconi, et quicunque beneficia etiam simplicia obtinent, coronam clericalem gestent ad eam formam, quam ratio uniuscujusque ordinis postulat.

Et synodus Meldensis (ann. 1493) : Omnes ecclesiastici, maxime in sacris ordinibus constituti, amplam coronam juxta ordinis sui exigentiam deferant.

7° Ut pro ordinis, quo quisque initiatus est, ratione, illam magnitudine distinctam conspicue ferat... congruentem coronam seu clericalem ad tollendam quorumdam malignantium fraudem interpretamur, ut sacerdotes omnes etiam non beneficiati non minorem una hostia magna deferant... (ut scilicet) capillus in summo vertice tantum, quanta est hostiæ magnitudo, sacerdotibus tondeatur... Sicque sacerdotes coronam ad majoris hostiæ magnitudinem deferant... ita ut ejus formula in orbem ducta late et ample pateat digitis quatuor... (vel ad minus) digitis tribus undequaque a vertice pateat... Seu, ut ait concilium Mediolanense V, late et ample pateat unciis quatuor. Diaconalis una uncia minor... vel tres digitos sit lata... aut duobus digitis undequaque a vertice pateat. (*Conc. Mediol.* V, a Greg. XIII confirm., ann. 1579; *Synod. Veron.* ann. 1542; *Conc. Senon.* ann. 1589; *Synod. Aleriens.* ann. 1571; *Venusina* ann. 1614; *Nebbiens.* ann. 1614; *Aletrina* ann. 1584; *Synod. Vercellens.* ann. 1571; *Conc. Tolos.* ann. 1590; *Synod. Vercell.* ann. 1575; *Synod. S. Agathæ Gothorum* ann. 1685.)

Subdiaconalis aliquanto angustior sit quam diaconalis.... seu semidigito angustior,... vel unciis duabus.... vel saltem digito undique sit diducta. (*Synod. Vercell.* ann. 1575; *Conc. Mediol.*, ut supra; *Tolos.* ann. 1590.)

Minorum ordinum corona paulo minor sit.... non tamen minor una hostia parva... ita ut lata sit undique digitis duobus... vel unciis duabus.... vel saltem digito undique sit diducta. (*Conc. Mediol.* V ann. 1579; *Conc. Tolos.* ann. 1590.)

8° Coronam autem majorem nullus omnino episcopo inferior gerat, quacunque dignitate ille præditus sit... Grandiorem enim multo quam inferiores sacerdotes gerere debet episcopus; qua perfectius a terrenis curis et occupationibus abstractum esse et Deo adhærere propius multo quam alios clericos debere se intelligat... Et cum nulla religio pontificali religione sit major, coronam et tonsuram juxta regularium seu religiosorum generalem consuetudinem approbatam deferant. (*Conc. Mediol.* V, supr.: *Aquileiense* ann. 1585, a Sixto V confirm.;

Conc. Narbon. ann. 1609; *Conc. Budens.* ann. 1270.)

9° Ut autem tonsuram ita notatam deferant clerici ut ab omnibus conspici possit.... hanc singulis mensibus radant.... aut ternis quibusque septimanis,... aut decimo quinto quoque die.... aut saltem ter in mense.... aut æstate binis, hieme ternis quibusque septimanis.... aut singulis hebdomadis, vel saltem quindenis renovare teneantur... Tandem ut certa ab omnibus regula teneatur, ita sæpe corona renovetur ut semper appareat... Ideoque si fieri potest octavo quoque die renovetur. (*Synod. Astensis* ann. 1588; *Conc. Limans.* ann. 1583; *Synod. Burgens.* ann. 1377 et 1411; *Synod. Sabinens.* ann. 1590; *Lugdun.* ann. 1577; *Synod. Amerin.* ann. 1595; *Placentin.* ann. 1580; *Cellens.* ann. 1594; *Sabin.* ann. 1598; *Alatrina* ann. 1584; *Synod. S. Agathæ Gothorum* ann. 1585; *Synod. Bisuntin.* ann. 1481; *Matiscon.* ann. 1498; *Paris.* ann. 1519; *Carnot.* ann. 1526; *Synod. Vincentin.* ann. 1583; *Synod. Nolana* ann. 1588; *Potentina* ann. 1606; *Cremens.* ann. 1609; *Avenion.* ann. 1594.)

10° Caveant porro ne crines suos totaliter radant, sed super pectine abscindant... dicitur enim *Ezech.* XLIV (℣ 20): *Caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua.* Juxta quod dicimus nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum esse tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos esse demittendos, ut operta sit cutis. (*Synod. Colon.* ann. 1351; S. HIER. *in c.* XLIV *Ezechiel.*)

Unde synodus Bisuntina : Neque vero aut radant sibi capita aut in morem ethnici sacerdotii novacula sibi calvitium faciant, sed ea ratione demittant cæsariem, ut operta sit semper cutis capitis. (*Synod. Bisuntin.* ann. 1570.)

Et synodus Coloniensis (ann. 1638). Capillos capitis non in totum rasos, vel in totum detonsos, sed infra decurtatos, et auribus saltem in parte patentibus deferant.

Tandem quia tonsura ecclesiastica barbam rasam, et coronam dicit in capite. (*Conc. Bituric.* ann. 1639.)

11° Clerici tam beneficiati quam in sacris ordinibus constituti barbam non nutriant... more Græcorum aut sæcularium... ministerio altaris indecoram... nec in alas sinant crescere... seu alatam gestent.... nec supra labia arte elaboratam... aut in retortos longosque circos effluentem... Non (etiam) sicariorum more in mento cuneatam, sed apte detonsam habeant... et in labro superiore ita rescissam, ut sumentibus Christi sanguinem nullum afferat impedimentum... Ne videlicet aut sanguinem aut corpus Dominicum accepturi hinc per contactum barbæ in peccatum irreverentiæ incidant, unde reconciliationem et gratiam majorem sperabant.... Maxime enim fœda et cum immaculati Agni sacrificio atrociter pugnans est eorum sacerdotum dementia qui perditissimo sicariorum more superioris labii pilos prominentes intortosque affectant, atque ad tremendum Domini calicem applicare non exterrentur. Quamobrem abhorreant clerici tam indignum facinus. (*Conc. Lateran.* ann. 1511; *Conc. Mediolan.* I ann. 1565; *Hidruntin.* ann. 1567; *Senon.* ann. 1527; *Conc. Gnesnens.* ann. 1523; *Conc. Rothomag.* ann. 1581; *Synod. Nebbiens.* ann. 1614; *Conc. Mechlin.* ann. 1607; *Conc. Burdigal.* ann. 1624; *Synod. Nolana* ann. 1588; *Hierac.*, ann. 1595; *Edictum* Urban. VIII jussu editum, ann. 1614; *Neapolit.* ann. 1570; *Avenion.* ann. 1594; *Aquense* ann. 1583, a Sixt. V conf.; *Director. Eccles. Colon.* ann. 1596; *Synod. Polycastrens.* ann. 1632.)

Deridendam ergo illam consuetudinem a nostro clero procul arcere volentes, quam sumunt a laicis quidam clerici, presbyterique nonnulli, ut barbam circumquaque radant, eam tantummodo et prolixiorem quoad fieri potest, in superiore labio nutrientes, relictis quoque pilis aliquibus, sed paucis ad instar cuspidis sub ore in inferiore parte, strictissime mandamus omnes in clero, quicunque ii sint, ab hujusmodi vanitatibus abstinere... Ideoque barbam habeant ita detonsam, tam in superiori parte, ut corporis et sanguinis Domini sumptionem non impediat, quam in inferiori... ut in rotunditatis potius effigiem quamdam desinat, quam in acumen.... et ipsis ornamento, aliis vero sit ædificationi... Proinde illam saltem semel in mense... et congruis temporibus honeste, non militari more decurtent, sed ut viros ecclesiasticos decet... et ita recidant, ut nihil sæculare remaneat. (*Synod. Castellana* ann. 1595; *Synod. Hieracens.* ann. 1593; *Synod. Nolana* ann. 1588; *Potentina* ann. 1606; *Conc. Narbon.* ann. 1551; *Limens.* ann. 1583; *Conc. Turon.* ann. 1583, a Greg. XIII confirm.; *Conc. Mexican.* ann. 1585, a Sixto V confirm.)

Caveant tandem clerici, ne mento barbam veluti compositam palustribus calamis scopulam, quod visu quoque fœdum est, promittant, et cum cura inde nutriant, comantque. (*Synod. Amerina* ann. 1595.)

§ III. — *Cur oporteat clericos coronam et tonsuram congruentem deferre.*

Omnes ergo clerici juxta status sui conditionem congruentem tonsuram deferant. (*Synod. Spoletan.* ann. 1583.)

1° Ut his insignibus in sortem Domini vocati (*Ephes.* I, 11) esse dignoscantur... Est enim tonsura seu corona signum externum sortis, et vocationis clericorum... clerici seu clericalis ordinis... seu ecclesiasticæ dignitatis insigne... Signaculum quo signantur in partem sortis ministerii Domini... Corona enim regale decus significat, et servire Deo regnare est... Ideo characteristica illa capitis tonsura a communi grege fidelium illos segregavit Do-

minus. (*Synod. Spoletin.* ann. 1583; *Synod. Anagnina* ann. 1596; *Conc. Aquileiens.* ann. 1596; *Monit. cardin. Borromæi Conc.* IV *Mediolan. insertæ; Constitutiones provinc. Spolatens. et Jadrens. promulg.* ann. 1578; *Synod. Paris.* ann. 1514; PETR. LOMBARD. in IV *Sent.*, dist. 24, littera *c*; PETR. Blesens., serm. 40, *ad cleric.*; *Conc. Ravennat.* III ann. 1314.)

2° Coronam decenter portent per quam designentur regalis esse generis et sperare se assequi debere partem hæreditatis divinæ... Est enim corona clerici Christi Domini Regis nostri, nostræque militiæ, et immarcescibilis gloriæ insigne... ac signum Jesu Christi... seu signum regni quod in Christo exspectatur... Per hanc enim regnum, quod in Deo habere debent, designatur. (*Direct. Eccles. Colon.* ann. 1596; HUGO Rothomag.; *Synod. Viterbiens.* ann. 1614; *Synod. Veron.* ann. 1542.)

3° Coronam in capite gestantes, illam etiam spineam coronam Domini nostri Jesu Christi capiti admotam contemplentur... (Est enim corona clericalis) Dominicæ coronæ insigne... Tonsura siquidem capitis sacerdotis, et rotunda ejus pilorum media sectio, vice coronæ est spineæ quam Christus gestavit. (*Synod. Spoletin.* ann. 1583; *Synod. Senogalliens.* ann. 1627; S. GERMANUS, patriarcha Constantinop., in *Theoria rerum ecclesiasticarum.*)

4° In signum humilitatis et discipulatus beatissimi apostolorum principis. Exemplum enim coronæ habemus in Christo, qui spineam coronam in signum humilitatis gestavit in capite suo. (*Joan.* XIX, 5.) Et sanctus Petrus apostolus, inquit Gregorius Turonensis, ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit... et id in ministerio fieri jussit... Duplex autem corona circumposita capiti sacerdotis, inquit sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus, ex capillorum significatione imaginem refert venerandi capitis apostoli Petri, qui cum missus esset ad prædicationem Domini et Magistri, ei tonsa est ab iis, qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis, eique magister Christus benedixit, et infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit; et posuit super caput ejus coronam, non ex lapidibus pretiosis, sed lapide et petra fidei ejus fulgescentem super aurum, topazium, et lapides pretiosos. Vertex enim ornatus, et corona duodecim lapillorum apostoli sunt: Petrus vero primus hierarcharum Christi. Quod ergo impii illi ad contumeliam illius sancti excogitaverunt, hoc nos pie ad gloriam et honorem ipsius facimus...Attondebantur igitur omnes in coronam ministri altaris, et monachi, inquit Beda, et quasi novo se discipulatui beatissimi apostolorum principis subditam ejusque tutandam patrocinio gens correcta gaudebat. (PETR. Blesens., *Institut. episc.*; S. GREG. Turon., lib. I *De gloria martyrum*, c. 28; HONOR. Augustodun., *De gemma animæ*, p. I, c. 193; S. GERM., patriarch. Constantin., *Theoria rerum ecclesiastic.*; PETR., Antiochen. patriarcha, *Epist. ad Michaelem, patriarch. Constantin.*; VOLFRID. abbas ap. Bedam, lib. V *Hist. eccles. gentis Anglorum*, c. 22.)

5° Neque vero ob id tantum in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est, idcirco et nos, qui per eamdem Passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus. Sicut enim, inquit Amalarius Fortunatus, omnis Ecclesia, quia per mortem sui vivificatoris Ecclesia facta est, signum sanctæ crucis ejus in fronte portare consuevit, et crebro vexilli hujus munimine a malignorum spirituum defendatur incursibus, crebra hujus admonitione doceatur, se quoque carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigere debere (*Gal.* V, 24); ita etiam oportet eos, qui gradum clericatus habentes arctioribus se necesse habent pro Domino continentiæ frenis astringere, formam quoque coronæ, quam ipse in Passione sua spineam portavit in capite, ut spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret et auferret a nobis, suo quemque in capite per tonsuram perferre, ut se etiam irrisiones et opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant, ut *coronam vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se* (*Jac.* I, 12), se semper exspectare, pro cujus perceptione et advérsa se mundi et prospera contemnere designent. (VOLFRID. apud Bedam; AMALARIUS FORTUNAT., *De eccles. Offic.*, lib. IV, c. 39.)

6° Redemptor noster mortem moriendo destruxit magnificus triumphator portans spineam coronam in capite suo. (*Joan.* XIX, 5.) Ex hac Domini Jesu corona pro peccatis nostris a Redemptore nostro suscepta toto mundo regnare cœpit mater nostra præsens Ecclesia, sponsa Crucifixi sub spinea corona potestates aereas debellantis. Et infra: Antiqui quam sæpe referunt historiographi a victoribus superatos et captos sub corona fuisse venditos. Venditio talis manifestum erat indicium servilis opprobrii. Ita et noster Christus pro peccatis nostris venditus et captus in cruce sub spinea passus est corona. Hæc indebite a Domino suscepta, debitam nobis coronam damnationis potenter effregit, et coronam victoriæ suæ, coronam libertatis nostræ, coronam gloriæ sempiternæ, nobis redemptis suis et sanctificatis triumphator egregius superapposuit. Propterea catholica mater Ecclesia quosdam inter se de suis fideles elegit, quibus pro fidei firmitate, pro vitæ honestate, pro splendore scientiæ gratanter imponit similitudinem coronæ Christi raso desuper capite, capillis in rotundum servatis, ex æquo tonsuratis. Hoc coronæ signum, ad memoriam Christianæ libertatis assumptum, pontificali benedictione signatum, ab apostolis sumpsit exordium, et toto orbe sub apostolica auctoritate stat in Ecclesia conservatum, etc. (HUGO Rothomag., lib. III *Contra hæretic. sui tempor.*, capp. 1, 2.)

7° Christus Rex noster spineam coronam portavit

dum humilis et præpotens pro militibus duellum pugnaturus præcessit, et regem superbiæ devicit. Idem ipse summus Sacerdos in Calvaria crines deposuit, dum seipsum acceptum sacrificium in ara crucis obtulit. Per circulum ergo crineum spineam coronam præferimus, per nuditatem rasuræ calvitium Christi exprimimus. Mos quippe apud antiquos erat, quod captivos decalvabant, quos crucifigere volebant. Unde scriptum est: *De captivitate, nudati inimicorum capitis.* (*Deut.* XXXII, 42.) Ideo locus in quo decalvabantur, calvaria dicebatur; in quo Dominus decalvatus putatur. (HONOR. Augustodun., *De gemma animæ*, p. I, cap. 193 seqq.)

8° Tonsuram et clericalem coronam ad perfectioris vitæ professionem significandam, regiamque dignitatem declarandam, clerici omnes deferant. (*Synod. Auximan.* ann. 1593.)

9° Tonsuram ferre clericalem ne prætermittant, id est, quod abrasis a summa capitis parte in coronæ formam capillis, mystica significatione admonentur, superflua vanaque omnia mundi irritamenta, curasque omnes sæculares, ac terrenas sollicitudines abjiciant... Ad hoc enim capillos in modum coronæ radunt, ut et regnum spiritale, quo cæteris præeminent tali figura ostendant, et curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes sic amputent de corde, sicut crines frequenter redeuntes abradunt de capite. Residuos autem capillos eo ordine præcidere debent, ut aures, oculos et alios sensus capitis liberos reddant, et curam exteriorum non in superfluis desideriis carnis, sed necessariis tantum exercendam agnoscant. (*Synod. Basileens.* ann. 1581; Ivo Carnot., *Serm. de excellent. sacrorum ordin. et de vita ordinandorum*, in synodo.)

10° Coronam habeant rotundam decenter amplam, ut hoc signo vitiis, quasi crinibus exuantur: ea enim signum est regni cœlestis et perfectionis... Tonsio enim capillorum et rasura, inquit Stephanus, Eduensis episcopus, ostendunt vitia, quæ pullulant et succrescunt, esse resecanda. Rotunda vero forma tonsionis, regnum spiritale, quo præeminent cæteris. (*Synod. Lugdun.* ann. 1566; STEPHAN., Eduensis episcopus, in *Prologo de sacram. altar.*)

11° Tonsura in vertice, juxta ordinem suum, coronam efficiat congruentem qua se in regale sacerdotium assumptos (*I Petr.* II, 9), nihil jam plebeium aut humile sapere præ se ferant. (*Synod. Bisuntina* ann. 1573.)

12° Hi namque sunt reges, id est, se et alios in virtutibus regentes, et ita in Deo regnum habent, et hoc designat corona in capite.

Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni, quod in Christo exspectatur: rasio vero capitis est temporalium omnium depositio... (S. HIERON., relatus 12, qu. 2, c. *Duo sunt.*) In hoc enim terrenorum præcipue depositio, in illo regalis sacerdotii dignitas designatur. Unde D. Thomas: Dicendum, inquit, quod eis, qui ad divina ministeria applicantur competit tonsura et rasura in modum coronæ, et ratione figuræ, quia corona est signum regni et perfectionis, cum sit circularis. Illi autem qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, et perfecti in virtute esse debent. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum et ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur; et ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur. (*Conc. Londin.* ann. 1248; S. THOM., in IV *Sentent.*, dist. 24, qu. 3, a. 1, *Utrum ordinandi debeant coronæ tonsuram habere.*)

13° Advertant singuli ut non in quadrum capillos tondeant, sed in orbem, ut juxta intentionem Ecclesiæ, quæ prudenter ignominiam Petri vertit in gloriam cleri, singuli coronam gestare videantur in capitibus, reipsa signantes, quod clerici deposita indignitate sæcularium indumentorum atque abjectis capillorum sordibus, facti sunt Deo nostro reges; reges, inquam, ornati, honorati, coronati. (*Synod. Bisunt.* ann. 1570.)

14° Nec propter hæreticorum derisionem aut vulgi judicium quemquam pudeat hoc symbolo ducem ac imperatorem suum agnoscere, cui *per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam debet militare.* (*II Cor.* VI, 7, 8; *Director. Eccl. Colon.* ann. 1596.)

15° Clerici si nominis sui etymologiam attendant, cur clerici a sorte dicti sunt, nisi quia Dominus eorum sors, vel hæreditas sit? Cur saltem clericatus sui signa, quibus a laicis discernuntur, non perpendunt? Non enim sine causa capita eorum raduntur et tondentur, sed perspicacissima et evidentissima ratione, nam his signis secernuntur a laicorum conversatione. (Auctor libri *De contemptu mundi*, c. 3, inter opera S. Aug.)

Quisquis namque in divinis officiis assumptus est, pilos carnis, id est, superfluas cogitationes carnis radere debet. Caput igitur radere significat cogitationes terrenas et superfluas a mente resecare. Nec incongrue per pilos et capillos significantur cogitationes superfluæ; sicut enim pili non sunt pars corporis, sed quædam superfluitas procedens a corporis humore, sic bona temporalia non sunt nobis naturalia, sed aliena. (*Ibid.*)

Hinc itaque fideles Christi qui ad æternam vitam medullitus suspirant, qui mundum cum suis oblectationibus sub pedibus conculcant, qui in terra nihil possidere volunt, sed cum Apostolo dicunt: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20), capillorum minimam partem in capitibus retinent, ut per eorum abrasionem se minimam terrenorum sollicitudinem habere designent. (*Ibid.*)

Quisquis igitur clericus ad sortem Domini vocatus comam nutrit, et capillos radere vel tondere erubescit, profecto se non de Dei, sed de mundi sorte esse testatur. Quanto enim quisque carnis crines diligit et nutrit, tanto cor suum, non in cœlis sed in terra fixum esse ostendit. Quanto autem radit et edomat,

tanto se non terrenâ sed æterna diligere comprobat. Cessent itaque clerici psalmodiæ hymnisque spiritualibus insistentes, capillos, mitras, cæteraque velamina in capitibus portare, ne dum cum Deo loquimur, famulatus sui signa occultantes, ejus indigni judicemur propitiatione, cujus salubri doctrinæ præsumimus non obedire. (Auctor libri *De contemptu mundi*, c. 3, inter opera S. Aug.)

16° Capilli in capite, inquit sanctus Gregorius, exteriores sunt cogitationes in mente, qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis exprimunt, quæ ex sensu negligenti, quia importune aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti, qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen vehementer eis incumbere, sacerdotes recte et caput prohibentur radere et comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum nec a se funditus amputent, nec rursum ad crescendum nimis relaxent. (S. Greg., *Pastoral.*, p. II, cap. 7, in fin.)

Sollicitudo ergo quæ subditis exterius intenditur, sub certa necesse est mensura teneatur. Unde bene ad Ezechielem dicitur : *Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua*, etc. (*Ezech.* XLIV, 20.) Ut videlicet curæ temporalis sollicitudinis et quantum necesse est provideant, et tamen resecetur citius, ne immoderatius excrescat. (*Ibid.*)

Dum igitur et per administratam exteriorum providentiam corporum vita protegitur, et rursus per immoderatam cordis intentionem non impeditur, capilli in capite sacerdotis et servantur ut cutem cooperiant, et resecantur, ne oculos claudant. (*Ibid.*)

17° Tonsuræ ecclesiasticæ usus, inquit sanctus Isidorus Hispalensis, a Nazaræis, nisi fallor, exortus est, qui prius crine servato, denuo post vitæ magnæ continentiam devotione completa caput radebant et capillos in ignem sacrificii ponere jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. (S. Isidor. Hispal., l. II *De ecclesiast. Offic.*, c. 4; *Conc. Aquisgran.*, cap. 1; Alcuinus.)

Hujus ergo exempli usus ab apostolis introductus est, ut hi qui in divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est sancti Dei, crine præciso innoventur. (S. Isidor., *ibid.*)

Hoc quippe et Ezechieli prophetæ jubetur, dicente Domino : *Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, et duces per caput tuum et barbam* (*Ezech.* v, 1); videlicet quia et ipse sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis deserviebat; hoc et Nazaræos illos Priscillam et Aquilam in *Actibus apostolorum* (c. XVIII) primos fecisse legimus; Paulum quoque apostolum, et quosdam discipulorum Christi, qui in hujusmodi cultu imitandi exstiterunt. (*Ibid.*)

Est autem in clericis tonsura signum quoddam quod in corpore figuratur, sed in animo agitur, scilicet ut hoc signo in religione vitia resecentur, et criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur; atque inde innovatis sensibus, ut comis rudibus enitescamus : *Exspoliantes nos*, juxta Apostolum, *veterem hominem cum actibus suis*, et *induentes novum, qui in agnitionem Dei renovatur* (*Col.* III, 9, 10); quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi mens noscitur habitare. (*Ibid.*)

Quod vero detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium, regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat, quasi sphæra media, et hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem latitudo aurei est circuli, quæ regum capita cingit. Utrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, ut impleatur etiam quadam corporis similitudine quod scriptum est Petro apostolo perdocente (*I Petr.* II, 9) : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* (*Ibid.*)

Quæritur autem cur sicut apud antiquos Nazaræos (*Num.* VI, 18), non ante coma nutritur et sic tondetur. Sed qui hæc exquirunt, advertant quid sit inter propheticum illud velamentum, et hanc Evangelii revelationem, de qua dicit Apostolus (*II Cor.* III, 16) : *Cum transieritis ad Christum, auferetur velamen.* (*Ibid.*)

Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysis et aspectum populi Israel (*Exod.* XXXIV, 33, 34), hoc significabat etiam illis temporibus coma sanctorum : nam et Apostolus comam pro velamine esse dicit. Proinde jam non oportet ut velentur crinibus capita eorum, qui Domino consecrantur, sed tantum ut revelentur : quia quod erat occultum in sacramento prophetiæ, jam in Evangelio declaratum est. (*Ibid.*)

18° Non penitus capillis capita nudant, verum pro parte, significantes tali schemate tam regale decus, quam insigne sacerdotale. Siquidem regibus decus est proprium coronas in capite ferre, pontifices autem in templo tiaras in vertice portabant, etc. Clerici autem in verticis nudatione tiaræ similitudinem figurant, per quam sacerdotale decus insinuant. In reliqua vero parte capillorum caput ambiente, neque tamen verticem contingente, speciem coronæ repræsentant, qua regalis dignitas ostendatur. Sic utraque hac specie regale sacerdotium designatur. (Ratramn. Corbeiens., *Contra Græcor. opposita*, lib. IV, c. 5.)

Christus etiam rex et sacerdos exprimitur, etc. Igitur sive Christi sacerdotium atque regale solium clerici Latinorum significare volentes, hujusmodi schema capite gestant : sive quod omnis Christiana natio regia, simul atque sacerdotali dignitate præemineat, tali specie designant. In faciei vero denudatione cordis ostendunt puritatem, illud innuentes apostolicum, ubi ait : *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur* (*II Cor.* III, 18); facies enim capitis faciem cordis insinuat : sicut enim caput arx est cordis, sic mens hoc loco, quæ cor appellatur, animæ culmen exsistit : debet enim facies cordis cogitationibus terrenis jugiter spoliari; qualiter puro sinceroque conspectu gloriam Domini possit specula-

ri, et in eam per contemplationis gratiam transformari. (Ratramn. Corbeiens., *Contra Græcor. opposita*, lib. IV, c. 5.)

19° Caput nostrum, inquit Amalarius Fortunatus (*De eccles. Offic.*, lib. II, c. 3), significat principale mentis nostræ, ubi agnitio Dei est. Agnitio Dei est in mente, quod est caput nostrum. Capilli in capite significant cogitationes in mente. Duæ sunt partes animi, superior et inferior : superior est mens in qua est agnitio Dei ; illam radere debemus a superfluis cogitationibus, ut oculus intellectus nostri æterna possit intueri. De qua re dicit Gregorius in *Moralibus* (lib. II, c. 38) : Quid vero per caput, nisi ea, quæ principale uniuscujusque actionis mens ipsa signatur ? etc.

Caput ergo tondere est cogitationes superfluas a mente resecare. Inferior vero pars habet capillos, id est, multifluas cogitationes, in qua solemus de temporalibus sæpe cogitare, etc. Non enim præcipitur Christiano, ne aliquando cogitet de temporalibus, sine quibus præsens vita non transigitur, sed esse debere partem animæ quæ temporalia regit, subditam menti, sicut mulier est viro. Quapropter capilli in inferiori parte capitis manent. Circulus vero capillorum virtutem æqualitatis rationi undique consentientem significat, etc. (Amalar. Fortunat., *ibid.*)

Superiorem partem capitis rasorio sæpe renovamus, cum forti sollicitudine superfluas temporariasque cogitationes de superiore parte animi resecamus. In inferiori parte coronam portamus, cum ea, quæ secundum mundum necessario gubernare debemus, concorditer cum ratione æquamus. Hoc providendum est, ut ne ipsi capilli, id est curæ hujus mundi, superflue crescant, ne aures cordis cooperiant, et oculos impediant, quæ solent sæpe suffocare verbum seminantis. (*Ibid.*; *Matth.* XIII, 22.)

20° Capillorum autem detractio et resectio consecrationem significat ; capilli enim totius sunt corporis flosculi de eo efflorescentes, qui detractione sua indicant primitias ab homine Deo offerri. Fit autem illa capillorum resectio in crucis figuram propter Jesum, quoniam ipse incarnatus et crucifixus sanctificat, etc. Fit porro in vertice, a quo tonsura incipit, etc., quoniam Christus omnium est caput, et vertex, sigillumque et signum iis, qui propter ipsum perficiuntur ; ipse quoque eis insidet, et rectores sanctificat, eorumque est caput, etc. (Simeon Thessalonic., lib. *De sacris ordinat.*, c. 2, *De ritu ordin. lectoris.*)

21° Remedii et decoris novacula nobis Christus Deus est, qui cor nostrum circumcidit, vitia radit, animæ caput lævigat, et faciem mentis accurat, nosque ut illam in lege captivam purgat et liberat horrido miseræ servitutis capillo : ut conjungendi Domino velut illa in Israelitæ viri nuptias transitura, criminibus carnis nostræ, quasi barbaris crinibus exuamur. (S. Paulin., epist. 4, *Severo.*)

Videamus igitur ne sanctitatis signa inaniter gestemus, scilicet tonsuram, coronam, ornamenta etiam necessariis officiis deputata ; sed eis quæ exterius apparent, interiora digne respondeant. Capillos siquidem ante præcidimus, et ab eis sensuum instrumenta liberamus, ut hoc signo curarum illecebras frequenter redeuntes, et cogitationes supervacuas a cordibus nostris resecare discamus. (Hugo a S. Victore, lib. I *De Officiis ecclesiasticis*, c. 32.)

Summitatem capitis in modum coronæ radimus, ut mentem, quæ nostrum superius est, ad superna contemplanda et desideranda liberam habere doceamur. Qui sic affecti sunt, et moribus esse student quales se debere esse exterius ostendunt, ad clericalis militiæ officia promovendi sunt. (*Ibid.*)

22° Per caput principale animæ, scilicet mens, denotatur, quæ sicut capillis, ita cogitationibus perornatur : quæ novacula timoris Dei debet a superfluis cogitationibus radi, ut nuda facie cordis valeat cœlestia contemplari ; rotunditas autem quæ remanet crinium, est ornatus virtutum ; capilli vero in circulum coæquantur, quia omnes virtutes in concordia charitatis consummantur. (Honor. Augustodun., *De gemma animæ*, p. I, c. 193 seqq.)

23° In sacramento ordinis datur potestas ad nobile officium exsequendum ; et quoniam hæc omnibus non datur, nec omnibus dari debet ; ideo oportet personas hoc officium suscipientes primo consignari : et hoc signaculo, quod ostendat distinctionem, et quod etiam sit in eruditionem. Nulla autem ita conveniens est ut tonsura cum corona : 1° ratione situs, quia in superexcellenti parte debet hoc signaculum poni, ut significetur officium nobilitatis ad quod parati sunt. (S. Bonavent., in IV *Sentent.*, dist. 24, p. I, a. 1, qu. 1, *An clerici debeant tonsurari.*)

2° vero quia tonsura inferior cum rasura superiori circularem figuram faciunt in capillatura, et illa appellari potest corona, quæ signat eos parari ad regale sacerdotium, secundum illud : *Vos estis regale sacerdotium* (*I Petr.* II, 9) : ideo signaculum regale rectissime eis competit ad distinguendum. (*Ibid.*)

Competit nihilominus ad erudiendum, et in hoc quia in talis signaculi collatione superfluitatis amotio est summitatis capitis denudatio et figuræ orbicularis impressio. (*Ibid.*)

In 1° instruuntur clerici quid sit vitandum. Superfluitas terrenitatis secundum illud Apostoli : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* (*I Tim.* VI, 8.) Unde et in hoc signatur quod debent esse succincti lumbos mentis. (*Ibid.*)

In 2° instruuntur quantum ad illud quod est desiderandum, et quod est tenendum ; et hoc est bonum supernum secundum illud Apostoli : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III, 20) : mente enim debemus accedere Deo et sobrii esse proximo. (*Ibid.*)

In 3° instruuntur qualiter sit ad illud pervenien-

dum : figura enim orbicularis est simplicissima, capacissima et pulcherrima : in quo signatur quod simplices debent esse in mente : *In simplicitate cordis quærite illum* (*Sap.* I, 1) ; dilatati in affectione : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (*II Cor.* VI, 11) ; et pulchri in conversatione ; quia *confessio et pulchritudo in conspectu ejus* (*Psal.* XCV, 6) ; et hoc est per munditiam ; juxta illud psalmi : *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* (*Psal.* C, 6.) Et sic patet, quare sic debeant consignari per tonsuram et coronam. Nam tonsura dicitur amotio capillorum a parte inferiori, sed corona amotio orbicularis a parte superiori : vel corona posset dici etiam ipse circulus, et tunc corona utrumque comprehenderet. (*Ibid.*)

SECTIO III.

De disciplina circa reliquum corporis ornatum a clericis observanda.

Sicut accidentia multum conferunt ad cognoscendam rei ipsius quidditatem, ita habitus exterior plurimum confert ad declarandam morum honestatem. (*Synod. Venusin.* ann. 1589.)

Quia tamen quidam sunt nostri ordinis quibus omnis cura est de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat, crines calamistrati vestigio rotantur, digiti de annulis radiant ; et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia, ita ut tales cum videris, sponsos magis dixeris quam clericos. (*Conc. Aquisgran.*, c. 124, ex Hieron. *ad Eustoch.*)

Quidam etiam incedunt ita nitidi et ornati, circumamicti varietate (*Psal.* XLIV, 10) tanquam sponsa procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII, 6), ut si quemquam talium repente eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quam Sponsæ custodem. (S. Bernard. putatus, *Serm. ad clerum*, in *Synod. Remens.*)

Ideo nunquam satis clericis inculcari potest, quod ecclesiasticus etiam ordo maxime postulat, ut cum vitæ morumque integritate illorum exterior habitus congruat... Neque enim in vestibus sicut nec in tonsura, intuentium, quorum forma et exemplum esse debent, offendere debent aspectum, sed potius in suis actibus errata condemnent et amorem innocentiæ conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericalis. (*Synod. Tornacens.* ann. 1643 ; Eugen. III, in *Conc. Remens.*, c. 2.)

Quapropter ut clerici gestu, vultu, habitu et vestitu statum et ordinem suum profiteantur, præcipimus omnibus clericis, 1° Ut eluceat in omni illorum amictu modestia, parcimonia, gravitas, et honestas, et quod Græci dicunt τὸ πρέπον, ita tamen ut omnes studeant moribus magis placere quam vestibus... et quærant potius divinum cultum cordis, quam corporis. Humilitatem quam corde gestant, actu, habitu, incessu, ipsa etiam equitatione religiosissime demonstrent, plusque velint sancta conversatione eximiisque moribus quam ornatu vestium fulgere... Ut plus gaudeat intus anima de sanctis virtutibus quam foris in corpore de pretiosis vestibus. (*Conc. Camerac.* ann. 1565 ; *Synod. Bisuntina*, circa ann. 1570 ; *Conc. Aquisgran.*, c. 124 ; S. Bernard., *De modo bene vivendi*, serm. 9.)

2° Ut et indumenta virtutum habeant interius, et per immoderatum cultum caveant dehonestare religionis dignitatem exterius... Et nedum morum probitate, sed et universo exteriore cultu cæteris modestiæ exemplo sint ; mentis honestati honestus corporis respondeat habitus, nihil obscenum, nihil leve referens... Habitus enim exterior compositus bonum denotat interiorem habitum. (*Conc. Aquisgran.*, c. 124 ; *Conc. Remens.*, a Greg. XIII confirmat. ; *Synod. Lucensis*, ann. 1625.)

Nihil ergo habeant in habitu, quod non eorum deceat sanctitatem... Unde *Directorium Ecclesiæ Coloniensis* : Vestibus, inquit, utantur, non aliqua levitate aut singularitate notandis, sed quæ modestiam clericalem præ se ferant, et animum prodant omnis vanitatis et superbiæ contemptorem, ne, quod scripsit olim divus Bernardus, habitu milites, gestu clericos, actu neutrum exhibeant. (Innocent. III, in *Conc. Roman.*, cap. 3 ; *Director. Ecclesiæ Colon.* ann. 1596 ; S. Bern., lib. III *De consider.*, cap. ultim.)

3° Ut ergo personalis cultus clerici totius modestam et simplicem redoleat gravitatem ab omni fastu prorsus ac sordibus alienam... Ne ferant ornamenta ex veluto aut serico supra qualecunque genus vestium... fibulas etiam omnino non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes. (*Conv. Melodun.* ann. 1579 ; *Synod. Taurin.* ann. 1575 ; Innocent. III, in *Conc. Lateran.* IV, cap. 16, ann. 1215.)

4° Absit vestium curiosa mollities..... Amandentur procul clerici ut feminæ compti, variorum colorum et indecentium amatores.... nec decor corporis sit affectatus, sed naturaliter simplex, neglectus magis quam exquisitus.... Quando enim homo gaudet de pulchritudine corporis, mens ejus elongatur ab amore Creatoris. Quanto amplius in compositione corporis lætamur, tanto magis a superno amore disjungimur. (*Convent. Melodun.* ann. 1579 ; *Synod. Sancti Miniatis* ann. 1638 ; S. Bern., *De modo bene vivendi*, serm. 9.)

5° Sint etiam procul a sacerdotibus fissurata, militaria, aut histrionica ornamenta. (*Conv. Melodun.* ann. 1579.)

6° Nec de cætero incedant in locis publicis cucufati seu sotularibus consutitiis calceati, vel ensibus accincti seu gladiis ad modum militum super vestes. (*Conc. Rothomag.* ann. 1299.)

7° Quia colorem nigrum modestiæ clericali aptum convenientemque dicimus.... vestium omnium color sit niger.... tam interiorum quam exteriorum... Aut si non nigri, saltem fusci coloris indumenta habeant clerici.... nisi forte alium colorem requirat dignitas gradus. (*Conc. Aquileiens.* ; *Conc. Narbon.* ann. 1609 ; *Mediol.* I ; *Synod. Amerina* ann. 1595 ; *Sy-*

nod. Montis regalis ann. 1622; *Conc. Mediol.* I, sub Pio IV.)

8° Vestes interiores non sint partitæ, non scacatæ, non acu pictæ, non auro intextæ, non coloris nimis fulgidi, neque etiam cingula; sed sint tantum coloris nigri, grisei, castanei, aut violacei, vel alterius similis, non nimis conspicui, sed modesti et convenientis.... quo bonæ et honestæ personæ ecclesiasticæ utuntur in diœcesi. (*Edictum Urban. VIII jussu editum* ann. 1624; *Synod. Carnot.* ann. 1526.)

9° Caligis rubeis, viridibus, stratis, croceis, seu albis ita publice non utantur, sed caligis nigris, seu aliis honestis tantummodo sint contenti.... Caligæ ergo sicut et tibialia sint coloris honesti, nigri videlicet vel violacei, vel saltem subobscuri.... aut fusci.... Nec etiam caligas gestent bipartitas, cancellatas, et incisas, intermissis nonnunquam pannis sericeis, quod horrendum est, nec circa genu truncatas.... Vel, ut ait synodus Parisiensis et concilium Turonense a Gregorio XIII confirmatum, ne caligas discissas seu dissectas deferant.... Ne partitas aut scacatas assumant, neque circa genu dissutas.... Non etiam tumentes caligas gestent.... nec femoralia circa genua abscissa et rugata. (*Conc. Senon.* ann. 1524; *Synod. Tiburtina* ann. 1636; *Synod. Lugdun.* ann. 1566; *Synod. Parisiens.* ann. 1557; *Conc. Turonens.* ann. 1583; *Conc. Senon.* ann. 1527; *Synod. Carnot.* ann. 1526; *Conc. Narbon.* ann. 1609; *Synod. Ebroic.* ann. 1576.)

10° Prohibemus etiam ne jarteriis utantur ad genua. (*Synod. Carnot.* ann. 1526; *Edictum cardinal. de Sourdis, arch. Burdig.*, ann. 1618.)

11° Calceis nigris solummodo utantur aut cera obductis.... non lunatis seu cornutis, aut nimis fenestratis.... non consutitiis seu rostratis.... nec arte scissis dissolutorum laicorum personas referant..... nec ulla calceamenta sæcularia, nisi quæ religionem deceant, induere præsumant. (*Synod. Cremon.* ann. 1624; *Concil. Senon.* ann. 1527; *Synod. Carnot.* ann. 1526; Innocent. III, in *Conc. Lateran.* IV, c. 16, ann. 1215; *Conc. Rem.* ann. 1583, a Greg. XIII conf.; *Conc. Agathens.* ann. 506, refert. dist. 23.)

12° Formulæ etiam rosarum sericeæ soleis insertæ abjiciantur.... imo et aliæ rosarum formulæ. (*Conc. Burdigal.* ann. 1629; *Edictum cardinal. de Sourdis*, ann. 1618.)

13° Annulos etiam in quibus repræsentantur imagines sacræ in digitis non gestent clerici, nisi quibus id competit ex officio dignitatis.... vel nisi aliud honoris ratio postulet.... et id ad decorem suarum dignitatum permittatur.... Nulli ergo sacerdoti clericove annulum, nisi ea dignitate prædito, in qua conferenda ille sibi traditur, gestare liceat, tuncque unico nec magni pretii contenti sint, digito dexteræ manus quarto, eumque dum Missæ sacrificium facit sacerdos, deponat. (*Conc. Narbon.* ann. 1609; Innocent. III, in *Conc. Lateran.* IV, c. 16, ann. 1515; *Synod. Aquens.* ann. 1585; *Carnot.* ann. 1526; *Conc. Neapolit.* ann. 1576, a Greg. XIII approbat.; *Synod. Ravennat.* ann. 1607; *Senon.* ann. 1524; *Conc. Senon.* ann. 1527; *Conc. Mediolan.* IV, *De vita et honest. cleric.*; *Acta Eccles. Mediol.*, lib. III.)

14° Ne chirotecis utantur clerici nisi necessitatis gratia.... Si autem incisæ sunt, nullo unquam tempore deferre liceat. (*Acta Eccles. Mediolan.*; *Synod. Ravennat.* ann. 1607.)

15° Ne thoracibus minutatim scissis induantur. (*Conc. Turon.* ann. 1583, a Greg. XIII confirm.)

16° Nec indusia gerant laciniosa et sinuosa, seu camisias quas dicimus fronciatas, sub gravissimis pœnis.... nec subuculas deferant immodicis pilis notandas. (*Synod. Ebroic.* ann. 1576; *Synod. Parisiens.* ann. 1557.)

17° Nec etiam extremæ subucularum partes ad manus et collum prominentes lactucatæ sint, seu pinnatæ, vel cremore ac dente levigatæ, sed parum inversæ ac simplices. (*Synod. Florentin.* ann. 1619; *Synod. Taurinens.* ann. 1575.)

Unde concilium Mediolanense primum: Camisias, inquit, ad collum et ad manus crispas et rugosas, vel artificiose elaboratas rejiciant.

Concilium etiam Senonense (ann. 1589): Interulas ad collum manusve rugosas, aut acu pictas non habeant.

Concilium Turonense omnibus ecclesiasticis camisiis in collo et pugnis rugosis uti non licere decernit. (*Conc. Turon.* ann 1583, a Greg. XIII confirm.)

Concilium Aquileiense (ann. 1590): Collaria camisiarum quocunque modo crispata, seu laciniata damnamus, rejicimus, et personis clericalibus minime convenire pronuntiamus.

Conventus Melodunensis (ann. 1579), et synodus Cellensis (ann. 1594): Camisias rugosas in collo aut manibus, aut acu aut arte elaboratas non ferant.

Concilium Cameracense (ann. 1586): Collaria indusiorum ejusmodi habeant, quæ modestiam clericalem sapiant, clericosque a sæcularibus, et maxime mundanis hominibus aperte distinguant. Proinde omnibus in universum clericis deinceps indusia, sive ad collum sive ad manus crispata hæc synodus interdicit.

17°* Collaria tam vestis et pallii quam subuculæ non nimis grandia sint, eaque in re non sæcularis æmulatio, non ambitio redundans, sed modestus quidem ornatus et elegans mundities appareat. (*Synod. Tarvisina* ann. 1619.)

18° Collare sit simplex, planum... et communi tela confectum.... non crispatum seu artificio elaboratum... modeste.... seu modice latum..... ad collum reflexum.... et honeste reclinetur.... et apte reflectatur super vestem.... nec ab extrema.... seu anteriori parte quasi rostratum promineat, etc.... nec etiam rotunda quam vocant, collo applicata exsistat ad collaria dilatanda et sustinenda, sed brevia sint illa, et deorsum modeste inclinata.... ita ut superpellicei, stolæ, vel cappæ summitatem non tangant.

(*Synod. Auximana* ann. 1593; *Cellens.* ann. 1594; *Concordiens.* ann. 1587; *Placentina* ann. 1589; *Conc. Mediolan.* I; *Synod. Venusina* ann. 1614; *Synod. Arimin.* ann. 1577; *Synod.* IV *Mediolan.* ann. 1574; *Conc. Burdig.*, ann. 1614; *Manuale Rothomag.*, ann. 1650.)

19° Tela quæ ad manus reclinatur... seu lineæ manicellæ, sicut et collaria sint simplicia, non denticulata, neque elaborata, non tincta, sed solummodo coloris albi... modeste lata, non rugosa, et quæ superfluum redoleant artificium et vanum. (*Synod. Castellana* ann. 1595; *Edict. Urbani VIII jussu editum* ann. 1624.)

20° Pileos et non galeros militum aut sæcularium more gestare haud dedignentur. (*Convent. Melodun.* ann. 1579.)

Pilei porro sint nigri coloris... et formæ convenientis.... simplices, non aculeati, aut turbinati.. non pyramidales.... aut acuti.... sed plani et depressi et eam latitudinem habentes in gyro quæ honesta sit... Ita ut tales sint, quales cæteri ecclesiastici pro tempore reformati gerunt. Pileis etiam cum pennis aut sæcularium birretis etiam in itinere eis uti nullo pacto liceat. (*Conc. Neapolit.* ann. 1576, a Greg. XIII approb.; *Edictum Urban. VIII*, ann. 1624; *Conc. Cosentinum* ann. 1579, sess. 4; *Synod. Tridentin.* ann. 1593; *Synod. Astensis* ann. 1588; *Taurinens.* ann. 1575; *Synod. Bisuntin.* ann. 1575.)

Pileos porro laneos, sive sericeos opere crispato vel punctorum frequenti ordine quasi pictos, seu cinguli variegati corona exornatos ad laicos, et non ad clericos pertinere sciant. (*Conc. Aquileiens.*)

Pilei tandem formæ convenientis sint, cum cingulis circum aut velis simplicibus.... seu cum tortili cingulo modico... volumen enim velorum circa pileum ex arte compositum ut personas ecclesiasticas non decet, ita minus quidem decet illas, quæ inter cæteras loco et dignitate eminent. (*Edictum Urban. VIII*, ann. 1624; *Acta Eccles. Mediol.*, pag. 884; *Conc. Aquileiens.*, supr.)

21° Arma non deferant, inquit Urbanus II... sed magis confidant in defensione Dei, quam in armis... Arma enim clericorum sunt lacrymæ et orationes, non enses, aut alterius formæ vel materiæ arma.... Et nos qui relinquimus sæculum, inquit concilium Moguntinum, id modis omnibus observare volumus, ut arma spiritualia habeamus, sæcularia dimittamus... Nemo ergo clericorum arma portet, inquit concilium Metense (et Meldense), sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus et religioso habitu præbeant.... Et si quis, relicto officii sui ordine... cum armis inventus fuerit, a seniore coerceatur... excommunicetur... et proprii gradus amissione multetur, quia non potest simul Deo et sæculo militare. (*Conc. Mediol.* I, p. II, tit. *De armis;* URBAN. II in *Conc. Clarom.*, cap. 2, ex lib I *Capitular.* Caroli Magni; *Conc. Moguntin.* ann. 813, cap. 17; *Conc. Metense*, c. 3; *Conc. Meldense*, c. 37; *Conc. Turon.*, c. 5; *Conc. Matiscon.*, c. 5; *Conc. Pictaviense*, c. 10.)

22° Torques, armillas ac monilia respuant. (*Conc. Mediol.* I.)

23° Publice rosas, violas alteriusve generis flores non ferant... flores enim vel fructus in manu otiose tenere, vel tantum ad mollem carnis suaveolentiam gestare, honestati non consonat, sed lasciviæ signum quodammodo portendit. (*Synod. Nucerin.* ann. 1606; S. BONAV., p. I *Spec.*, c. 24.)

24° Abstineant etiam ab omnibus odorum illecebris, aut unguentis cujuscunque generis... vel odoribus ad delicias et vanitatem paratis; nec illis (unquam) lasciviant... (Illis enim) omnis odor unguentorum est prohibitus. (*Synod. Aquens.* ann. 1585; *Taurin.* ann. 1575; *Nucerina* ann. 1606; *Ravennat.* ann. 1607; *Vincentin.* ann. 1583.)

Unde procul esse debent inunctæ et saginatæ. (*Synod. Bisuntina* ann. 1570.)

Caveant etiam clerici ne barbam aut comam concinnis aut odoriferis aquis exornent, vel aliter delibutam habeant. (*Synod. Faventina* ann. 1615.)

Et quia sudariola, chirotecæ, vestes, aut alia odoribus delibuta clericali modestiæ non conveniunt ..

> Non (enim) bene olet qui bene semper olet.
> (MARTIAL., lib. II, epigr. 12.)

ideo has vanitates vitando odorem illum habere studeant, de quo D. Paulus scribit (*II Cor.* II, 15): *Christi bonus odor sumus in omni loco.* (*Synod. Auximana* ann. 1593.)

Episcopos ergo vel clericos, qui sunt unguentis delibuti, se corrigere oportet; sin autem permaneant, supplicio tradi. (*Conc. Nicæn.* II, act. 8, c. 16; refert. 21, q. 4, cap. *Omnis.*)

25° Tandem nulla specie vanitatis, aut vestimentorum novitate delectentur... sed omnem habitus... et ornamenti novitatem ita fugiant (ut) nec in birretorum, cingulorum, calceamentorum, aut reliqui vestitus forma sæcularium more novitatem affectent... In clericorum ergo ornatu vestituque nihil novum appetatur, nihil inane, nihil exquisitum, nihil sumptuosum, nulla ostentatio, nullus luxus... sed in iis, quæ ad vestitum pertinent, novitatem fugiant, et suspicionem, quæ sive ex superfluo ornatu, sive ex sordibus oriri potest;... et a cæteris demum levitatibus se abstineant, quæ ab ecclesiastica sunt disciplina alienæ. (*Synod. Saxens.* ann. 1579; *Venusin.* ann. 1614; *Concordiens.* ann. 1585; *Castellana* ann. 1595; *Constantiens.* ann. 1567; *Manuale Rothomag.* ann. 1650; *Synod. Amerina* ann. 1595; *Edict. Urbani VIII jussu editum*, ann. 1624; *Synod. Salernitana* ann. 1575; *Conc. Cosentinum* ann. 1579.)

Talia enim debent esse vestimenta servorum et ancillarum Dei, inquit S. Bern., in quibus nihil possit notari novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam et ad vanam gloriam... Ut ornentur spiritualibus ornamentis, scilicet charitate, humilitate, mansuetu-

dine, obedientia et patientia. Hæc sunt vestimenta quibus placere poterimus Jesu Christo cœlesti sponso. Christus enim invisibilis sponsus non requirit pulchritudinem foris, sed intus, sicut scriptum est in psalmo (*Psal.* XLIV, 14) : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus...* (S. BERNARD., *De modo bene vivendi*, serm. 9.)

Sit ergo sacerdos vestitus sanctis vestibus, ut scilicet pietatis atque justitiæ semper induviis adornetur, sicut scriptum est (*Psal.* CXXXI, 9) : *Sacerdotes ejus induant justitiam.* (PETR. DAMIAN., opusc. 1, *De dignit. sacerd.*, sup. *Levit.* XXI.)

CAPUT V.

De vestibus quibus in ecclesia uti debent clerici.

Si in locis omnibus clerus decenter ornatus esse debet, multo sane magis in loco sacro et in choro, ubi laudes Deo persolvuntur, gratiæ aguntur, postulationes fiunt. (*Conc. Aquileiens.* ann. 1596.)

Omnes igitur, qui ministerium intra sanctam ecclesiam tractant, tonsuram ecclesiasticam habeant, hoc est, barbam rasam, et coronam in capite. (*Conc. Bituric.* ann. 1034.)

Sit etiam chorum ingredientibus vestis talaris, sint pilei (qui birreta vocantur), sint camisiæ, sint denique calcei, et caligæ tales, in quibus non fastus jactantia, elationis vitium, vel mentis levitas, sed clericalis ordinis honestas et modestia deprehendatur. (*Conc. Colon.* ann. 1536, p. III, c. 8.)

Caveant porro maxime ecclesiarum ministri, ne vestes in templo sub ecclesiastico indumento gerant, nisi superne clausas, et eo usque demissas, ut talos attingant, quarum manicæ integræ, non in medio sectæ sint, in quibus, ut antea dictum est, nihil indecori deprehendatur. (*Conc. Narbon.*, c. 15, ann. 1551.)

Ne etiam in chorum ad divinorum interessentiam ascendant sine veste coloris nigri, et non solum usque ad talos demissa, sed etiam ad collum constricta. Vestem enim breviorem coloris non nigri, aut collo non constrictam, quocunque prætextu sumptam, a choro et ab ecclesia longius abesse volumus. (*Conc. Aquileiens.* I, ann. 1596.)

Cappas manicatas ad divinum Officium intra ecclesiam non gerant, sed nec alibi, qui sunt in sacerdotio vel personatibus constituti. (INNOC. III, in *Conc. Lateran.* IV, c. 16, ann. 1215.)

Omnino in choro clericalibus vestibus et superpelliceo utantur... (Et non solum) in choro, (sed) omnino in ecclesia nemo ministret sine superpelliceo, aut cæteris indumentis quæ pro ratione officii requiruntur. (*Conc. Mediol.* I, tit. *De musica et cantorib.* et *De ratione divinorum Officiorum.*)

Superpelliceis vero, cum ministerii usus postulat, omnes utantur, quæ non lacera sint, nec sordida... Ideoque decimo quinto quoque die munda adhibeantur. (*Conc. Mediolan.* IV, *De vit. et honest. cleric.*; *Conc. Aquens.* ann. 1585, a Sixt. V confirm. ; *Conc. Mediol.*, *De munditia ecclesiarum.*)

Nec sint etiam superpellicea patula, curiosius acu elaborata et veluti altioribus pinnis ornata... aut ita ut artificii ornatus in humeris nimius appareat... Ridiculum est enim ad fastum et ostentationem abuti eo, quod ad demonstrandam simplicitatem animorum et corporum puritatem est religiose introductum. (*Conc. Turon.*; *Conc. Mediol.* IV, *ibid.* ; *Conc. Turon.* ann. 1583, a Greg. XIII confirm.)

Superpelliceis igitur ita utantur non laceris et inquinatis, sed integris et mundis, ut tamen absint omnino ambitiosa ornamenta; neque effeminate elaborata, et quasi Arachnes acu interpuncta videantur... aut rete, aliove eleganti artificio elaborata... Manicas vero habeant ; illa enim quæ manicis carent, et quæ non superpelliceorum, sed mantilium potius nomine digna sunt, omnino prohibemus. (*Synod. Tarvisina* ann. 1619 ; *Conc. Mexican.* ann. 1585, a Sixto V confirmat. ; *Conc. Aquens.* ann. 1585, a Sixt. V confirmat.)

Omnes porro sacerdotes et clerici tam sacra administrantes, quam divinis Officiis intervenientes in ecclesia et processionibus publicis, et funeralibus... sepulturis, et novenis seu in aliis quibusvis exsequiis et divinis Officiis, etc. , semper sint superpelliceis induti : non enim decet in alio habitu interesse sacerdotes... Caveantque ne superpelliceo exuti, clericalibus fungantur officiis. (*Synod. Lunensis; Tarvanensis* ann. 1582; *Synod. Vicens.* ann. 1628, et *Conc. Tarracon.*, lib. III, tit. 1, ann. 1631; *Conc. Genutens.* ann. 1574; *Conv. Melodun.* ann. 1579; *Synod. Caputaquen.* ann. 1617.)

(Ideoque) clericorum unusquisque superpelliceum sibi fieri curet, et absque illo non intersit Horis canonicis die Dominica festivisque novem lectionum...

Præsertim vero qui in aliquo minorum saltem ordinum sunt, proprium superpelliceum habeant, quo et in ecclesia, cui ascripti sunt, et alibi, cum ipsos suis fungi muneribus contigerit, uti possint. (*Synod. Burgens.* ann. 1377 ; *Conc. Mediol.* IV; *Conc. Aquens.* ann. 1585.)

Ad chorum etiam ubi divina Officia recitantur, sine superpelliceo nullus clericus, aut sacerdos accedat. (*Syn. Tarvisina* ann. 1619 ; *Syn. Favent.* ann. 1620.)

Presbyteri etiam in sacris constituti, in parochiis, ubi moram trahunt, diebus festis quibus divinum Officium in ecclesia celebratur, cum habitu decenti intersint, ac cum superpelliceis et caputiis rectores ad celebrandum divinum Officium juvent. (*Syn. Turon.* ann. 1537.)

Cum vero superpelliceum, qui amictus ex tela linea constat, induit clericus, cogitet quam personam sustineat, nempe a sordibus labeque puram, quemadmodum vestitus ille indicat. (*Conc. Mediol.* V, tit. *Quæ ad divina Officia pertinent.*)

Clerici porro, cum superpelliceis fuerint induti, nullo modo flores, nec aliud quod statui suo et ec-

clesiæ non conveniat, habeant; non vagentur per ecclesiam, nec deambulent, nec circumcursitent, sed graves semper sint in incessu et statu. (*Synod. Aquens.* ann. 1585.)

Caveant etiam omnes, cujuscunque status et conditionis fuerint, ne cum superpelliceo aut roqueto per plateas, civitatem et oppida deambulantes vagentur; nec carnes, pisces, aut alia victualia sic vestiti emant, aut secum asportent. (*Synod. Vicens.* ann. 1628; *Conc. Tarracon.*, lib. III, tit. 1, ann. 1631.)

Nec chirotecas ferant cum superpelliceo aut alia sacra veste... in ecclesia vel foris.... chirotecis enim uti non debent clerici, nisi necessitatis gratia. Nullo autem modo in ecclesia, præsertim dum choro intersunt, neque in processionibus, neque in congregationibus. (*Synod. Nucerina* ann. 1606; *Synod. Astens.* ann. 1594; *Synod. Ravennat.* ann. 1607.)

Soccos item in ecclesiis non deferant... nec ocreas.... nec galeros... nec pileos tempore divini servitii, etiam matutini Officii.... in ecclesiis, processionibus, in sacramentorum aut sacramentalium administratione, sed pileum quadratum, sive birretum, ecclesiasticum diadema... semper gerant, in ecclesia... illudque etiam in processionibus et congregationibus adhibeant.... Nec unquam divinis Officiis, etiam pro defunctis, interesse audeant, nisi induti superpelliceo et birreto clericali; birretum vero deferant, non fronti vel alteri temporum descendens, inclinatumve, sed capiti æqualiter impositum. Birretum porro nigrum sit .... ita ut interior etiam illius pars nigri tantum sit coloris... Nec sit nimium quadratum... nec desuper infulatum, seu ornatum, vel cum plica factum .... sed simplex ac omnino sine redimiculis ferant.... Reticulum seu subbirretum, nisi valetudinis gratia id poscat, non ferant; et cum divina faciunt, omnino deponant. (*Synod. Castellan.* ann. 1595; *Conc. Rothomag.* ann. 1581; *Synod. Senon.* ann. 1524; *Conc. Mediol.* ann. 1565; *Conc. Bituric.* ann. 1584; *Synod. Senogalliens.* ann. 1627; *Synod. Ravennat.* ann. 1607; *Synod. Cremens.* ann. 1690; *Synod. Nolana* ann. 1588; *Synod. Trident.* ann. 1593; *Act. Eccl. Mediolan., De inst. semin.*, part. III, c. 4; *Synod. Carnot.* ann. 1526; *Synod. Turon.* ann. 1514; *Conc. Salernitan.* ann. 1579; *Synod. Nucerina* ann. 1606.)

Caputiis vero, seu camaliis ex panno nigro, si voluerint, utantur. (*Synod. Carnot.* ann. 1526.)

Quia vero sunt nonnulli viri ecclesiastici, qui in eorum habitibus se difformant, vestes eorum statuum indecentes et incongruas deferentes, puta birreta rubea, etc., et alios habitus valde inhonestos in grande vituperium religionis et status ecclesiastici, ac suarum animarum grave periculum: ad obviandum his malis et abusionibus, omnibus et singulis supradictis inhibemus ne de cætero tales reformatates habituum gestare quovis modo præsumant. (Philippus, Lingonensis episc., in synod. ann. 1452.)

CAPUT VI.

De cæteris clericorum ornamentis, ac domestica eorum supellectili.

Quanta debeat esse clericalis in domestica supellectili moderatio, facile intelliget, qui regulas ipsis etiam episcopis ab Ecclesia et sanctis Patribus præscriptas attentius perpenderit.

Optandum est, inquit concilium Tridentinum (sess. 26, c. 1), ut ii qui episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est et fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, si præpositos suos viderint, non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes

Hæc cum ad restituendam ecclesiasticam disciplinam præcipua esse sancta synodus animadvertat, admonet episcopos omnes, ut ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant; in primis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. (*Ibid.*)

Ut sic etiam honorificare possint, non se, sed ministerium suum, non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis. (S. Bernard., epist. 42, *ad Henric. Senon.*)

Quia vero in nonnullis sacerdotibus cernitur vestium cultus plurimus, virtutum autem nullus, aut exiguus, (quia scilicet) se cupiunt honorari, non ministerium; ideo exemplo Patrum nostrorum in concilio Carthaginensi, non solum jubet synodus Tridentina (ubi supr.), ut episcopi modesta supellectili, et mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere ac tota ipsorum domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum præ se ferat.

Episcopus, inquit concilium Carthaginense, vilem supellectilem et mensam, ac victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide ac vitæ meritis quærat. (*Conc. Carthaginens.*, c. 14, dist. 42, c. 7.)

Nihil in ejus supellectili aureum, nihil argenteum, sit præter levissima ac tenuissima quædam instrumenta ad cibum ori admovendum comparata. (*Conc. Mediol.* I, cap. *De episcopi supellectili.*)

Nihil auro argentove ornatum, nihil sericum aut serico distinctum: non colorum varietas; non aulæa aut tapetia; nihil acu pictum; nihil varie tex-

tum; nihil studiosius elaboratum; denique non pluris sit artificium et pretium, quam rei necessitas postulet. Simplici tantum corio, aut panno mensas aliave sternere liceat : signa et tabulas profanarum rerum abjiciat. (*Conc. Mediol.* I.)

Equos ne alat nisi necessarios. (*Ibid.*)

Domesticam omnem luxuriam, in ædificiis exstruendis magnificentiam, picturas et inania ornamenta ac delicias excludat.... Hæc enim omnia et alia hujusmodi videntur quidem honorifica, sed oculo qui videt in facie, non qui videt in abscondito. (*Ibid.*, et BERN., *Epist. ad Henric. Senon.*)

Caveat denique ne quid in ejus domo appareat quod non simplex ac purum sit, quod non Dei zelum et omnium inanium rerum contemptionem testetur. Et hæc sunt quæ episcopis, sed multo magis sacerdotibus, multo magis clericis servanda proponuntur. (*Conc. Mediolan., ibid.*)

1° enim quæcunque de episcoporum supellectili, auro, argento et sericeo cubiculorum apparatu, ædificiorum magnificentia, supervacaneis sumptibus, privata moderatione, etc., decreta sunt; eadem a clericis quibuscunque cujusvis ordinis, conditionis et dignitatis servanda sunt, inquit concilium Mediolanense (I, *ibid.*)

2° Meminerint eo majorem sibi moderationem adhibendam esse, quo dignitatis gradu episcopis sunt inferiores. (*Conc. Mediol.* I, *De clericor. vestitu et reliquo vitæ moderam.*)

3° Quia tres sunt causæ ob quas male audit clerus : prima *est omnium malorum radix cupiditas* (*I Tim.* VI, 10) : secunda est luxus, nam etsi liceat sacerdoti de altari vivere (*I Cor.* IX, 13), luxuriari tamen licet nunquam, nisi filiorum Heli miseris sectatoribus. (*I Reg.* II, 22; *Conv. Melodun.* ann. 1579.)

Tertia causa maledicentiam in clerum generans fastus est... Ut clericalem disciplinam non tam verbis quam operibus profiteantur et simplicem in religiosæ puritatis sinceritate cultum adhibeant..... non exuberet illis rerum affluentia, vestium splendor, congeries vasorum aureorum et argenteorum de bonis sponsæ.... Frenis, sellis, pectoralibus, et calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus non utantur.... Quid enim tibi, infelix homo, cum his nugis et calamitatibus, cum hoc fastu et vanitate ista, quæ nec animæ nec corpori prodest?... Non est hoc ornare sponsam, sed spoliare; non est custodire, sed perdere; non est defendere, sed exponere; non est instruere, sed prostituere; non est pascere gregem Domini, sed mactare et devorare, dicente Domino : *Qui devorat plebem meam ut cibum panis...* (*Psal.* XIII, 4.) Nonne Unigenitus qui est in sinu Patris (*Joan.* I, 18) de secreto suo prodiit ad publicum nostrum, de cœlo descendit ad terras, ut prædicatione et conversatione sua persuaderet hominibus contemptum mundi? Nonne tu vicarius ejus debes prædicare? quod dissuasit dissuadere, quod persuasit persuadere? Et tamen cum tantum fastum videant laici in supellectili clericorum, nonne per eos potius invitantur ad mundum diligendum quam negligendum? (*Synod. Marcican.*, ann. 1642; S. BERN. putatus *Serm. ad clerum, in Conc. Remensi;* INNOC. III in *Conc. Lateran.* IV, cap. 6, ann. 1215· S. BERNARD. in *Declam.*)

4° Turpe etiam existimet ante fores sacerdotis Christi crucifixi et pauperis, et qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum et militum excubare. (*Conc. Aquisgran.*, c. 99, ex Hieron., *ad Nepotian.*)

5° Domum temporalem ornatam et compositam habeat secundum competens ministerium suum, etc. Et ita sit ordinata, ut quicunque conversationem, et domos conversationis ipsius viderit, habitacula ea religionis valeat computare, non diversoria impudicitiæ, aut alicujus irreligiositatis, quæ castitati, vel bonæ operationi contraria sint vel officiant, æstimentur. (*Conc. Meldens.*, c. 25.)

6° Cum in iis quæ ad privatum usum cultumque requirantur, eam moderationem adhibuerit ut sordes et supervacaneum sumptum fugerit, omnem operam et artificii splendorem ad publicum Dei templorum cultum et ornamentum conferat. (*Conc. Mediol.* I, *De episc. supellectili.*)

CAPUT VII.

De sacra supellectili et ecclesiarum ornatu et cultu.

Non consecratione solum, sed ipso etiam nitore et munditie loci alicujus pii majestas religioque conservatur. Et profecto alienum nimis videtur privatam uniuscujusque domum quæsita tantis artibus pietate renitere ; eam vero, in qua Deum intuemur, adoramus, ædem, contractis ob nostram incuriam sordibus, turpiter adeo deformari.

Ecclesiæ igitur, quæ sunt Christi atria... capellæ, altaria, oratoria, quæque ad illorum ornatum apponi sanctissima majorum præcipit religio, tabulæ, sanctorumque imagines justo nitore reluceant ; imo et pavimentum etiam nitidum conservetur... Ideoque saltem octavo quoque die verratur diligenter, et parietes cum opus fuerit... ne ecclesiæ situ, pulvere, aut alio squalore obsordescant. (S. ISIDOR., *Eccl. Offic.*, l. I, c. 2; *Conc. Tolosan.*, sup.; *Conc. Agathense* ann. 1585 ; *Conc. Mediolan.* IV.)

Vites præterea, hederæ, aliæque id genus herbæ, quæ succrescentes exterioribus ecclesiarum aut oratoriorum parietibus adhærent, prorsus convellantur. (*Conc. Mediol.* IV.)

Ecclesiæ etiam, oratorium, vel etiam cœmeterii externi parietes, nec effusa lotio, nec aliunde allatis sordibus deturpentur... Ideoque adhibeatur diligentia, et gravi pœna multaque agatur, ut et ecclesiæ, et oratorii et cœmeterii parietes ab urina aliisve cujusvis generis sordibus mundi conserventur. (*Conc. Tolosan.* ann. 1590 ; *Conc. Mediol.* IV.)

Ne permittatur in atrio ecclesiæ ullo modo ædificari a laicis. (*Conc. Mediol.* III.)

Stabula cujusvis generis animalium inde procul sint. (*Conc. Mediolan.* IV.)

Nulla in ecclesia fenestra permittatur e qua foris stans Missam quis possit spectare. (*Ibid.*)

Nihil vero in ecclesiarum vasis, ornamentis, libris, aut aliis mobilibus sordidum sit, sed omnia munda et nitore splendentia appareant. (*Constit. convent. Melodun.* ann. 1579.)

Caveant idcirco sacerdotes et præcipue curati, ne sacra vasa, ut calices, pixides, imo ne urceoli quidem, fontes baptismales et vasa sacri olei, nec sacerdotalia quæcunque ornamenta sordibus scateant. (*Ibid.*)

Corporalia etiam, mappæ, et alia linteamina sacris usibus deputata, nitida et munda sint juxta Pauli præceptum, ne cum Corinthiis sordidis ad divina irreverenter accedentibus jure redarguantur. (*I Cor* XI, 20 seqq.)

Aut ne in rebus domesticis æquo plus curiosi, in ecclesiasticis vero sordidi, illis jure objici possit illud Bernardi ad Eugenium : Plus lucent calcaria quam altaria. (*Conv. Melodun.*)

Ideo vasa sacra, lintea, seu mappas altarium, candelas et candelabra, et cætera ornamenta ecclesiæ omni diligentia et reverentia servent... Honestas enim sacrorum ornamentorum decet veros sacerdotes... Et quam illota conscientia et polluta accedant ad sacrificandum, aut quam parum studiose ac pie dijudicent corpus Domini (*I Cor.* XI, 29), satis arguunt sordes calicum, mapparum, atque omnium ornamentorum quibus decet venerari tantum religionis Christianæ sacramentum et sacrificium. (*Conc. Bituric.* ann. 1584; *Conv. Melodun.*, sup. ; *Conc. Aquense* ann. 1585.)

Ut ergo in omni ecclesia, altari, sacristia, omnique sacra supellectili nitor, munditiaque eniteat; id quod etiam Innocentius III Pontifex in concilio Lateranensi cavit, magna cura et diligentia a sacerdotibus, clericis, aliisque Ecclesiæ ministris adhibenda est. (*Conc. Mediol.* V.)

Ideoque injungimus omnibus presbyteris ut altaria, corporalia, mappas, cortinas, urceolos seu ampullas, piscinas, vestes sacras et ornamenta altaris et ecclesiæ cum omni puritate conservent. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere quæ dedecerent in profanis. (*Synod. Lingon.* ann. 1404, et *Synod. Carnot.* ann. 1526.)

Unde suos calices stanneos, ubi ex necessitate episcopus concesserit gravi aliqua de causa, ut toti intus et extra niteant, singulis hebdomadis linteo atque etiam cinere cum aqua ne negligant detergere, quam in piscinam aut alium sacrum locum effundant; calices vero argenteos omni custodia curent, ne polluantur sordibus. (*Synod. Rothomag.* ann. 1581; *Aquens.* ann. 1585.)

Corporalia quoque a se aut honestiori quopiam sacerdote, aut etiam tantum a subdiacono ablui curent; tertio quoque mense, et crebrius si opus fuerit... ne vero illa tradant mulieribus abluenda. (*Ibid.*; *Synod. Carnot.* ann. 1586.)

Albas vero et mappas frequentius, ut nitor et mundities maxima in illis et decor in aliis etiam ornamentis reluceat. (*Syn. Rothomag. et Aquensis*, supra.)

Quæcunque tandem sacris inserviunt, ea qua debent diligentia munditiaque serventur. (*Syn. Paris.* ann. 1557.)

Quæ vero sacris rerum divinarum usibus vestes, vasa, aliaque id genus erunt comparata, (non solum) ea sollicita nitoris custodia asservari debent, (sed) nec unquam profanis usibus applicentur... aut iis inservienda mutuo concedant, ne promiscua sæcularium attrectatione polluantur. (*Conc. Tolosan.* ann. 1590, p. II, c.1; *Bituric.* ann. 1584.)

Qui ergo vasa, vestes, vel alia ornamenta sacris addicta, aut omnino quidquam ex sacra supellectili profanis hominibus, aut ad profanum usum commodare ausus fuerit, is graviter arbitrio episcopi puniatur. (*Conc. Mediol.* I.)

Nec etiam pallia, aliaque sacra indumenta, quæ altarium usui ornatuive addicta sunt, ea ad sedis episcopi alteriusve hominis ecclesiastici, vel laici, quavis dignitate præditi, apparatum, aut ad funeris exsequiarumque pompam, aut aliarum rerum, quæ profanæ sunt, usum, sive ornamentum adhibeantur. (*Conc. Aquense* ann. 1585, *De ecclesiis et earum cultu.*)

Cum vero Christianæ pietatis rationi illud alienum sit, ad ornatum templorum adhiberi ea, quæ non modo devotionem non excitant, sed intervenientium mentes facile illiciunt in fœdas turpesque cogitationes; propterea ne quis ad illa ornanda peristromatis aulæisque utatur, quæ obscenis figuris intexta sint... et intuentium mentes in fœdas ac turpes cogitationes alliciant. (*Conc. Aquense* ann. 1585; *Conv. Melodun.* ann. 1579.)

Nec item pictas imagines et signa adhibeat quæ loci sanctitati non conveniant. Nec etiam vana in publicis processionibus spectacula ferenda sunt (*Ibid.*)

In ecclesia, præsertim cum divina celebrantur, vel verbum Dei prædicatur, nemo hæc audeat, deambulare, nugari, circulos habere, negotiis operam dare, cum mulieribus immodeste colloqui, altaribus vel fontibus baptismi adhærere, in limine aut ante fores immorari, aversum ab Eucharistiæ sacramento irreverenter sedere, aut cum in Missa sustollitur, stare, aut quovis modo irreverenter in ecclesia versari. (*Conc. Mediol.* I, *De ecclesiis et earum cultu*; *Aquense* ann. 1585.)

Ne clericus, aut quivis alius in ecclesiis earumque cœmeterio, atrio, vestibulo, aut porticu, foribusve quidquam venale proponat, nisi ad usum quidem sacrificii vel ecclesiæ futurum sit. (*Conc. Aquense* ann. 1585; *Mediol.* I.)

Nemini cum venaticis canibus vel volucribus in ecclesiam ingredi liceat. (*Ibid.*)

Mendici, eleemosynæ quæritandæ causa, ne in

ecclesiis vagentur, sed extra januam consistant. (*Conc. Mediol.* I ; *Aquens.*, supr.)

Qui in aliquo horum deliquerit, a rectore per se, vel per alium Ecclesiæ ministrum moneatur, etc. (*Ibid.*)

Lapides, cæmentum, et omnis materia ecclesiarum et oratoriorum ad profana ædificia ne adhibeantur nisi episcopi auctoritas ex justa causa intercesserit. Quod enim semel Deo consecratum est ad privatos hominum usus transferri non debet. (*Conc. Mediol.* et *Aquens.* supr.)

Nulla res profana deinceps campanis insculpatur inscribaturve, sed crux et sacra aliqua imago, utpote sancti patroni ecclesiæ, piave inscriptio. (*Conc. Aquens.*, ann. 1585.)

Ubi commode fieri potest, ne ab alio quam a clericis campanæ pulsari permittantur : neque eorum sonitu et clangore, quæ consecratæ sunt, convocentur homines ad sæcularia pertractanda. (*Ibid.*)

Observandum vero est, ut mensa Christi, id est altare, ubi corpus Dominicum consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces et vota populi in conspectu Dei a sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, et mundissimis linteis et pallis diligentissime cooperiatur. (*Conc. provinc. Turon.* ann. 1583; a Greg. XIII approb.)

Linteamina porro altaris et indumenta sæpe abluantur ad reverentiam et præsentiam Salvatoris nostri, et totius curiæ cœlestis, quia cum eo præsens adest, cum Missa celebratur. (Odo Paris., in synod.)

Altare etiam omne tegumen habeat vel fornicatum, vel saltem ex asseribus, aut tela alicujus coloris decenter picta, vel panno pretiosiore confectum, ubi fornix non est quæ totum altare, ac præterea sacerdotem celebrantem teget. (*Conc. Aquens.* ann. 1585.)

Viridem etiam aut cæruleam telam habeant, qua præterquam quod Missæ tempore contegantur, ne mappæ pulvere aliave sorde inquinentur. (*Ibid.*)

Ornata vero sint cruce in medio collocata, nisi aliqua sit imago, et candelabris duobus ad minus, uno a dextra, altero a sinistra parte posito. (*Ibid.*)

Cancellis item altaria cingantur, in quos laicis nullis aditus permittatur, peractisque sacris claudantur. (*Conc. Tolosan.* ann. 1590.)

In altari porro non sit fenestella foramenve ulla ex parte, ubi quidquam asservari aut recondi possit, nisi sint reliquiæ sanctorum, etc. Nec quidquam subtus ponatur omnino. (*Conc. Aquens.* ann. 1585.)

Corporalia super quibus sacra oblatio immolatur, ex mundissimo et purissimo linteo sint, nec in iis alterius generis materia pretiosior, aut vilior misceatur ; et nunquam super altare remaneant, nisi tempore Missæ, sed aut in theca ponantur, aut cum calice et patena in mundissimo loco recondantur. (*Synod. Turon.* ann. 1583.)

Albarum manicæ ita astrictæ manibus hæreant, ut in cæremoniis Missæ perficiendis sacratissima hostia intacta sit, necnon etiam ut aliis periculis occurratur. (*Synod. Aquens.* ann. 1585.)

Parochus sub noctis horam ecclesiæ fores claudi curet, neque ullo pacto quemquam admittat, præter sacerdotes, nisi nocte Natalis Domini. (*Ibid.*)

Sit porro sollicitus, sicut de Nepotiano dixit sanctus Hieronymus, si niteat altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, et in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita, non minus non majus negligat officium. (S. Hier., epist. 3, *ad Heliodor.*)

CAPUT VIII.

De disciplina clericorum in ecclesia, maxime in choro, et divinis Officiis.

Chori disciplina, quia plena religionis est, plena pietatis, sancte ab iis observanda est, qui eum locum conveniunt ad Dei laudes concelebrandas. (*Act. Eccles. Mediol.*, l. IV *De divin. Offic.*)

Ideo quo religiosius non modo excolatur, sed multis partibus augeatur sancta ejusdem chori institutio, studio quodam intimæ pietatis, cujus splendor foris etiam eluceat, unusquisque qui chori officiis ascriptus est ad chori disciplinam sese instituat. (*Ibid.*)

Antea vero quam eo conveniat, paululum attente secum cogitet, et loci illius sanctitatem, et conveniendi causam, et divinarum laudum, quarum munus angelorum est, officia, quæ castissime ab omnibus concelebrari oportet. (*Ibid.*)

Dato legitimis temporibus signo, qui choro interesse debent, præparent se ad divinas laudes.... Parent autem se etiam atque etiam diligenter sancta intimi animi meditatione et religiosa oratione, ut exteriorem quoque cultum divinorum Officiorum salubriter exsequantur. (*Conc. Mediolan.* I, ann. 1565 ; *Act. Eccles. Mediol.*, supr.)

Mature vero ad ecclesiam progrediantur.... et festina cum properatione omnes ad chorum accurrant.... Cum gravitate tamen.... ut non scurrilitas inveniat fomitem. (*Conc. Mediol., ibid.* ; S. Isidor., *Regul.*, c. 6 et 9 ; *Conc. Bituric.* ann. 1584 ; S. Benedict., *Regul.*, c. 43.)

Modeste etiam ac sine strepitu..... clerici simul conveniant in chorum, nec confabulentur.... sed dum ad illud procedunt, secum cogitent se ad chorum, nempe ad Sancta sanctorum, ut canone antiquo cautum est, et ad publicæ orationis sacrificium accedere. (*Conc. Bituric.* ann. 1584 ; *Conc. Rem.* ann. 1583 ; *Act. Eccles. Mediol.*, supr.)

Nemo ingrediatur in templum vel ab eo discedat nisi cum debita veneratione et reverentia. (*Conc. Rem.* ann. 1583.)

Cum in choro fuerint gravitatem servent, quam locus et officium exposcunt, non cum aliis confabulantes seu colloquentes, aut litteras seu scripturas alias legentes. (*Conc. Senon.* ann. 1582.)

Omnem in motu membrorum levitatem fugiant, sive capitis in circumagendo, sive oculorum in circumspiciendo per chorum vel alibi, sive manuum in fricando, vel volvendo curiose librorum folia, vel aliud superflue faciendo ; necnon indecoras quascunque membrorum compositiones, quæ domum Dei et divinam præsentiam dedecent, diligenter vitent. (S. Bonav., *Specul.*, part. I, c. 15.)

In choro ergo clericus non vagetur oculis, incomposito corporis situ ne stet, vel sedeat, non moveatur huc illucque, non circumambulet, non sint invicem colloquia, non flores in manu teneat. (*Conc. Aquens.* ann. 1585 ; *De eccles. et earum ornatu.*)

Tumultum per vocis susurrium, per importunitatem spuendi, seu excreandi, per impetuosam elevationem, vel depositionem sedilium, vel per quid simile caute vitent.... (S. Bonav., *Specul.*, part. I, c. 15.)

Cum enim domum Dei deceat sanctitas, ut cujus in pace factus est locus (*Psal.* LXXV, 3), ejusdem cultus cum digna veneratione sit pacificus; nemo eis in locis, in quibus cum pace et quiete æquum est vota fieri, voce, aut reipsa motum tumultumve debet excitare. (*Conc. Narbon.*, can. 42, ann. 1551.)

In choro pro temporis et officii ratione ex instituto et more Ecclesiæ sedeant, stent, flectant genua, caput operiant, et submittant, cætera ejus generis adhibeant. Omnes vero æque idem faciant.... Si enim in humanis, ut bene omnia consentiant, ratio constans desideratur, qua particularia metiri et moderari possimus : multo quidem justius in sacris et divinis debet esse certa quædam agendorum norma, illaque non arbitrio subjecta, sed lege constanti comprehensa, ut sit certa unitate potius, quam similitudine conformata quam sequantur omnes. (*Concil. Mediol.* I, ann. 1565, c. *Quando in choro versandum ; Conc. Aquileiens.*, cap. *De divinis Officiis.*)

Cum vero in choro standum, vel sedendum, vel flectendum genua, aut inclinandum corpus, summam modestiam, gravitatem et reverentiam adhibeant, siquidem honesta corporis dispositio, quæ mentis devotionem non mediocriter promovet, et reverentiam in officio attestatur. (S. Bonav., *Specul.*, part. II, c. 1 ; *Conc. Mediol.* I, *ibid.*)

Facessant somnus, risus, joci, rixæ, colloquia ; ... dormitationes et somnolentias, quas pigritia nutrit, strenue fugiant; quippe intenta supplicatio dormire cor mundum vetat. (*Conc. Mediol.* I, *ibid.*; S. Bonavent.)

Nec etiam vagentur in choro vel ecclesia, neve locum mutent, ne occasione quidem genua flectendi. (*Conc. Mediolan.* I, *ibid.*)

Nemo in choro, aliis psallentibus, seorsum legere aliquid aut suas Horas canonicas, orare, aut fabulari, aut aliis levitatibus intendere permittatur... sed moduletur devote cum aliis,... ita ut omnes cum cantantibus se immisceant et cantent, nisi justa causa sint impediti... Cum enim psallendi gratia ibidem consideant, muta aut clausa labia non teneant, sed omnes Deo alacriter modulentur... Christus enim Dominus pacis et concordiæ magister, qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit, ut omnes in uno ipse portavit : facit enim habitare unanimes in domo (*Psal.* LXVII, 7), et apostolos docuit unanimiter perseverare in oratione. (*Act* I, 14.) Et qui dixit (*Matth.* XVIII, 20) : *Ubi duo, aut tres fuerint congregati in nomine meo, in medio sum eorum,* quomodo non aderit multitudini fidelium ad honorem et gloriam ejus congregatæ? Ut itaque publica et communis oratio rite et solemniter fiat, psallant omnes clerici uno ore et concentu cum choro. (*Conc. Moguntin.*, c. 53; *Aquens.* ann. 1585; *Synod. Carnot.* ann. 1526; *Conc. Turon.*, ann. 1583; *Synod. Bituric.* ann. 1524.)

Ideo ne in choro litteras, libros, aliave scripta... aut quidquam alienum a cultu et Officio divino legant ; sed nec ibidem, ubi communi Officio opera datur... privatim Officium dicant... ne choro subtrahant quod debent, aut per eos turbentur qui psallunt... Sed nec ullum librum, etiam precum, ullas litteras, aut alias tabulas, vel documenta teneant ; sed omnes concordi voce psallere studeant. (*Conc. Mediol.* I, supra ; *Bituric.* ann. 1584; *Mogunt.*, c. 53; *Rem.* ann. 1583, a Greg. XIII approb. ; *Narbon.* ann. 1551.)

Ne exeant nisi divino Officio confecto, ne causa quidem de communi re agendi, si necessitas non coegerit, tumque a præfecto venia petita. (*Conc. Mediol.* I, *ibid.*)

Si cum divina celebrantur Officia, sacerdoti, vel clerico, vel ministro interdum per ecclesiam necessario sit incedendum, graviter et modeste id faciat; neque cum ullo sermonem habeat de rebus inanibus... et nihil dicat faciatve, quo alios perturbet, aut ulli desit officio cui astrictus est. (*Conc. Mediol.* I, ubi supra ; *Remens.* ann. 1583.)

Absint procul communitatum et quarumlibet societatum concilia, colloquia et conciones. (*Conc. Narbon.* ann. 1551, can. 48.)

Absint vanæ, multoque magis fœdæ et profanæ confabulationes atque deambulationes, et quilibet discursus... Deambulationes enim in templis divini Officii tempore omnino tollendæ... adeo ut nullus cujusvis ordinis clericus, vel sacerdos in ecclesia deambulet, nec in confabulationibus et congressibus eo loco indignis versetur, sed meminerit se esse in domo Dei sancta, quæ domus est orationis. (*Matth.* XXI, 13; *Conc. Narbon.* ann. 1551, can. 48; *Camerac.* ann. 1565 ; *Mediolan.* II, ann. 1569, decret. 9 *De iis quæ ad Missam et divina Officia pertinent.*)

Illic etiam nulla negotia tractentur. Absit omnis sæcularium judiciorum strepitus. (*Conc. Narbon.* ann. 1551.)

Postremo quæcunque sacræ rei exsequendæ pos-

sunt obesse, aut oculos divinæ Majestatis offendere, ab omnibus sint procul aliena, ne ubi venia peccatorum est postulanda, ibi scelerum detur perpetrandorum occasio, aut deprehendantur peccata committi. (*Conc. Narbon.* ann. 1551.)

Cum enim ecclesia, quæ domus orationis est (*Matth.* XXI, 13), quam decet sanctitudo (*Psal.* XCII, 5), et in qua fiunt sacra, et cultus divinus peragitur, sanctitatis munditie excellere debeat, ut postulationes etiam, precationes et vota Deo solvantur ; ideo non solum rebus ad sacra peragenda necessariis et opportunis institui, et iis etiam quæ locum decent ornari, ita ut verbi gratia solum bene ornatum, stratum, parietes purgati, cultus universus honestissimus, sed externis (insuper) illam vacare impedimentis convenit. (*Conc. Mediol.* I ; *Aquileiens.* I ann. 1596, *De ecclesiis*, etc.)

Idcirco decernimus concursationes pauperum quorumcunque etiam miserabilium, qui celebrantibus et orantibus in ecclesia impedimento sunt, ab omnibus ecclesiis, cum sacra fiunt, arcendas. Permittantur autem pauperes in ecclesiæ foribus eleemosynæ petendæ causa consistere, modo ne vocibus obstrepant ut exaudiantur, et divina perturbent. (*Conc. Mediol., ibid.*)

Pueri item a choro arceantur, nisi qui chorum et clerum canendo adjuvant. (*Conc. Rem.* ann. 1583.)

Excursationes item et pervicax curiosorum petulantia longe ab ecclesia arcenda. (Sicut et) acta judicialia, tractatus sæculares, instrumentorum et contractuum quorumcunque species. (*Conc. Aquileiens.* I, *ibid.*)

Item repositiones mercium, tabularum, et quorumcunque profanorum in ecclesiis omnino fieri prohibemus. (*Ibid.*)

Ab omnibus tandem quæ vel inania sunt, vel sæcularia, vel a re aliena diligentissime abstineant. (*Ibid.*)

Omnes vero in templo ita se, suasque actiones componant, ut sibi non cum homine, sed cum Deo rem esse intelligant... Sic tamen ut qui in ecclesiam ad laudes Deo persolvendas ex more conveniunt, quo cæteris officio vel dignitate præcellunt, eo debent accuratius exsequi quæ sibi sunt ratione officii adjecta; hæcque ut fiant ab illis expedite et apte, institutione ac exercitatione diligenti curandum est. (*Conc. Rem.* ann. 1583; *Conc. Aquileiens.* I, *ibid.*, *De divin. Offic.*)

Quia vero quibusdam in locis abusu inductum, quotidianaque consuetudine receptum est, ut humili loco nati homines et conjugati (licet non desint clerici qui munus hujusmodi obire possent), nec habitudine animi, nec decenti corporis cultu apti, ministerium in ecclesiis exerceant, quæ clericorum propria sunt, celebrantibus ministrantes, altarium ornatui, et ecclesiæ totius cultui servientes, cum tamen ista omnino ignorent, et a re sacra et sacris hærente tractanda et custodienda alieniores habeantur et appareant : idcirco sacrorum canonum constitutionibus inhærentes, etc. : totius ecclesiæ cura deinceps attribuatur clerico, qui sacerdoti celebranti cum superpelliceo ministret, etc., ecclesiam et altaria curet, etc., toti ecclesiæ, munera minorum ordinum obeundo, præsit, et sub sui sacerdotis obedientia et disciplina vivat. (*Conc. Aquileiens.* I, supra.)

CAPUT IX.

De Horis canonicis, et de disciplina clericorum in cantu.

Septem canonicas Horas diei non licet a quoquam, qui in conspectu Dei vacuus et ingratus apparere nolit, negligenter præteriri. Hæ siquidem Creatori nostro deferunt laudes, et pro certis ac magnis ejus beneficiis quasi vectigales sunt gratiarum actiones. Sol namque verus, et dies æternus Christus duodecim habens horas spirituales, et sempiterne secum stantes, has septem horas temporaliter currentes clarissimis misericordiæ suæ radiis illustravit atque dicavit. (Rupert., *De divin. Offic.*, lib. I, c. 1.)

Septies igitur in die laudem Deo dicamus (*Psal.* CXVIII, 164), et ut septenarius Prophetæ numerus a nobis impleatur, Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, et Completorii tempore, nostræ servitutis officia persolvamus. Nec immerito a sanctis et apostolicis viris has horas religiosis obsequiis consecratas a nobis quoque observari oportet, qui nisi velut lege quadam solvere hæc pietatis officia saltem statutis temporibus adigamur, totum diei spatium oblivione, atque desidia, vel occupationibus involuti absque orationis interpellatione consumimus. (*Conc. Agath.*; refertur *De celeb. Miss.*, cap. unic.; Cassian., l. III *Instit.*, c. 3.)

Unde supradictæ horæ in Scripturis etiam divinis præstitutæ, specialiter ad orandum discretæ sunt... Licet enim Apostolus orare nos semper jubeat (*Ephes.* VI, 18), et sanctis etiam ipse somnus oratio, tamen divisas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo opere fuerimus detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat... Et quia debitores nos esse cognoscimus jugis servitii ejus, ut fidelis servus, qui semper vult in servitio adesse senioris sui, sic Deo astemus in officiis nostris, ut per unamquamque repetitionem, Deo præsentes simus in omni hora. (Raban. Maur., *De instit. cœnob.*, c. 3; S. Isidor.; Rupert., lib. I *De divin. Offic.*; S. Hieron., *ad Eustoch., De custod. virginit.*; Amalar. Fortunat., episc. Trever., lib. III *De eccles. Offic.*, c. 1.)

His ergo temporibus laudes Creatori nostro super judicia suæ justitiæ referamus ; hoc enim est pensum servitutis nostræ... (Hoc est) obligationem Domino reddere, sacrificium laudis, fructum cordis et labiorum Domino offerre. (*Conc. Agath.*, sup. ; *Synod. Senon.* ann. 1524.)

Divina vero hæc officia vetere sanctorum Patrum instituto, ordine, et horarum numero ad omnipotentis Dei nomen colendum et invocandum disposita

(quorum celebritate et frequentia in militanti Ecclesia triumphantis figura, tanquam exemplaris imitatione exprimitur), ita decet tractari, ut corporis mundities adsit, moderatus et pene ecclesiasticus corporis cultus, index plerumque illorum, quæ sunt in animo, non desideretur : devotio autem et quædam compositio actionum sacrarum non absit. Ideo videant ut omnis aliena cogitatio abscedat, nec quidquam tunc animus cogitet præter id quod solum precantur... Ut interior cogitatio cum pronuntiatione exteriori conveniat. (*Conc. Aquileiens.* I, *De divinis Offic.*; *Synod. Bituric.* ann. 1584; *Carnot.* ann. 1526.)

Et ut attenta quoque mente seipsos ac verba studeant componere, quam maxima in hoc loco fieri potest modestia... Meminerintque se tremendæ Dei majestati astare, qui non modo exteriores corporis gestus videt, sed scrutatur cordium infima atque secreta; ne de illo dicatur, quod Deus per prophetam ait (*Isa.* XXIX, 13; *Matth.* XV, 8) : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* (*Synod. Turon.* ann. 1583; *Conc. Aquens.* ann. 1585, *De ecclesiis.*)

Et quia magna abusio est, inquit Bernardus, habere os in choro, et cor in foro, ideo attente et distincte dicant Horas canonicas, deposita omni sollicitudine sæculari; nullaque colloquia intermisceant; Deum vero precaturi locum ejusmodi sibi deligant, in quo a pietate et devotione non abducantur. (S. Bern.; *Conc. Senon.* ann. 1528.)

Priusquam vero incipiant Officium, prævenire studeant si possunt, ut cor ad aliquam devotionem sit adaptatum quando Officium inchoatur. Ideo enim tam desides et tepidi sumus in divino Officio, quia ante non sumus in aliqua devotione excitati, et ita sicut intravimus frigidi, eximus corde dissoluti. (S. Bonav., *Inst. novit.*, p. I, c. 4.)

Horas diurnas non facile præter necessitatem in nocturnas convertant; inordinati enim est animi etiam in exterioribus ordinem non curare, et ordinationis exterioris religio attentionem excitat et affectum... (S. Bonav., p. II *Specul.*, c. 1.)

Unde, si fieri potest, Horas canonicas de mane dicant devote antequam exeant ad mundana negotia... Nec sibi de gratuitis orationibus blandiantur, si circa necessarias, quæ primo loco habendæ sunt, desidiosi exstiterint. (Simo, Pictaviens. episc., in synodo; S. Bonav., *Specul. discip.*, p. II, c. 1.)

Has etiam Horas ut studiose persolvant, distincte, continue, integre et ordinate exsequantur. (S. Bonav., *Specul. discipl.*, part. I, c. 16.)

Ordinate in substantia, tempore, modo, et aliis, ita ut postpositiones, implicationes, variationes non facile admittant. (*Ibid.*)

Integre, ut de dicendis nihil omittant. (*Ibid.*)

Continue, ut interruptiones in eo non fiant interloquendo, nisi urgente necessitate, et hoc quidem psalmo vel oratione, vel quocunque alio, quod tunc fuerit dicendum, completis, nisi psalmus vel oratio, quem interrumpi oportuit, a capite resumatur. (*Ibid.*)

Distincte, ne verbum masticando, vel exiliter proferendo, vel nimium festinando, dicenda confundant... Quidam enim sunt, qui, ex quo versum incipiunt, videtur eis longissimus quoad finem veniant, et singula verba ita currendo præcipitant, ut in favo Domini non remaneat mel aut cera... Unde attendant diligenter ut... non gutture, vel inter dentes seu deglutiendo et syncopando dictiones, vel verba, sed reverenter verbis distinctis Officium persolvant... Omnium enim quæ ibi dicuntur, inquit sanctus Bernardus, usque ad unam litteram se pro certo noverint debitores. (*Ibid.*; Petr. Blesens., *De vita cleric.*; *Conc. Basileens.*; S. Bern.)

Unde ut Officium divinum devotius celebretur cum reverentia et honestate, (ut) pausæ fiant, tollaturque et evitetur nimia præcipitatio... Clerici ad ecclesiam conveniant, inquit synodus Turonensis, gestu corporis bene composito et verborum prolatione non præcipiti vel inarticulata, sed integra ac certis quibusdam cæsuris et intervallis distincta, ad Deum preces fundant, psalmosque decantent. (*Syn. Carnot.* ann. 1526; *Syn. Turon.* ann. 1583; *Conc. Remens., De cultu divino,* ann. 1583.)

Et synodus Carnotensis (ann. 1526) : Prædictum Officium divinum studiose, distinctis verbis, et cum puritate conscientiæ dicant, non transcurrendo, vel syncopando, aut extranea, vana, profana et inhonesta intermiscendo, sed distinctis verbis et cum puritate conscientiæ, et quantum eis Dominus dederit, studiose dicant et peragant pariter et devote, et hoc tam privatim quam in ecclesiis.

Item synodus Lingonensis (ann. 1404) : Sit sacerdos devotus in his quæ spectant ad Dominum, et cum omni reverentia et humilitate tam gestu corporis, quam in verbo et opere faciat, et dicat divinum Officium et Horas sinceriter, plane, et distincte, non transcurrendo seu syncopando, aut detruncando, aut verba extranea intermiscendo, sed verba omnia, et alia quæ incumbunt, integraliter proferat et peragat, ac intentionem habeat ad Deum elevatam : et taliter se habeat in prædictis, quod sua devotione et humilitate cæteros provocet ad devotionem et reverentiam Officii divini : assidue enim et devote orare et lectioni perfecte intendere, sunt opera clericorum.

Concilium item apud Salmurum (ann. 1253) : Dicantur, inquit, Horæ canonicæ cum omni devotione solemniter et devote; nec una pars chori versiculum incipiat, quam ex altera præcedentes psalmi et versiculi finiantur.

Concilium Senonense (ann. 1532) : Laudes, inquit, divinæ per singulos non cursim ac festinanter, sed tractim cum pausa decenti, præsertim in medio cujuslibet versiculi psalmorum... reverenter ab omnibus persolvantur... Et non cursim sed nec lentius legantur in ecclesiis historiæ Patrum; utroque enim impeditur auditor ne intelligat. Legantur

autem distincte, presse et intelligibiliter. (*Conc. Camerac.* ann. 1565.)

Et sanctus Bonaventura : Sicut reverenter, ita et alacriter Deo assistant, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, et præscindentes verba dimidia, non integre transilientes, non fractis aut remissis vocibus, sed virili sonitu et affectu, voces sancti Spiritus depromentes, distincte et integre pronuntient... Et taliter se habeant in prædictis quod sua devotione et humilitate cæteros provocent ad devotionem et reverentiam Officii divini et sacramentorum administrationem. (Tandem) tanto amplius reverentiæ et diligentiæ studium divino debetur Officio, quanto id Deo immediatius exhibetur. Cura Officii diligens, maxima status integritas; neglectus Officii, maxima vitæ corruptio, maxima religionis deformitas. (S. Bonav., *Specul.*, part. II, c. 1; *Instit. novit.*, part. I, c. 10; *Synod. Lingon.* ann. 1404.)

Nemo Dei se existimet servum, si Dei potissimam negligat servitutem, quæ appropriato vocabulo Dei servitium nuncupatur. (*Ibid.*)

Quia vero sancti Patres non immerito cordis in Deo exsultationem cantu testati sunt, ut Moyses (*Exod.* XV, 1), Zacharias (*Luc.* I, 67), et cæteri, sed præter omnes vates sanctissimus David (*II Reg.* XXII, 1, et passim), et sacratissima Virgo Mater Dei, sacræ mentis gaudium testata est (*Luc.* I, 46), et ipse Dominus sanctam civitatem ingressus puerorum Hebræorum canticum gratum habuit. (*Matth.* XXI, 16.) Quin et apostoli ipsum Christum comitantes cœna facta cum Christo hymnum cecinerunt. (*Matth.* XXVI, 30.) Quo sancto more prisci etiam Christiani hymnos Christo effuderunt. Et crescente Ecclesia canendi et psallendi ritus publice primum in Orientalibus, demum in Occidentalibus Ecclesiis receptus est et observatus, ad movendum et excitandum præsertim languentium et torpentium animorum affectum : indeque Cyprianus ait, placendum divinis oculis et habitu corporis et modulo vocis. (*Conc. Bituric.* ann. 1584.)

Omnes clerici tempore divini Officii dum alte cantatur, non interea fabulentur aut deambulent, sed cum cantantibus se immisceant, et cantent simul omnes, nisi justa causa sint impediti (25). (*Syn. Carnotens.* ann. 1526.)

Sit vero cantus religiosus et modestus... soni graves, pii, et distincti, et domui Dei ac divinis laudibus accommodati, ut simul et verba intelligantur, et ad pietatem auditores excitentur... et non tantum aures voluptatem, sed mentes utilitatem capiant... Ut qui a verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur, et per oblectamentum aurium infirmus animus ad affectum pietatis assurgat. Ad hoc enim in Ecclesia consuetudo est instituta canendi : nam in ipsis sanctis dictis religiosius et ardentius moventur animi nostri ad flammam pietatis cum cantatur, quam si non cantetur. Omnes enim affectus nostri pro sonorum diversitate vel novitate nescio qua occulta familiaritate excitantur magis, cum suavi et artificiosa voce cantatur. Unde Psalterium, cum melodia cantilenarum suavium ab Ecclesia frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur...; psallendi etiam suavitas tristia corda consolatur, gratiosas mentes facit, fastiditos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta invitat. (*Conc. Bituric.* ann. 1584; *Conc. Mediol.* I; *Conc. Camerac.* ann. 1565; Aug., X *Confess.*, c. 33; apud S. Isidor., lib. I *De offic. Eccles.*, c. 5; Raban. Maur., *De instit. cleric.*, c. 76; Isidor. Hispal.)

Caveat tamen cantor, ne dum mulcet populum vocibus, Deum irritet pravis moribus. Non enim quærit Deus vocis lenitatem, sed cordis puritatem. (S. Bern., *Medit.*, c. 11.)

Nec etiam modulatione lascivas cantiones imitetur... Cum enim in ecclesiis Dei psalmodia cantanda præcipiatur, ut fidelium devotio excitetur, in hac Officia sub maturo tenore, distinctaque gradatione cantentur, ut eadem distinctione collibeant, et maturitate delectent, etc. (*Conc. Camerac.* ann. 1565; *Conc. Senon.* ann. 1528.)

Neque vero, inquit Hieronymus, in tragœdiarum modum guttur et fauces medicamine sunt leniendæ, ne dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur. Nam ut cantor minister Deum moribus stimulat cum populum vocibus delectat, ita lascivus animus dum lascivioribus delectatur modis, eos sæpe audiens emollitur et frangitur. (*Ibid.*)

Curent ergo sacerdotes et clerici sic suos cantus instituere ut modesta honestaque psallendi gravitate, placidaque et grata modulatione, sic audientium aures deliniant, ut provocent excitentque ad devotionem compunctionemque, non ad lasciviam cordis, aut animi titillationem. (*Ibid.*)

Unde in divinis Officiis, aut omnino in ecclesiis nec profana cantica, sonive, nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressæ, quam ore expressæ, aut denique lascivæ ulla canendi ratio adhibeatur.... sed bene psallant Domino in vociferatione (*Psal.* XXXII, 3), non fractis et remissis vocibus muliebre quidquam balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, affectu et sonitu voces Spiritus sancti depromentes. (*Conc. Mediol.* I, *De musica et cantoribus;* S. Bern., serm. 41 *in Cantic.*)

Ab organis etiam, sicut et omni ecclesiastico cantu, quævis musica lascivum quidquam et vulgares cantilenas aut levitates, similesque ineptias referens, omnino arceatur, sed gravis ubique sit... et æqualis, nec non integra canticorum ecclesiasticorum verba sensusque referens... et divinis laudibus accommodata, ut ea circumstantium fidelium animi ad majorem pietatem, devotionem, ac religionem inardescant... et ad tanta mysteria possit animus fidelium esse devotior cultusque sincerior. (*Conc.*

(25) Doceantur in seminario cantum Gregorianum et cæremonias ecclesiasticas. (*Conc. Mechlinienso* ann. 1607, tit. 21.)

Burdigalense ann. 1582; *Concilium Remense* ann. 1583.)

Non cantentur in ecclesia cantica nova, et non probata. (*Conc. Bituric.* 1584.)

Lex porro accentuum, atque syllabarum quantitas exacte teneatur et servetur. (*Conc. Remens.* ann. 1583.)

Ad psalmodiam vero cor habeant nisi fortasse ad aliquid sublimius rapiantur. (S. Bernard.)

Organo tantum in ecclesia locus sit; tibiæ, cornua, et reliqua musica instrumenta excludantur. (*Conc. Mediol.* I, *De musica.*)

CAPUT X.

De disciplina circa Missæ sacrificium et cæremonias ecclesiasticas.

Quia eminet inter omnia quæ sacris habentur mysteriis et actionibus et rei dignitate et sacerdotis præstantia et fructus excellentia... sacrosanctum Missæ sacrificium, in quo immensum redemptionis humanæ beneficium recolitur... et in quo *memoriam fecit mirabilium suorum* (*Psal.* CX, 4) summus ille sacerdos in æternum Christus secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX, 4; *Hebr.* V, 6) Deo solo acceptum... Quanta deceat... sacrosanctum hunc summi sacramenti thesaurum... in quo Christus ac integer actus religionis est... spiritus innocentia, reverentia, metu, humilitate tractare, res ipsa indicat, ipsa loquitur et contestatur... ideoque quanta sit veneratione peragendum nemo est qui nesciat. (*Conc. Aquileiens.* I, *De divin. Offic.; Synod. Parisin.* ann. 1557; *Synod. Burdig.* ann. 1582; Hugo a S. Vict., *De Offic. Eccles.*, lib. II, c. 13.)

Idcirco illa semper non modo laudabilis, verum etiam necessaria cura sit providendi, ut singulari pietate ac religione tam augustum divinumque mysterium, quo immortalis Dei Filius, ex ipsius institutione, viva æterno Patri pro salute fidelium offertur hostia, tum a sacerdotibus sanctissime celebretur, tum a fidelibus populis honorificentissime colatur. Atque in hanc curam eo studiosius hac tempestate nobis incumbendum est, quo sinceræ pietatis ac religionis ardor pene jam videtur exstinctus. (*Synod. Burdigal.* ann. 1582.)

Ut vero ardor ille iterum commoveri accendique possit...: multum juvabit sequens concilii Tridentini monitum diligenter attendere... Quanta, inquit, cura adhibenda sit ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris Litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. (*Jer.* XLVIII, 10.) Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quam maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. (*Conc. Trident.*, sess. 22, *Decret. de observ. et evitand. in celebr. Missæ.*)

Cum igitur multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria, improbitate irrepsisse videantur, quæ a sancti sacrificii dignitate aliena sunt; ut ei debitus honor et cultus ad Dei gloriam, et fidelis populi ædificationem restituatur... et ut sanctissimum illud sacrificium, in quo illa Deo Patri placens hostia, Jesus Christus, in odorem suavitatis offertur (*Ephes.* V, 2), singulari religione ac pietate et a sacerdotibus celebretur, et a populo colatur... omnia e medio tollantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus (*Ibid.*, 5), vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit... ut sic tractentur sacra interiori cordis munditia et puritate, et exteriore devotionis ac pietatis studio. Pestis vero quæ diuturna rerum corruptione usque ad tremendam Domini mensam pervenit, et sancta pene invasit, etc., longissime abigatur. (*Conc. Trident.*, ubi supra; *Conc. Mediol.* I, *De celebr. Missæ; Conc. Aquileiens.*, cap. *De div. Offic.*)

Quod igitur ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, prohibeantur.

Caveant etiam ne quid in tanto mysterio celebrando per incuriam, inscitiam, vel contemptum admittatur, ex quo ejus mysterii dignitas apud populum minuatur; ne ex sacerdotum sordibus, res quæ sacrosancta est in contemptum habeatur, idemque probrum ecclesiasticis inferri possit, quo filios Heli sacerdotis summi infames fuisse sacræ Litteræ referunt (*I Reg.* II, 17), nempe quod nequitia et improbitate populum revocarent a cultu et sacrificiis. (*Conc. Camerac.* ann. 1565.)

Ne ergo Missam celebraturus accedat illotis manibus et habitu sordido vestimentorum aut ornamentorum altaris... Ornamenta et instrumenta altarium pro celebratione Missæ pura ac munda sint, præsertim corporalia ac purificatoria... Probrum enim est a plerisque etiam ditioribus affectari sordes etiam in ecclesiis, sacramentis, et altari, quod immundi cordis est indicium... Et quam illota conscientia ac polluta accedant ad sacrificandum, aut quam parum studiose ac pie dijudicent corpus Domini (*I Cor.* XI, 29), satis arguunt sordes calicum, corporalium, mapparum, atque omnium ornamentorum, quibus decet venerari tantum religionis Christianæ sacramentum et sacrificium. (*Conc. Remens.* ann. 1585; *Conc. Mediolan.* I, *De celebr. Miss.; Conc. Rothomagens.* ann. 1581, a Greg. XIII confirm.; *Synod. Aquens.* 1585.)

Quantæ etiam confusionis opprobrium est, in squalido linteo Dominicum corpus offerre et involvere, et quod non dignaretur potens quilibet, qui tamen vermis est, propriis adhibere labiis, in hoc non vereri corpus imponere Salvatoris ! (S. Petr. Damian., *Contra ignaviam cleric.*, opuscul. 6, c. 1.)

Sacrificium Missæ, cum sit augustissimum ac dignissimum, nonnisi quam dignissimo ac honestissimo loco tractetur : et nihil decoris ad tam sanctum ministerium deesse patiantur. (*Synod. Turon.* ann. 1583.)

Tollant episcopi sumptuosa convivia, ludos, choreas, et omne inanium oblectamentorum genus, cæterosque omnes abusus, qui populi temeritate, aut sacerdotum avaritia in novæ, ut vocant, Missæ celebrationem irrepserunt, et in eos qui in hoc genere aliquid peccarint, episcopus graviter animadvertat. (*Conc. Mediol.* 1, *De celebr. Miss.*)

Qui primæ Missæ celebrandæ facultatem impetrat, is sedulo moneatur, ut quo die primum celebraverit, eum totum in sanctis pietatis officiis omni animi religiosi studio ponat, ac ne ludis, comessationibus, minus autem choreis, aut inanibus aliis spectaculis se immisceat. (*Synod. Aquens.* ann. 1585.)

Magister cæremoniarum eos, quibus prima Missa celebranda sit, et qui præterea sacerdotes minus perite celebrant, Missæ ritibus ac cæremoniis instituat, etc. Neque cuiquam primam Missam celebrare liceat, qui ab iis institutus non sit. (*Conc. Aquens.* ann. 1585.)

Ut ab omni indecoro et absurdo capitis, oris, et reliqui corporis motu abstineant..... et venerabunda ac devota eorum actio et pronuntiatio præ se ferat et ostendat fidem et intentionem quam habere debent de Christi et angelorum in sacrificio præsentia. (*Conc. Mediolan.* 1, sup.; *Conc. Aquens.* 1585, et *Rothomag.* 1581.)

Ut præter institutum Ecclesiæ Romanæ, iis quæ secreto, vel quæ palam dicuntur quidquam addi vel detrahi non liceat. Ut quæ palam pronuntianda sunt, distincte, clara voce... et intelligenter dicant... quod fiet si neque tardius neque celerius quam par sit, verba proferantur,.... ita ut ab assistentibus, saltemque a ministris altaris possit intelligi... Secreta vero quæ vocantur, secreto etiam pronuntient... et submissa voce recitent. (*Conc. Mediolan.* 1, *ibid.*; *Conc. Burdigal.* 1582; *Conc. Remens.* 1583.)

Ad sacrum ergo Dei altare accedentes cum reverentia, devotione et modestia, distincte et intelligibili voce Missam attente usque ad canonem legant. Canonem vero submissiori voce, sed summa religione, ut qui sacris astant audiendis ad devotionem et pietatem inde moveantur. (*Synod. Paris.* 1557.)

Ut propter erroris casum, qui in omni Missæ parte gravis, in canone gravior, in ipsa vero consecratione gravissimus est, Missam legant... neque memoriter quidquam dicant... quantumcunque sint experti. (*Conc. Mediol.* 1; *Conc. Burdig.* 1582; *Synod. Eccl. Trecensis.*)

Ut neque celerius quam par sit, neque tardius Missam proferant. Ut operto capite celebrare non audeant. Ut antequam celebrent se colligant... Conscientiam suam prius diligenter excutiant atque examinent; piam aliquam meditationem præmittant... et orantes mentem in tanti mysterii cogitatione defigant. (*Conc. Mediolan.* 1; *Conc. Burdig.* 1582.)

Quilibet sacerdos sacrum facturus, lotis prius manibus, et facta oratione, se sacris induat vestibus in sacristia; sudariolum etiam habeat pro naribus emungendis. (*Synod. Aquens.* 1585.)

Ut antequam ad altare accedant, Missam perlegant, et singulas partes ita præparatas et notatas habeant ut celebrantes neque errent, neque hæreant. (*Conc. Mediolan.* 1.)

Ut sacris vestibus induti cum nemine colloquantur, neque loquentibus dent aures; mentem et oculos ab omnibus amoveant, quibus distrahi possint, neque e sacristia exeant, nisi cum ad altare eundum erit, quod tum graviter et modeste fiat. (*Ibid.*)

Ut ibi ne in mora sint sacrificio, cujusvis exspectandi gratia; neve ob eamdem causam a Missa inchoata subsistant, aut ejus initium repetant; neve, si parochi sint, cujusquam gratia metuve Missam anticipent, aut differant; sed illam ea potissimum hora celebrent, quæ populo magis accommodata sit; neve concionem quam in ea habere debent, ullo modo omittant.

Ut nullus Missam incipiat, nisi prius providerit de lumine, pane, vino, et aliis ad sacrificium necessariis. (*Synod. Aquens.* 1585, et *Carnot.* 1526.)

Ut pileum, birretum, aut subbirretum, chirotecas, sudariolum, aut quodcunque denique hujus generis in altare ne ponant. (*Conc. Mediol.* 1, *ibid.*)

Cum post offertorium in Missa oblatio a populo fit, sacerdos ne patenam deosculandam illi præbeat, sed tabellam aliquam pictam, vel aliam sacram imaginem ad hoc adhibeat... vel etiam crucem ad osculandum præbeat. (*Synod. Aquens.* 1585.)

Ut peracta Missa pro summi beneficii munere Deo gratias agant... calicem vero linteolo mundo involvant... illumque cum patena, et corporalium theca, et cum vestibus sacerdotalibus in mundo loco sub sera recondant. (*Conc. Mediolan.* 1, ubi supr.; *Synod. Carnot.*, 1526; *Synod. Turon.* 1583.)

Sacerdote rem divinam faciente, ministri per ecclesiam ne vagentur, neve dent operam collocutionibus, etc.; sed composito corpore, nullo gestu, modeste, ut debent, sacerdoti assistentes inserviant. (*Conc. Mediol.* 1.)

Clericus sacerdoti celebranti assistens talari veste et superpelliceo sit indutus. (*Ibid.*)

Quia vero sacerdotes quosdam usque adeo nominis

et officii sui crassa quadam socordia oblitos esse dolemus, ut vix semel in annos singulos, aut certe rarissime sacrificium Missæ faciant... ideo non tantum diebus solemnibus, sed etiam Dominicis, sæpiusque, si fieri potest, sacrificent... Sacerdos enim celebrare omittens, etc. (*Conc. Burdigal.* 1582; *Conc. Remens.* 1583.)

Nec vero quis, vel mulier gradibus altaris hæreat, aut prope altare sit dum sacrum fit; ideo sacerdos celebraturus hærentes inde longius abscedere jubeat: quo celebrante, id ministrans clericus præstet. (*Conc. Rem.* 1583.)

Earum rerum, quæ ad profanam atque sæcularem negotiationem pertinent, proclamationes in ecclesia fieri, præsertim dum Missa celebratur, prohibemus. (*Conc. Burdigal.* 1582.)

Cum vero natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. (*Conc. Trid.*, sess. 22, *De sacrif. Missæ*, cap. 5.)

Idcirco, 1° cæremoniæ omnes, quæ signacula sunt pietatis et religionis Christianæ, quæque vel ab apostolis, vel ab Ecclesiæ catholicæ traditione quasi per manum accepimus, ut sancte et pie sunt invectæ, sic religiose conserventur in ecclesiis. In his enim ubi fides et devotio accesserit, Spiritus sanctus operatur, ac præsentium mentes movet efficaciter. (*Conc. Camerac.* 1565, cap. 5, *De cæremon.*)

2° In celebratione ergo Missæ omnes ritus et cæremoniæ quæ in Missalibus præscribuntur, sicut in reliquo Officio regulæ Pontificalis et Breviarii, exacte et religiose observentur, nec quidquam addatur aut detrahatur... Illæ enim nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, nec in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari possunt; sicut de receptis et approbatis Ecclesiæ catholicæ ritibus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetis definit concilium Tridentinum. (*Conc. Bituric.* ann. 1584; *Conc. Trid.*, sess. 7, can. 13.)

3° Ne ergo, quod, proh dolor! pluribus in locis, et a multis temporibus fit nimis licenter, sacerdotes populum sibi commissum a devotione potius revocent, quam ad sacrorum et tremendorum mysteriorum meditationem, contemplationem, et debitam eis impendendam venerationem invitent, eis districtissime inhibemus ne Missis celebrandis se immisceant, nisi prius a peritis et exercitatissimis sacerdotibus docti, ritus et cæremonias in tam celebri sacrificio summa cum reverentia necessario observandas, earumque vim, effectum et rationem didicerint: illas enim cæremonias innovare, aut aliis ab Ecclesia minime receptis et approbatis uti non permittimus. (*Synod. Turon.* ann. 1583.)

4° Nec propter opprobrium senectutis aut juventutis vel nobilitatem generis a parvulis et minus eruditis illas inquirere negligant... *Qui enim ignorat ignorabitur.* (*I Cor.* XIV, 38.) Et certe ignorantibus illas sacerdotibus, quid aliud evenire putandum est, nisi quod illis sacerdotibus contigit, quos post captivitatem Israelitici populi rex Assyriorum in urbibus Samariæ constituerat, et divini cultus cæremonias ignorabant? Nam, cum nescirent Deum juxta legalium mandatorum observantiam colere, leonum eos rabies perimebat; *immisit in eos Dominus leones, et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ.* (*IV Reg.* XVII, 26.) Petrus autem dicit quia *diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* (*I Petr.* V, 7.) Sacerdotes ergo qui Dei legitima nesciunt leonum dentibus exponuntur, quia nimirum illos malignorum spirituum rabies devorat, qui sacrificiorum cultui temerariis ausibus insistentes, qualiter Deus rite colatur, ignorant; sicque funguntur officio sacerdotum ut sacerdotalis officii nesciant sacramentum: et sicut per illorum imperitiam factum est quod Scriptura testatur: *Unaquæque gens fabricata est deum suum, posueruntque eos in fanis excelsis* (*IV Reg.* XVII, 29); ita nunc per pseudosacerdotum ignorantiam fieri dolemus, ut scilicet alii, *quorum deus venter est* (*Philip.* III, 19), luxuriam colant; alii avaritiam, quæ est idolorum servitus (*Ephes.* V, 5), venerentur; alii rapinis, perjuriis, homicidiis, sacrilega devotione serviant; et sic diversis criminibus tanquam simulacris et sculptilibus officium servitutis impendant: unusquisque enim cujus opus facit, illius et servus appellatur. (S. CLEMENS, epist. 3; S. PETR. DAM., *Contra inscitiam cleric.*, opusc. 6, Præfat.)

5° Has porro cæremonias, quas non irritabula impietatis, sed officia pietatis esse definit concilium Tridentinum (*De celebrat. Missæ*, sess. 22, can. 7), antequam in publico exercere teneantur, prius in secreto per exercitationis usum ediscant... Per experientiam namque eorum quæ faciunt, ad ea quæ postea agenda fuerint, cautiores fiunt, etc. (Unde) sæpe illa quæ in publico necessaria sunt, prius in secreto exercitationis usum exposcunt; quia si prorsus ea in occulto negligimus, uti postmodum eis, dum opus est, in publico non valemus; et tunc aut prorsus a disciplina deficientes intuentibus scandalum facimus, aut inepte id quod in nobis non est, simulare conantes, irrisionem excitamus. (S. BONAV., *Specul. discip. ad novit.*, part. I, c. 7; HUGO A S. VICTORE, *Instit. mon. ad novit.*)

Cæremonias igitur discant, exerceant, servent sacerdotes, ut... sacrificent sacrificium justitiæ, non quasi velamen suæ devotionis habentes, consuetudinem aut libertatem, sed quasi obedientiæ filii, captivantes intellectum in obsequium ejus quæ habet consilium,

et spiritum Sponsi sui, qui inter ejus ubera commoratur, quam qui audit, Sponsum ejus audit; qui non audit, est tanquam ethnicus et publicanus. (*Psal.* IV, 6; *II Cor.* X, 5; *Cant.* I, 12; *Matth.* XVIII, 17; *Capitul. Eccl. Aurelian., sede vacante*, initio Missalis ann. 1600.)

CAPUT XI.

De clericorum in incessu et itinere, nec non in religiosis peregrinationibus disciplina.

1° Clericus sine commendatariis episcopi sui litteris, aut saltem sine ejus voluntate ac licentia nunquam discedat : si autem discesserit, a nullo recipiatur.

Sic enim in conciliis Antiocheno et Aquisgranensi definitur : Nemo peregrinus sine pacificis litteris suscipiatur. (*Conc. Antioch.*, c. 7; *Aquisgran.*, c. 49; refert. dist. 71, cap. ult.)

Et in concilio Laodicensi : Non oportet sacerdotem vel clericum sine canonicis litteris peregrinari nec sine jussione episcopi. (*Conc. Laodic.*, c. 41; *Aquisgran.*, c. 58, 81; refert. *De consecr.*, dist. 5, c. 36.)

In concilio autem Milevitano (c. 20) : Quicunque, inquit, clericus propter necessitatem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab episcopo suo accipiat : quod si sine formata voluerit pergere, a communione removeatur.

In concilio etiam Agathensi : Clericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentia non pateat evagandi..... Et in omni loco ad quem sine epistolis episcopi sui venerint, a communione habeantur alieni, inquit concilium Veneticum. (*Conc. Agathens.*, c. 38, refert. 20, q. 4, *Monachum; Conc. Venetic.*, sub Leone I, cap. 5, circa ann. 453.)

Concilium Andegavense : Clericis non liceat de loco uno ad alium sine episcopi permissione transire.

Concilium Anglicanum : Nullus clericorum relinquens proprium episcopum passim quo libet discurrat, neque alicubi veniens absque commendatitiis litteris sui præsulis suscipiatur. Quod si semel susceptus est, et noluit invitatus redire, et susceptor, et is qui susceptus est, excommunicationi subjacebit. (*Conc. Anglican.*, c. 5.)

Concilium etiam Trullanum (c. 17) : Jubemus ut in posterum nullus clericus cujuscunque ordinis possit sine sui episcopi litteris dimissoriis in aliena Ecclesia constitui, quia et ipse deponetur et qui eum suscepit.

Concilium Meldense (cap. 50) : Presbyteri, vel quilibet clerici in alterius parochia sine formata non recipiantur, neque retineantur nec etiam ministrare sinantur.

Hanc autem Ecclesiæ disciplinam contraria consuetudine abrogatam, quam miserabilem dignamque emendatione consuetudinem vocat concilium Parisiense (sub Ludovico et Lothario), in usum revocandam esse ostendit idem concilium.

Priscis, inquit, temporibus, quando jura canonum suum servabant vigorem, nullus clericorum parochiam suam, in qua divinæ militiæ devinctus erat, relinquere, et ad aliam sine commendatitiis litteris et epistolis, quas mos canonicus formatas appellat, audebat quoquomodo pergere. Nostri vero temporis miserabilis dignaque miseratione inolevit consuetudo, eo quod multi ecclesiasticæ regulæ subjecti, propositi et loci sui desertores effecti, passim quocunque eis voluntas suaserit, posthabita auctoritate canonica, pergunt, et non solum ab aliis episcopis, verum etiam a comitibus et nobilibus viris recipiuntur. Quod quantum et a divina et a canonica auctoritate discordet, in promptu est. Quod ne ulterius fiat et ab episcopis et a cæteris ecclesiasticis prælatis obnixe est observandum, et a celsitudine imperiali humiliter petendum, ut potestate regali prohibeatur, ne quisquam laicorum sollicitare aut recipere præsumat alterius clericum. (*Ibid.*)

Ne ergo quisquam sacerdos clericusve cujusvis ordinis peregrinaturus itineri peregrinationis causa sine litteris dimissoriis aut testimonialibus episcopi se committat, ut veteri canone sancitum est. (*Conc. Mediolan.* IV, ann. 1573, tit. *De religiosis peregrinationibus.*)

2° Porro cum iter faciunt decorum sacerdotale ipso etiam apparatu conservent. Etenim quod quidam faciunt, lanceas, scopetos, alia id genus arma gestare, milites Christi magnopere dedecet... Arma igitur ne portent, sed magis confidant in defensione Dei quam in armis. Si tamen extra civitatem et in suspectis locis iter agendum sit... arma deferre possunt, breviora tamen et nonnisi facultate ab ordinario impetrata. (*Conc. Limense* ann. 1583; ex l. I *Capitul. Carol. Magni; Synod. Aquens.* ann. 1585.)

3° In itinere clericali habitu, contractiori tamen, ad conciliorum præscriptum, omnis sacerdos et clericus, dum in peregrinatione est, uti possit... modo tamen genu saltem clerici stantis operiat... et decens sit ac simplex, nigrique coloris, et in eo refulgeat honestas et decorum sacerdotale et ecclesiasticum, ne si contra faciant, dignitatis suæ parum memores gravem subeant apud laicos offensionem. (*Conc. Mediolan.* ann. 1573; *Synod. Placentin.* ann. 1589.)

4° Pileum turbinatum non induat, sed clericali ordini congruentem, et a laicali vestitu distinctum. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1573, *De religiosis peregrinat.*)

5° Tonsuram clericalem perpetuo habeat... totusque viatorius illius ornatus sit hujusmodi ex quo ecclesiastici ordinis hominem eum esse facile intelligatur. (*Conc. Mediolan.* I, *ibid.; Synod. Amerina* ann. 1595.)

6° In fronte signaculum crucis imprimat in egressu... et ad omnem actum et incessum manus pingat crucem... sic enim nec ipse diabolus lædere poterit. (S. Cyrill., catech. 5; S. Hieron., epist. 12; S. Chrysost., hom. 21, *ad pop.*)

7° Ut in incessu etiam iter facturi ordinis dignita-

tem servent... Non vagis oculis incedant... sed pudicis, cum modestia et gravitate... Ideoque quod in monachis exigit sanctus Bonaventura, hoc et in clericis quam maxime optandum esset, ut scilicet... egressi non circumspiciant in plateis civitatis, diligenter avertentes oculos et cor, ne hauriat vanitatem, et incaute videant unde tententur postmodum, nec considerent quæ coram se foris fiunt, nisi quantum necessitas viæ, vel alia utilitas exigit, sed se tales in domum recipere, quales exierint, id est, ita devotos, corde mundos, et rumoribus vacuos pro posse conentur. (*Synod. Pisan.* ann. 1639; *Conc. Moguntin.*, c. 10, ann. 88; *Basileense* ann. 1431; S. Bonav., p. I *Specul.*, c. 27; *Instit. novit.*, c. 35.)

Avertant ergo oculos ne videant vanitatem (*Psal.* CXVIII, 37), unde tentatio oritur, oratio impeditur, vel phantasiæ contrahuntur eorum quæ intente et incaute visa sunt; sed illos habeant in capite, id est, cogitationem occupent circa Christum qui est caput omnium membrorum Ecclesiæ. (S. Bonav., *Select.*, tit. *Mortif. visus.*)

8° Ut etiam in incessu subditis exhibeant sanctitatem et speculum laudabilis vitæ, et per gravitatem itineris mentis maturitatem ostendant... Sit incessus gravis... maturitate plenus, et honestus; videlicet non fractis gressibus ambulent, aut scapulas dextrorsum aut sinistrorsum vergendo, non erecta cervice, non prominente corpore, seu etiam inclinato capite super humerum, quæ omnia aut levitatem re dolent, aut elationem ostentant, aut hypocrisim sapiunt. Incedens ergo clericus stans et sedens faciem semper habeat deorsum, revolvens animo suo quod pulvis est, et in pulverem revertetur (*Gen.* III, 19); et cor sursum, ubi Christus est in dextera Dei sedens. (*Coloss.* III, 1; *Synod. Trecens.*; episcopus Lingon. in synodo; S. Bernard., *Formul. honestæ vitæ.*)

Non etiam vagabunde pendentibus manibus incedant... nec sensim ambulando imitentur histrionicos gestus et quasi quædam fercula pomparum et statuarum motus nutantium, ut quotiescunque gradum transferunt modulos quosdam servare videantur.... nec etiam cursu rapido seu violenter currant, quia incompositio corporis indicat qualitatem incompositæ mentis. (S. Bonav., *Specul.*; S. Bern., *De ordine vitæ; Synod. Lingon.* ann. 1404.)

Et cursim ambulare honestum non est, nisi cum causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas... Incessus quippe celer et concitatus, impetus perturbatos esse demonstrat, sicut lentus animi dissoluti signum est. (S. Bern, *De ordine vitæ;* S. Basil., orat. 17, *De humilit.*)

In incessu ergo sive domi, sive foris gravitatem et modestiam præ se ferant; ne cursitent, vel contentius ambulent, sed nec brachia jactent, nec oculis vagentur, aut in via rei alicujus inspiciendæ causa subsistant, nec etiam altiore voce colloquantur, nec brachiis vestes involvant; et si pulverulenta via sit, aut lutulenta, caveant tamen ne eas luto inficiant, aut pulverem excitent. (*Acta Eccl. Mediolan., De instit seminar.*, appendic. 4, part. III, cap. 6.)

Professionem tandem suam ita incessu demonstrent, ut nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in incessu appareat. (S. Bern., *De modo bene vivendi*, serm. 9; S. Isidor., *Norm. vivendi*, c. 4.)

9° Mane singulis diebus præter Officium divinum debitum, preces etiam illas pie recitare curet, quæ itinerarii nomine appellantur. (*Conc. Mediol.* I, supr.)

10° Porro sacerdos in peregrinatione, ubi probatus fuerit, Missam quotidie celebrare curet; at vero Dominicis et festis diebus id facere non omittat. (*Ibid.*)

11° Singulis vero diebus, sive sacerdos, quando ipse non celebrat, sive clericus Missæ sacrificio interesse studeat. (*Ibid.*)

12° Eum se vitæ moribus omnique actione præstare studeat, ut pie religioseque peregrinandi exemplum laicis præbeat. (*Ibid.*)

13° Si aliquem socium et comitem habet, sanctis peregrinationis exercitationibus atque rebus ad salutem instruere curet. (*Ibid.*)

14° Mulieribus se comitem non adjungat, neque eodem curru cum iisdem vehatur, neque item eodem navigio, ut scandalum evitetur, si aliter sibi consulere poterit. (*Ibid.*)

Si vero profectione cogente, apud fratres, vel apud extraneos hospitatur, ubi mulieres intersunt, omnino se arctet, ne possibilitate aliqua vitietur; semotus ac secretus Deo vacet et sibi, ne intus capiatur a diabolo, et qui foris capi non potuit apud suos cadat. (S. Cyprian. creditus, *De cleric. singularitate,* in fin.)

15° Ne iis etiam se adjungat in via, nisi necessitas exegerit, qui, dum iter faciunt, profanis cantionibus, citharis, aliisve musicis instrumentis utantur. (*Conc. Mediol.* I, ann. 1573, *De religiosis peregrin.*)

16° Abstineat item ipse a profanis canticis, et colloquiis ejusdem generis, quorum usu pietatis in peregrinatione suscepta studium refrigescit. Psalmis, hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi ac rerum divinarum meditationibus vacet; et spiritualibus item de Deo sermonibus, si comites habet quibuscum loquatur, corporis vel animi lassitudinem sublevet... Ipse enim Deus itinerantibus et loquentibus de se discipulis factus est comes. (*Ibid.*; S. Bonav., *Specul.*, part. I.)

17° Cum ad aliquem locum vespere perveniet, ecclesiam, quæ eo loco est, antequam ad hospitium divertat, religiose adeat, si potest; ubi supplex litanias, vel alias religiosas preces recitet. (*Conc. Mediol.* I, supr.)

Intravit enim Jesus in templum, inquit Chrysostomus. Et hoc erat proprium boni Filii, ut et veniens ad domum curreret Patris, et illi honorem redderet, qui genuit eum; ut tum imitator Christi factus, cum in aliquam ingressus fueris civitatem, ante omnem

actum ad ecclesiam curras (26). (S. Chrysost. incert., hom. 38 *in Matth.*; S. Bonav., *Specul.*, part. I, c. 29, ex glossa ordin. *in Matth.*, c. XXI, 12.)

18° Si apud religiosos homines, vel apud alios viros honestos diversari potest, ab hospitiis publicis abstineat.... nec in tabernis aut locis incongruis hospitetur... Ad cauponas vero si divertere necesse habet, nec una cum mulieribus accumbat in publico hospitio, et alio omni loco et tempore. (*Conc. Mediolan.* I, sup.; Innoc. III in *conc. Lateran.*, c. 62, *De iis qui ad quærend. eleemos. destinantur;* refertur c. *Cum eod.* 14, De pœn.)

19° Si tabernas ingredi necessitate compellatur, non omnino se misceat laicis compotantibus : vilescit enim plurimum ex ea turpi et indecora consuetudine ecclesiastici ministerii dignitas. (*Conc. Camerac.* ann. 1565, *De vit. et honest. cleric.*, c. 6.)

20° Nec etiam inutiles faciat aut sumptuosas expensas, cavens ne falsum religionis habitum gestet. (*Conc. Lateran.*, c. 62.)

21° Cum primum ad peregrinationis locum pervenerit, etc., non rerum novarum curiositates, non loci antiquitates, etc., consectetur, sed religiosa animi præparatione ecclesias sacrasque reliquias, etc., sollicite visitet, qua visitationis sollicitudine pietatis sibi ardorem excitare studeat ut maxime potest. (*Conc. Mediol.* I, sup.)

22° Sicut egredientes de hospitio armare debet oratio, sic regredientibus de platea oratio occurrat, antequam sessio, nec prius corpusculum requiescat quam anima pascatur.... Si tamen fuerint in habitu breviore postquam in civitatem reversi fuerint, nullum alium prius locum quam domum suam adeant, ibique assumptis longioribus et decentibus vestibus, viciniorem adeant ecclesiam, Deo gratias acturi. (S. Hieron., *Epist. ad Eustoch.*; *Syn. Astensis* ann. 1588.)

23° Porro clerici viatores, aut peregrinantes, ita se decenter, suaque professione digne gerant, ut eorum moribus, verbis, habituque modesto per omnia glorificetur Deus. (*Conc. Mechliniens.* ann. 1570, sub Pio V.)

24° Tandem ne frequentius peregrinationi se exponant... sciant quod semper peregrinari summa est miseria; ire de hospitio in hospitium, testimonio Salomonis (*Eccli.* XXIX, 31), vita pessima. Fugam de civitate in civitatem non in tempore pacis, sed persecutionis, suis discipulis Salvator indulsit (*Matth.* x, 23) : et quia qui multum peregrinantur, raro sanctificantur. (Petr. Blesens., epist. 148, *ad S. Bathoniens. episc.*)

CAPUT XII.

De mensa clericali sive de clericorum conviviis ac illorum in cibo et potu disciplina.

Quia temperantia facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium et verecundum : et hæc virtus, si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis exstinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placita tranquillitate componit, et totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit... hanc virtutem, ut in cæteris, ita et in cibo et potu maxime servare debent clerici.... *ut sobrie, juste et pie* viventes *in hoc sæculo* exspectent *beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* (*Tit.* II, 13; S. Prosp., *De vita contempl.*, lib. II, c. 19.)

Nullus enim palmam spiritualis certaminis apprehendit, ut loquitur Gregorius, qui non in semetipso prius per afflictam ventris concupiscentiam, carnis incentiva devicerit : neque enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus, edomatur. (S. Gregor., *Moral.* lib. XXX, c. vet. 26.)

Cum etiam confusio sit et ignominia Jesum Christum crucifixum, pauperem et esurientem, fartis prædicare corporibus, et jejuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre. (Cap. *Ecclesiæ principes*, dist. 35.)

1° Crapulam et ebrietatem evitent clerici, in quibus est fomes libidinis, et mentis hebetatio, causaque omnium malorum.... Ipsa, inquit Augustinus, blandus dæmon, dulce venenum, suave peccatum... flagitiorum omnium mater culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. (*Synod. Carnot.* ann. 1526; S. August., *Serm. ad sacras virgines.*)

Nullus ergo sacerdotum ebrietatis depravatione se aut ministerium suum vilescere faciat, quo merito reprehensibilis videatur. Legimus enim ebrietatem dedecus esse cuilibet Christiano sectari, quanto magis sacerdotibus! Unde Apostolus inquit : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* (*Ephes.* V, 18.) Legitur et alibi : Sic oportet episcopum bibere, ut quasi non bibisse videatur. (*Conc. Aquisgr.* II, sub Ludovico Pio, p. I, c. 6.)

Proindeque modum vini pro ætatis, et valetudinis, et corporum qualitate exigimus in potando.... ita ut propter stomachum et infirmitates vino utatur, secundum consilium Apostoli : *Sed modico....* (*I Tim.* V, 23.) Sed si absque vino ardet adolescentia, et inflammetur calore sanguinis, et succulento validoque sit corpore, libenter careat poculo, in quo suspicio veneni est. (*Conc. Aquisgran.*, c. 94, ex Hieron., *ad Nepotian.*)

2° Quia olim tanta in clero optabatur honestas, ut ne nuptialibus quidem parentum conviviis inter-

(26) Imitator Christi factus cum aliquam ingressus fueris civitatem, primo ante omnem actum ad ecclesiam curras. (S. Laurent. Justin., *De ligno vitæ*, lib. IV, c. 11.)

esse liceret.... omnis sacerdos clericusve publica saltem convivia et comessationes ejusmodi vitet, quibus sæpe fit, ut contemptui sit ecclesiastici ministerii dignitas. (*Conv. Melodun.* ann. 1579; *Conc. Mediol.* IV, *De vita et honest. cleric.*)

Convivia etiam puerperarum et confratriarum, quantum poterunt, evitent, ac etiam nuptiarum, nisi interveniente sanguinis aut affinitatis conjunctione, aut alicujus majoris amicitiæ causa ad celebritatem invitentur. (*Synod. Carnot.* ann. 1526.)

Et quia non in comessationibus et ebrietatibus (*Rom.* XIII, 13), sed ut sobrie vivamus prædicat Apostolus... (*Tit.* II, 12), a minus honestis conviviis omnino abstineant... atque ab iis etiam, quæ potius luxus aut voluptatis sunt quam propinquitatis aut necessitudinis causa instituta. (*Conc. Mediol.* I; *Syn. Aquensis* ann. 1585.)

(Tandem in universum) ne clerici laicorum convivia frequentent, quia valde honestatem dedecet clericalem, ipsorumque clericorum vilescere facit auctoritatem... Siquidem facile contemnitur clericus qui sæpe vocatus ad prandium ire non recusat. Quare consolatores nos potius ipsi laici in mœroribus suis, quam convivas in prosperis noverint. (*Conc. Ravennat.*; HIERON., *ad Nepotian.*)

3° Nec ad bibendum quemquam incitent... Unde concilium Lateranense IV : A crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant. Unde vinum sibi temperent et se vino. Nec ad bibendum quisquam incitetur, cum ebrietas et mentis inducat exitium et libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores, et ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, et calices fecundiores exhaurit : si quis autem super his culpabilem se exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, competenter a beneficio vel officio suspendatur. (*Conc. Mediol.* I ; *Lateran.* IV, c. 15.)

Synodus etiam Carnotensis (ann. 1526) : Ante omnia a clericis vitentur crapula et ebrietas, quæ fomites sunt et nutrices omnium vitiorum. Non renascatur inter clericos damnatus ille per concilium generale abusus, quo potatores se ad æquales potationes aut obligant, aut incitant, a quo omnino abstineri jubemus, in transgressores pœna juris (quæ est ab officio vel beneficio suspensio) aut alia graviore animadversuri.

Et concilium Cameracense : Tollatur, inquit, omnino a clero turpis illa consuetudo qua mutuo se quandoque provocant ad haustus æquales, certantque hac infamia reliquos vincere. Isaias (c. V, ℣ 22) enim iis exsecrationem dicit, qui potentes sunt ad bibendum vinum. (*Conc. Camerac.* ann. 1565, *De vit. et honest. cleric.*, c. 1; *Convent. Melodun.* ann. 1579.)

Ad æquales ergo haustus nec seipsos, nec alios astringant, vel provocent. (*Conc. Remens.*)

4° Quam decet frugalitatem et temperantiam in mensa adhibeant clerici... Homini enim ecclesiastico, quacunque dignitate fulgeat, plus laudis affert frugalitas quam sumptus, plus dedecoris exquisitus apparatus quam simplex; plus molestiæ longus accubitus, quam brevis et naturæ sufficiens. Sit ergo cultus in mensa et conviviis, potius in gravitate, sobrietate et sale conditis sermonibus quam in pompa et deliciis. (*Conc. Mediol.* I, c. 1, *De episc. mensa, de clericorum vestitu et vitæ moderamine; Conc. Camerac.* ann. 1565.)

Bellaria, placentæ, omniaque saccaro artificiose condita, cæteraque escarum lenocinia, exquisita etiam vinorum genera prohibentur. (*Conc. Mediol.* I, supra.)

Et ut domum suam bene regant, et quod populis præcepturi sunt, prius a domesticis exigant; non regias parent epulas, non cælatas patinas struant, et phasides aves lentis vaporibus coquant, qui ad ossa perveniant et superficiem carnis non dissolvant artificii temperamento. (*Conc. Aquisgran.*, c. 2, ex HIERON., *ad Ocean.*)

Turpe enim est apud sacerdotem Christi crucifixi et pauperis, qui cibo quoque vescebatur alieno, judicem provinciæ melius prandere quam in palatio. Quod si obtenderis te facere hæc, ut ores pro miseris atque subditis, judex sæculi plus deferet clerico continenti quam diviti, et magis sanctitatem suam venerabitur quam opes. (*Conc. Aquisgran.*, c. 94, ex HIERON., *ad Ocean.*)

5° Obsonia ergo despiciant, ut quæ paulo post non sint futura, quæ fimus paulo post excipiet, quæ Deus abolebit. Discant quod generationes fructuum non nutriant hominem, sed verbum Dei eos qui credunt conservat; non enim in pane vivet justus. Sublatis igitur ad veritatem oculis, divino illi, qui in alto est, adhæreant cibo; et illa quæ revera est et satietatem non affert, impleat semetipsum contemplatione. Postquam enim quæ ex verbo percipiuntur, delicias senserint, vilescant cætera; *non enim est regnum Dei esca et potus* (*Rom.* XIV, 17), et *beatus qui comedit prandium in regno Dei.* (*Luc.* XIV, 15; CLEM. Alex., *Pædag.*, l. II, c. 1.)

6° Non liceat presbytero inter epulas cantare, aut saltare..... Sacerdotem enim, clericumque cujusvis ordinis in canticis, hymnis, psalmis cæterisque ecclesiastici cultus officiis, religiosa moderatione concelebrandis, divinisque laudibus sancte concinendis, ita versari convenit, ut voce sua sacris dicata abuti non debeat ad profanas cantiones et modulationes, atque ad voluptarias deliciosasque laicorum oblectationes. Quamobrem caveat ne in nuptialibus laicalibusque conviviis aut mensis canendo operam suam navet, ullo quidem vel cognationis, vel amicitiæ, familiaritatis, obsequii, alteriusve rei causa, cum præsertim clericalem hominem inter epulas cantare veteri canone plane interdictum sit. (*Conc. Ambian.*, c. 4; *Mediol.* IV, *De vita et honest. cleric.*)

7° Nec iis etiam qui vitam sacerdotalem elegerint, liceat omnino seorsum cum mulieribus comedere, nisi utique cum piis ac religiosis viris ac mu-

lieribus, ut ipsum etiam convivium ad spiritualem correctionem adducat. (*Conc. Nicæn.* II, c. 22.)

8° Parasiti, sanniones, scurriles joci, et maledicta non admittantur. (*Conc. Mediol.* IV, supr.)

9° Adhibeatur vero in mensa lectio sacrorum librorum, ut convivæ non solum corporis cibo, sed etiam epulis animæ recreari possint... Ad vitandum enim otium, vitiorum matrem, mensæ clericorum nunquam carere debent lectione... qua pascatur animus... ut nequaquam toti manducent, sed corpore suam refectionem procurante, mens suam non negligat; et dum corpus edendo reficitur, etiam animæ spiritualis in Domino refectio ex lectione præbeatur. (*Conc. Mediol.* IV, *ibid.*; PHILIPP., Lingon. episc., in synod. ann. 1452; *Synod. Rothomag.* ann. 1521; S. BERN., *Ad fratres de Monte Dei*, c. 11; *Conv. Melodun.* ann. 1579.)

10° Accumbens mensæ benedicat... Quemadmodum autem benedictio cibi caput, sic actio gratiarum clausula esse debet, ut Dei laudes, sicuti par est, usquequaque celebrentur, et omnia ejus benignitati accepta referantur... Et quia mensa ab oratione sumens initium et in oratione desinens nunquam deficit... ideo in benedictione ac gratiarum actione conveniens devotio ac reverentia observentur. (S. CHRYSOST., hom. 79, *ad popul.*; *Convent. Melodun.* ann. 1579.)

11° Ut vero flagitii occasionem quæ in cauponis et tabernis deesse non solet, clericis adimamus, cauponarum aditu et usu omnino eis interdicimus, nisi in itinere, necessitatis causa.... Id enim nulla alia ratione tolerandum est. (*Conc. Mediol.* I, *De vitand. a cleric.*; *Conc. Aquileiens.* I, *De vit. et honest. cleric.*)

Non ergo cibi vel potus causa ingrediantur tabernas, nisi hospitii causa.... peregrinationis necessitate compulsi. Et cum tabernæ sint diverticula peregrinorum et pertranseuntium quorumcunque, in quibus comessationes, et alia quædam inhonesta interdum exercentur..... ne tabernas aut cauponas, blasphemiarum et luxuriæ officinas, quovis, nec etiam sponsaliorum, vel obsequiorum funerarium prætextu, nisi inter peregrinandum ingrediantur... et urgente necessitate.... ex Viennensi concilio constat. (*Conc. Carthag.*, c. 40; *Carthagin.* III, c. 27; *Aquens.*, c. 59, 60; INNOCENT. III in *Conc. Lateran.*, c. 16; *Conc. Aquisgran.* ex *Conc. Afric.*, c. 90; *Synod. Senon.* ann. 1529; *Synod. Schen.* ann. 1524; *Conc. Ap.*, c. 54; *Conv. Melodun.* 1579, *De sacram. ordin.*)

Quod si alias clericus in taberna comedens inveniatur, excommunicetur. (*Conc. Ap.*, c. 54.)

Si vero ingredi in tabernam non licet, minus aliis in ea ministrare et tractare; si fecerit, vel cesset, vel deponatur. (*Conc. Trullan.*, c. 9.)

12° Quia vero locis quibusdam viget consuetudo, quæ, si clericorum spectetur conditio, corruptela et abusus dicenda est, ut si convivii amicis aut convivibus parandi voluntas ex honesta etiam causa, vel hospitium advenarum repentino adventu inciderit, non domi sed in publico diversorio paretur convivium, et eodem conveniant, et ibidem reficiantur, licet hospitibus confluentibus diversorium totum pateat. Quod omnino clericis, cujuscunque ordinis et conditionis sint, honestatis et modestiæ causa inhibendum pœnis etiam propositis decernimus, ac episcopos, ut serio inhibeant, excitamus. (*Conc. Aquileiens.* I, *De vita et honest. cleric.*)

13° Tandem quæcunque de episcoporum mensa, ejusque benedictione et cibis, et lectione, et gratiarum actione, supellectili, etc., decreta sunt, eadem a clericis quibuscunque, cujusvis conditionis, ordinis et dignitatis sint, accurate servari jubemus, etiamsi in alienis ædibus aut propinquis habitent. (*Conc. Mediol.* I, *De cleric. vestitu et vitæ moderat.*)

CAPUT XIII.

De disciplina clericorum in ludis et recreationibus.

Sex præsertim regulas a clericis in recreationibus et ludis observandas ecclesiastica præcipit disciplina.

Prima regula. — Nullis unquam recreationibus, aut ludis, sive divina, sive ecclesiastica lege prohibitis vacent clerici.

Ludorum autem genera clericis interdicta hæc sunt:

1° Alearum ludus, quem diaboli venabulum et laqueum manifestum, ac delicti vulnus insanabile vocat Cyprianus. (*De aleatorib.*)

2° Trinqueti seu puncti stacarii; 3° paginarum pictarum seu chartarum; 4° strophi; 5° jactus lapidis; 6° clypei; 7° hastiludii. (*Conc. Lingon.* ann. 1404.)

8° Taxillorum seu talorum. (*Conc. Lateran.* IV, c. 16.)

9° Globorum qui malleis ligneis impelluntur. (*Conc. Mediol.* I.)

10° Marellarum; 11° follis, id est pilæ majoris; 12° bolarum; 13° quillarum; 14° scautorum, nisi raro. (*Conc. Lingon.*, sup.)

15° Deciorum. (*Conc. Paris.*)

16° Fistulæ vel aliorum musicalium instrumentorum, quibus cum ore seu bucca luditur. (*Conc. Lingon.*, supr.)

17° Ludi turpes, aut ludibriosi. (*Conc. Carnotens.*)

18° Omnis sortis ludus, et quilibet alius per quem Ecclesiæ honestas inquinari potest. (*Synod. Senon.* ann. 1524.)

Recreationum autem alia genera hæc sunt:

1° Choreæ et chorearum spectatio ex quibus animi levitas et inconstantia dignoscitur. (*Conc. Narbon.*, ann. 1551, can. 19.)

2° Saltus. (*Conc.* passim.)

3° Hippodromiæ; 4° torneamenta seu jostæ, aut luctæ; 5° jaculari, seu gladiari; 6° cursus in campo pro lucro aut vino. (*Conc. Lingon.*, supr.)

7° Comœdiæ, fabulæ, thimelici, spectacula comœdiarum, sive ad bancos circulatorum et buffonum in plateis larvales ac theatrales joci et tripudia, et his similia ludibria.... Ac diaboli sacramenta, nec non omne ludicrum ex iis quæ ab histrionibus exhibentur. (S. August. *in Epist. Joan.*)

8° Charevari.... et omnes illæ insaniæ falsæ quæ, diaboli fallente mendacio, Dei in se non habent veritatem. (S. Maxim., Taurin. episc., *Hom. in Kal. Januar.*)

9° Cœtus ubi amatoria cantantur et turpia, ubi obsceni motus corporum choreis et saltibus exercentur... Cantica item sæcularia, et immoderata lætitia in lyris, tibiis et his similibus lusibus... Dæmoniaca enim cantica citharæ, tibiæ, inordinatæ atque indecoræ voces, ista omnia diaboli sata sunt... et ibi diaboli festum celebratur, ubi citharæ et tibiarum cantus atque tripudia perstrepunt. (*Syn. Senon.* ann. 1524; S. Ephr., *De compunct. anim.*; Id., *Encomio in psal.* v, et *Quod ludicris rebus abstinendum.*)

Choreas privatas aut publicas non agent neque spectabunt. (*Conc. Mediol.* i, p. ii, tit. *De armis, ludis*, etc.)

10° Forum, seu nundinationes et mercatus.

11° Denique mundi voluptates, pompæ et alia publica, vel profana et inania spectacula..... Quæ etsi non haberent crimen, habent in se et maximam, et parum congruentem fidelibus vanitatem. (S. Cyprian., *De spectaculis.*)

Secunda regula. — Non solum iis ludis et recreationibus prohibitis vacare non debent clerici, sed nec vacantibus interesse... ne puritas sacerdotis rerum inanium aut etiam obscenarum aspectu polluatur... seu, ut ait concilium Turonense, ne auditus et obtutus sacris tantum mysteriis deputati et dicati, profanorum spectaculorum contagione polluantur..... Quod enim in populo veniale est, in sacerdote judicatur sacrilegum. (*Conc. Narbon.* ann. 1609, *De vit. et honestat. cleric.*; *Conc. Turon.* ann. 1583.)

Oculi tui, inquit Anselmus (c. 10, medit. 1), Christi sunt, noli ergo eos ad inspiciendas vanitates dirigere.

Unde cum dicantur clerici sæculum reliquisse, inquit concilium Moguntiacum, his merito lege Patrum cavetur, ut a vulgari vita seclusi a mundi voluptatibus sese abstineant, nec spectaculis ejus aut pompis intersint, etsi nihil in iis inhonestum et indecorum reperiatur....Ab omnibus siquidem oculorum illecebris abstinere debent sacerdotes. (*Conc. Moguntiac.* ann. 813, c. 10; *Conc. Cabilon.*, sub Carolo Magno.)

Tertia regula. — Quia licet interdum joca suavia et honesta sint, tamen ab Ecclesiæ abhorrent regula. (S. Ambros., lib. i *Offic.*, c. 23.)

Si aliquando valetudinis causa ludo aliquo licito uti contigerit, raro id faciant, et nunquam publice, ne alicui dantes offensionem, vituperetur illorum ministerium. (*II Cor.* vi, 3.) *Omnia mihi licent*, inquiebat Apostolus, *sed non omnia expediunt.* (*I Cor.* vi, 12.) Pleraque animi relaxandi causa et necessitate, inculpabiliter fieri et dici possunt privatim inter ipsas personas ecclesiasticas, quæ coram quibusdam laicis sæpe reprehensioni obnoxia viderentur... Ut ergo illorum in omnibus nota modestia (*Philipp.* iv, 5) promptiores eos reddat ad libere in hoc peccantes arguendum... sollicite caveant ne tali utantur licentia, quæ, ut loquitur Apostolus, *offendiculum fiat infirmis* (*I Cor.* viii, 9); sic enim peccantes in fratres et percutientes eorum conscientiam infirmam, in Christum peccant. (*I Cor.* viii, 11; *Conc. Narbon.* ann. 1609, *De vit. et honest. cleric.*)

Unde concilium Tolosanum (ann. 1590, c. 4): Quia, inquit, quæ in aliis levia, in sacerdotibus gravissima censeri consueverunt, iis ludos publicos omnino interdicimus et prohibemus.

Quarta regula. — Licet privatim iis vacent, caveant tamen ne in iis aliquid reperiatur quod gravitati, honestati aut modestiæ ecclesiasticæ parum conveniat. Officium enim nostrum, inquit Gregorius, quia gravitate magnæ honestatis impenditur, a religionis pondere nulla puerili levitate debet vacuari... Seriosam siquidem vitam et singulare pondus conversationis dignitas sibi vindicat sacerdotalis... unde caveant ne nimia... incompositio corporis inæqualitatem indicet mentis... sed ita se gerant in omnibus ut gestus gravitas semper maturitatem mentis ostendat. (S. Greg. *in I Reg.*, c. ii; S. Ambr., epist. 6; S. August.; *Conc. Carthag.* iv.)

Quinta regula. — Nunquam ludant cum laicis; sic enim in concilio Senonensi (ann. 1528, c. 25): Ne clerici publice ludant pila, aut aliis ludis, maxime cum laicis.

Sexta regula. — Nunquam ludant pro vino, nec unquam pecunia aut aliud quidquam quod facile pecunia æstimari possit, intercedat in ludo... ut sic honestis recreationibus sese exerceant, nulla ducti sordidi lucri cupiditate. (*Conc. Mediol.* i, p. ii, tit. *De armis et ludis*; *Conc. Remens.* ann. 1583.)

Et hæc sunt, quæ circa ludos et recreationes sibi servanda proponere debent omnes clerici. Sic enim habetur in canonicis sanctorum Patrum et Ecclesiæ decretis. Episcopus, inquit canon 42 apostolorum, aut presbyter, aut diaconus aleis vacans (aleis deserviens), vel cesset, vel deponatur.

Et canon 43: Subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur; similiter et laicus.

Et concilium Lateranense iv generale (ann. 1215, c. 16), sub Innocent. III: Clerici, inquit, mimis, joculatoribus et histrionibus non intendant. Ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.

Concilium etiam Basileense: Non vadat ad spectacula publica, choreas, ludos, hastiludia, torneamenta, et alia hujusmodi. (*Conc. Basileens.* ann. 1431, in appendice inter reformationes de suppositis hujus concilii, sub Eugen. IV.)

Concilium etiam Tridentinum: Statuit sancta

synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, et a sacris conciliis de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, etc., copiose et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio ordinarii imponendis observentur, etc. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscunque, etc. (*Conc. Trident., De reform.*, sess. 22, c. 1.)

Concilium Laodicense (c. 54), et Aquisgranense (c. 83) : Non liceat, inquit, sacerdotibus vel clericis aliqua spectacula in nuptiis, vel in conviviis spectare, sed oportet antequam ingrediantur ipsa spectacula (seu thymelici) surgere et recedere inde.

Concilium etiam Coloniense (c. 10, ann. 1310), de mandato speciali Clementis V indictum, cui præfuit Henricus Coloniensis archiepiscopus, ex concilio generali (Lateranensi scilicet III) : Statuimus et præcipimus ut universi clerici ad aleas et taxillos non ludant nec hujusmodi ludis intersint.

Concilium Budense nationale sub Nicolao III per Philippum Firmanum episcopum in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croatia, Bosnia, Servia, Lodomeria, Gallicia ac Cumania apostolicæ Sedis legatum celebratum : Mimis, histrionibus, et joculatoribus non intendant... nec ludis publicis.., aut choreis et spectaculis intersint... Ad insanissimas quippe vanitates consecratos semel Deo non debent oculos retorquere. (*Conc. Budens.* ann. 1279 ; *Conc. Aquens.*, ann. 1585; *Conc. Gnesnens.;* S. Maxim., *Hom. in Kal. Januar.*)

Concilium Gnesnense cujus decretum depromptum est ex antiquis constitutionibus conciliorum provincialium Gnesnensium, quæ olim recognitæ, et in unum volumen redactæ fuerunt ex commissione synodi provincialis Petricoviensis, obtenta prius licentia apostolicæ Sedis per Nicolaum archiepiscopum Gnesnensem a Joann. XXIII, confirmata a Martino V.

Synodus Lingoniensis : Prohibemus clericis et viris ecclesiasticis potissime in sacris ordinibus constitutis, et maxime sacerdotibus et curatis, ne omnino ludant ad taxillos, ad aleas, ad trinquetum, quod aliter nominatur, ad punctum stacarii, neque ad chartas, neque ad strophum, dictum *à la paume;* neque ad luctam, neque ad jactum lapidis, ad saltum, ad choreas, neque ad clypeum, neque cum fistula, vel aliis musicalibus instrumentis, quibus cum ore seu bucca luditur. Non negamus quin cum cithara et organis seu hujusmodi aliis honestis chordarum instrumentis, in Officio ecclesiastico, seu secreto in domo coram paucis, causa cujusdam consolationis possint aliquando, licet raro, uti. Non ludant etiam ad marellas, ad bolas, ad cursum vel currendum in campo pro lucro, vel pro vino, ad jaculandum vel gladiandum, neque ludant ad quillas, vel torneamenta seu jostas. Summopere caveant sacerdotes et clerici, potissime in sacris ordinibus constituti, ne intersint, neque ludant in ludo quod dicitur *charevari*, in quo utuntur larvis in figura dæmonum, et horrenda ibidem committuntur : quem ludum non solum clericis, sed generaliter omnibus subditis prohibemus sub excommunicationis pœna. (*Conc. Lingon.* ann. 1404.)

Et paulo post :

Non ludant etiam ad ludum scatorum, nisi forsan raro, quia quamvis sit ludus honestus et proveniat ex subtilitate ingenii, tamen magnam et inutilem requirit occupationem et prolixitatem temporis. (*Ibid.*)

Juxta concilia Carthaginense et Viennense : Prohibemus clericis in ordinibus constitutis, ne larvati incedant. (*Syn. Paris.* ann. 1514.)

Synodus Senonensis (ann. 1524) : Non solum, inquit, omnem alearum, taxillorum, et sortis ludum, aut interesse dictis ludis interdictum clericis esse constitutione concilii generalis denuntiamus, prout eisdem auctoritate dicti concilii interdicimus : sed et turpes plausus, cachinnos, risus inconditos, larvales ac theatrales jocos, et tripudia, et his similia ludibria, nec non omnem alium ludum, per quem Ecclesiæ honestas inquinari potest, prædictis clericis prohibemus. Non immisceantur cœtibus, ubi amatoria cantantur et turpia, ubi obsceni motus corporum choreis et saltibus efferuntur : ne clerici qui sacris mysteriis deputati sunt, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.

Altera etiam synodus in eadem urbe celebrata : Nec clerici, inquit, in publico ludant pila, aut aliis ludis, maxime cum laicis. A ludo alearum, aliisque qui a sorte pendent, abstineant, neque ludentium fautores, spectatores aut testes exsistant. Non se admisceant choreis publicis, tripudiationibus, aut saltationibus, etc. Non spectaculum corporis sui faciant, etc. (*Conc. Senon.* ann. 1528.)

Histrionum, scurrarum, et turpium seu obscenorum jocorum insolentiam non solum ipsi respuant, verum etiam fidelibus respuenda percenseant. (*Conc. Cabilon.*, sub Carolo Magno.)

Interdicimus, inquit synodus Carnotensis (ann. 1526), ne clerici publice aut in privato exerceant ludos turpes, aut ludibriosos, unde scandalum oriri, et ministerium ecclesiasticum vituperari possit pro loco et tempore, causa et personis, in quibus, propter quam, et cum quibus hujusmodi exerceri contingeret.

Et paulo post :

A ludo autem alearum, taxillorum, et similium, quæ in sorte pendent, sic abstineant, ut neque etiam aliis ludentibus fautores aut testes intersint.

Et postea : Districte prohibemus ne sacerdotes choreis publicis, tripudiationibus saltationibusve sese immisceant : ne turpes, amatorias, aut lascivas decantent cantilenas, aut cantantibus faveant, aut intersint : *Corrumpunt* siquidem *bonos morés colloquia prava.* (*I Cor.* xv, 33.) Denique non sint vagi oculis, dicaces, non joculatores, non histrio-

nes; ea enim omnia indecora, iisque præcipue quibus animarum cura commissa est.

Odo etiam Parisiensis in synodo : Prohibetur, inquit, penitus universis sacerdotibus ludere cum deciis, vel interesse spectaculis, vel choreis assistere, vel etiam in domibus suis habere scachos, et aleas, vel decios.

Et synodus Parisiensis (ann. 1608) : Ludos alearum et chartarum omnino evitent omnes sacerdotes.

Et synodus Aquensis (ann. 1585) : Ne pagellis pictis, aut alea, aliove hujusmodi ludi genere ludant, aut ludentes spectent.

Concilium Burdigalense (ann. 1583, c. 21) : Clerici nunquam personati incedant, neque comœdias, fabulas, choreas, vel quid aliud ludicrum ex iis quæ ab histrionibus exhibentur agant, vel spectent, ne visus et obtutus sacris mysteriis dicati turpium spectaculorum contagione polluantur. Ab alea, tesseris, chartis, et quovis alio vetito et indecoro ludo, cum privatim tum publice penitus abstineant. Comessationibus, et minus honestis conviviis nunquam intersint; forum, mercatus, andronas fugiant.

Concilium Bituricense (ann. 1584) : Nunquam, inquit, personati sint. A comœdiis, mimis, choreis, et saltationibus agendis atque spectandis abstineant. Aleam, tesseras, chartas, omnes ludos vetitos, comessationes, ac inverecunda convivia, mercatus, ac nundinationes, tabernas, ac diversoria, præterquam in itinere, devitent; præcipue vero ab omni quæstu, qui usuram redoleat, abhorreant.

Synodus Aquensis (ann. 1585) : Ne personati unquam incedant, neve comœdiarum aut chorearum, aut profani ullius spectaculi actores sint, vel spectatores.

Et postea : Ne pagellis pictis, aut alea, aliove hujusmodi ludi genere ludant, aut ludentes spectent... (*Ibid.*)

Sacerdotibus enim non expedit, sæcularibus et turpibus quibuslibet interesse jocis... Unde histrionum sive scurronum, et turpium, seu obscenorum jocorum insolentiam non solum ipsi respuant, verum etiam fidelibus respuenda percenseant... Semper enim Christianis omnibus hoc interdictum est, ut ubi blasphemi sunt, non accedant... Et quoniam sacerdotum vitia, ut apparere maxime, et primo conspectu occurrere, majori denique dedecori haberi; imo et quæ in aliis levia, in illis gravissima censeri consueverunt; iis tripudia, ludi publici, aliaque omnia quibus reliquos homines damnoso aliquo scandalo offendere possent, prohibentur. (*Conc. Turon.*, sub Carolo, c. 8; *Cabilon.*, sub eodem; *Carthag.* III, cap. 3; *Conc. Tolosan.* ann. 1590.)

Nec ludos etiam aliquos coram se fieri delectetur sacerdos, qui sedulo debet divina perscrutari et admovere eloquia, ut inveniatur beatus, de quo Psalmista ait (*Psal.* I, 2) : *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* (Eugen. II, in *Syn. Rom.*, et Leo IV.)

Synodus Turonensis (ann. 1583) : Ipsi rectores, prout cæteri ecclesiastici, præsertim beneficiati, cum non tantum a gravi, sed etiam leviore vitio abstinere debeant, et a mundi voluptatibus secedere, pompas, spectacula publica cœtusque, ubi amatoria cantantur, aut obsceni motus corporum choreis et saltationibus exercentur, devitare, ne auditus et obtutus sacris tantum mysteriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum lenocinio polluantur.

Et postea : Cumque multorum malo exemplo et scandalo ecclesiastici, sui muneris et officii omnino obliti, domos suas adeo prostituant ut in eas non ecclesiasticos tantum, sed etiam laicos, helluones, et alios ejus generis ad ludos, in quibus nomen Dei plurimum blasphematur, jurgia, rixæ et dissidia exoriuntur, diu noctuque comessatur, quasi histrionum more ad spectacula introducant; prohibet hæc synodus ne a cætero ecclesiastici quibuscunque ludis inhonestis et quæstuosis tempus terant, nec quosvis alios, præsertim laicos, ad ludendum in suis domibus invitent, imo vero sacrorum librorum continuis lectionibus dent operam. (*Ibid.*)

Concilium Agathense (ann. 429) : Clericum scurrilem, et verbis turpibus joculatorem ab officio retrahendum.

Concilium Mediolanense I : Clerici, inquit, personati non incedant, choreas privatas aut publicas non agent, nec spectabunt; fabulis, comœdiis, et hastiludiis, et inanibus spectaculis non intererunt, ne aures et oculi sacris officiis addicti ludicris et impuris actionibus sermonibusque distracti polluantur. Clericalis ordinis hominibus omni genere saltationis, et ludi, præsertim vero aleæ, et tesserarum, ac talorum interdicimus.

Prohibemus etiam globos, qui malleis ligneis impelluntur.

Item follis ludum, id est pilæ majoris; nec solum ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus, aut quemquam ludentem in ædibus suis permittere.

Si autem valetudinis interdum causa parva pila, aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere uti contigerit, nec publice id faciant, nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam quod facile pecunia æstimari possit. (*Conc. Mediolan.* I, *De ludis et spectac. et ejusmodi a cleric. vitandis.*)

Concilium Aquileiense I (ann. 1596) : Alearum et taxillorum usum, quo tempus misera jucunditate teritur, clericis omnibus inhibemus : multo vero gravius, si non modo luserint ipsi, sed aliis ludendi potestatem fecerint, parato loco, et domestico diverticulo. Episcoporum vero vigilantia et prudentia edictis ac pœnis propositis opportunum erit remedium adhibendum, ut pestis avertatur, qua miserorum facultates suavi morbo exhauriuntur, blasphemiæ et rerum desperationes excitantur, cupiditatum intemperantiorum et fraudium oblectamenta aluntur. Denique ipsa Dei clementia assidue of-

fenditur, qui tanto periculosior morbus est, quanto ardentius interdum animos clericorum occupat, et ecclesiasticas opes pervadit.

Et postea : Ad spectacula comœdiarum, sive ad bancos circulatorum et buffonum in plateis, qui aliis exemplum esse debent maturitatis et prudentiæ, accedere et assistere clericos non decet. A chorearum spectatione item clerici abstineant ; saltationem vero privatam et publicam, quod est intemperantissimæ temeritatis genus, nulla ratione committant, nisi gravioris correctionis virgam experiri affectent. (*Ibid.*)

Personatum incedere clericum, turpe, vanum, periculosum, non ferendum. (*Ibid.*)

Nullus etiam clericus, subdiaconus, vel presbyter, inquit concilium Narbonense (cap. 3), in plateis resideat ; certe nec in plateis stare, et fabulis diversis commisceri... Nec item per plateas, et andronas, nisi certa et maxima officii sui necessitate ambulet clericus, inquit concilium Carthaginense IV. (C. 47.)

Et si non pro emendo aliquid, in nundinis vel in foro deambulet, ab officio suo degradetur. (*Ibid.*, c. 48 ; refert. dist. 91, c. 4.)

Unde concilium Aquisgranense (c. 8) : De illis, inquit, presbyteris, qui contra statuta canonum, etc., per diversos mercatus indiscrete discurrunt, observandum judicavimus, ut ab hinc districte severiterque coerceantur, ne per eorum illicitam et indecentem actionem, et ministerium sacerdotale vituperetur, et quibus debuerant esse in eorum exemplum, deveniant in scandalum.

Ne ergo sacerdotes mercata frequentent, inquit Willelmus episcopus Parisiensis in synodo. Sed si ex aliqua causa necessaria eos ad mercata ire oportuerit, in habitu honesto incedant, et quam breviorem poterunt ibi moram faciant : in mercatis etiam non faciant comessationes, nec alibi.

Ab omnibus tandem quæcunque ad aurium et oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, quod de aliquibus generibus musicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest, Dei sacerdotes abstinere debent ; quia per aurium oculorumque illecebras vitiorum turba ad animam ingredi solet. (*Conc. Turon.*, sub Carol., c. 7.)

Histrionum quoque turpium et obscenorum insolentias jocorum, et ipsi animo effugere, cæterisque sacerdotibus effugienda prædicare debent. (*Ibid.*)

Placuit igitur ut eas prorsus mundanas dignitates, quas sæculares viri, vel principes terræ exercere solent, in venationibus scilicet, vel in canticis sæcularibus, aut in resoluta et immoderata lætitia, in lyris et tibiis, et his similibus lusibus, nullus sub ecclesiastico canone constitutus, ob inanis lætitiæ fluxum, audeat fastu superbiæ tumidus quandoque præsumendo abuti, nisi forte, si in hymnis et spiritualibus canticis delectatur, de sacris videlicet Scripturarum voluminibus digne honesteque compositis utatur : ab his igitur non solum non inhibemus abstinere, verum conniventes licentiæ concedimus votum. (*Conc. Forojuliens.*, c. 6.)

Magis enim convenit sacerdotibus Domini lugere, quam ad scurrilitates, et stultiloquia, et histrionum obscenas jocationes, et cæteras vanitates, quæ animam Christianam a rigore suæ rectitudinis emollire solet, in cachinnos ora dissolvere. Neque enim decet, aut fas est oculos sacerdotum Domini hujusmodi spectaculis fœdari, aut mentem quibuslibet scurrilitatibus, aut turpiloquiis ad inania rapi, etc. (*Conc. Paris.* ann. 829, lib. I, c. 38.)

Proinde nobis omnibus in commune visum fuit, ut si qui sacerdotum hactenus his vanitatibus usi fuerint, ab his deinceps Domino adjuvante prorsus se cavere debere meminerint. (*Ibid.*)

Clericos enim ex nomine suum ordinem agnoscere æquum est, qui pro sorte et hæreditate Dominum elegerunt, abjecto mundo et despectis Satanæ pompis ; profitentur enim hoc Davidicum (*Psal.* XV, 5) : *Dominus pars hæreditatis meæ.* (*Conc. Bituric.* ; *Conc. Mexican.*, ann. 1585, lib. III, tit. 6, § 1, *De ludis.*)

CAPUT XIV.

De venatione et aucupio.

Esau, inquit Hieronymus (*in psal.* XC), venator erat quoniam peccator erat, et penitus non invenimus in Scripturis sanctum aliquem venatorem... A modestia enim clericali quam sit indignum, qui paulo ante Breviarium manibus tractabat, et sacræ lectionis studio intendebat, eum publice accipitrem deferre, et sua in eo studia profiteri ; quique cum angelis in ecclesia gratiarum actiones et laudes Deo persolvebat, eum inter canum latratus ac multitudinem versari, et incomptis obstrepere vocibus, sacri canones declarant, et omnes facile intelligunt. Inde enim etiam consequitur ut panis de reditibus ecclesiasticis collectus, quod est patrimonium Christi, ad bestiarum cibum indigne transferatur, cujus criminis ratio districte in die Domini reddetur... Sicque ponantur morticinia servorum, escas volatilibus cœli, et carnes sanctorum ejus, bestiis terræ. (*Psal.* LXXIII, 2 ; *Conc. Aquileiens.* I, *De vita et honest. cleric.*)

Vos etiam, inquit Petrus Blesensis, qui jam induistis arma pœnitentiæ et arripuistis propositum sanctitatis, affectare non decet vanitatem et insanias falsas. Non bene conveniunt cilicium et accipiter ; afflictio carnis, et exercitium voluptatis ; reges gentium, aut qui dominantur illarum, quia litteralis scientiæ solatio uti aut nesciunt, aut non possunt, per avium volatus de immanium sollicitudinum mole sibi aliquid quandoque furantur. Nam, testimonio prophetæ (*Baruch* III, 17), *Hi sunt qui in*

avibus cœli ludunt, etc. (Petr. Blesens., epist. 61, *ad Reginald. Saresberiens. archidiac.*)

Si igitur estis Christi discipulus et professor, desinite, quæso, currere, et clamare post voluptuosas aves. Currite et clamate post eum, qui bene currentes dirigit, qui devote clamantes exaudit. (*Ibid.*)

Nonne isti, quorum mentes avium delectatio totas occupando consumit, imaginem gerunt Tityi, cujus jecur poetæ referunt jugiter ab avibus devorari? nam satis devorantur ab avibus qui hac avium curiositate torquentur, etc. (*Ibid.*)

Et postea : Curam non avium sed ovium suscepistis, in die tremenda computandus in sinistra cum hædis (*Matth.* xxv, 33), et extra gregem Domini faciendus, si non oves avibus antefertis, etc. (*Ibid.*)

Et postea : Nemo scientiam Dei pertinacius a se potest repellere quam occupatione illiciti amoris, vel aucupii voluptate, etc. (*Ibid.*)

Et postea : Volucres cœli non ad voluptatem concessæ sunt homini, sed ad usum : si tamen hæ volucres deprædatoriæ et rapaces aves cœli merito censeantur, quarum exercitio cœlum clauditur, aperitur infernus. (*Ibid.*)

Quod ut longe a clericorum vita et honestate removeamus, omnibus clericis, cujuscunque conditionis et gradus sint, venatorium studium interdicimus et districte prohibemus, ac in eos per illorum ordinarios procedendum statuimus.

1° Ab aucupio et omni venationis, præsertim vero clamosæ, studio abstineant clerici ; hoc enim eis interdicit Ecclesia. (*Conc. Aquileiens.* I, *De vit. et honest. cleric.*)

Concilium Lateranense IV : Venationem, inquit, et aucupationem universis clericis interdicimus. (Innoc. III, in *Conc. Lateran.* IV *generali*, cap. 15.)

Et concilium Aquense (ann. 1585) : Ne ullum venationis genus exerceant.

Synodus Massensis (ann. 1626) : Clamosas prosequi venationes, præter canonum vetustas leges, hoc nostro inhibemus decreto...

Synodus Lingonensis (ann. 1404) : Sacerdotes et clerici venari non debent venatione clamosa vel impetuosa, quæ fit cum clamoribus et cursu velociori, puta venari apros, taxos et similia : possunt tamen clerici piscari pro necessitate sua.

Quorumdam relatione fidelium nostris auribus intimatum est, quod Lanfredus episcopus, qui et juvenis esse dicitur, venationi sit deditus : quod vitium plurimos etiam de clericali catalogo, genere duntaxat Germanos et Gallos, irreverenter implicat. Verum iste, si ita est ut audivimus, merito juvenis dicitur, qui juvenilibus desideriis occupatus, nulla gravitate constringitur, etc. ; nam, ut beatus dicit Hieronymus, venatorem nunquam legimus sanctum, etc. Oportet ergo fraternitatem tuam synodale convocare concilium, atque illi pastorali auctoritate præcipere quatenus ab omnium bestiarum vel volucrum venatione penitus alienus exsistat, atque ab immoderata filiæ suæ familiaritate semet omnino coerceat. Quod si parere contempserit, a vestro collegio excommunicatus abscedat. (Nicolaus Papa, *ad Albinum archiepisc.*; dist. 34, cap. 1.)

Et synodi Senonensis ac Carnotensis : Venationes etiam clamosas cum falconibus seu aliis avibus prædatoriis, vel canibus venaticis improbamus, et omnino prohibemus ; in quibus, inquit synodus Carnotensis, plerique patrimonium Christi, quod in pauperes impartiendum fuit, consumpserunt, et per hujusmodi vanas et frivolas occupationes divino servitio valde fuit derogatum. (*Synod. Senon.* ann. 1524 ; *Synod. Carn.* ann. 1526.)

Capite etiam secundo *De clerico venatore :* Venationes et silvaticas vagationes cum canibus omnibus servis Dei interdicimus. (*Synod. sub Carlomanno*, c. 2.)

Concilium item Turonense (sub Carolo, cap. 8) : Sacerdotes venationes ferarum vel avium minime sectentur.

Similiter et synodus Suessionensis : Clerici nec cum canibus venationes faciant, nec accipitres portent.

Et Alexander III, in concilio Lateranensi tertio (cap. 4) : Episcopi cum diœceses suas visitant, cum canibus venatoriis et avibus non proficiscantur, sed ita procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quærere videantur. (*Philipp.* II, 21.)

2° Nec etiam canes, aut aves sequantur ad venandum, nec ubi venatur, præcipue si cum clamore venetur, intersint... Ab omnibus enim oculorum illecebris, inquit concilium Cabilonense (sub Carolo, c. 9), sacerdotes abstinere debent, et canum, accipitrum, falconum, vel cæterarum hujusmodi rerum curam parvipendere debent.

Et concilium Moguntinum (sub Carolo, c. 14) : Canes, inquit, et aves sequi ad venandum, in omnibus quibuslibet causis superfluum est. Ecce talia et his similia ministris altaris Domini omnino interdicimus.

Unde synodus Andegavensis (ann. 1265) : Prohibemus presbyteris, diaconis, subdiaconis, tam regularibus quam religiosis, nobis subditis, ne cum cornibus, canibus, vel alio clamore ad aliquas bestias venandum exeant, vel per agros, seu nemora, vineas, vel alia loca causa venationis incedant, vel ubi cum clamore venetur, intersint.

3° Nec canes et aves ad venandum... aut aucupandum habere præsumant... (*Syn. Eccl. Trecensis*, Innoc. III, in *Conc. Lateran.* IV.) Unde cap. 2, *De clerico venatore :* Accipitres, inquit, et falcones non habeant.

Synodus Senonensis : Nec accipitres seu alias deprædatorias aves deferant, aut canes venaticos teneant et nutriant. (*Synod. Senon.* ann. 1524.)

Et multi alii canones : Episcopis, inquiunt, pre-

skyteris, diaconibus canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hac voluptate detectus fuerit; si episcopus est, tribus mensibus se suspendat a communione; presbyter duobus mensibus se abstineat, diaconus vero ab omni officio vel communione cessabit. (*Conc. Agathens.*, c. 55; *Epaun.*, c. 3; *Vorm.*, c. 17; refert. dist. 34, c. 2, *Episc., Comp.* I, c. 1, *De clerico venatore.*)

De episcopis vero specialiter illud addit concilium Matisconense II (ann. 588, c. 13) : Volumus, inquit, quod episcopalis domus, quæ ad hoc Deo favente instituta est, ut sine personarum acceptione omnes in hospitalitate recipiat, canes non habeat, ne forte hi, qui in ea miseriarum suarum levamen habere confidunt, dum infestorum canum morsibus laniantur, detrimentum versa vice suorum sustineant corporum. Custodienda est igitur episcopalis habitatio hymnis, non latratibus; operibus bonis, non morsibus venenatis. Ubi igitur Dei est assiduitas cantilenæ, monstrum est et dedecoris nota canes ibi vel accipitres habitare.

4° Nec bellico manuali tormento insequantur ad internecionem aves contra canonum vetustas leges; nec etiam clerici enses, venabula, baculos, aut arma quæcunque portent citra necessitatem, aut alios casus jure permissos... Solatia enim et arma clericorum sunt orationes et lacrymæ. (*Synod. Massens.* ann. 1626; *Syn. Senon.* ann. 1524; *Synod. Carnot.* ann. 1526.)

5° Quia in canone continetur, Nullum venatorem invenimus sanctum, statuimus ut prælati solici i sint et intenti in puniendo clericos venatores, et præcipue presbyteros et religiosos de quibus majus scandalum generatur. (*Conc. Nannetens.* ann. 1624.)

—

Luce clariora sunt testimonia tanta sanctorum. Si nesciens fecisti, cur non miseram respuis imperitiam? Si sciens, cur non sacrilegam deponis audaciam? Convinceris undique. (S. Aug., *in Julian.*)

SACROSANCTA CHRISTI MYSTERIA.

—

PRÆFATIO.

Cum nihil plane sit Christo Jesu et mysteriis ejus vel utilius nobis vel dulcius, ita nihil omnino est quo animus magis, et religio nostra pascatur.

Hæc, amor et deliciæ Patris quibus se totum in homines effundit. Quid ergo est, quid, inquam, homini ab Jericho descendenti et a latronibus vulnerato [1] salubrius, quam fiducialiter ad illa confugere, iisque tanquam clypeo uti ad sagittas potentis potenter repellendas, et sustinendos patienter divinæ justitiæ carbones desolatorios [1*] ?

Hæc, gratiarum fontes universam Ecclesiæ faciem irrigantes. Quid ergo fideli suavius, ad perfectionis apicem anhelanti, quam cervi ad instar sitim exstinguere, hauriendo aquas in gaudio de fontibus Salvatoris [2] ?

Hæc, consummata sanctitatis archetypa, documenta virtutis. Quid ergo nobis deinceps utilius, quam illa ferre in corde, ferre in oculis, ut ad hæc ipsa nos ipsos exigentes, prima et sola sit Christianæ mentis ambitio, respicere et facere secundum id quod in monte, hoc est in Christo Jesu, monstratum comperimus [3] ?

Hæc præcipua, opinor, Christianæ pietatis officia erga Christum et mysteria ejus.

1° Religiose intueri.

2° Fiducialiter confugere.

3° Perquam fidelissime imitari.

In his enim omnium gratiarum et fons et origo, ac vitæ nostræ forma. In his complacentia Dei et sanctissimæ Trinitatis [4].

Quamobrem magna hæc Christianæ religionis penetralia, hæc dulcia « secreta attende et appende... ut exemplum tuum honore prosequens, mysteriorum vim intelligas [5], » et a terrenorum vinculis ad cœlestia et libertatem gloriæ filiorum Dei [6] translatus, particeps fias mysteriorum Christi.

Nostrum igitur maxime interest illa revolvere, jugi cogitatione versare : et ne id quidem satis. Namque totum Christiani pectus requirunt Christi mysteria. In iis quippe post unam et sanctissimam Triadem una et tota est religionis summa, hoc unum caput est.

Quamobrem Christianus magnanimo illa pectore ambiat, cogitatione foveat, intimi cordis affectibus amplectatur, scilicet ut hæc ipsa Deo sic offerens, « attendat in Filio Pater quo propitietur servo, et dum videt carnis sacramenta, remittat carnis delicta [7]. »

« Quid enim dulcius, quid efficacius, quam Creatorem in nomine Unigeniti exorare; Patrem recorda-

[1] *Luc.* x, 30. [1*] *Psal.* cxix, 4. [2] *Isa.* xii, 3. [3] *Exod.* xxv, 40; *Hebr.* viii, 5. [4] S. Aug. [5] S. Ambros. [6] *Rom.* viii, 21. [7] S. Aug.; S. Anselm.

tione Filii ad pietatem flectere; Regem charissimæ prolis denotatione mitigare? Sic rei solent carceribus eripi; sic mancipati vinculis liberari; sic tristem capitis excipientes sententiam, nancisci non solum vitam, sed insolitam gratiam, dum iratis patribus dilectæ prolis intimaverint charitatem. Sic delinquentes servuli evadunt supplicia dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorum [8]. »

Est et istud pernecessarium, imo etiam magis, nempe suis Christum in mysteriis invocare, fidenter ad illa confugere, quasi ad omnium scaturigines gratiarum, quæ totam vivis undique manantibus alunt Ecclesiam. Sacramenta equidem salientium gratiarum alveos dixerim et canales, sed mysteria sunt fontes et capita.

Sicut ergo desiderat cervus ad fontes aquarum, ad hæc sic nostra desideret anima [9]. Vel potius dilecti ad instar discipuli, qui... « omnium fluenta gratiarum de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit [10]. » Illic lepusculus plebs invalida figet in petra cubile sibi... « Christianus illic habitabit securus, quiescet intrepidus, quia in illis misericordiæ, et plus satis copiosa redemptio, plenitudo gratiæ, perfectio virtutum, multitudo magna dulcedinis [11]. »

Unum tandem hoc addam insuper, « imitationem... namque vivendi legem remedia hæc nostra sanxerunt. Inde data moribus forma, unde impensa mortuis medicina [12]. » Quare omnino expedit ut hæc ipsa... « imitari non pigeat, quæ palam celebrare delectat... Rerum quippe a Salvatore gestarum memoria magnam nobis confert utilitatem, si quæ veneramur credita, suscipiamus imitanda. In dispensationibus enim sacramentorum Christi, et virtutes sunt gratiæ et incitamenta doctrinæ, ut quem confitemur fidei spiritu, operum sequamur exemplo [13]... » ad quod unum constat teneri Christianos, si Patrum dictis stemus.

Quid enim apud illos Christiana religio, quam... « imitatio Christi secundum modum seu mensuram incarnationis [14]? » Quod si Christianum esse... « secundum incarnationem vivere est [15]... ac Christi vitam profiteri [16], » omnino sic agendum est, ut... « quasi cera sculpturæ impressa, Christianus istud implendo exprimat (impleat exprimendo), scilicet : *Vivo jam non ego; vivit vero in me Christus* [17]. »

Hæc ipsa Christianæ perfectionis meta, vel potius metæ scopus et apex, « Christum spiritus penicillo depingere, illius imaginem virtutum coloribus adumbrare, omnium Christi nominum plena communione sic pectus imbuere ut totum Christum totus in se Christianus admittat [18]... » et omnia Christi opera suis et ipse operibus repræsentet; illa potissimum quæ sanctus Cyprianus *cardinalia* vocat, alii vero Patres *mysteria*.

« Quidquid enim gestum in cruce legimus, in sepultura, in resurrectione, in ascensione in cœlum, et sede ad dexteram Patris, (sic, inquam, legimus) ut in rebus non tantum mystice dictis, sed et reipsa gestis, tota configuraretur Christiana quæ hic geritur vita [19]. »

« Etenim propter Christi Domini crucem, si sancto credimus Augustino, dixit Apostolus : *Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis* [20]. Propter sepulturam : *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem* [21]. Propter resurrectionem : *Ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* [22]. Propter ascensionem sedemque ad dexteram Patris : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* [23]. Et hæc plane oportet corporaliter etiam imitari, ut utroque Christum sequentes vestigio, non ulterius cum patriarcha Jacob altero femore claudicemus [24-25]. »

« Qui ergo internam et spiritalem vitam inire idque serio volunt, illos fide in primis sincera et integra ornatos esse decet, quo semel posito fundamento cognitione mysteriorum Christi sese jam locupletent, et ad absolutam perfectissimamque eorumdem intelligentiam et unionem pervenire pro virili contendant : quam profecto vitæ rationem tenere, ut puto, in virum perfectum evadere est, imo et pervenire ad mensuram ætatis plenitudinis Christi [26]. »

« Non igitur anxie, non superbe præsentis vitæ nos in posterum occupent actiones, ut non toto cordis affectu conformari Redemptori nostro per illius exempla nitamur [27]. »

« Dicamus cum sponsa, corde magno clamemus et animo volenti : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* [28]. Quænam hæc mala, qui flores? Nostri, ut opinor, mysteria Redemptoris, quibus sponsa stipari postulat et fulciri, sentiens facile vim in se amoris posse tepescere quodammodo et languescere, si non talibus jugiter foveatur incentivis [29]. » In unum illa fasciculum colligamus, ut cum eadem sponsa sedulo hæc ipsa meditantes, dilectus noster quasi myrrhæ fasciculus inter ubera nostra commoretur [30].

Vetus idcirco *expurgate fermentum*, *ut sitis nova conspersio* [31]; nos enim azymos esse totos necesse est. Nostris de pedibus calceamenta solvamus, ut sine ullo malitiæ fermento ad montem Mediatorem Jesum nobis ascendere liceat [31*], et ibi adultos æternitatis fructus colligere, quibus affatim ejus mysteria diffluunt... *Nam bestia quæ tetigerit montem lapidabitur* [32].

« Sic ergo in illum azymi ascendamus, ut myrrhæ thurisque segetes metere festinemus. Sponsam enim

[8] S. Anselm. [9] *Psal.* xli, 2. [10] *Joan.* xiii, 25; S. Aug. [11] *Ibid.* [12] S. Leo. [13] *Ibid.* [14] S. Basil., S. Greg. Nazianz. [15] *Ibid.* [16] S. Greg. Nazianz. et Nyssen. [17] *Galat.* ii, 20; S. Greg. Naz. [18] S. Greg. Nyssen [19] S. Aug. [20] *Galat.* v, 24. [21] *Rom.* vi, 4. [22] *Ibid.* 5. [23] *Col.* iii, 1, 2. [24-25] *Gen.* xxxii, 31; S. Bernard. [26] *Ephes.* iv, 13. [27] S. Leo. [28] *Cant.* ii, 5. [29] S. Bern. [30] *Cant.* i, 12. [31] *I Cor.* v, 7. [31*] *Exod.* iii, 5; *I Cor.* v, 8. [32] *Exod.* xix, 12; *Hebr.* xii, 20.

Sponsus ad hæc ipsa invitat, dicens : Veni, Sponsa, veni. In vita mea cognosces vitam tuam, ut iisdem vestigiis incedens, neque ad sinistram declines neque ad dexteram [33]. Ecce donabo tibi non solum conceptionem meam, sed per singulos ætatis meæ gradus et totam vitam meam, infantiæ nimirum, pueritiæ, adolescentiæ, juventutis, mortem et resurrectionem. Adjiciam ascensionem, et sancti Spiritus missionem ; scilicet ut conceptio mea emundet tuam, vita mea instruat tuam, mors mea destruat tuam, resurrectio mea præcedat tuam; ascensio mea præparet tuam, porro Spiritus adjuvet infirmitatem tuam [33a]... Sic *mirabitur et dilatabitur cor tuum, affluesetvidebis* [34] viam per quam ambules [35], et cautelam qua ambules, et ad quam ambules mansionem [36]. »

« Verus Christi sacerdos qui uniuscujusque mysterii intelligit rationes : qui secundum litteram, secundum spiritum legem novit [37]. »

[33] *Prov.* IV, 27. [33a] *Rom.* VIII, 26. [34] *Isa.* LX, 5. [35] *Psal.* CXLII, 8. [36] S. BERN., *in fest. Pentecost.*, serm. 2. [37] ORIGEN., hom. 7 *in Levit.*

TABULA MYSTERIORUM CHRISTI.

PARS PRIMA.

Christus infans seu vita abscondita.

Christus incarnatus.
Christus ex Virgine conceptus.
Christus natus.
Christus infans.
Christus circumcisus.
Christus Jesus nominatus.
Christus a Magis adoratus.
Christus in templo præsentatus.
Christus fugiens in Ægyptum.
Christus in medio doctorum repertus.

PARS SECUNDA.

Christus prædicans, seu vita publica

Christus a Joanne baptizatus.
Christus secedens in desertum.
Christus in deserto jejunans.
Christus in deserto tentatus.
Christus ad nuptias vocatus.
Christus Samaritanam illuminans.
Christus Magdalenam convertens.
Christus in monte transfiguratus.
Christus cæcum a nativitate sanans.
Christus Lazarum suscitans.
Christus cum discipulis cœnans
Christus discipulorum pedes lavans

PARS TERTIA.

Christus patiens, seu vita dolorosa.

Christus oraturus in hortum secedit.
Christus captus.
Christus vinctus.
Christus a discipulis derelictus.
Christus a Juda traditus.
Christus a Petro negatus.
Christus ad Annam ductus et apud Caipham illusus.
Christus a Caipha ad Pilatum missus.
Christus a Pilato ad Herodem missus.
Christus ab Herode ad Pilatum remissus et Barrabæ postpositus.

Christus flagellatus.
Christus spinis coronatus.
Christus a Pilato condemnatus.
Christus ad crucem ductus.
Christus crucifixus.
Christus in cruce illusus.
Christus sitiens aceto potatus.
Christus lacrymas cum sanguine fundens
Christus moriens.
Christus mortuus.
Christus in morte prodigia faciens.
Christus aperto latere aquam cum sanguine fundens.
Christus de cruce depositus ac sepultus.

PARS QUARTA.

Christus suscitatus, seu vita gloriosa

Christus resurgens a mortuis.
Christus ascendens in cœlum.
Christus mittens Spiritum sanctum in discipulos suos.

SACROSANCTA CHRISTI MYSTERIA.

Quod historice præcessit in capite, hoc consequenter creditur fieri moraliter in ejus corpore.
(S. Bern. serm. parvo 18.)

PARS PRIMA

CHRISTUS INFANS SEU VITA ABSCONDITA.

CHRISTUS INCARNATUS.

Considera quanta est hodierna solemnitas et jubilans in corde age dies lætitiæ. Ipsa enim inaudita est a sæculis [38]... tam singulariter mirabilis et mirabiliter singularis, ut talia nec facta sint nec facienda sint amplius super terram [39]

Ipsa principium est ac fundamentum omnium solemnitatum : ipsa initium totius nostri boni. In ipsa opus solemnissimum factum [40]... Opus novum, novorum maximum, quod solum novum sub sole est : opus, per quod infinita Dei apparet virtus [41]... Opus quod stupent angeli, miratur cœlum, pavet terra, caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, tota sustinere non potest creatura [42]... Opus totum delectabile, totum jucundum, totum desiderabile : cum omni devotione suscipiendum ; in jubilatione et lætitia ducendum et omni veneratione dignissimum [43]

Hodie namque *visitavit nos oriens ex alto* [44]. Hodie *exinanivit semetipsum* Christus Jesus *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo* [45]. Hodie Verbum caro factum est ut habitaret in nobis [46]. Hodie Filius Dei propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus [47]... Hodie deos facturus qui homines erant, homo factus est qui Deus erat [48]... Quis non supra modum jucundetur et gratuletur, videns Conditorem suum pro se hominem factum [49] ?

Semper quidem diversis modis multisque mensuris humano generi bonitas divina consuluit et plurima providentiæ suæ munera omnibus retro sæculis clementer impertiit : sed hodie omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando in Christo ipsa ad peccatores via, ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit [50].

Non enim quemlibet principem, quemlibet angelum aut archangelum, sed unicum Filium suum dedit... sicut ait apostolus : *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* [51], *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei et in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [52].

[38] S. Bonav., *Med. vit. Christ.*, c. 4. [39] S. Bern., serm. 3 *in Vig. Nativit.* [40] S. Bonav., *ibid.* [41] Damasc., lib. II *De fid.*, c. 3. [42] S. Petr. Chrysol., serm. 67. [43] S. Bonav., *ibid.* [44] *Luc.* I, 78. [45] *Philipp.* II, 7. [46] *Joan.* I, 14. [47] *Symb. Nicæn.*; S. Bern. [48] S. Aug., serm. 12 *De Nativ.* [49] S. Anselm., lib. X, med. 8. [50] S. Leo, serm. 4 *De Nativ.* [51] *Joan.* III, 16. [52] *Col.* II 3, 9.

Qui autem proprio Filio suo non pepercit, inquit sanctus Paulus, *quomodo non omnia cum ipso etiam nobis donavit*[53]?.. Quid in mente suavius ruminatur? Quid dulcius gustatur? Quid lætius cogitatur[54]?

O quanta est igitur hujus diei solemnitas! Dei etenim Patris solemnitas est, qui nuptias fecit Filio suo in desponsatione humanæ naturæ quam hodie sibi inseparabiliter univit Unigenitus. Solemnitas est nuptiarum Filii et dies natalis ejus in utero. Solemnitas Spiritus sancti qui hoc opere mirifico ostendere cœpit humano generi benignitatem singularem. Est etiam solemnitas Dominæ nostræ gloriosa, quæ a Patre in filiam, a Filio in Matrem, a Spiritu sancto in sponsam recognita est et assumpta. Est solemnitas cœlestis curiæ, cujus inchoatur restauratio. Est multo magis solemnitas humanæ naturæ cujus salus hodie incipit et redemptio, et quæ in Christo sublimatur et deificatur[55].

Hodie clamores et desideria prophetarum exaudita sunt et impleta. Clamabant desiderio inenarrabili et dicebant : *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ*[56]. Et iterum : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum*[57]. Et iterum : *Utinam dirumperes cœlos et descenderes*[58.59]! *Domine, inclina cœlos tuos et descende*[60]. *Ostende nobis faciem tuam*, etc.[61]. Hodiernam quippe diem vehementer exspectabant[62]... in qua *propter nimiam charitatem suam*[63] et excellentem suum in homines amorem carnis nostræ imbecillitatem non despiciens[64]... pulverem abjectionis nostræ, corpus faceret gloriæ suæ[65].

Exsultemus ergo et lætemur in ea[66], siquidem hodie *Dominus virtutum susceptor noster* est *Deus Jacob*[67], *quia* hodie *est Domini assumptio nostra*[68], *ut inhabitet gloria in terra nostra*[69]. Maledicta terra in opere prævaricatoris, quæ etiam exercitata spinas et tribulos germinat hæredibus maledictionis[70] : at nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ remissionem peccatorum fructumque vitæ parturit universis. Nescio si ulla esse possit efficacior et suavior morum ædificatio, quam hujus mysterii, id est, Verbi incarnati, fidelis ac pia consideratio. Quid enim sic hominem excitare potest ad amorem Dei, quam prævenientis hominem amor Dei, tamque vehemens ad hominem, ut homo propter hominem fieri velit[71].

Dixit olim ironice Deus : *Ecce homo factus est quasi unus ex nobis*[72]. At nunc tam fiducialiter quam veraciter dicere possumus, quia Deus factus est quasi unus ex nobis[73]... Ex vi etenim charitatis exstasim passus in similitudinem hominum factus est[74]... Et impellente dilectione, miseratione trahente, carnem suscipere voluit, atque hominibus visibilis apparere[75].

O mira hæc et inaudita permistio! Qui Creator est, fit creatura : qui immensus est, capitur : qui dives est, in homines pauper efficitur[76]... De Domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, et de Dei Filio, hominis Filius fieri dignatus est[77]... O charitas quam potens es, quæ sic Deum in hominem commutare potuisti[78]!.. Expergiscere nunc, o anima mea, *respice in faciem Christi tui*[79]... Et cum stupente et admirante Apostolo intuere quantus sit iste qui venit[80].

I. Quis. — *Vocabitur*, inquit propheta, *nomen ejus Emmanuel*[81], id est nobiscum Deus..... nobiscum carnis similitudine, nobiscum conversatione, nobiscum unitate.... O suavitatem! o gratiam, o amoris vim! Itane summus omnium imus factus est omnium! Quis hoc fecit? amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? denique semetipsum exinanivit[82], ut scias amoris fuisse quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata, quod singularitas associata[83]... Vides amori cedere ipsam majestatem. Conditor est et consortem se reputat. *Deliciæ*, inquit, *meæ esse cum filiis hominum*[84]. Amor loquitur qui dominum nescit[84*].

Vide etiam quomodo ut ostenderet dilectionem suam venit ad te[85]... tanquam medicus ad ægrotum, redemptor ad venditum, ad errantem via, ad mortuum vita[86].. Visitavit enim homines tanquam ægrotos medicus, donans remedia nostris opportuna languoribus : tanquam veritas ignorantiæ depellens tenebras : tanquam liberator ad emendum nos de tyrannico jugo diabolicæ potestatis : tanquam pater ut nos revocet ad se, tribuatque quod consumpsimus[87].

O qualis circa nos divinæ pietatis dignatio! o inæstimabilis dilectio charitatis[88].... Peccavit angelus, et a Deo in æternum damnatur. Peccavit homo, et Deus in tantum illi compatitur, ut pro illo incarnari[89]... et languores illius portare dignetur[90]... factus de magno parvus, de celso humilis, infirmus de potente

O mira et inenarrabilis circa hominem Domini pietas! o valde districta, sed omnino justa contra

[53] *Rom.* VIII, 32; S. Aug., Præf. *in psal.* CIX. [54] S. Anselm., supra. [55] S. Bonav., *Medit. vit. Christi*, c. 4. [56] *Isa.* XVI, 1. [57] *Isa.* XLV, 8. [58.59] *Isa.* LXIV, 1. [60] *Psal.* CXLIII, 5. [61] *Psal.* LXXIX, 4. [62] S. Bonav., ubi supr. [63] *Ephes.* II, 4. [64] Clem. Alex., *Strom.* [65] S. Greg. Naz., orat. 39. [66] *Psal.* CXVII, 24. [67] *Psal.* XLV, 12. [68] *Psal.* LXXXVIII, 19. [69] *Psal.* LXXXIV, 10. [70] *Gen.* III, 17-19 [71] Guerric. abbas, serm. 2 *De Annunt. Dom.* [72] *Gen.* III, 22. [73] Richard. a S. Vict., l. I *De Emmanuel.*, p. I, c. 1. [74] S. Dion. Areop.; *Ephes.* II, 7. [75] S. Laurent. Justin., *Serm. in Nativ. Dom.* [76] S. Bonav., *Soliloq.* ex S. Gregor. Naz. [77] S. Bern. [78] Zeno Veron., serm. 5 *in Parascev.* [79] *Psal.* LXXXIII, 10; S. Bonav., sup. [80] S. Bern., serm. 1 *De advent.*; *Rom.* XI, 33. [81] *Isa.* VII, 14. [82] *Philipp.* II, 7. [83] S. Bern., *in Cant.* [84] *Prov.* VIII, 31. [84*] S. Bern., serm. 59 *in Cant.* [85] D. Thom., p. III, q. 1, a. 3, ex S. Aug. [86] S. Aug., serm. 12 *De temp.* [87] S. Laur. Just., serm. 3 *in Nativ.* [88] S. Ambros. [89] Goffrid. Vindocin., serm. 1 *in Nativ. Domin.* [90] *Isa.* LIII, 4; S. Bern. *Ad milites Templi*, serm. 11.

angelum Dei severitas ! o inæstimabilis divinæ charitatis miseratio.... per quam Deus carnem assumens de carne sua nostri fecit medicinam [91] !

O stupenda et fidei ac dilectionis brachiis amplectenda assumptio, per quam factura unitur Creatori ! Deus pro homine homo, misericors efficitur pro misero [92]... de medicina feceramus nobis plagam, et ipse carnem assumens de vulnere nostro nobis adhibet medicinam [93]... imo de seipso seipsum facit medicinam... et de sanguine suo medicamentum ægrotis [94].... O amanda et admiranda dignatio [95] ! Gratia Dei non potuit certe gratius commendari [96].

Parum fuit, o Domine, charitati tuæ ad consummandum opus nostræ salutis cherubim aut seraphim aut unum ex angelis destinare ; ipse ad nos venire dignatus es : vidisti quippe afflictionem populi tui, et tactus dulcore charitatis intrinsecus, apposuisti cogitare super nos cogitationes pacis et redemptionis [96*] : non despexisti in hoc nostræ mortalitatis ergastulum altitudinem tuam inclinare. Venisti, descendisti, vermis contemptibilis fieri non despexisti, frater noster et conservus omnium apparere [97].... Tantus, Domine, in me amor tuus fuit !

II. Cui. — Venisti ut dormientes et mortuos excitares... et illuminares [98]... captivosque eriperes de potestate tenebrarum [99]... ut non pereant homines [1]..., sed transeant de morte ad vitam [2]..., vitamque habeant et abundantius habeant [3], ut liberares nos a lege peccati et mortis [4]... jamque non simus ancillæ filii, sed liberæ [5]..., ut justificatione legis impleta [6].... fieres nobis sapientia a Deo et justitia et sanctificatio et redemptio [7].

Venisti et voluisti in similitudinem hominum apparere [8], ut familiarius diligereris ab homine [9]... formam servi accipere [10], ut nos libertate donares [11].... caro fieri [11*], ut carnem immundam sanctificares, infirmam corroborares, alienatam conciliares, e paradiso exturbatam in cœlum referres [12]... secundum carnem nasci, ut homo nasceretur spiritu [13].... in carne videri [14], ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum [15]... et qui assurgere adhuc ad spiritualia non prævalebamus, in tuæ carnis provocares affectum, atque ita paulatim ad Deum attolleres [16]... in carne cum hominibus conversari [17], ut carnalium, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad suæ carnis salutarem amorem affectiones, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritalem [18].

Venisti et Filius hominis fieri voluisti, ut secundum hominem omnia patiendo pro nobis, a peccatorum nos vinculis liberares, et ut nos, quos sanguine tuo redemisti, a vitiis atque criminibus, non solum doctrinæ auxilio et gratiæ, sed etiam exemplo tuo ad studium sanctitatis accenderes, ut nos non modo præcipientem Dominum, sed exemplo suo ad virtutis fastigia provocantem, majore alacritate sequeremur, et justissimum Dominum ac pium patrem Filii imitatione coleremus [19].

Venisti ut nos vivere doceres [20]... et testis divinarum rerum esses ex nostris, sicque unus esses magister Christus [21].... neque enim discere poteramus nisi magistrum nostrum videntes, ut per auditum vocem ejus percipientes, imitatores operum, factores autem sermonum facti, communicationem haberemus cum ipso [22]... Carnem igitur ideo assumpsisti, ut et quæ agenda sunt diceres, et reipsa faceres [23]... et ad hoc ad nos missus, ut aperires nobis vias virtutum, et erudires nos per temetipsum, ut sicut ad imaginem tuam naturaliter creati sumus, ita ad morum similitudinem per imitationem virtutis reformemur [24]... O quantum, Domine, a nobis redamandus es, qui pro tua in nos charitate dux et Magister voluisti esse optimæ vitæ [25] !

Venisti ut infirmiora nostra abundantiori gloria sublimares. Ita enim se contraxit Majestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret, et in persona una sibi invicem unirentur Deus et limus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta : nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo ; et tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignatione limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fuit, limus fuisse credatur, quidquid limus pertulit, Deus in eo pertulisse dicatur, tam ineffabili quam incomprehensibili sacramento [26].

Venisti ut omnia in te ipso recapitulares, et omnes in te unum effecti, per te cum Deo communionem haberent.... Nam per massæ nostræ primitias, ita universam naturam induisti [27]... seu naturam universæ humanitatis assumpsisti [28]... ut omnes homines in unitatem quodammodo collecti in se invicem misceantur, ac velut unum corpus effecti [29], omnes in te unum sint [30], qui omnes illos in uno templo geris quod assumpsisti [31]... Sicut enim vetus Adam effusus per totum hominem, totum occupaverat, ita

[91] Goffrid., ubi supr., serm. 3. [92] Id., serm. 1. [93] Id., serm. 2. [94] S. Aug. *in Psal.* [95] S. Ansel., lib. x, medit. 9. [96] S. Aug., lib. x *De civit.*, c. 29. [96*] *Exod.* iii, 7 ; *Gen.* vi, 6 ; *Jerem.* xxix, 11. [97] S. Anselm., loc. cit. ; S. Bern., *Serm. de Passione Dom.* ; S. Damasc., orat. 3. [98] *Ephes.* v, 14 ; *Joan.* i, 9. [99] *Coloss.* i, 14, 13. [1] *Joan.* iii, 15. [2] *Joan.* v, 24. [3] *Joan.* x, 10. [4] *Rom.* viii, 2. [5] *Gal.* iv, 31. [6] *Rom.* viii, 4. [7] *I Cor.* i, 30. [8] *Philipp.* ii, 7. [9] S. Aug., *Enchir.*, c. 26. [10] *Philipp.* ii, 7. [11] *Galat.* iv, 31 ; S. Aug., serm. 12 *in Nativit.* [11*] *Joan.* i, 14. [12] S. Basil., hom. 25, *De Nativ. Dom.* [13] S. Chrysost., hom. 2 *in Matth.* [14] *Baruch* iii, 38. [15] S. Chrysost., ubi supr. [16] S. Aug. ; S. Bern., serm. 6 *De Ascens. Dom.* [17] *Baruch* iii, 38. [18] S. Bern., serm. 20 *in Cantic.* [19] S. Aug., serm. 4 *in Nativ. Domini.* [20] S. Aug., hom. 50, c. 4. [21] S. Hilar., lib. iii ; *Matth.* xxiii, 10. [22] S. Iren., lib. v, c. 1. [23] S. Chrysost., hom. 34. [24] S. Bonav., *De instit. novit.*, p. i, c. 32. [25] Clem. Alex., *Pædag.*, lib. i, c. 3. [26] S. Bern., serm. 3 *in Vig. Nativ. Dom.* [27] S. Leo, serm. 1 *De Epiph.* [28] S. Ephræm, apud Photium ex S. Cyrillo. [29] *I Cor.* xii, 27. [30] *Joan.* xvii, 11, 21 [31] S. Athanas. orat. 4.

totum hominem obtinere voluisti qui totum creasti et redemisti [32]

Venisti tandem ut sumens carnem largiaris Deitatem. Prorsus admirabile commercium! Commercium, inquam, charitate, non cupiditate contractum ; indulgentiæ quidem tuæ gloriosum, sed indigentiæ meæ omnino lucrosum [33]... Deus enim factus est homo, ut homo fieret Deus [34]... Quod homo est esse Christus voluit, ut homo possit esse quod Christus est[35]... Filius Dei Filius hominis et fieri et vocari sustinuit, ut hominum filios faceret filios Dei[36].... Ideo exinanita Deitas, ideo assumpta caro, ideo nova illa mistio Deus et homo [37]... *Quid est homo, quia sic magnificas eum, aut quid sic apponis erga illum cor tuum* [38] ?

III. Quo. — Porro quo veniat intuentibus appareret inæstimabilis dignatio et penitus inexcogitabilis. Venit enim de corde Dei Patris in uterum Virginis matris : venit a summo cœlo in inferiores partes terræ [39] : quod autem in carceris hujus horrorem tanta descendere dignata est celsitudo et majestas tanta de tam longinquo in locum tam indignum, nunquid misericordia magna, miseratio multa, charitas copiosa [40] ?

IV. Quando. — Quando autem venisti, quam tunc longe eramus ! quam tu sursum, quam nos deorsum! quam tu in summo, quam nos in imo desperati jacebamus! Nam sine exspectatione salutis ægrotabamus, quando tu missus es [41]... sanctus ægrotæ animæ incantator et medicus [42]... insanabilium vulnerum medicina [43].. esca omnium et omnium plenitudo [44].

Dum medium silentium tenerent omnia [44*], etc. Nunc quoque si medium silentium teneant omnia interiora tua, omnipotens sermo tibi secretus illabetur de sede paterna. Felix qui sic se elongavit fugiens [45] tumultum mundi : qui tam procul recessit in secretum et solitudinem quietæ mentis, ut non modo vocem, sed ipsum Verbum, sed ipsum Jesum mereatur audire [46] !

Tunc jacebat in malis vel etiam volvebatur, et de malis in mala præcipitabatur totius humani generis massa damnata [47].... Sedebam in tenebrosis et umbra mortis, vinctus catenis delictorum [48]... Ludebam ego foris in platea, et in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audiit hoc Unigenitus ejus, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens et ejulans, quod morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subito procedentem, stupeo novitatem, causam percunctor et audio. Quid facturus sum? Adhucne ludam et deludam lacrymas ejus, nunquid simul cum lugente lugebo? O duritia cordis mei ! Utinam, Domine, sicut *Verbum caro factum est* [49], ita et cor meum carneum fiat ! Siquidem et hoc pollicitus es per prophetam : *Auferam,* inquit, *a vobis cor lapideum et dabo vobis cor carneum* [50].

Abieram in peccatis venundatus, et venisti ut redimeres me : perieram, et ad perditum descendisti : mortuus fueram, et mortalitatem suscepisti, et ut servum redimeres, teipsum, Rex, tradidisti [51]... Quid ad hæc dormitat affectio tua? Imo vero mortua est illa, non dormit, quæ huic beneficio non respondet, quæ se totam non effundit in gratiarum actionem et vocem laudis [52].

In hoc autem mirificavit misericordiam suam super nos, quod secundum multitudinem miserationum suarum venit [53]... *Dum medium silentium tenerent omnia et nox in suo cursu medium iter ageret :* tunc enim, inquit Sapiens, *omnipotens verbum tuum, Domine, a regalibus sedibus venit* [54]... *dum medium* scilicet *silentium tenerent omnia*.... Non enim amplius apparebat angelus, non loquebatur propheta, cessabant velut desperatione victi præ nimia duritia atque obstinatione hominum [55].

Dum nox in suo cursu iter perageret. Tunc enim advesperascebat, inclinata erat dies, recesserat Sol justitiæ, et, abundante iniquitate, fervor refrigerat charitatis [56].

Dum venit plenitudo temporis. [57] Nimirum plenitudo et abundantia temporalium oblivionem et inopiam fecerat æternorum. Tunc advenit æternitas quando temporalitas prævalebat.... tunc descendit Filius Dei quærere et salvum facere quod perierat [58]... *Tunc apparuit benignitas, humanitas et gratia Salvatoris nostri Dei, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ* [59]... O quantum sumus tibi debitores, Domine Deus noster, tanto salvati dono et tam glorioso adjuti beneficio [60]!.. O quantum a nobis miseris es amandus, benedicendus, laudandus, glorificandus, qui nos sic amasti, sanctificasti, sublimasti [61] !

O quam solemniter celebrandus ejusmodi adventus, tantæ majestatis, tantæ humilitatis, tantæ charitatis, tantæ etiam glorificationis nostræ. Quantæ insaniæ, ut post tanti Regis adventum aliis quibuslibet negotiis homines velint seu audeant occupari, et non magis, omissis omnibus, soli ejus cultui vacent, nec in ejus præsentia cujusquam meminerint cæterorum [61*].

Verumtamen, sicut ad operandam salutem in medio terræ [62] venit semel in carne visibilis : ita quo-

[32] S. Bern., serm. 5 *De Advent.* [33] Guerric. abb., serm. 3 *De Nativit.* [34] S. Aug. [35] S. Andr. Cret., *Serm. de Annunt.* [36] S. Cypr., *De idol. vanitat.* [37] S. Greg. Naz., orat. 1, n. 43, 44. [38] *Job* vii, 17; S. Bern., serm. 1 *De Adventu.* [39] *Ephes.* iv, 9. [40] S. Bern., serm. 1 *De advent. Dom.* [41] S. Aug., Præf. *in psal.* cxix. [42] Clem. Alex., *Pædag.* [43] Ex SS. PP. [44] Guerr. abb., serm. 3 *De Nativ.* [44*] *Sap.* xviii, 14. [45] *Psal.* liv, 8. [46] Guerric., serm. 4 *De adventu Dom.* [47] S. Aug., *Enchir.* [48] S. Bern., serm. 22 *in Cantic.* [49] *Joan.* i, 14. [50] *Ezech.* xxxvi, 26; S. Bern., serm. 3 *De Nativ.* [51] S. Aug., *Soliloq.*, c. 15. [52] S. Bern., serm. 14 *in psal.* xc : *Qui habitat.* [53] *Psal.* xxx, 22 ; l, 3. [54] *Sap.* xviii, 14. [55] S. Bern., serm. 1 *De Adv. Dom.* [56] *Ibid.* [57] *Galat.* iv, 4. [58] *Matth.* xviii, 11. [59] *Tit.* ii, 11 ; iii, 4, 7. [60] S. Aug., *Medit.*, c. 17. [61] S. Leo, serm. 1 *De Nativ. Dom.* [61*] S. Bern., serm. 3 *De Adventu.* [62] *Psal.* lxxiii, 12

tidie ad salvandas animas singulorum in spiritu venit et invisibilis. Propterea dignum est ut si non valet infirmus in occursum tanti medici procedere longius, saltem conetur erigere caput et assurgere venienti. Non te oportet, o homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est : non grandis, inquam, tibi ostenditur via : usque ad temetipsum occurre Deo tuo. Prope est enim verbum in ore tuo et in corde tuo usque ad cordis compunctionem et oris confessionem ; occurre ut saltem exeas de sterquilinio miseræ conscientiæ, quoniam indignum est illuc Auctorem pietatis intrare [62*].

Et ne ingratitudinis materiam inde sumamus, ubi amoris causam habere debemus [63]... agamus gratias illi qui propter multam charitatem suam qua dilexit nos [64], misertus est nostri *et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo* [65], ut essemus in ipso nova creatura, novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis [66], et adepti participationem Christi, carnis renuntiemus operibus [67].

Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ [68], noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis et cujus corporis sis membrum. Reminiscere quod erutus de potestate tenebrarum [69], translatus es in Dei lumen et regnum [70]... ita ut superna Deitas tecum inire connubia non despiciens, anima tua Dei brachiis amplecti se sentiat, Dei sinu foveri, Dei cura et studio custodiri [71].

Sic Majestas illa tam familiari dulcique consortio nostræ se inclinare infirmitati non dedignatur [72]... Sic se propter nos nostra angustiavit in carne, ut nos invitaret amor, attraheret charitas, vinciret affectio, suaderet humanitas... O Dei bonitatem, suavitatem, dignationem [73]!.. Nunquid hæc meditari summi amoris incentivum est [74]?

Sed quid tibi deinceps dirum vel durum esse poterit, cum recordatus fueris quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus [75]? splendor et figura substantiæ Dei [76], venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus usque ad cubitos, ut dicitur, in limo profundi [77]. Quid non suave tibi, cum recordaberis omnium quæ sustinuit [78]? Sed quid non formidabile, si oblitus fueris, et misericordiæ tantæ non recorderis?.. Qui enim venit humilis, veniet excelsus... qui venit occultus, veniet manifestus : qui venit judicatus, veniet judicaturus [79].

Quantum ergo possumus cum Dei gratia laboremus, ut quod nobis contulit Christus judicatus, integrum inveniat judicaturus. Qui tibi tantum contulit, scit quantum reposcat. Et quidem ille cum venerit, redditurus est quod promisit, sed requisiturus est quod redemit ; et quod dedit in primo adventu, exacturus est in secundo. Nemo ergo Christo Domino nostro reddat mala pro bonis [80].

Ubi Deus dominum mutavit in patrem, voluit charitate magis quam potestate regnare, et amari maluit quam timeri [81].

—

CHRISTUS CONCEPTUS EX VIRGINE.

Quantum secretum cubiculi sit regalis, quali reverentia, quo tremore locus habeatur ubi ipsa principis requiescit potestas, quam nulli extraneo, immundo nulli, nulli infideli pateat illuc et permittatur accessus ; quam munda, quam casta, quam fidelia ibidem præstolentur obsequia imperialis aulæ, manifestis docetur insignibus [82].

Quis ad ipsas palatii fores vilis, quis propinquus indignus? Certe ad thalamum Sponsi nisi satis proximus, nisi satis intimus, nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis famæ, nisi probabilis vitæ nullus admittitur... Ne ergo audax et temerarius ad tremendum illud Divinitatis palatium, ad hoc sacrosanctum Salvatoris thalamum immundus accedere præsumas [83].

Solve itaque, Christiane, solve *calceamenta de pedibus tuis* [83*]. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes* [84], ut sanctificatus... possis Dominicæ incarnationis adorare secretum, et mereari ad illius pectoris cubiculum pervenire, ubi tota superni Regis, tota divinitatis requiescit majestas [85].

Magnum sacramentum et admirabile mysterium... Conceptus enim Virginis non solum est mysticus, sed et moralis. Quod enim sacramentum est ad redemptionem, exemplum quoque est ad imitationem; ita ut manifeste evacues in te gratiam sacramenti, si non imiteris virtutem exempli. Debes ergo per fidem Christum in te concipere, sicut et beata Virgo Maria fide concepit : concipere autem corde, non corpore; imo et corpore, quando quidem jubemur ab Apostolo glorificare et portare Deum in corpore nostro [86].

Attende itaque diligenter auditui tuo : attende ad verbum Dei quod tibi angelus Dei, prædicator fidelis, evangelizat, cum de Dei timore aut amore ejus tecum agit, et concepisti. Quam beati qui dicere possunt : A timore tuo concepimus et parturivimus spiritum salutis! qui non est alius quam spiritus Salvatoris [87].

Vide ineffabilem dignationem Dei : qui creavit te,

[62*] S. Bern., serm. 1 *in Advent.* [63] Id., serm. 11 *in Cantic.* [64] *Ephes.* II, 4. [65] *Ibid.*, 5. [66] *Col.* III, 9. [67] S. Leo, serm. 1 *De Nativ. Christ.* [68] *II Petr.* I, 4. [69] *Col.* I, 13. [70] S. Leo, ubi supr. [71] S. Bern., serm. 59 *in Cant.* [72] *Ibid.* [73] S. Petr. Chrysolog., serm. 50. [74] S. Bern., serm. 11 *in Cant.* [75] *Psal.* CIX, 3. [76] *Hebr.* I, 3. [77] *Psal.* LXVIII, 3. [78] S. Bern., *Serm. de quadrupl. debit.* [79] S. Aug., *in psal.* LXVI; *in psal.* XLIX; *in psal.* LXII. [80] S. Aug., serm. 81 *De temp.* [81] S. Chrysolog., serm. 7. [82] Id., serm. 141. [83] *Ibid.* [83*] *Exod.* III, 5. [84] *Isa.* LVIII, 6. [85] *Ibid.*; *I Cor.* VI, 20. [86] Guerric. abbas, serm. 2 *De Annunt. Dom.* [87] *Ibid.*; *Isa.* XXVI, 18.

creatur in te : et quasi parum esset te ipsum habere patrem, vult etiam te sibi fieri matrem. *Quicunque*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus et frater et soror et mater est* [88].

O fidelis anima, expande sinus, dilata affectus, ne angustieris in visceribus tuis, concipe quem creatura non capit. Aperi Verbo Dei aurem audiendi : hæc est ad uterum cordis via Spiritus concipiendi : hac ratione compinguntur ossa Christi, id est virtutes, in mente prægnantis [89].

Qualiter autem benedictus iste Dei Filius Christus Jesus a devota mente spiritualiter concipiatur, et quæ sint signa divinæ illius conceptionis, diligentius attende. Cum anima devota vel spe cœlestis præmii, vel timore æterni supplicii, vel tædio in hac lacrymarum valle diutius commorandi mota ac stimulata, novis inspirationibus visitatur, sanctis affectionibus inflammatur, meditationibus cœlestibus anxiatur, et tandem abjectis et despectis veteribus affectibus et pristinis desideriis, novo vivendi proposito a Patre luminum spiritualiter Spiritu gratiæ fecundatur, quid aliud agitur quam quod superveniente virtute Altissimi et obumbratione cœlestis [90] refrigerii, carnales concupiscentias mitigat, mentis oculos ad videndum confortat et adjuvat Pater cœlestis [91] ?

Post hunc conceptum sacratissimum, anima pallet in facie per veram humilitatem in conversatione; fastidium cibi et potus concipit in mente, plenario mundialium contemptu et abjectione ; desideria variantur in affectione, ex diversorum bonorum proposita intentione : aliquando etiam infirmari et ægrotare incipit anima in propriæ voluntatis abjectione.

Jam incedit tristis et turbulenta propter veterem delictorum perpetrationem, pro temporis omissione, pro hominum adhuc in mundo viventium societate et conversatione. Jam paulatim grave et tædiosum incipit esse omne quod foris est, et foris cernitur, quod intus percipitur et auditur. O felix conceptus, quem talis sequitur mundi contemptus [92] !

Jam cum Maria in montana ascendere incipit [93], post talem conceptum fastidiens terrena et desiderans cœlestia et æterna. Jam fugere incipit societatem illorum qui terrena sapiunt, et appetit familiaritatem illorum qui cœlestia concupiscunt. Jam incipit cum Maria ministrare Elisabeth, hoc est illis quos divina gratia amplius per dilectionem inflammat [94].

Si ergo, devota anima, si per nova cœlestis vitæ desideria de Spiritu sancto te concepisse sentias, fuge malorum consortia, ascende cum Maria, quære virorum spiritualium consilia imitari, stude perfectorum vestigia, contemplare bonorum verba, opera et exempla [95].

Fuge perversorum venenosa consilia, quæ semper pervertere quærunt, impedire appetunt, lacerare non desistunt nova sancti Spiritus inspirata desideria, et sæpe sub specie et boni et pietatis virus infundunt impiæ tepiditatis, dicentes : Nimis magnum est quod incipis, nimis arduum quod proponis, intolerabile quod facis, vires tibi non suppetunt, virtutes naturales deficiunt, caput confunditur, oculi destruuntur, infirmitates diversimodæ nutriuntur, phthisis, paralysis, calculus et vertigo capitis, oculorum caligo, sensuum hebetudo, rationis obnubilatio, et virium destructio, his omnibus subjacebis, nisi ab inceptis abstineas et commodo corporali amplius intendas. Statum tuum non decent talia, per hæc diminuitur honor tuus et reverentia [96].

Heu ! heu ! quot et quantos maledicta mundialium consilia supplantaverunt, et conceptum in eis per Spiritum sanctum Dei Filium exstinxerunt ! Hæc est illa potio misera et mortifera, persuasio diabolica, quæ in multis spiritualem conceptum impedit, in plerisque conceptum jam vel perfectum interficit et exstinguit...

Fuge igitur, ascende; propera, desidera affectu, more parturientis, feliciter ad partum pervenire [97].

O felix anima Spiritus munere illo generoso germine gravida! Custodi opera tua et cogitationes tuas, ne aliqua illarum abortiat conceptumque divinæ sobolis informem aut mortuum excutiat. Attende tibi ipsi donec formetur Christus in te [98]. Attende ne qua foris offensa gravior fetum tenerum lædat; ne quid ingeras ventri, id est menti, quod Spiritum quem concepisti exstinguat [99].

Qui fecerit voluntatem Patris mei, inquit Christus, *ipse mater mea est* [1]. O Domine, tu me matrem dicis, ego ancillam profiteor. Ancilla Christi sum : *Fiat mihi secundum verbum tuum* [2]. Et quidem matrem amore et sollicitudine me præstabo. Utique et vos matres (estis) pueri qui natus est vobis et in vobis, ex quo videlicet a timore Domini concepistis, et parturistis Spiritum salutis [3]. Vigila igitur super curam recens nati, donec formetur in te Christus [3] qui natus est tibi, quia quo tenerior est, eo facilius potest perire tibi, qui nunquam perit sibi [4].

Omni itaque *custodia serva cor tuum* [4]... ut custodias, pascas ac nutrias parvulum illum... Parce, si non tibi, certe Filio Dei in te : parce, inquam, non solum ab operibus et sermonibus malis, sed etiam a cogitationibus et delectationibus noxiis quæ plane suffocant semen Dei. Concepisti Spiritum salutis, sed adhuc parturis, nondum peperisti. Si labor in parturiendo, magna de spe partus consolatio. *Mulier cum parit tristitiam habet* laboris : *cum autem peperit, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo* Christus *in mundum* [5].

[88] *Matth.* XII, 50; GUERRIC., ubi supra. [89] *Ibid.* [90] *Luc.* I, 35. [91] S. BONAV., *De sancta festiv. pueri Jesu.* [92] *Ibid.* [93] *Luc.* I, 39. [94] S. BONAV., ubi supra. [95] *Ibid.* [96] S. BONAV., *De sanct. festiv. pueri Jesu.* [97] *Ibid.* [98] *Galat.* IV, 19. [99] GUERRIC. abb., serm. 2 *De Annunt. Dom.* [1] *Matth.* XII, 50. [2] *Luc.* I, 38. [3] *Isa.* XXVI, 18. [3] *Galat.* IV, 19. [4] GUERRIC. abb., serm. 3 *De Annunt. Dom.* [4] *Prov.* IV, 23. [5] *Joan.* XVI, 21; GUERRIC. abbas, serm. 3 *De Nativ.* et serm. 2 *De Annunt.*

CHRISTUS NATUS.

Ecce adest hodie festorum omnium maxime venerandum, et festorum omnium metropolis, nativitas Domini nostri Jesu secundum carnem [6]... Ecce adest insignis dies solemnitatis nostræ [7].... dies nobis exoptatissimus gratia geminata resplendens. Ecce adest dies dierum omnium novitas, in quo novum fecit Dominus super terram [8]... dies cæteris diebus præferendus in quo Deus in hominem docetur promotus, dies quem fecit Dominus [9], quem elegit sibi Christus, quem consecravit Creator ut nasceretur. Gaudeamus et lætemur in eo [10].

Ecce, inquit angelus, *natus est vobis hodie Salvator qui est Christus* [11]. Sonuit vox lætitiæ in terra nostra [12]; vox exsultationis et salutis in tabernaculis peccatorum [13]. Auditum est verbum bonum, verbum consolatorium [14], sermo jucunditate plenus, et dignus omni acceptione [15]. *Jubilate, montes, laudem* [16], et omnia ligna silvarum [17]. Plaudite manibus ante faciem Domini, quia venit [18]. *Audite, cœli, et auribus percipe, terra* [19] : obstupesce et lauda, universitas terræ, sed tu magis, o homo : Jesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Judæ [20].... Jesus interpretatur *salvator*. Quid tam necessarium perditis, quid tam optabile miseris, quid tam utile desperatis [21]?

Quis tam lapidei cordis cujus anima non liquefacta sit in hoc verbo? Quid annuntiari dulcius poterat, quid delectabilius commendari? Quid tale, inquam, auditum est, aut quid simile aliquando mundus accepit? Jesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Judæ. O breve verbum de verbo abbreviato, sed cœlesti suavitate refertum! O nativitas illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, investigabilis etiam angelis sacri profunditate mysterii, et in his omnibus admirabilis singulari excellentia novitatis, utpote quæ nec primam similem visa est nec habere sequentem [22].

Hodie Dominus virtutum susceptor noster Deus Jacob [23], quia hodie est Domini assumptio nostra [24] ut inhabitet gloria in terra nostra [25]. Maledicta terra in opere prævaricatoris, quæ etiam exercitata spinas et tribulos germinabat hæredibus maledictionis [26]. At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ remissionem peccatorum, fructumque vitæ parturit universis. Nescio si ulla possit esse efficacior et suavior morum ædificatio, quam hujus mysterii, id est Christi incarnati, fidelis et pia consideratio. Quid enim sic hominem excitare potest ad amorem Dei quam prævenientis hominem amor Dei tam vehemens ad hominem, ut homo propter hominem fieri velit [27]?

Nascitur salus hominum [28] Christus, oritur lux mundo [29], defunctis resurrectio, vita mortalibus, ac propterea hodie utraque Salvatoris et salutis nostræ nativitas celebranda est [30].... Exsultemus igitur in hac nativitate, et multipliciter gratulemur in ea, quam et salutis utilitas, et unctionis suavitas, et Filii Dei majestas tam eleganter illustrat, ut nihil desit ex omnibus quæ desiderantur, nec commodum, nec jucundum, nec honestum [31].

Quam felix igitur, quam amabilis nativitas illa pueri Jesu, quæ nativitatem omnium emundat, conditionem reformat, præjudicium solvit, chirographum naturæ nostræ rescindit [32], ut si quem piget damnabiliter esse natum, possit felicissime renasci [33]!... Quid tam delectabilius potest videri, tam salubriter cogitari? Quid æque mores ædificat, spiritum roborat, charitatem inflammat [34]?

Olim lex in Tabernaculorum celebritate tubis ut caneretur mandavit [35]. At præsens celebritas veræ tabernaculi exstructionis mysterium est. In hac enim humanum ei tabernaculum figitur, qui propter nos formam servi induit [36] : et in hoc tabernacula nostra quæ morte corruerant instaurantur. Plaudentes ergo cum Davide dicamus : *Benedictus qui venit in nomine Domini* [37]. Hic Deus noster, hic Dominus illuxit nobis ut diem hanc solemnem constitueret in condensis usque ad cornu altaris [38].

Cesset hodie omnis sollicitudo, Christus nobis vera securitas advenit. Cesset omnis infirmitas, hodie Salvator apparuit. Cessent bella, desinant lites, hodie pax vera de cœlo descendit. Cesset omnis amaritudo hodie per totum mundum, melliflui facti sunt cœli [39]..... cum se hodie mihi videndum præbeat Verbum in eo quod sumus. Si me non lætificat, impius sum; si non ædificat, reprobus sum [40].

Ecce, inquit angelus, *evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo* [41]. Exsultemus igitur in Domino et speciali jucunditate lætemur, quia illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ [42]... Gaudeamus, quia Salvator natus est. Nec fas est locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ. Exsultet sanctus, quia appropinquat ad palmam; gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam; animentur gentiles, quia vocantur ad vitam [43].

Gaudeamus in commercio Dei et hominis, Sponsi

Senties indubitanter amœnitatem quamdam spiritualem et sapidam non solum in corde, verum etiam in ore, quoties nomen hoc sanctum a te fuerit cum devotione prolatum. Habet enim virtutem sibi adhibitam quæ affectum lætificat, mentem pascit, nutrit devotionem, disponit ad pietatem animum invocantis illud [84].

Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur ; insipidus est, si non hoc sale conditur ; si scribas, non sapit mihi nisi legero ibi Jesum ; si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus [85].

Sed est medicina : tristatur aliquis vestrum ? Veniat in cor Jesus, et inde saliat in os, et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando, nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam [86] ?

Cui aliquando stetit ante faciem istius salutaris nominis duritia cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ ? Cui in periculis palpitanti et trepidanti invocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum ? Cui, quæso, in dubiis æstuanti et fluctuanti, non subito ad invocationem clari nominis emicuit certitudo ? Cui in adversis diffidenti jamjamque deficienti, si nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo [87] ?

Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restinguit luxuriæ fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ ac totius indecoris fugat pruriginem [88].

Siquidem cum nomino Jesum, hominem ac Deum mihi propono qui suo et exemplo sanet et roboret adjutorio. Hæc enim simul sonant cum insonuerit Jesus. Sumo itaque mihi exempla de homine et auxilium de potente, et facio confectionem cui similem medicorum nemo facere possit [89]

Si igitur tentaris a diabolo, si ab hominibus opprimeris, si conficeris ægritudine, si doloribus fatigaris, si concuteris formidine, si dubietate pulsaris, Jesu nomen edicito, et repente gratiam consequeris. In arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in solitudine, in fluctibus, ubicunque exstiteris, Salvatoris profer nomen [90]

[69] *Act.* IV, 12. [70] *Rom.* X, 13. [71] S. Bern., serm. 2 *in Circumc.*, a. 3, c. 4. [72] *Ibid.* [73] S. Bern. t. II, serm. 49, a. 1, c. 1. [74] *Ibid.*, c. 2. [75] *Ibid.*, c. 4. [76] Id., serm. 2 *in Circumc.*, a. 3, c. 1. [77] S. Bonav., *De S. festiv. Jesu.* [78] S. Bernard., serm. 2 *De Circumc.*, a. 3, c. 1. [78*] *Cant.* I, 2. [79] S. Bern., serm. 15 *in Cantic.* [80] *I Petr.* II, 9. [81] *Act.* IX, 15. [82] *Rom.* XII, 12 ; S. Bern., *ibid.* [83] S. Bern., ubi supra. [84] S. Laurent. Justin., *Serm. de Circumc.* [85] S. Bern., serm. 15 *in Cant.* [86] *Ibid.* [87] *Ibid.* [88] *Ibid.* [89] *Ibid.* [90] S. Laurent. Justin., *Serm. de Epiph.*

Hoc tibi electuarium habes, o anima, reconditum in vasculo vocabuli hujus quod est Jesus, salutiferum certe, quodque nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus. Ad hoc enim invitaris. *Pone me*, inquit, *signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo*[91]; ut habeas unde brachio medearis et cordi[92].

Bene ergo oleum nomen Jesu, sed *oleum effusum*[92*]... Et quid mirum si sponsi nomen effusum est, cum ipse quoque effusus sit? Nam *semetipsum exinanivit*[93]; et ipse ait : *Sicut aqua effusus sum*[94]. Effusa quippe est plenitudo divinitatis et de plenitudine ejus nos omnes accepimus[95].

Effusum ergo nomen ejus et usquequaque effusum, de cœlo scilicet in Judæam et inde in omnem terram. Effusum, quod non solum cœlos terramque perfudit, sed aspersit et inferos; effusum, quod infusum angelis, effusum est in homines. Si enim effusum non esset, non me lucraretur. Particeps nominis sum et hæreditatis. Christianus sum, frater Christi sum ; si sum quod dico, hæres sum Dei, cohæres autem Christi[96].

Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis[97]. Planum enim est quod ad effusionem olei sequitur loci impinguatio in quo facta est olei effusio. Sic necessarium est ut in cordibus in quibus fuerit nomen Domini frequentatum pinguis devotio subsequatur, quæ adolescentulas, id est novas animas, pœnitentiæ labore ad currendum post dilectum ardentissime excitet in amore[98].

Curre ergo, o devota anima, in odorem unguentorum illius[99] : clama post illum et dic... O Jesu, sis mihi tantum Jesus, sis mihi Salvator in hujus vitæ incolatu et miseria. Salva me a mundi vanitate quæ me impugnat, a dæmonis falsitate quæ me infestat, a carnali fragilitate quæ me cruciat. Salva me, dulcissime Salvator, confortando debilem, consolando flebilem, adjuvando fragilem, confortando instabilem. Salva me, Jesu Salvator mundi, qui per sanctam crucem et sanguinem redemisti mundum[1].

A planta pedis usque ad verticem non est sanitas in me[2]. *Sana* ergo *animam meam quia peccavi tibi*[3]. Fac opus tuum, pie Jesu, et salva me. Vocaris enim Jesus non ob aliud, nisi quia tu salvum facies populum tuum a peccatis eorum[4].

Tandem mellifluum illud ac salutare nomen non recedat ex ore, ex corde dilectio, ex memoria Passio, ex mente præsentia, ex cogitatione dignatio atque ex intentione tuitio. Sic namque non solum nominis Jesu gustabis dulcorem, sed ipsius Domini Jesu revelata majestate gustabis decorem[5].

—

CHRISTUS A MAGIS ADORATUS.

Surge, inquit propheta, *illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum*[6].

Hodiernum diem luminum illuminavit nobis et consecravit lumen de lumine, quod hodie, cum lateret incognitum, ad illuminationem omnium gentium sese dignatum est mundo revelare. Hodie namque se revelavit Chaldæis, novi sideris indicio, cum eorum primitiis omnium fidem gentium dedicavit[7].

Venerat quidem lumen, in mundo erat, sed mundus ipsum non cognoscebat[8]. Erat natus, sed non erat notus, donec declarare eum cœpit luminosa dies ista. Surge ergo, Jerusalem nova, civitas magni Regis novi, surge, illuminare, quia venit lumen tuum[9].

Surgite qui sedetis in tenebris, intendite lumini quod exortum est in tenebris. *Accedite ad eum et illuminamini*[10], et in lumine ejus videbitis lumen[11], diceturque vobis : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*[12]. Advertite lumen in lucerna, solem in nube, Deum in homine. Lumen testatur de lumine, stella de sole.

Gratias tibi, Pater luminum, qui de tenebris nos vocasti in admirabile lumen tuum[13]. Gratias tibi qui de potestate tenebrarum transtulisti in regnum claritatis tuæ[14]. Gratias tibi qui dixisti de tenebris lumen splendescere, et illuxisti in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ in faciem Christi Jesu[15].

Auge nobis fidem[16] deducens nos ex fide in fidem, a claritate in claritatem, tanquam a tuo spiritu[17], ut de die in diem thesauros luminis profundius ingrediamur, quo fides amplior, scientia plenior, charitas ferventior fiat et diffusior. Eia surge, illuminare, anima mea, quæ sedebas in tenebris[18].

Ecce venisti, o lumen meum, *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*[19], ne peccatum ad mortem oculos delectatione claudat et ad consensum illiciat, aut velut Isboseth dormientem inveniens transfodiat[20].

Venisti, o lumen fidelium, et ecce hodie ad illuminationem fidei dedisti nobis gaudere. Dedisti lumen fidei, da et lumen justitiæ, da lumen scientiæ, da et sapientiæ. His enim gradibus proficiendum et in hac via proficiscendum tibi, o anima fidelis,

[91] *Cant.* VIII, 6. [92] S. BERN., serm. 15 *in Cant.* [92*] *Cant.* I, 2. [93] *Philip.* II, 7. [94] *Psal.* XXI, 15. [95] S. BERN., *ibid.*; *Joan.* I, 16. [96] *Rom.* VIII, 17; S. BERN., *ibid.*, n. 4. [97] *Cant.* I, 2. [98] S. BERNARDIN., serm. 2 *De Circumcis.*, a. 2, c. 2, ex Origene. [99] *Cant.* I, 3. [1] S. BONAV., *De S. festivit. pueri Jesu.* [2] *Isa.* I, 6. [3] *Psal.* XL, 5. [4] S. ANSELM., lib. X, med. 8.; *Matth.* I, 21. [5] S. LAURENT. JUSTIN., *Serm. de Epiphania.* [6] *Isa.* LX, 1. [7] GUERRIC. abb. serm. 2 *De Epiph.* [8] *Joan.* I, 10. [9] GUERRIC. abb., *ibid.* [10] *Psal.* XXXIII, 6. [11] *Psal.* XXXV, 10. [12] *Ephes.* V, 8. [13] *I Petr.* II, 9. [14] *Col.* I, 13. [15] *II Cor.* IV, 6; GUERRIC., ubi supra. [16] *Luc.* XVII, 5. [17] *II Cor.* III, 18. [18] GUERRIC. ubi supra. [19] *Psal.* XII, 4. [20] *II Reg.* IV, 7; GUERRIC., ubi supra.

ut mundi hujus tenebris exuta pervenias ad patriam claritatis æternæ, ubi *tenebræ tuæ erunt sicut meridies* [21], *et nox sicut dies illuminabitur* [22].

Qui igitur jam per fidem sumus in lumine, per eam in amplius et serenius lumen progrediamur, primo justitiæ, dein scientiæ, demumque sapientiæ. Quod enim credimus per fidem, consequenter operandum vel promerendum est per justitiam; post intelligendum per scientiam ac postremo contemplandum per sapientiam [23].

Porro cum in magnis solemnitatibus circa ea quæ solemnitatis sunt, magis immorandum videatur ut pariter et erudiatur animus et excitetur affectus [24]... quæ in ea gesta sunt paulo diligentius perscrutemur, ut hunc diem... Epiphaniæ seu declarationis Christi [25]... quem Magorum devotio devotum facit ac venerabilem [26]... quique sanctissimus est [27]... et solemnissimus debita sanctitate factus est Ecclesiæ quæ crevit ex gentibus [28]... devota solemnitate celebremus [29]... agnoscentes in Magis adoratoribus Christi vocationis nostræ fideique primitias, et exsultantibus animis beatæ spei initia celebrantes [30].

Ecce, inquit evangelista, *Magi veniunt ab Oriente Jerosolymam* [31].

O beata Magorum horum fides! Reliquerunt enim reges hi propria et ad exterorum transiere nationes, ut quem ex revelatione didicerunt nasciturum, corporali præsentia etiam aspicerent natum. Nullum sane viderant ab eo miraculum fieri, nullum illos exhortantem audierant, et tamen stabulum adeunt, prostrati Deum adorant in homine, suam demum credulitatem muneribus protestantur, regi offerentes aurum, thus Deo, mortali autem myrrham [32].

Minime ibidem regius apparatus, non ornatus torus, non deaurata palatia, non famulantium turba, sed puerulus vagiens, panniculis involutus... fenum aridum, arctum præsepe, fetens stabulum et jumenta irrationabilia conspexere. Et in imbecillitate infantis Dominum adoraverunt majestatis [33].

Clamat prorsus contra nos istorum fides gentilium: absentem quæsierunt et nos præsentem contemnimus. Regnantem super Israel agnoscere atque adorare voluerunt; nos præsidentem in cœlo et in terra nec aspicere neque illi famulari dignamur [34].

Resipiscite, o mortales: *Redite, o prævaricatores, ad cor* [35]. Currite affectu non corpore, votis non pedibus, ut regem vestrum in præsepio inveniatis Christum. Mysticas vero munerum species deferte vobiscum, quatenus ei spiritualia stipendia impendatis. Spirituale enim vult obsequium et spiritualia diligit munera qui vos spiritualiter trahit ad se [36].

Veniunt ab Oriente, ut scilicet adorent eum et ab eo salutem consequantur. Neque enim ætas erat saltem cui adulatio humana serviret: non sub poplite sella regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat: non pompa famulantium, non terror exercitus, non gloriosorum fama præliorum hos ad eum viros ex remotis cum tanto voto supplicationis attraxerat [37].

O quam multi quærunt illum quia manducaverunt et saturati fuerunt!.. *Quæritis me*, inquit, *quia manducastis et saturati estis* [38]. Quam multi veniunt... quos curiositas adducit non charitas [39]!.. *Turba multa*, inquit, *venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent* [40]... Quam multi quia dedit ipsis sanitatem, uxorem divitem, familiam, etc. Quam pauci autem ipsum propter ipsum et non aliud ab illo quærunt!.. Non sic Magi... *Et venimus*, inquiunt, *adorare eum* [41].

Veniunt porro *ab Oriente Jerosolymam.* O infelix Judæa, quia lucem oderas, ad fulgorem novæ claritatis obtenebraris: et caligantes oculi tui coruscante radio Solis æterni multo magis excæcantur. Felices Magi qui veritatis amatores [42]... stella apparente commoniti et præcedente perducti [43]... Solis justitiæ novum ortum annuntiant [44].

O quam infelices illi qui diligentes magis tenebras quam lucem [45], lucem in tenebris lucentem tenebræ non comprehenderunt [46]!... In his enim adimpletur prophetia Isaiæ dicentis: *Auditu audietis et non intelligetis, et videntes videbitis et non videbitis: incrassatum est enim cor populi hujus, et graviter intellexerunt, et oculos suos clauserunt nequando videant oculis et corde intelligant et sanem eos. Sed quam felices alii quorum oculi vident et aures audiunt quod multi prophetæ et justi cupierunt videre et non viderunt, audire et non audierunt* [47]!

Dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum [48]?

Quam certa fides et nihil penitus hæsitans!.. Nunquid nesciebant quia in Jerusalem regnabat Herodes? Nunquid non intelligebant quia quicunque, rege vivente, alterum regem pronuntiat, et adorat, quasi minister tyranni punitur in sanguine? Sed dum considerant Regem futurum, non timent regem præsentem. Habent præ oculis periculum mortis, sed non curant de morte. Adhuc non viderant Christum, et jam parati erant mori pro eo. O

[21] *Isa.* LVIII, 10. [22] *Psal.* CXXXVIII, 12; GUERRIC., serm. 3. [23] *Ibid.* [24] S. BERN., serm. 3 *De Epiph.* [25] S. LEO, serm. 2 *De Epiph.* [26] S. BERN., serm. 1 *in Epiph.* [27] S. LEO, ubi supra. [28] S. AUG., serm. 7 *De Epiph.* [29] *Ibid.* [30] S. LEO, serm. 1 *De Epiph.* [31] *Matth.* II, 1. [32] S. LAURENT. JUSTIN., *Serm. in Epiph.* [33] *Ibid.* [34] *Ibid.* [35] *Isa.* XLVI, 8. [36] S. LAURENT. JUSTIN., ubi supra. [37] S. AUG., serm. 7 *in Epiph.* [38] *Joan.* VI, 26. [39] S. AUG., *ibid.* [40] *Joan.* XII, 9. [41] *Matth.* II, 2; S. AUG., *in psal.* CXLIV. [42] S. BERN., serm. 3 *De Epiph.* [43] S. AUG., serm. 4 *De Epiph.* [44] S. BERN., loc. cit. [45] *Joan.* III, 19. [46] *Joan.* I, 5. [47] *Isa.* VI, 9; *Matth.* XIII 14-17. [48] *Matth.* II, 2.

beati Magi! qui, ante conspectum crudelissimi regis, antequam Christum cognoscerent, Christi facti sunt confessores... Non timent tumultum populi, non reformidant potestatem tyranni. Fac et me, Domine, intrepide et constanter quærere te, quæsitum invenire, inventum possidere, ut tu solus dulcescas mihi, sapias et placeas [49].

Cum Magis porro regibus Christum quærite meditationibus, requirite affectibus, interrogate devotis cogitationibus : *Ubi est qui natus est? vidimus stellam ejus in oriente* [50]; vidimus claritatem ejus fulgentem in mente, vidimus splendorem radiantem in intimis animæ [51].

Quærite autem ut adoretis et munera offeratis, aurum dilectionis, thus consolationis, myrrham contritionis : aurum dilectionis propter bona collata, thus devotionis propter gaudia præparata, myrrham contritionis propter peccata perpetrata [52]... Hæc triplex in cordibus recte credentium qui ad Christum gressu fidei veniunt celebratur oblatio [53].

Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum [54].

Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum; et quod fecit intelligi, fecit inquiri. Sequuntur tres viri superni luminis ductum, et prævii fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis gratiæ splendore ducuntur [55].

Audiens autem Herodes rex turbatus est [56]. Cœli Rege nato, rex terræ turbatus est : quia nimirum terrena altitudo confunditur cum altitudo cœlestis aperitur [57]... Conturbatur, timet saluti suæ, metuit potestati [58]... Quid mirum si pietate nascente turbatur impietas? Velit, nolit, Christum regem fatetur, quando se a regno putat esse pellendam. Ecce jacentem in præsepio pertimescit armatus; contremiscit humilem rex superbus, et abjectam infantiam ac vagientem expavescit ætatem : obvolutum in pannis metuit purpuratus [59].

Sed quid times, o Herodes? Rex iste non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare; nec ideo natus est ut tibi succedat, sed ut in eum mundus fideliter credat [60]... Tremis scilicet infantem regiæ dignitatis, quia bonitatem nascentis ignoras [61]... Non ad hoc venit ut alienam invadat gloriam, sed ut suam donet; nec ut regnum terrestre præripiat, sed ut cœleste conferat. Non venit ad potestates dignitatesque rapiendas, sed ad contumelias et injurias perferendas. Non ad hoc venit ut sacrum caput ad diadematum gemmam, sed ad coronam spineam præpararet. Non ad hoc ut constitueretur super sceptra magnificus, sed ut crucifigeretur illusus [62].

O cæca stultæ æmulationis impietas! Dominus mundi temporale non quærit regnum qui præstat æternum; nec eripit mortalia qui regna dat cœlestia [63]... Cujus times infantiam nascentis, magis timere debes omnipotentiam judicantis [64]. Pie igitur timeant reges ad Patris dexteram jam sedentem, quem rex impius timuit adhuc matris ubera lambentem. Quid enim erit tribunal judicantis quando superbos reges cunabula terrebant infantis? Adoretur ergo a Magis, timeatur a malis [65].

Et mittens illos in Bethlehem dixit : Ite et interrogate diligenter de puero, ut et ego veniens adorem eum [66].

O calliditas ficta! o crudelitas impia! o nequitia fraudulenta! Sanguis innocentium, quem crudeliter effudisti, attestatur quid de hoc puero voluisti [67].

Et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos [68].

Cum recessissent Magi et reliquissent Judæos, *ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Hinc manifeste datur intelligi, quoniam humanum flagitantes consilium, divinum amisere ducatum, et conversos ad terrenum documentum signum cœleste deseruit. Unde et relicto Herode *gavisi sunt gaudio magno ; stella* enim *antecedebat eos* [69].

Antecedebat eos : 1° ut considerantes obsequium stellæ, Regis intelligerent dignitatem; 2° ut scirent quoniam hominibus quærentibus Deum, sic omnia elementa ministrant [70].

Usque dum veniens staret supra ubi erat puer [71] Nondum loquens per linguam loquitur de cœlo per stellam, ut quis esset et quo propter quos venisset, non voce carnis sed virtute Verbi quod *caro factum est* [72], demonstraret [73]... Quid enim erat stella illa nisi magnifica lingua cœli quæ narraret gloriam Dei (Christum scilicet natum) [74].... cujus indicio ad illa cœlestis pueri veneranda cunabula pervenerunt [75].

Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus [76].

Nunquid viderunt palatium marmoribus splendidum? Nunquid matrem ejus diademate coronatam, aut in lecto aureo recumbentem? Nunquid puerum auro aut purpura involutum? Nunquid aulam regiam diversis populis resonantem? Sed quid? Pandochium tenebrosum et sordidum; matrem vix tunicam unam habentem non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis; puerum pannis sordidissimis involutum, et in sordidiore quoque præsepio positum [77].

[49] S. Chrysost., hom. 2 *Operis imperfecti in Matth.* [50] *Matth.* II, 2. [51] S. Bern., serm. 3 *in Epiph.*; S. Bonav., *De S. festiv. pueri Jesu.* [52] S. Bonav., ubi supra. [53] S. Leo, serm. 6 *De Epiph.* [54] *Matth.* II, 2. [55] S. Leo, serm. 1 *De Epiphan.* [56] *Matth.* II, 3. [57] S. Greg., hom. 10 *in Evang.* [58] S. Leo, serm. 3 *De Epiph.* [59] Eusebius Emissen., hom. 1 *in Epiphan.* [60] S. Fulg., serm. 1 *De Epiph.* [61] S. Leo, hom. 5 *De Epiph.* [62] Eusebius Emissen., hom. 1 *in Epiphan.* [63] S. Leo, *Serm. de Epiph.* [64] S. Fulgent., serm. 3 *in Epiphan.* [65] S. Aug., serm. 2 *De Epiphan.* [66] *Matth.* II, 8. [67] S. Fulgent., serm. 3 *in Epiphan.* [68] *Matth.* II, 9. [69] S. Bern., serm. 3 *in Epiphan.* [70] S. Chrysost., hom. 2 *in c.* I *Matth.*, *Op. imp.* [71] *Matth.* II, 9. [72] *Joan.* I, 14. [73] S. Aug., serm. 4 *De Epiph.* [74] *Ibid.*, serm. 3; *Psal.* XVIII, 2. [75] *Ibid.*, serm. 1. [76] *Matth.* II, 11. [77] S. Chrysost., *Op. imperfect.*, hom. 1 *in Matth.* II.

Nonne timendum erat ne scandalizarentur viri isti et illusos se crederent, cum tanta indigna viderent? A regia civitate ad Bethlehem villam parvulam diriguntur; ingrediuntur stabulum, inveniunt involutum pannis infantulum. Non illis sordet stabulum, non scandalizantur lactentis infantia, procidunt, venerantur ut Regem, adorant ut Deum [78].

Venerantur ut Regem cujus aula est stabulum, thronus præsepium, curiæ frequentia Joseph et Maria... Adorant ut Deum lactentem puerum in tugurio vili, in vilibus pannis, in matris gremio, despicabilem tam sua ætate quam sua paupertate. Insipientes facti sunt ut fierent sapientes [79].

Invenerunt, etc. Nos quoque personam Magorum spiritualibus imitemur obsequiis. In primis tandiu quæramus Christum donec illum invenire mereamur. Ducatum nobis præbeat stella cœli lux fidei. Hæc nobis illum ostendat non jam in præsepi vagientem, sed in summa cœli arce dominantem; nec in matris gremio, sed in solio Patris adorandum; nec ulterius in humanitate judicandum, sed ad judicium cum majestate venturum [80].

Magos non retardavit longitudo viarum, quia de longinqua regione; non eos retraxit difficultas temporum, quia in hieme; non multitudo expensarum, quia in regali comitatu; non delicata teneritudo complexionum, quia delicate nutriti; non periculum personarum, quia eis fieri poterant insidiæ occultæ: sed accendit et inflammavit eos fidei fervor, spei vigor, charitatis ardor, ut nec de temporis momento potuerint vel timore personæ vel amore patriæ cum negligentia seu desidia aliqua retardari [81].

Erubesce, Christiane infelix et miser, non imitari sanctorum virorum exemplum, postquam Jesus dilectus et amorosus, jam non unica stella, sed mille millibus miraculis, sanctorum exemplis, martyrum victoriis et triumphis, tuam pigritiam excitat et tuam cæcitatem illustrat. Erubesce præcipue quia stabulum jam mutavit in cœli palatium, præsepium in regni solium, Virginis gremium in Patris sinum atque consessum, parvitatem in majestatem, panniculos et fascias in gloriosam stolam, lacrymas et vagitus in cœlestes concentus, mutitatem infantiæ in locutionem paternæ substantiæ, societatem bestiarum in multitudinem angelorum [82].

Et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera [83].

Unde vobis hoc, o alienigenæ? Neque enim tantam invenimus fidem in Israel [84]. Sic vos non offendit vilis habitatio stabuli, non pauperies curiæ præsepii? non vos pauperis matris præsentia, non lactentis infantia scandalizat [85]?

Vident humilia, et alta intelligunt [86]... Deum natum vident positum in præsepio, nec apud sensus eorum humilitas nativitatis reverentiam Divinitatis imminuit [87]... Consummant desiderium suum, ad puerum Jesum pervenientes, adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, in hominis veritate Dominum majestatis [88]... Adorant corporibus, honorant muneribus, venerantur officiis [89]... Adorant corporibus (*procidentes*, inquit), adorant cordibus (*adoraverunt eum*), adorant facultatibus suis (*obtulerunt ei munera*) [90].

Obtulerunt ei munera. Munera offerunt qui adimplent consilia. Præcepta enim Christianis omnibus data sunt, veluti tributa regibus debita: si quis non persolverit, pœnam solvet. Viri autem clari non solum tributa annua solvunt, sed munera etiam offerunt: et hi digni habentur honore magno, magnis donis, auctoritate multa. Munera sunt virginitas, castitas, rerum omnium nuditas [91].

Aurum, thus et myrrham [92]. Munera hæc quæ deferunt, non tam munera quam mysteria [93]..., mystica enim sunt [94]..., sacramentalia [95]..., divino mysterio plena [96]... Ut enim sacramentum fidei suæ intelligentiæque suæ manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum Regi [97]... Per aurum enim Rex ostenditur: Deus in thure dignoscitur: per myrrham vero, quæ condiendis est apta corporibus, sepultura crucifigendi hominis prædicatur [98].

In auro ostenditur captivitatis nostræ pretiosa redemptio: in thure et dæmoniorum superstitio cessatura et futurus verus religionis cultus aperitur. In myrrha, qua exanima solent corpora conservari, præfiguratur carnis nostræ reparatio et resurrectio mortuorum. Hæc quæ offerunt Christo tam sacrata donaria non Magorum arbitrium, sed inspiratio Omnipotentis elegit: quæ omnia superflua viderentur et vana, nisi adumbrata in illis vitæ nostræ sacramenta credantur [99].

Exhibent ergo ista veræ fidei munera [1]... aurum, thus et myrrham; plus in mysteriis quam in conscientiis offerentes: in auri munere, regia dignitas; in thuris vapore, divina majestas; in myrrhæ specie sepelienda demonstratur humanitas. Ac sic Trinitatem oblationis numerus loquitur, unitatem devotio una testatur [2].

Hæc porro quæ veneramur credita, suscipiamus imitanda, et quos sequimur fidei spiritu, operum quoque sequamur exemplo [3]... Ideoque et nos qui hæc

[78] S. Bern., serm. 1 *in Epiph.* [79] *Ibid.* [80] S. Aug., serm. 1 *in Epiphan.* [81] S. Bernardin., *Serm. in Epiph.*, a. 2, c. 1. [82] *Ibid.* [83] *Matth.* II, 11. [84] *Matth.* VIII, 10. [85] S. Bern., serm. 3 *in Epiph.* [86] S. Chrysost., *Op. imperf.*, hom. 2. [87] S. Aug., serm. 1 *de Epiph.* [88] S. Maxim., vel S. Leo, serm. 1 *De Epiph.* [89] S. Aug., hic. [90] S. Bernardin., *Serm. de Epiph.* [91] S. Doroth., doctr. 1, *De obed.*, n. 14. [92] *Matth.* II, 11. [93] S. Maxim., hom. 1 *in Epiph.* [94] S. Leo, serm. 1 *in Epiph.* [95] Arnold. Carnot., *Serm. de laudib. Deiparæ.* [96] S. Aug., serm. 1 *in Epiph.* [97] S. Leo, hom. 1, *De Epiph.* [98] S. Aug., loc. cit. [99] S. Maxim., hom. 3 *in Epiph.* [1] S. Ambros., *in c.* II *Luc.* [2] S. Sedat., episc., *Hom. de Epiph.* [3] S. Leo, serm 7 *in Epiph.*

audimus et legimus... ei qui dixit : *Non apparebis in conspectu meo vacuus* [4], de thesauris nostris talia munera offeramus [5]...; aurum scilicet fidei, pietatis aromata, castitatis holocausta. Spiritalem quoque myrrham habeamus in nobis, quæ ita animas nostras condiat ut illæsas a peccati corruptione custodiat [6].

Sic Magorum comes eris, natoque Domino munera offeres. Etsi enim ille hoc tempore ab amicis non exigat aurum aut myrrham aut thus; auri tamen loco fidei sinceritatem exigit ; pro myrrha incorruptam animæ corporisque integritatem deposcit; thuris autem vice bonorum operum suaveolentiam a nobis efflagitat [7].

Aurum etiam et nos devote offerimus Salvatori cum pro ejus nomine derelinquimus substantiam hujus mundi ; thuris odoramentum, cum terrenis relictis flagranti desiderio cœlestia requirimus : myrrham dum carnem castigantes et crucifigentes cum vitiis et concupiscentiis [8], ipsam subjicimus servituti [9]...'Aurum offerimus si sapientiæ lumine splendemus; thus si orationis studio redolemus ; myrrham si carnis vitia mortificamus [10].

Afferte ergo Domino, filii Dei, inquit Propheta, *afférte* [11]... (Nec dicas) : Quid afferemus ? *Argentum et aurum non est mihi* [12]. Ergone vacuus apparebis in conspectu Domini et cunabula novi Regis nullis honorabis xeniis [13] ?

O dives paupertas ! o locuples nuditas, si tamen Christiana et voluntaria ! Quibus enim divitiis non abundas, non solum auri, sed etiam auri primi, auri igniti : non solum myrrhæ et thuris, sed etiam universi pulveris pigmentarii ? *Mecum sunt*, inquit, *divitiæ et gloria et opes superbæ et justitia* [14].

Sane inter divitias hujusmodi non dubitaverim, aurum, thus et myrrham posse reperiri, quæ digne et grate Christo nato queant offerri. Vellem solum foderes intra te. Solent namque pretiosi latere thesauri in abditis terræ. In agro absconditus erat thesaurus ille qui desiderio sui compulit hominem omnia vendere [15].

O quanti thesauri bonorum operum, quantæ divitiæ piorum fructuum absconditi latent in agro humani corporis, et quanto plures in abdito cordis, si modo sit qui exerceat et fodiat ! Si ergo ad cor redeas [16] et corpus exerceas, non diffidas te inventurum thesauros desiderabiles, etsi non auri statim ab initio, aut thuris certe vel myrrhæ non inutiles [17].

Quod si manifestius vis audire, myrrha in corde tuo dolor est, myrrha in corpore tuo labor est, si tamen iste vel ille pœnitentialis est. Nihil gustu amarius, sed nihil effectu salubrius. Corruptioni resistit, vindicans a corruptione luxuriarum, a corruptione vermium. Ipsi enim scitis quomodo vermescerent corda, quomodo vermescerent corpora, si non quotidie de manibus laborantium distillaret myrrha [18].

Si ergo nondum sufficit manus tua ad offerendum aurum sapientiæ aut thus devotionis, saltem cor contritum corpusque afflictum offer cum amaritudine pœnitentiæ. Et myrrham electam et probatissimam Domino cum regibus rex et ipse obtulisti [19].

Non parvus autem profectus est si de myrrha ad thus profecisti, ut qui sacrificium spiritus contribulati [20] corporisque humiliati obtulisti non sine myrrha amaritudinis, jam sacrificium laudis offeras cum thure devotionis. Myrrha enim prima oblatio incipientium, deinde thus proficientium, demum aurum perfectorum [21].

Quod si vir virtutum dives non prævales aurum offerre in sublimi contemplatione, non tamen negligas offerre thus in devotione divini operis, myrrham in mortificatione tui [22].

Tandem quod habemus offeramus in gloriam novi Regis, quod minus habemus ab ipso petamus cui offerre cupimus [23].

Offeramus castitatem, fidem, patientiam, charitatem, mentes humiles, probos mores, animas Deo inhabitatore condignas. Hæc sunt placita Deo dona, hæc grata munera ; nullo enim munere eget. Hoc illi munus optimum est ut causas habeat remunerandi. Nihil a nobis exigit, nihil amplius petit, nisi salutem nostram. Omnia enim sibi præstari a nobis putat, si ita nos egerimus ut nobis ab illo omnia præstentur [24].

Et responso accepto in somnis, per aliam viam reversi sunt in regionem suam [25].

O fides Magorum ! Non contradixerunt angelo admonenti [26], sed adorato Domino et omni religione completa, secundum admonitionem somnii non eodem quo venerant itinere revertuntur. Oportebat enim ut jam in Christum credentes, non per antiquæ conversationis semitas ambularent, sed novam ingressi viam a relictis erroribus abstinerent [27]... Neque poterant per Herodem, id est itinere mortis redire, qui in patriam suam adorato Dei Filio cœlestis vitæ munera reportabant [28]... Per aliam ergo viam reversi sunt Herode relicto ; ipse enim eis via fuit Christus, qui et desiderantibus visus est, et remeantibus inhærere, vel comitari dignatus est [29].

Quod autem hic ait evangelista Magos per aliam viam ad regionem propriam remeasse, hæc etiam nobis spiritaliter præcipiuntur [30] ; ut scilicet qui ab Herode, id est diabolo, ad Christum venimus, iterum

[4] *Exod.* XXIII, 15. [5] S. AMBROS., *in Luc.* II. [6] S. SEDAT., loc. cit. [7] SOPHRON., patriarch. Constant., orat. 1 *in Natal. Dom.* [8] *Galat.* V, 20. [9] S. BERN., serm. 3 *in Epiph.* [10] S. GREG., hom. 10 *in Evang.* [11] *Psal.* XXVIII, 1. [12] *Act.* III, 6. [13] GUERRIC. abbas, serm. 1 *in Epiph.* [14] *Prov.* VIII, 18; GUERRIC., ubi supra. [15] *Matth.* XIII, 44; GUERRIC., ubi supra. [16] *Isa.* XLVI, 8. [17] GUERRIC., ubi supra. [18] *Ibid.* [19] *Ibid.* [20] *Psal.* L, 19. [21] GUERRIC., ubi supra. [22] *Ibid.* [23] *Ibid.* [24] S. AUG., serm. 1 *De Epiphan.* [25] *Matth.* II, 12. [26] S. CHRYSOST., *Op. imp.*, hom. 2. [27] S. LEO, serm. 4 *De Epiph.* [28] S. MAXIM., hom. 4 *in Epiph.* [29] ORIG., hom. 3 *in Diversos.* [30] S. SEDAT., *Hom. de Epiph.*

ad diabolum non redeamus... et ut per aliam viam, id est per aliam conversationem revertamur ad patriam [31]... Duæ quippe sunt viæ : una quæ ducit ad interitum, alia quæ ducit ad regnum. Illa peccatorum est quæ ducit ad Herodem : hæc Christus est qua reditur ad patriam [32].

Porro regio nostra paradisus est, ad quam Jesu cognito redire per viam qua venimus prohibemur [33]... A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus : sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus. Per aliam igitur viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui a paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocemur [34].

Sic ad sua per innocentiæ viam redeunt, qui iter Herodianæ fraudis calcaverunt in ruinam [35]... Sic et nos novam viam carpamus, non qua venimus, redeamus [36]... Venisti per viam fornicationis, ambula per viam castitatis : venisti per viam avaritiæ, ambula per viam eleemosynæ, etc. [37]. Per superbiam accedimus in mundum, per humilitatem redeamus ad paradisum ; per cupiditatem ad servitium diaboli venimus, per misericordiam ad Christum Dominum redeamus ; per voluptatem et luxuriam durissimum jugum diaboli sustinuimus ; per charitatem atque justitiam leve jugum Christi suscipere festinemus. Per vias nequitiæ ab angelorum societate discessimus, per vias bonitatis redire ad principale studeamus. Si hoc ordine vias mortiferas relinquentes, vias vitæ tenere voluerimus, de sinistra translati ad dexteram, Magorum itinera possumus imitari [38]... Si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regno vadis Herodis et fis proditor Christi [39].

Viæ ergo immutatio vitæ intelligitur emendatio. Unde et nos per alias incedimus vias, quando veterem abnegamus hominem, quando superbiam suscepta humilitate deponimus, quando ad patientiam ab iracundia mentem deflectimus ; quando veteres voluptates et consuetudines pristinas ac desideria antiqua damnamus [40].

Ad viam utique aliam de errore transimus, quando universas concupiscentias honestatis ac paupertatis amore calcamus : quando castitate luxuriam subjugamus, sinistras semitas relinquentes, dextro tramite iter spiritale conficimus [41].

Insignem ergo diem hanc manifestationis Domini nostri, in qua Magi primitiæ gentium venerunt, adoraverunt, munera obtulerunt, per aliam viam reversi sunt, spiritali lætitia gratissimam habeamus [42]... Immortali etiam illi Regi spiritualia vota persolvas ; exhibe 1° in ejus laude aureæ rutilantis charitatis affectum quem concupiti sponsi tui amabilis formabit præsentia ; 2° thus quod est oratio et quod valde proficuum est, si amoris sancti fuerit inflammatum incendio. Sicut enim thus quamvis in se sit optimum nullam ex se refundit odoris fragrantiam, nisi injiciatur igni ; ita nec orationis incensum Deo acceptabiliter præsentatur, si non charitatis exstiterit flamma consumptum [43].

Sit orantis animus propriæ infirmitatis cognitione repletus, atque ad edomandas carnis concupiscentias solerter intentus, quatenus humillimum Dominum, auri, thuris et myrrhæ spirituali oblatione lætificet.. Nempe rubigine charitatis consumptum est aurum et orationis fetet incensum, ubi carnalis dominatur affectus. Ne igitur tepescat charitas, ne orationis repellatur intentio, corporis omnino sunt resecandæ illecebræ atque myrrhæ amaritudine condiendæ [44].

Tandem Christo manifestato perseverantissima dilectione cohærete [45]... Transeuntia nos et vana non occupent et constanti desiderio ad ea quæ semper sunt mansura tendamus. Sacramentum enim præsentis festi oportet in nobis esse perpetuum, quod utique sine fine celebrabitur, si in omnibus actibus nostris Dominus Christus appareat [46].

CHRISTUS INFANS.

Nolite timere, inquit angelus ad pastores : *Ecce enim evangelizo vobis gaudium quod erit omni populo ; quia natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus. Et hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio* [47]

Ecce mistus humanæ carni Deus se fingit infantem [48]... O admirabile mysterium ! O magnum Deum ! O perfectum puerum ! Filius in Patre, Pater in Filio, Filius Dei, infans Patris, pannis involutus et in præsepio positus [49].

O nova ratio ! amore imaginis suæ coactus in infantem vagit Deus ; patitur se pannis alligari qui totius mundi delicta venerat soluturus [50]... Occultatur in membris infantis potentia Majestatis. Deus pendet ad ubera genitricis, pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffert præsepii angustias, et totum misericors humiliter patitur, dummodo mundus qui perierat liberetur [51].

O beata infantia per quam nostri generis vita est reparata ! O gratissimi delectabilesque vagitus per

[31] S. Chrysost., *Op. imp.*, hom. 2. [32] S. Ambros., *in Luc.* II. [33] S. Gregor., hom. 10. [34] *Ibid.* [35] Petr. Chrysol., serm. 158. [36] S. Aug. [37] S. Chrys., hom. 2, *Op. imp. in Matth.* [38] S. Sedat., *Hom. de Epiphan.* [39] S. Chrysost., sup. [40] Eusebius Emissen., hom. 1 *in Epiphan.* [41] *Ibid.* [42] S. Aug., serm. 3 et 4 *De Epiph.* [43] S. Laurent. Justin., *Serm. in Epiphan.* [44] *Ibid.* [45] S. Aug., serm. 2 *in Epiph.* [46] Id., in Append., serm. 28, *De Epiphan.* [47] *Luc.* II, 10-12. [48] Zeno Veron., serm. 2 *De Nativ.* [49] Clem. Alex., *Pædag.* lib. I, c. 5 et 6. [50] Zeno Veron., serm. 3 *De Nativ.* [51] S. Aug., serm. 3 *in Nativ.*

quos stridores dentium æternosque ploratus evasimus! O felices panni quibus peccatorum sordes extersimus! O præsepe splendidum in quo non solum jacet fenum animalium, sed cibus inventus est angelorum [52]!.. Adhuc in manibus Matris portabaris et jam Dominus orbis agnoscebaris [53].

O sanctissima plane nostri Salvatoris infantia quæ jucunditate, pietate, utilitate redundat [54]!... Jucunditate: quantum enim tibi suavitatis accedet, si eum apud Nazareth puerum apud pueros contempleris; si obsequentem Matri, si operanti nutritio assistentem intuearis [55]?... Quam suave illum per omnia paupertate materna contentum matrique per omnia subditum intueri ita ut totius religionis forma in ejus nativitate nata videretur [56]!... Quid etiam non suave tibi quando rememoraberis illarum infantilium necessitatum [57]?

O puer dulcissime Jesu bone, *quam magna est multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te et perficies sperantibus in te* [58], qui tanta exhibuisti necdum scientibus te!

Prorsus dulcedo incomparabilis et pietas ineffabilis ut Deum qui creavit me videam puerum creatum propter me, Deusque majestatis et gloriæ non solum similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis et velut humanæ indigens opis appareat, ætatis infirmitate [59].

Vere tu puer Deus *salutare vultus mei et Deus meus* [60], cum totus sis dulcedo et desiderium, dulciorem tamen te mihi facit tenericitudo membrorum. Hæc nimirum te capabilem facit sensibus et affectibus parvulorum qui nondum sunt te solidum idonei capere cibum [61].

Dulce interim, dulce prorsus et sapidum cogitare puerum Jesum, quin etiam efficax et operatorium ad medendum et dulcorandum. Ubi enim sensus et memoria fuerit hujus divinæ dulcedinis, omnis amaritudo cum omni malitia tolletur a nobis. Ita fiet ut quasi modo geniti infantes modo genitum infantem Dominum digne laudemus, et in consonantia morum et vocum ex ore infantium et lactentium perficiatur laus [62] infantis et lactentis Domini Jesu Christi [63].

Jucunditate ergo redundat hæc infantia nostri Salvatoris [64]... sed iis tantum qui devote suscipiunt tenerum, devote adorant cum Magis, devote amplectuntur cum Simeone [65]... qui factus in puero puer [66]...suscepit *misericordiam tuam in medio templi tui* [67].

Non enim consolatur Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes, non consolantur panni ejus ambulantes in stolis, non consolantur præsepe et stabulum amantes primas cathedras in synagogis [68], sed (Dominum imitantibus) lugentibus, pannosis, pauperibus cedere videntur [69].

Pietate etiam redundat hæc sancta Salvatoris infantia: sæpe enim quærimus quare sic mundum Christus intrat, ut ventris experiatur angustias, partus patiatur injuriam, sustineat vincla pannorum, cunabula toleret imbecilla, lacrymis uberum nutrimenta disquirat, ætatum gradus necessitatesque persentiat? Taliter certe venire debuit, qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem [70].

Natura docet omnes quid valeat, quid mereatur infantia. Infantia quem barbarum non vincit, quam non feritatem mitigat, quam crudelitatem non comprimit, quem non compescit furorem, quam non potestatem deponit, quem non mitigat rigorem, quam duritiam non resolvit [71]?

Quid non amoris expostulat? Quid non affectionis extorquet? Quam non impertit gratiam? Quam non impetrat charitatem? Hoc ita esse sciunt patres, matres sentiunt, probant omnes; viscera humana testantur. Sic ergo nasci voluit qui amari voluit, non timeri. Et tamen apud malitiam humanam sic blanda, sic pia, sic chara audite quid proficit infantia [72].

Utilitate tandem hæc sacra redundat infantia, cujus infirmum et stultum fortius et sapientius est omnibus hominibus. Divina enim in nostris operatur. Hujus siquidem infantis infirmitas principem mundi triumphat, fortem armatum ligat, crudelem tyrannum captivat, et captivitatem nostram absolvit et liberat [73].

O quam sacra et dulcis infantia quæ veram humanis innocentiam refudisti; per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam, tibique conformis fiat non pusillitate membrorum, sed humilitate sensus et pietate morum! *Quanto magnus es*, inquit Sapiens, *humilia te in omnibus et invenies gratiam coram Deo* [74] *qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [75], qui et ipse, ut tibi fieret exemplum, cum esset maximus omnium, factus est humillimus omnium et minimus [76].

Parum erat ei ut fieret minor angelis conditione mortalis naturæ, nisi et hominibus minor fieret ætate imbecillis infantiæ. Videat igitur pius et humilis, et glorietur; videat impius et superbus, et confundatur. Videat Deum immensum parvulum factum et infantulum adorandum, stupendum mysterium, redemptionem piorum, gloriam humilium, judicium impiorum, ruinam superborum [77].

[52] S. Aug., serm. 3 *in Nativ.* [53] *Ibid.* [54] S. Ansel., lib. x, med. 8. [55] Id., *Medit. de præter. benef.* [56] Guerr. abbas, serm. 5 *in Nativ.* [57] S. Bern., *Serm. de quadruplici debito.* [58] *Psal.* xxx, 20. [59] Guerric. abbas, serm. 1 *De Nativit.* [60] *Psal.* xli, 12. [61] Guerric., ubi supra. [62] *Psal.* viii, 3; *Matth.* xxi, 16. [63] Guerric., ubi supra. [64] S. Anselm., lib. x, medit. 8. [65] S. Bern., serm. 5 *in Natal. Domini.* [66] S. Aug. [67] *Psal.* xlvii, 10; S. Bern., loc. cit. [68] *Matth.* xxiii, 6. [69] S. Bern., loc. cit. [70] S. Petr. Chrysolog., serm. 158. [71] *Ibid.* [72] *Ibid.* [73] Guerric. abbas, serm. 1 *De Nativ.* [74] *Eccli.* iii, 20. [75] *Jac.* iii, 34. [76] Guerric., ubi supra. [77] *Ibid.*

O venerandum ac tremendum mysterium ! Quam sanctum et terribile nomen tuum [78], fons misericordiarum et abyssus judiciorum ! Quis de hoc fonte bibit et non amavit ? Quis hanc abyssum consideravit et non expavit ! Qui non amavit, nequam et impius est : sicut qui non expavit vecors et insanus [79].

Nihil tamen est cur judicium expavescas, si non adversus misericordiam insolescas. Et ipse siquidem mallet amari quam serviliter timeri : magisque probat quod liber ac voluntarius offert affectus filiorum, quam quod coactitius extorquet metu servulorum [80].

Ideo et nunc cum se manifestavit mortalibus, puerum se maluit exhibere : magisque amabilis quam terribilis apparere : ut quia salvare veniebat et non judicare, præferret interim unde provocaret amorem, differret unde incutere posset timorem [81].

Cum fiducia igitur accedamus ad thronum gratiæ ejus [82], qui nec cogitare sine tremore poteramus de throno gloriæ ejus. Nihil terroris, nihil severitatis quam metuas, sed omnimoda benignitas atque mansuetudo de qua præsumas. Et si potestas et terror apud ipsum est, totum tamen interim dissimulatur donec pœnitenti parcat, confitentem recipiat [83].

Ne sit tibi scrupulo quod graviter deliquisti : nescit puer lædus irasci, aut si irascitur facile potest placari. Vere nihil placabilius animo hujus pueri, qui in hoc ipsum pacem tuam satisfactionemque prævenit, priorque legatos de pace mittit ; ut qui reus es, velis reconciliari : tantummodo velis et vere perfecteque velis, non modo veniam indulgebit, sed et gratiam cumulabit ; quinimo lucrum non mediocre deputans ovem recuperasse perditam, diem festum aget cum angelis [84].

Congruebat ergo cum divina mansuetudine ætas innocentis ac facilis infantiæ : satisque convenienter ac commode ab hac exorditus est ætate, ut quos reatus propriæ terrebat conscientiæ spes consolaretur non difficilis intelligentiæ.

Quis porro jam non erubescat obstinatus esse in consilio suo quando suum Sapientia ipsa deseruit ? *Et erat*, inquit, *subditus illis* [85]... Magna certe abusio et magna nimis, ut dives et magnus esse velit vermiculus vilis propter quem Deus majestatis et Dominus Sabaoth voluit pauper et parvus fieri [86].

Quicunque humiliaverit se sicut puer iste, inquit puer Jesus, *hic major erit in regno cœlorum* [87]. Amat Christus infantiam quam primum et animo suscepit et corpore. Amat Christus infantiam, humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam, quæ majorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates et eos ad suum inclinat exemplum quos ad regnum sublimat æternum [88].

Ut autem plene valeamus agnoscere in puerilem gradum qua nobis imitatione redeundum sit, docet nos Apostolus : *Nolite*, inquit, *pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote* [89]. Non ergo ad lubrica infantiæ et imperfecta nobis primordia redeundum est, sed aliquid etiam quod graves annos deceat inde sumendum est [90].

Nulla sit memoria offensionis, nulla cupiditas dignitatis. Amor sociæ dilectionis, æqualitas naturalis. Magnum enim bonum est nocere non posse et ad maligna non sapere, quia inferre ac referre injuriam, mundi hujus prudentia est ; nemini autem malum pro malo reddere, Christianæ est æquanimitatis infantia [91].

Ad hanc vos similitudinem parvulorum Jesus parvulus invitat, et hanc vobis humilitatis formam Salvator insinuat, qui, ut imitatoribus suis quid gloriæ paravit ostenderet, ortus sui tempore editos martyrio consecravit, ut in Bethlehem geniti per communionem ætatis consortes fierent Passionis. Ametur igitur humilitas et ab omnibus fidelibus omnis vitetur elatio [92].

Sis ergo tanquam evangelicus ille parvulus... qui (ita) nobis regulam sanctitatis ubique præscribit infantia sua, ut in omnibus videas signum et formam obedientiæ, exemplum humilitatis, legem vitæ et disciplinæ... Sic ad parvulum sit conversio tua, ut discas esse parvulus [93]... Exemplo illius *nisi conversi fueritis*, inquit, *et efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum* [94]. Forte seipsum Dominus dicebat. Nimirum *magnus Dominus et laudabilis nimis* [95], ipse *parvulus datus est nobis* [96]. Parvulus autem nobis exhibetur, non magnus, ut seipsum faciat gratum et efficax necessariæ parvitatis exemplum [97].

Audi etiam quam evidenter ipsum tibi, in quo posuit formam conversationis parvulum manifestat, signanter quæ sunt parvuli in seipso imitanda proponens : *Discite a me*, inquit, *quoniam mitis sum et humilis corde* [98]. Gemina parvitas, humilitas et mansuetudo : et interior et exterior parvitas. Utraque tamen non parva virtus est. Nempe tam parvulus ille quam magnus unicum magisterium profitetur [99].

Quem etiam delectat imitari puerum, delectet pueri innocentia..., *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [1]... Delectet simplicitas.... ut simus simplices sicut filii Dei [2]... Ovina nobis simplicitas placeat, non serpentina calliditas [3]... Delectet obedientia illius, qui e sinu Patris exiens factus est puer, ut subditus patri et Matri,

[78] *Psal.* CX, 9. [79] GUERRIC. abb, serm. 1 *De Nativ.* [80] *Ibid.* [81] *Ibid.* [82] *Hebr.* IV, 16. [83] GUERRIC., ubi supra. [84] *Ibid.* [85] *Luc.* II, 51. [86] S. BERN., serm. 3 *De resurr.* [87] *Matth.* XVIII, 4. [88] S. LEO, serm. 7 *De Epiphan.* [89] *I Cor.* XIV, 20. [90] S. LEO, ubi supra. [91] *Ibid.* [92] *Ibid.* [93] S. BERN., serm. 2 *De convers. S. Pauli* ; PETR. Bles., serm. 5 *De Nativit.* [94] *Matth.* XVIII, 3. [95] *Psal.* XCV, 4. [96] *Isa.* IX, 6. [97] S. BERN., loc. cit. [98] *Matth.* XI, 29. [99] S. BERN., loc. cit. [1] *Isa.* LIII, 9 ; *I Petr.* II, 22. [2] *Philipp.* II, 14 ; S. AUG., *in psal.* XLIV. [3] S. PETR. DAM., lib. VIII, *epist.* 9.

fabro et feminæ, perfectæ nobis præberet exemplum obedientiæ [4].

Sed quis non mirabitur altum et profundum Verbi divini, infantis Jesu silentium?.. Omnino *fidelis sermo et omni acceptione dignus* [5], omnipotens sermo tuus, Domine, qui tam alto silentio a regalibus Patris sedibus animalium illapsus præsepibus, melius interim suo nobis silentio sermocinatur [6].

Qui habet aures audiendi audiat [7], quid nobis hoc pium et mysticum æterni Verbi loquatur silentium, quoniam, ni me fallit auditus, inter alia quæ loquitur, loquitur pacem in plebem sanctorum[8], quibus reverentia illius et exemplum religiosum imposuit silentium [9].

Et rectissime quidem imposuit. Quid enim tanto pondere tantaque auctoritate disciplinam commendat silentii, quid tanto terrore compescit inquietum malum linguarum, procellasque verborum, sicut sermo Dei silens in medio hominum [10]?

Non est sermo in lingua mea [11], confiteri videtur omnipotens Sermo, dum Matri subditus est ; et nos qua dementia dicemus : *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est* [12]?

Liberet mihi, si liceret, obmutescere et humiliari et silere a bonis [12a], ut attentius et diligentius aurem possem adhibere vocibus arcanis sacrisque sensibus hujus divini silentii, et vel tanto tempore sub silentio discere in schola Verbi, quanto Verbum ipsum sub disciplina siluit Matris. Verbum quidem breviatum est, ita tamen ut in eo consummatum sit omne verbum : quia nimirum *Verbum consummans et abbrevians in æquitate ipsum* [13].

Tandem quia Dominus gloriæ mortalium se conformavit infantiæ, ut malitia parvuli simus [14]... Quia etiam repuerascere nos et Apostolus jubet secundum Deum, ut malitia infantes simus per simplicitatem [15]... Et nonnisi reversos in naturam puerorum introire in regnum cœlorum Dominus docet [16], id est, per simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum animæque revocanda [17]... Revertendum nobis est ad simplicitatem puerorum : quia in ea collocati speciem humilitatis Dominicæ circumferemus [18].

Porro quia pueri patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt, non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, et quod audiunt verum habent [19]... jure in Christo pueri sunt qui Deum solum Patrem noverunt, simplices infantes, integri, innocentes, unicornium amatores, qui curis de victu postpositis nec solliciti de crastino soli Patri adhærescunt : qui mites et mansueti, doli ac fraudis expertes et a simulatione remoti recto animo sunt ; qui delicati, teneri ac molles ut pueri persuasioni non reluctantur ; qui bile vacui et malitia ac perversitate minime permisti, sancto lacte, id est infantili verbo ad mamillam Patris, id est Verbum, confugientes, enutriuntur [20].

Hanc Christus novæ nobis conversationis dedicavit ac commendavit infantiam, quæ neminem lædit, neminem fallit, libera cupiditatis, suæ voluntatis inscia, neminem judicat, nulli detrahit, nihil cupit, nec de præsentibus anxia nec de futuris sollicita, alieno tantum sustentatur judicio [21].

Sic ergo ad infantis Christi imaginem infantes simus... id est Dei puelli ab omni improbitate expurgati [22]... ut sicut senex ille Simeon qui factus est in puero puer [23]... Christo assimilati solum illud verbum sitiamus... qui est omnia infanti et pater et mater et pædagogus et altor... Sicque puerilis ætatis appellatio, quod est nomen novum æternum, impollutum, simplex et infantile, et verum, quod benedicetur in terra, sit nobis ver totius vitæ, senii scilicet expertis et sanctæ, uber ætatis juventus ab interitu aliena, in qua semper vigeamus ad intelligentiam mentis et operationem [24].

Denique diligamus eum puro corde atque pro posse illius vestigia imitemur [25]... nobis enim assumendo hominem factus est via, et in ipsa vestigia imitanda reliquit [26].

Prorsus autem errat in via, qui vestigia impressa non sequitur. Et si viæ hujus vis nosse vestigia, attende Dominum Jesum infantem in fetenti stabulo, etc. : et intelliges illum sæculi contemptum, paupertatem voluntariam, carnis macerationem, constantiam patiendi, humilitatis formam, obedientiæ regulam, disciplinam charitatis et virtutum omnium perfectionem tibi in se prætigurasse. Perseveranter igitur et alacri animo hæc sequere ostensa vestigia [27].

Sis parvula cum parvulo Jesu, nec parvipendas talia humilia et quæ puerilia videntur meditari de ipso. Videntur enim dare devotionem, augere amorem, accendere fervorem, inducere compassionem, puritatem et simplicitatem conferre, et humilitatis ac paupertatis vigorem nutrire et conservare familiaritatem et conformitatem facere ac spem elevare [28].

Talium meditatio superbiam tollit, cupiditatem enervat, curiositatem confundit. Vide quot bona inde proveniunt. Sis ergo, ut dixi, cum parvulo parvulus et cum grandescente grandescas, semper tamen humilitate conservata ; et sequaris eum quocunque ierit et intuearis faciem ejus semper [29].

—

[4] Ex SS. Patr., passim. [5] *I Tim.* I, 15. [6] Sap. XVIII, 15; GUERR. abbas, serm. 5 *in Natal. Dom.* [7] *Matth.* XIII, 9. [8] *Psal.* LXXXIV, 9. [9] GUERRIC., ubi supra. [10] *Ibid.* [11] *Psal.* CXXXVIII, 4. [12] *Psal.* XI, 5; GUERRIC., loc. cit. [12a] Psal. XXXVIII, 3. [13] *Rom.* IX, 28; GUERRIC., loc. cit. [14] S. LEO, serm. 1 *in Epiphan.* [15] *I Cor.* XIV, 20; TERTULL., *Adv. Valentin.* [16] *Matth.* XVIII, 3. [17] S. HILAR., *in Matth.* XVIII. [18] *Ibid.* [19] ID., com. 18 *in Joan.* [20] CLEM. Alex., *Pædag.* lib. I, c. 5, 6. [21] S. BERN., *Hom. infra octav. Epiphan.* [22] CLEM. Alex., *Pædag.* lib. I, c. 5, 6. [23] S. AUG. [24] CLEM. Alex., *Pæd.* l. I, c. 6, 5. [25] S. LAURENT. JUSTIN., *Serm. in Nativ.* [26] S. AUG., et SS. Patres, passim. [27] *Ibid.* [28] S. BONAV. *Medit. vit. Christi*, c. 12. [29] *Apoc.* XIV, 4; S. BONAV., loc. cit.

CHRISTUS IN TEMPLO PRÆSENTATUS.

Gratias Redemptori nostro qui tam copiose prævenit nos in benedictionibus dulcedinis [29], sacramentis infantiæ suæ gaudia nostra multiplicans. Celebratis si quidem paulo ante nativitate, circumcisione et apparitione ejus, festus hodie nobis oblationis ejus dies illuxit [30]... solemnitas quæ ad honorem Dei et sanctissimæ ejus Matris celebratur, majoribus festivitatibus anni non minor. Eadem quippe devotione, qua dies Nativitatis Domini et Epiphaniæ a Christiana religione noscitur celebrari, debet et ista celebrari [31].

Hodie namque sistitur Creatori terræ fructus sublimis : hodie placabilis et placens Deo hostia virginis manibus offertur in templo : hodie offerunt Joseph et Maria, Simeon et Anna suscipiunt... Nullum ibi locum peccator habuit. Omnes justi, omnes sancti, omnes fuere perfecti [32].

Dies iste celebris, dies Dominicæ præsentationis ; quando a Matre solemniter ad altare præsentatus est Patri [33]. Hic unicus Filius unico Patri ab unica Matre oblatus est, unus uni : imo in uno omnes fideles sunt oblati [34]. Festiva devotione convenite in templum ad suscipiendum Redemptorem, omnes qui exspectatis redemptionem Israel [35].

Postquam, inquit evangelista, *impleti sunt dies purgationis Mariæ* [36]. Quid est quod dicimus beatam Mariam purificari? Quid vero quod ipsum Jesum dicimus circumcidi? Enimvero tam non indiguit illa purificatione quam nec ille circumcisione. Nobis ergo et hic circumciditur, et illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut a vitiis continentes, primum per ipsam continentiam circumcidamur, deinde a commissis per pœnitentiam purificemur [37].

Beata igitur Virgo cum non indigebat legali purificatione, quia munda erat et sancta [38].... quando hodie illius purificatio recensetur, manifeste de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem vero tanti non moveat auctoritas exempli, cum videamus quia illa sanctarum sanctissima, quæ nihil purgandum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit [39].

O superbia filiorum Evæ, quæ promptior est ad excusandum quam ad expurgandum commissa [40] !

O filii hominum, tempus purgationis advenit. Satius est, o fratres, et suavius fonte purgari quam igne. Nunc Christus aqua diluens, tunc ignis consumens [41], quando scilicet judex ipse quasi ignis conflans sedebit, modo fons patens in ablutionem pec-

cateris, tunc flamma sæviens et ignis vorans usque ad medullas animæ [42].

Secundum legem Moysi. *Mulier*, inquit lex, *si suscepto semine peperit filium*, etc. [43]. Lex ista Matrem Domini non includit : nihil enim in hoc conceptu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum [44]. Sed legi se subjecit... humilitatis et obedientiæ causa [45]..., et ut inter mulieres esset tanquam una earum ; sicut circumcisus fuit ejus Filius ut esset in numero puerorum [46]...; sicque non ex necessitate, sed ex humilitate legem implens, obtulit hostiam non pro peccato sicut aliæ mulieres, sed ex humilitate [47].

Tulerunt Jesum in Jerusalem, etc. [48]. O fidelis anima, Mariam imitare. Et ut spiritualiter purificeris, in templum cordis tui ingredere, ibique omnis cogitationis noxiæ atque inordinatæ affectionis sedato tumultu, Deo per orationis studium atque contemplationis otium, vacare contende. Castis illi adhære amplexibus, devotionis gemitus emitte, amoris prome carmina, et ignitæ laudis sacrificium exsolve, ac devotæ servitutis oblationem præsta gratissimam. Hæc est spiritualis purificationis accepta oblatio quæ in cordis persolvitur templo in quod Dominus Christus gratanter ingreditur [49].

Quod autem hodie figurare voluit in se ipso Filius Dei quadam dispensatoria specie, illud completum quandoque gaudeamus in nobis, ipsa rerum veritate. Quid illud? *Postquam impleti sunt dies purgationis, tulerunt Jesum in Jerusalem ut sisterent eum Domino* [50]. O quam felix est de quo dici potest : Impleti sunt dies purgationis, ut jam nihil aliud ei subsit nisi ut ferant eum in Jerusalem supernam, et sistant eum Domino ! Et nos utique, si tempora purgationis legitime a nobis fuerint impleta, tollent nos in supernam Jerusalem ministeria angelorum, etc. [51].

Fratres, *expurgate vetus fermentum* [52] dum tempus habetis, ut cum impleti fuerint dies purgationis vestræ, inveniamini et vos capaces illius gaudii et accessum habeatis ad sancta. Alioquin quandiu manserit quis in sanguine purificationis suæ, sancivit æterna justitia, sicut scriptum est in lege Moysis [53], ut omne sanctum non tangat, nec ingrediatur sanctuarium donec impleantur dies purgationis ejus [54].

Ut sisterent eum Domino. Oblatus est ut et nos sacrificium Deo Patri in se offerret [55. 56]... Quodnam autem ministerium, quodnam obsequium cultumque offeremus ei, per cujus corpore nobis simili ministerium Patri oblati sumus ? Plane nos ipsi offeramus

[29] *Psal.* XX, 4. [30] S. BERNARD., serm. 2 *in Purif. B. Mariæ*. [31] GOFFRID. Vindocin., *Serm de Purif. B. Mariæ*. [32] S. BERN., *ibid.*, serm. 1. [33] GUERRIC. abb., serm. 2 *De Purif.* [34] GOFFRID. Vindocin., *Serm. de Purif.* [35] *Luc.* II, 38 ; GUERRIC., ubi supra. [36] *Luc.* II, 22. [37] S. BERN., serm. 7, inter parvos. [38] SS. Patres, passim. [39] GUERRIC. abb., serm. *4 De Purific. B. Mariæ*. [40] *Ibid.* [41] *Hebr.* XII, 29. [42] *Malach.* II, 2, 3 ; *Zach.* III, 1 ; *Hebr.* IV, 12. GUERRIC., ubi supra. [43] *Levit.* XII, 2. [44] S. BERN., serm. 3 *De Purific.* [45] S. FULBERT. [46] S. BERN. [47] GUERRIC. abbas, serm. 6 *De Purific.* [48] *Luc.* II, 22. [49] B. LAURENT. JUSTIN., *Serm. in Purific.* [50] *Luc.* II, 22. [51] GUERRIC., ubi supra. [52] *I Cor.* V. 7. [53] *Levit.* XII. 4 [54] GUERRIC., ubi supra. [55. 56] S. ILDEFONS., *Serm. de Purific.*

quorum causa tanta illa exinanitio fuit. Imaginem integram servemus, nec Dominicæ picturæ obeamus florem, sed potius depurgemus pulchrisque rursum coloribus novum ei florem addamus; efficiamur altissimi Patris filii, efficiamur Dei templum; hoc enim Dei ad homines adventus complementum [57].

Nos ipsos ornemus virtutum ornamentis atque tropæis, latitantiaque animis vitiorum ac perturbationum reptilia tota virtute persequamur. Manus castas reddamus, benignitatem exhibeamus. Ad augmentum promoveamus spiritualis ætatis propter eum qui nostræ perfectionis causa in carnis nostræ imperfecta ætate versatus est. Emundemus igni labia, ut sic sacri eum adeuntes qui hodie offertur in templo, una cum vetula ac casta Anna vicissim confiteamur [58].

Voluntarie igitur, o Domine, *sacrificabo tibi* [59], quia voluntarie oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Sed quid nos offeremus aut retribuemus illi pro omnibus quæ retribuit nobis [60]? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem quam habuit, nimirum qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi [61].

Ille se ipsum obtulit, tu quis es qui te ipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat ut oblationem meam dignetur Majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo [62], Domine, corpus et animam dico : utinam hæc tibi possim in sacrificium laudis offerre! Bonum erit mihi, longeque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar quam relinquar mihi ipsi. Nam ad me ipsum anima mea conturbatur, in te vero exsultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur [62].

Morituro Domino Judæus mortuas hostias offerebat. Sed jam nunc : *Vivo ego*, dicit Dominus, *nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat* [63]. Non vult Dominus mortem meam, et non libenter offeram illi vitam meam. Hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva [64].

Sed in oblatione illa Domini tres fuisse leguntur : et in oblatione nostra tria nihilominus a Domino requiruntur : fuit in oblatione Joseph sponsus, Maria virgo, puer Jesus. Sit ergo et in oblatione nostra constantia virilis, sit continentia carnis, sit conscientia humilis. Sit, inquam, in proposito perseverandi animus virilis; sit in continentia castitas virginalis; sit in conscientia simplicitas et humilitas puerilis [65].

Ut darent hostiam par turturum aut duos pullos columbarum [66]. Maria obtulit pro se et pro Filio par turturum aut duos pullos columbarum..... Felices illi qui turtures et columbæ fiunt, qui simul cum Dei Filio a Matre Domini Domino offeruntur et una eademque oblatione Domino sociantur [67]!

Porro turtur ad castitatem carnis, columba ad simplicitatem mentis pertinet.... Sit ergo casta, sit simplex oblatio tua..... Duos etiam turtures aut duos pullos columbarum, duo scilicet compunctionis genera, timoris scilicet a peccato et amoris in holocaustum offeras [68].

Vel *par turturum;* id est parem castitatem corporis et animæ : *aut duos pullos columbarum*, id est carnis et animæ patientiam. Turtur enim castissima avis est; columba vero felle et amaritudine caret. Ideoque par turturum designat castitatem interioris et exterioris hominis : ac duo pulli columbarum patientiam foris ostensam et intus in mente servatam [69]; vel *par turturum*, pudicitiam ac castitatem semper virginis Dei Genitricis designat : duo autem pulli columbarum, ineffabilem in nos Dei clementiam ac fecunditatem [70].

Vel *par turturum*. Turtur enim numerosa conjugia respuens, blanditias non curat aliorum, uno solo conjuge contenta. Aut *duos pullos columbarum*. In pullis innocentia, in duobus charitas, in columba unitas, juxta illud : *Unica est columba mea* [71].

Porro oblatio hæc hodierna satis delicata videtur ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus et illico reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum : istud jucundius, sed illud plenius [72].

Et ecce Simeon homo justus et timoratus exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo [73]. Sis justus et religiosus, ac solam Dei consolationem exspectans, ut Spiritus sanctus sit in te, et videre merearis ac portare Christum Domini. Sis timoratus ex præteritorum memoria præceptorum : sis justus, ex fidei operatione, ex legis observatione, atque pia proximorum compassione [74].

Et responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, etc. [75]. Qui enim, o Domine, tuus est, non videbit mortem donec videat Christum Domini, ut securus dimittatur in pace [76].... Quidni dimittatur in pace, qui Christum habet in pectore [77]? Fide et dilectione, multiplici prece, assidua oratione et bonorum assertione operum hoc responsum meruit a Spiritu sancto et obtinuit promissum : et hoc ipsum spiritualiter unaquæque anima fidelis a Spiritu sancto percipit, ut obtutibus mentis et fidei illum videat in se manentem et operantem.

Et venit in spiritu in templum [78]. [79]. Ipse ei Spiritus currus efficitur, ac velut quamdam volucrem in su-

[57] Leo August. imperat., *Orat. in Dom Præsent.* [58] Id., *ibid.*; *Luc.* II, 38. [59] *Psal.* LIII, 8. [60] *Psal.* CXV, 12. [61] S. Bern., serm. 3 *De Purific.* [62] *Marc.* XII, 42. [62*] Id., ubi supra; *Luc.* I, 47. [63] *Ezech.* XXXIII, 11. [64] *Rom.* XII, 1; S. Bern., ubi supr. [65] S. Bern., *ibid.* [66] *Luc.* II, 24. [67] S. Brun., *De Purificat.* [68] Guerric. abbas, serm. 1 *De Purif.* [69] S. Anselm., *Enarrat. in Evang.*, c. 4. [70] Leontius Neapol., Cypri episc., *Orat. in Simeon.* [71] *Cant.* VI, 8; Goffrid. Vindocin., *Serm. de Purif.* [72] S. Bern., serm. 3 *De Purific.*; *Num.* XXVIII, 4. [73] *Luc.* II, 26. [74] Goffrid. Vindocin., *Serm. de Purific.* [75] *Luc.* II, 26. [76] *Ibid.*, 29. [77] S. Bern., serm. 1 *in Purific.* [78]. [79] S. Athanas., *Orat. in occurs.*

blimi aere incedentem in templum inducit .... nihil enim agunt sancti velut a se impulsi, sed movente Spiritu sancto [80].

Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus [81]. Inducant illum in templum parentes ejus. Qui sunt illi? Respondeat ipse : Hi parentes estis vos. *Quicunque enim*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus pater et frater et soror et mater est* [82] : *Templum autem sanctum estis vos* [83. 84].

Adorna ergo thalamum tuum et suscipe Regem Christum [85]. Ad nos enim loquitur Spiritus sanctus. Adornemus thalamum nostrum, et suscipiamus Regem Christum. Ecce Christus in propria veniens et a suis repulsus [86] non habet ubi caput reclinet [87]. Præ foribus nostris, inter materna brachia vagiens per Spiritum sanctum quærit hospitium dicens : Adorna thalamum tuum, Sion. Emundemus igitur thalamum nunc prius expellendo quæ oculos Christi intrando offendere possunt, et sic demum adornemus ea inferendo in quibus delectatur et gaudet [88].

Audi beatam Virginem dicentem : Sume Dominum ; sume et spe tua fruere. Suscipe thesaurum nunquam deficientem ; arcto complexu illum tibi adjunge et renovare. Magno animo illi agglutinare, non audax hoc facinus. Ne quid trepides ; non comburit ignis gratiæ Domini mei, sed illuminat. Non tubæ accedentes arcent ; non mons fumans appropinquantes terret ; non amplius lex audacius attingentem punit [88*]. Usus es lege, utere gratia ; fatigatus es littera, renovare nunc spiritu, exue vetustatem, indue novitatem [89].

Accepit Simeon *puerum* [90] quem Maria porcipis instar, velut Dei carbonem tenet, cujus tactu sacerdotis consecrantur manus ; cujus contactu prophetæ labia purgantur, et os illius prophetico spiritu adimpletur [91]. *In ulnas suas*, etc. [92]. Bonus senex ille, imbecillitatem ætatis exutus fideique robur indutus, Dominum excipere festinavit, sacras ei ulnas expandit, totus in desiderio, totus in spe, totus in lætitia fuit : non jam amplius suus, sed totus ejus qui ab ipso sperabatur [93]... Omnibus enim aliis curis ejectis solum in corde meditabatur Jesum [94].

Quid putamus unctus iste, qui ungit etiam quos non tangit, quomodo candidum et sanctum pectus senis nostri perunxerit, cum suscipiens eum in ulnas suas astringeret eum uberibus suis et gestiret includere, si posset, in intimis cordis sui? Quid, inquam, putamus ille suavis et mitis qualem insinuabat seipsum castissimo sinui pii senis, qualis illabebatur medullis, quam delectabilem et salubrem, imo quam omnino ineffabilem se implicabat ossibus, inspirabat sensibus [95].

Prorsus liquescebat unctus in unctionem, quasi ad ignem resolutus ad amplectentis amorem, ut nimirum doceret unctio quod dicit lectio, sed non discit nisi dilectio. *Unguentum*, inquit, *exinanitum nomen tuum* [96]. Hoc si quidem unguentum exinanitur, cum a quadam duritia sui resolvitur, non ut pereffluat substantia illius, sed ut fluant aromata illius, ut quasi nihil habens solidi sentiri possit, teneri non possit. Aut certe magis anima senis liquescebat in amplexu hujus uncti, vel unguenti, ut diceret : *Anima mea liquefacta est, et dilectus meus infusus est mihi* [97. 98].

Si quis autem se imperfectum sensibus aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, et puerum quem mater affert Maria accipiat in manibus, complectatur affectibus. Ipsum utique repositum in sinu, sensus ædificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis et ordinem vitæ grata et salubri suavitate temperabit [99].

Beata Sion illa anima sancta quæ pretioso ac vero nitore virtutum, non fusco colorum, thalamum suum diligenter ac decenter adornat, congruum Christo locum in cordis penetralibus parat, ut cum digno ac placito Christum Regem honore dignius et crebrius suscipiat. Nec paupertatem quis causetur : justitia enim et judicium præparatio sedis ejus [1]

Ne inhonoratum et insalutatum remittas, qui te venit salvare. Quem Simeon hodie portavit in sinu suo, vos in omni die *glorificate et portate in corpore vestro* [2]. O fratres, suscepistis misericordiam Dei, gaudeat vestra devotio : sed videte ne in vacuum susceperitis, ne gratiam ingratitudine vacuetis [3. 4].

Et benedixit Deum [5], ei scilicet gratias agens benedici a Deo meruit [6] ; *et dixit : Nunc dimittis servum tuum*, etc. [7]. Tunc ille Simeon senex, famosus, annosus, probatus, coronatus, tunc cognovit, tunc adoravit, tunc dixit : *Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei Salutare tuum*..... O fervorem ! o accensum animum ! Sic sane divinus ille vir agnovit infantem senex, factus est in puero puer [8]. Innovatus in ætate qui plenus erat pietate : portabat a quo portabatur ; Majestas ibi latebat, ubi infirmitas apparebat. In manus suas Simeon infirmitatem accepit, sed Majestatem intus agnovit [9].

Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace ; se servum dicit et dimissum. Unde dimissus? Quo missus? dimissus a tribulatione sæculi, a prima transgressione, a propria offensione, et in pacem missus : nemo enim pacem quam Simeon habuit, habere potest, nisi ab hoc

[80] Leontius Neapol., Cypri episc., *Orat. in Simeonem.* [81] *Luc.* II, 27. [82] *Matth.* XII, 50. [83. 84] *I Cor.* III, 17 ; S. Bern., *Ad pastores*, in Synod. [85] Ecclesia, in *Offic. Purificat.* [86] *Joan.* I, 11. [87] *Luc.* IX, 58. [88] Guerric. abbas, serm. 5 *De Purific.* [88*] Exod. XIX, 18, 19. [89] S. Method., *Homil. in Purific.* [90] *Luc.* II, 28. [91] *Isa.* I, 6 ; Leo Aug. imp., *Orat. in Dom. Præsentat.* [92] *Luc.* II, 28. [93] S Method., *Hom. in fest. Purific.* [94] Guerric. abbas, serm. 3 *De Purific.* [95] *Ibid.*, serm. 2. [96] *Cant.* I, 2. [97. 98] *Cant.* V, 6 ; Guerric., ubi supra. [99] *Ibid.*, serm. 3. [1] *Ibid.* ; *Psal.* LXXXVIII, 15. [2] *I Cor.* VI, 20. [3. 4] *II Cor.* VI, 1 ; Guerric., ubi supra. [5] *Luc.* II, 28. [6] Goffrid. Vindocin., *Serm. de Purific.* [7] *Luc.* II, 29. [8] S. Athan. [9] S. Aug., serm. 9 *in Natal. Dom.*

sæculo alienus fiat et a peccatorum pondere fuerit absolutus [9*].

Senex igitur ille lætus de morte proximâ, jam de vicina accessione securus, accepit in manus puerum et benedicens Deum exclamavit et dixit : *Nunc dimittis*, etc. Probans scilicet atque contestans tunc esse servis Dei pacem ; tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis et securitatis æternæ portum petimus ; quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa enim est nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis, firma et perpetua securitas [10].

Vide justum velut corporeæ carcere molis inclusum velle dissolvi ut incipiat esse cum Christo [11]. Sed qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Jerusalem, exspectet Christum Domini, accipiat in manibus Christum Dei, complectatur operibus velut quibusdam fidei suæ brachiis. Tunc dimittetur ut non videat mortem, quia viderit vitam [12].

Porro quisque sincerum Dei cordis templum in se emundatum maculis præparet Christo, atque associatus Simeoni pueri Jesu præstoletur adventum ; veniet namque si dispositam reperiet mentem ad templum sanctum suum Dominator Dominus, potestate majestatis, sed panniculis involutus, maternis deportatus in brachiis [13].

Adventante autem Maria cum Filio, eisdem occurrat in spiritu, atque ministerium piæ devotionis exhibeat. Suscipiat sincero puritatis affectu in spirituales cordis sui ulnas vagientem Infantem et dicat : *Suscepi, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui,* propterea *secundum nomen tuum, ita et laus tua in prœcordiis meis, et usque ad fines terræ* [14].

In his amoris præludiis fidei irradiatus splendore, charitatisque suavitate refertus, nec non mentis jubilatione inebriatus, senis canticum assumat inquiens : *Nunc dimittis, Domine, servum tuum* agnoscentem, confitentem, diligentem, amplectentem *in pace* [15].

Deus noster ignis consumens est [16]. Sed ignis qui animam refovet, demulcet mentem, spiritum recreat, reparat pereuntem. Ignis iste in sinu absconditus, vestimenta non comburit, sed sensus refovet ; ejus enim amplexu non solum recalescunt frigidi, sed etiam reviviscunt mortui [17].

Amplectere igitur illum, ut recalescant atque reviviscant de novo sensus tui. Astringe uberibus tuis misericordiam Dei, et erit senectus tua in misericordia uberi. *Inter ubera,* inquit, *mea commorabitur* [18]. Etenim, cum reddam illum matri suæ, manebit apud me. Et cum inter materna ubera tenebitur, nihilominus inter ubera mea commorabitur, et ubera quoque mea inebriabit misericordia uberi [19].

Et dixit ad Mariam : Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum [20].

Utinam compleatur in me verbum illud evangelici Simeonis, ut fiat mihi Christus in ruinam et resurrectionem : ruina exteriori meo et interiori resurrectio... Exterioris enim status, interioris casus est ; et ideo quando infirmatur exterior, qui intus est, renovatur de die in diem : cadente exteriori homine, surgit interior [21].

Et erat Anna prophetissa quæ non discedebat ae templo jejuniis et obsecrationibus serviens, etc. [22]. In Anna, quæ jejuniis et obsecrationibus serviebat nocte et die, jejunium nobis commendatur et oratio, sicut in Simeone qui tanto Jesum complectitur gaudio, pietas et devotio. In Maria, quæ cum nihil deberet legi, in hac parte purificationis legem nihilominus implevit, humilitas et obedientia ; in Domino Jesu, qui factus est sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret [23], charitas et misericordia [24]. Cum Virgine ergo magnificemus Deum exsultantes ; cum Josepho velut duos turtures corpus et animam offeramus ; cum Simeone Christum in ulnas suscipiamus, ac cum Anna vicissim confiteamur [25].

Suscipiamus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui [26]. Amplectamur misericordiam quam in medio templi suscepimus, et cum beata Anna non dimoveamur a templo. *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos,* ait Apostolus [27]. Prope est hæc misericordia, prope est verbum in corde tuo. In cordibus enim vestris per fidem habitat Christus [28]. Hoc templum ejus, hæc sedes ejus [29].

Quia vero festivam hodie et nos ipsi præter cæterarum consuetudinem festivitatum acturi sumus processionem, non inutile arbitror modum ipsius et ordinem diligentius intueri [30].

Bini et bini procedimus. Sic enim ob commendationem fraternæ charitatis et socialis vitæ missos a Salvatore discipulos Evangelia testantur. Turbat processionem si quis solitarius incedit, non sollicitus servare unitatem in vinculo pacis [31].

Procedimus habentes candelas in manibus, id est bona opera... *Fides* enim *sine operibus mortua est* [32. 33]. Et in conspectu Domini vacue apparere prohibitum est [34].

Candelas habemus accensas. Opera enim nostra in fervore agenda sunt et in desiderio cordis, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris [35].

Accensas autem non quolibet igne, sed qui prius in Ecclesia sacerdotali benedictione fuerit consecratus. Hic plane sacer et benedictus est ignis,

[9*] Goffrid Vindocin., *Serm. de Purific. B. M.* [10] S. Cypr., *De mortalit.*, c. 1. [11] *Philipp.* I, 23. [12] S. Ambros., *in cap.* II *Luc.* [13] S. Laurent. Justin., *Serm. in Purific.* [14] *Psal.* XLVII, 10, 11 ; S. Laurent. Justin., *ibid.* [15] *Ibid.* [16] *Hebr.* XII, 29. [17] Guerric. abbas, serm. 1 *De Purificat.* [18] *Cant.* I, 12. [19] Guerric., *ibid.* [20] *Luc.* II, 34. [21] D. Paulin., *Ad Severum.*, epist. 8. [22] *Luc.* II, 36, 37. [23] *Galat.* IV, 5. [24] Guerric. abb., serm. 2 *De Purif.* [25] S. Cyrill. Hierosolym., *Hom. in Dom. occurs.* ; *Luc.* II, 38. [26] *Psal.* XLVII, 10. [27] *Luc.* II, 37 ; *I Cor.* III, 17. [28] *Ephes.* III, 17. [29] S. Bern., serm. 1 *De Purific.* [30] *Ibid.*, serm. 2. [31] *Ephes.* IV, 3 ; S. Bern., ubi supra. [32. 33] *Jac.* II, 20. [34] *Exod.* XXIII, 15 ; S. Bern., *ibid.* [35] *Ibid.*

quem Pater sanctificavit et misit in mundum, et cui benedicitur in Ecclesiis. De quo etiam dicitur : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat* [36] ? Habet enim etiam adversarius noster, utpote perversus divinorum operum æmulator, ignem suum et ipse, ignem concupiscentiæ carnalis, ignem invidiæ et ambitionis, quem Salvator in nobis non accendere, sed exstinguere venit. Et si quis alienum hunc ignem in divino offerre præsumpserit sacrificio, etiamsi patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate sua [37].

Cereum autem ardentem gestantes in manibus, recordemur senis illius qui hodie Jesum accipiens in ulnas suas, Christum in carne tanquam lumen in cera, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebat [38]. Hanc enim piam sanctamque significationem hæc nostra oblatio gerit; per lumen cerei divinitatem, per ceram significans carnem ipsius virginalem [39].

Tandem futuri sunt in processione nostra novissimi primi et primi novissimi [40], quia cum sociali vita et fervore sancto, humilitatis virtus maxima maximeque necessaria est ut honore præveniamus invicem, nec modo priores, sed et ipsos juniores sibi quisquis præponat, quæ nimirum justitiæ perfectio est et humilitatis plenitudo [41].

Porro procedimus cantantes quia *hilarem datorem diligit Deus* [42]; et fructus charitatis est gaudium in Spiritu sancto [43]. Et si quis forsitan procedere dissimulat et proficisci de virtute in virtutem, noverit quisquis hujusmodi est in statione, non in processione se esse, imo vero in regressione, quoniam in via vitæ non progredi regredi est, cum nihil adhuc in eodem statu permanet [44].

Sic nos Christo in occursum eamus sobrietatem ferentes, portantes charitatem, innocentiam offerentes, a distrahentibus animum nos ipsos abstrahentes, ac Deo puro nos exhibentes. Ita Christum ad nos venientem suscipiamus, ita Christum ad nos ingredi faciamus, ita divina quadam ratione in ulnas amplectamur, ejus ad nos processionem canticis spiritualibus celebrantes [45].

Sic tantam solemnitatem divinis laudibus et operibus exornemus, et oblationem pio celebremus affectu, rogantes piissimam Dei Matrem, ut ipsa nos et munera nostra Filio suo gratificare dignetur, et ad similitudinem oblationis nostræ, quæ munda, clara et fervida esse videtur, deposcat nobis ab ipso munditiam cordis et corporis, lumen scientiæ, fervorem fidei et charitatis, quatenus gratiæ suæ dono accensi, per Spiritum sanctum illuminati, purificatis mentibus in templo gloriæ suæ valeamus apparere [46. 47].

CHRISTUS FUGIENS IN ÆGYPTUM.

Si conceptum Virginis, Virginis partum, sermo non aperit, sensus non recipit, non capit mens humana, Deum fugisse ut hominem quis loquatur [48] ?

Apparuit, inquit, *angelus Domini in somnis Joseph dicens : Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum* [49].

Quid est quod persequente homine Deus fugit? Sæviente terra, cœlum trepidat. Vivente pulvere, pavore turbantur angeli ; et pavor Patris Filio fugiente monstratur..... Si verum refugium fugit, si timet virtus, si præsidium migrat, si auxilium latescit omnium, si formidat fortitudo cunctorum, si se universorum fortitudo non defensat, quæ vita, quæ spes, quæ securitas, quod munimen [50]?

Eliæ contra insidias liberi regis vidua una sufficit : [51] Christo contra Herodis captivi minas Judæa tota non sufficit. Elias missos ad se cœlesti igne consumit [52], Christus sola fuga, et fuga in Ægyptum fit salvus. David persequente Saul ad Judæam confugit [52*] : Christo fugiente locus deest, provincia deficit, non subvenit patria [53].

Dum migrat, sacerdotum turba non suscipit, non abscondit numerositas investigabilis cognatorum, non vicinæ gentes, non finitimæ sufficiunt regiones, sed Ægypti tristem locum, extorrem habitu, lingua, moribus procurat exsilium. *Accipe*, inquit angelus, *puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum....* Noli et tu fugientes in Ægyptum matrem et parvulum sine comitatu relinquere [54].

Inspiciat oculus devotionis parvulum Jesum dulces mamillas gloriosæ Virginis Matris dulciter sugentem, et mammas maternas fiñali more tractantem, matri arridentem. Quid visu jucundius? Quid delectabilius? Cerne illum qui immensus est, parvulis brachiis ad materna colla pendentem et dicas : Felix sum, feliciorque dum video quem reges optaverunt videre et non viderunt [55].

Cogita et recogita quo animo et qua cogitatione tenebatur illa dulcissima Mater ejus, cum illum Dominum tantum ac tantillum in brachiis suis exsultans ac læta teneret, cum ei infantulo gestienti osculis frequentibus congauderet : cum eum lacrymantem super genua sua consolaretur : cum denique aliis atque aliis studiis ad quæ ipsa materna pietas

[36] *Luc.* XII, 49. [37] *Levit.* X, 1. [38] *Luc.* II, 32; GUERRIC., abbas, serm. 1 *De Purific.* [39] FULBERT., episc. Carnot., *Serm. de Purif. B. M.* [40] *Matth.* XX, 16. [41] S. BERN., serm. 2 *in Purific. B. M.* [42] *II Cor.* IX, 7. [43] *Rom.* XIV, 17. [44] S. BERN., ubi supra. [45] S. ATHANAS., *in Christi occursum*, serm. 1. [46 47] FULBERT., episc. Carnot., *Serm. de Purif. B. M.* [48] S. CHRYSOLOG., serm. 150. [49] *Matth.* II, 13. [50] S. CHRYSOLOG., serm. 150 et 151. [51] *III Reg.* XVII, 9 seq. [52] *IV Reg.* I, 10. [52*] *I Reg.* XXIII, 3. [53] S. CHRYSOLOG., ubi supra. [54] S. BONAV. et S. ANSELM., *Meditat. de præt. benef.* [55] *Matth.* XIII, 17; S. ANSEL., lib. X *Meditat. de præt. benef.*

informabat eum pro qualitatum vicissitudinibus sedula blandiretur [56].

Sed evangelicæ historiæ seriem paulo accuratius inspiciamus..... *Ecce*, inquit, *angelus Domini*. Adorationem Magorum ac Virginis purificationem sequitur angeli apparitio, periculum et formido mortis ac fuga in Ægyptum præcipitur.... Hoc in sanctis omnibus facit Deus, quos neque tribulationes neque jucunditates sinit habere continuas, sed tum de adversis tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contexuit : quod hic quoque eum fecisse considera [57].

Videndo quippe sanctus Joseph gravidam sponsam, in conturbationem incidit maximam et cogitationis tumultum, sed adfuit repente angelus suspicionem solvens ac timorem. Deinde videns puerum natum maxima exsultatione repletus est; sed rursus huic etiam gaudio periculum grande successit, cum tota civitas turbaretur, ipse rex fureret et ad necem puerum quæreret. Sed et hunc mœrorem alia rursus lætitia subsecuta est, apparitio videlicet stellæ et adoratio Magorum. Post hanc quoque jucunditatem iterum periculum, iterumque formido. Quærit, inquit, Herodes animam pueri et fugere necesse est et in longinqua transire [58].

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens. Angelus loquitur Joseph non Matri, cum tamen longe illa is esset inferior : ut discas quod qui Dei beneficia et consolationes percipit non debet se præferre percipienti : et qui non percipit non dejiciatur animo, nec habenti invideat. Item et qui percipit, licet non percipiat secundum suum velle, non debet esse ingratus nec murmurare [59].

Tolle et accipe puerum et matrem ejus. Magna erat tribulatio Matri et Joseph. Quid enim gravius audire poterant? Nunquid poterat sensualitas eorum turbari et dicere : Domine Deus omnipotens, quid opus est quod iste tuus Filius fugiat? nunquid non potes eum defendere [60. 61] ?

Tribulatio etiam in hoc magna erat quod in terram longinquam oportebat eos ire quam ignorabant, et per viam silvestrem, asperam, inhabitatam et longam, cum essent inhabiles ad eundum, Domina propter juventutem, Joseph propter senectutem. Ipse etiam puer quem portare habebant, et peregrinari in terra aliena ac pauperes quasi nihil habentes. Tu ergo cum tribularis patientiam habe, nec credas tibi ab eo privilegium dari, quod nec sibi tribuit nec Matri [62].

Intuere verecundiam Virginis, laborem Matris, sexus pudorem, periculum in Joseph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, et quod his durius, Judæos peregrinaturos in gentibus quibus nec ipsa est communio, imo est profundum transgressione legis naufragium. O quam durum est peregrinatio etiam inter cives fratresque ! Sapit quid sit sua domus, qui sentit alienam [63].

Sic sanctos quos donis Dominus firmat, tribulationibus tentat : animam quam ejus gratia vocat tentatio interrogat, sinitque adversarios excrescere, ut per malorum sævitiam purgetur vita bonorum. Sic utilitati innocentium militat vita pravorum; unde Salomon ait : *Qui stultus est serviet sapienti* [64].

Non ergo nos orbitas, exsilia, damna debilitent [65]... simus ut incudes : quamvis cædamur, non cedamus, nec in nobis notas relaxationis admittamus [66]... scientes quod Christus afflictionis societate lætatur, quod in adversis vivit, pullulat, crescit, floret, gloriatur Christianus [67]... et quod illi de divina miseratione tunc sperandum amplius sit, cum præsidia humana defecerint [68].

Et fuge. Potestas quæ, quæ vis, quod discrimen prævalet, ut compellatur ad fugam? Reverentius dixisset, vade; ut esset provectio non fuga, voluntas non necessitas, judicium non metus. At nunc inducitur latens peregrinatio, non liber commeatus : imponitur necessitas, non voluntas, mandatur fuga, non profectio, et mandatur cœlitus, mandatur per angelum [69].

Fuge, inquit, *in Ægyptum*, id est a tuis ad extraneos, ad sacrilegos a sanctis, a templo tuo ad dæmonum fana, ad idolorum patriam e regione sanctorum [70].

Fuge in Ægyptum. Propter multitudinem quæ ibi est idolorum abominationumque multarum. *Fuge in Ægyptum*, ut destruantur manufacta eorum et confringantur et pereant idola ipsorum : ut dæmones turbentur et regum fabricæ in idolis destruantur. Ut fiat in adventu Domini fugitivorum servorum atque malorum interitus. *Fuge in Ægyptum*, ut adimpleas quæ dicta sunt per prophetam : *Ecce Dominus sedet in nube pusilla, et veniet in Ægyptum, et commovebuntur omnia manufacta Ægypti* [71].

Fuge in Ægyptum, ut fugiant de Ægypto qui ibi sunt dæmones; ut appropient ibidem angeli sancti qui Deum sequuntur, qui sanctis junguntur. Ut pro multitudine templorum, atque abominationum multarum multitudo exuberet ecclesiarum, pro idolorum turbis turbæ abundent fidelium, pro vitiis et erroribus multis multa castitas multaque sanctitas superabundet multaque virginitas [72].

Fuge ut hi qui in nomine Christi persecutionem patiuntur, qui tribulationem tolerant, qui injurias patiuntur, fortiter stent, viriliter prælientur, veritatem teneant, fidem non derelinquant, Ecclesiam non deserant; sed semper meminerint, quia et Dominus a peccatoribus persecutionem passus est, quoniam ab injustis contumeliatus est, et ab ipsis de loco in

[56] S. Ansel., lib. x *Medit. præt. benef.* [57] S. Chrysost., hom. 8 *in Matth.* [58] *Ibid.* [59] S. Bonav., *Medit. vit. Christi*, c. 12. [60. 61] S. Bonav., ubi supra. [62] *Ibid.* [63] S. Chrysolog., serm. 151. [64] *Prov.* xi, 29; S. Greg., *Moral.*, lib. xx, c. 2. [65] S. Hieron. [66] S. Ephræm., *De patient.* [67] S. Greg. Naz., orat. 28. [68] S. Ambros., lib. vi *Hexaem.*, c. 17. [69] S. Chrysolog., serm. 151. [70] *Ibid.* [71] *Isa.* xix, 1; Ex Origen., hom. 3, *Ad divers.* [72] Origen., *ibid.*

locum fugit, et ab ipsa sua infantia, ab initio pene introitus sui in hunc mundum [73].

Et esto ibi usquequo dicam tibi [74]. Oportet enim nos nihil facere præter divinam voluntatem. Ideo dixit : *Donec dixero tibi*, id est, donec a Deo jussus fueris [75]... vide quomodo cæcam obedientiam exigit angelus... unde nec curiose tempus Joseph reversionis inquirit [76]... imperfecti enim cordis et infimæ prorsus voluntatis indicium est statuta superiorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ injunguntur, exigere de quibusque rationem [77]... Nec placet Deo morosa hæc et disceptatrix obedientia, quæ quidem cum præcipitur, quærit cur, quare, quamobrem præcipiatur [78].

Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum [79]. Cum hæc audisset Joseph, nequaquam passus est scandalum; neque dixit, incerta res est ac prorsus ambigua. Tu paulo ante dicebas quia salvabit populum suum et nunc se ipsum non potest de periculis liberare [80] : aut si potest, quid nobis opus est labore ac transmigratione longinqua? Contraria omnino sunt facta promissis. Nihil prorsus opponit : vir enim erat fidelis : ideo obedivit libenter et credidit; omnes prorsus tribulationes cum gaudio sustinendo [81].

Disce ex hoc exemplo, Christiane.... quod si in ipsa obedientiæ via aliqua fortassis dura et aspera occurrant præcepta, tacita amplecti debes conscientia. Si enim moleste cœperis sustinere, si dijudicare prælatum, si murmurare in corde; etiamsi exterius impleas quod jubetur, non est hæc virtus patientiæ, sed velamentum malitiæ [82].

Disce quod divino intonante præcepto obediendum est, non disputandum... Species enim contumaciæ est de modo mandati inquirere, hæsitare, discernere, aut differre. In contractu enim obedientiæ non habet disputatio aut disceptatio locum. Nam si in discussionem aut suspicionem ea quæ tibi sunt imperata deduxeris, ad lignum scientiæ boni et mali manum prævaricationis apponis. Nimis delicata est hæc obedientia transiens in deliberativum genus causæ. Non est hoc in auditu auris obedire. Non est hæc regularis obedientia sine mora, sed astutia tergiversatrix et aperta superbia [83]... Ideo subjungit evangelista :

Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus [84]. Quando puerum tollit, nocte tollit et in tenebris tollit [85]... fidelis enim obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem : parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes : totum se colligit ut imperantis colligat voluntatem... Tu ergo cum voluntatem cordi, simplicitatem operi conjunxeris, adde velocitatem, ut sis juxta apostolum Jacobum velox ad audiendum, et ad adimplendum velocior [86].

Accepit ergo puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. His verbis magna nobis obedientiæ virtus commendatur. Non enim tantum quod præcepit angelus fecit, sed etiam sicut præcepit [87]... verus siquidem obediens, nihil plus, nihil minus, nihil aliter facit [88].

Accepit igitur *Joseph puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum*[88*]. Toto affectu compatere eis, quia labor difficilis et magnus, et longus est tam ipsis quam puero Jesu; vade cum eis, et adjuva puerum portare, et servias in omnibus in quibus potes. Non videatur nobis labor pro nobis ipsis pœnitentiam agere, pro quibus tantus labor ab aliis et a talibus et toties est assumptus.

Et secessit. Fugit Christus hominem, sed quando fugit, fuit mysterii, non timoris : fuit liberatio hominis, non periculum Creatoris : divinæ virtutis fuit, non fragilitatis humanæ : non fugit propter auctorem mortis, sed propter sæculi vitam. Nam qui mori venerat, quare fugeret mortem [89]?

Fugit igitur, 1° ut bellicosus qui in bello fugit, sed quod fugit artis est, non timoris; sic Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris. Potens, quando se subducit infirmo insequente, non pavet, sed foris producit. Vult nemo in operto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam; occultum se non patitur inire conflictum, qui mandare suum sæculis vult triumphum [90]... fugit igitur non formidatione humana, sed dispensatione divina : non necessitate, sed potestate [91].

2° Christus fugit, ut cederet tempori, non Herodi. Neque enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam : neque humanas insidias expavescit qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire versutias : neque tunc timuit, quando infans et secundum hominem timere nescivit et secundum Deum potuit non timere. Sed, si non fugisset, mactatus in illo grege lactentium tunc fuisset... Et sic mors ei casus fuerat non voluntas, non virtus fuerat sed infirmitas, necessitas fuerat non potestas, et innocentiæ fuisset præmium, majestatis gloria non fuisset [92].

3° Fugit de loco in locum, non mortem timens nec interfectionem formidans, sed mysterium et consummationem Passionis propter multorum salutem exspectans [93]... Movebat enim Judæos diabolus et instigabat Herodem ut Christi suspectam sibi præveniret infantiam, ut futura virtutis ejus anticiparet insignia, ut peremptorium sibi, nobis victoriosissimum, vexillum crucis callidus machinator aufer-

[73] Origen., hom. 3, *Ad divers.* [74] *Matth.* II, 13. [75] Theophil.; hic. [76] S. Chrysost., hom. 8 *in Matth.* [77] S. Bern., *De præcep. et dispens.*, c. 3. [78] S. Aug., serm. 40, *Ad frat. erem.* [79] *Matth.* II, 13. [80] *Matth.* XXVII, 42. [81] S. Chrysost., hom. 8 *in Matth.* [82] S. Bern., serm. 3 *De Circumcis.* [83] S. Aug. lib. X *De civit.*, c. 32; Petr. Blesens., epist. 131. [84] *Matth.* II, 14. [85] S. Thom., *Caten. aur.*, c. 2. [86] *Jac.* I, 19; S. Bern., *Serm. de virt. bed. et ejus gradibus.* [87] S. Thom., *Catena aurea*, c. 1. [88] S. Bern., serm. 3 *in Circumcis.* [88*] *Matth.* II, 14. [89] Petr. Chrysolog., serm. 151. [90] *Ibid.*, serm. 150. [91] S. Fulgentius, *De Epiph.* [92] S. Chrysolog., serm. 150. [93] Origen., hom. 3 *in divers.*

ret [94]... Ipse autem Salvator dignatus est fugere, ut postea crucem dignaretur ascendere [95].

4° Christus se in carne venturum, ascensurum per ætatum gradus, prædicaturum fidei doctrinam, imperio verbi solo fugaturum dæmones, daturum cæcis visum, claudis cursum, mutis verbum, auditum surdis, peccatoribus remissionem, mortuis vitam promiserat per prophetas, etc. Unde hæc Christus impleturus vir, infans mortem distulit, non fugit : unde fugam ejus non de periculi metu, sed de prophetiæ venisse mysterio evangelista asserit [96].

5° Si se parvulum permisisset occidi, totam causam nostræ salutis occiderat. Venerat enim ut quos præceptis docuerat firmaret exemplis, et ipse faceret quæ facienda mandaverat, et visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu. Venerat ut mundo notitiam suæ divinitatis infunderet, et pigra mortalium corda ad fidem virtutibus excitaret ; venerat diabolum publico superare conflictu, mortem perdere moriendo, penetrando inferna dissolvere, etc. Omnia hæc utique periissent nobis, si Christus cum esset in cunabulis non fugisset [97].

6° Fugit ut nostras fugas in persecutionibus temperaret. Hoc enim reliquit exemplum, ut fugiente domino, fugere indignum non putet servus... Nondum enim sermone, sed factis jam suis membris loquens : *Si vos*, inquit, *persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* [98]... Quod igitur fugit non timoris fuit, sed exempli, ut scilicet doceret suos fugere [99].

7° Filius Dei homines fugit ut regulam humanæ naturæ quam suscepit conservet. Humanæ autem naturæ periclitanti convenit fugere potestatem minantem [1].

8° Sicut natus est Christus ut repararet hominem, sic ut fugaces revocaret aufugit [2]... Fugere ergo istud est amoris intimi, non timoris ignaviæ [3]... Fugit in Ægyptum te longo itinere quærens [4].

9° In fuga etiam illa tui Salvatoris vide illius benignitatem, vide humanitatem, vide patientiam.... Vide quomodo et quam cito persecutionem patitur et fugit de terra nativitatis suæ. Vide quam benigne cedit furori illius quem poterat perdere in momento. Profunda certe humilitas, patientia magna [5] !

Potuisset se contra Herodem defendere, potuisset illum subita morte de medio tollere, potuisset et ipse in Judæa facile latere : sed.... nec vult illi vicem reddere nec offendere ; vult tantum fugiendo insidias ejus devitare... quia fuga nihil abjectius, nihil benignius, nihil molestius [6]?... Sic et nos facere tenemur ; scilicet objurgantibus, vel reprehendentibus vel persequentibus non resistere, nec de ipsis vindictam expetere, sed patienter eos portare, ipsorum furori cedere et quod plus est pro eis orare [7].

10° Tandem fugit ut et tu illius exemplo discas cum natus fuerit in te Christus.... fugere ab Herode, a simili fugere diabolo.... id est a mundo cavere, peccandi occasiones declinare, impiorum amicitias et consortia devitare. Illi enim tenerum adhuc in pectore tuo puerum, teneram in corde tuo et quasi infantem ac nondum virilem virtutem conantur perimere [8].

Nam, cum incipis proficere, incipis velle ascendere, velle contemnere terrena, fragilia temporalia, felicitatem sæculi pro nihilo habere, Deum solum cogitare, lucris non gaudere, damnis non contabescere, tua pauperibus tribuere et sequi Christum : nunquid illico audis linguas retrahentium et contradicentium [9],... qui spiritum virtutis conantur exstinguere atque imbecilles sanctioris propositi conatus evacuare et enervare [10]... Nunquid, quod gravius est, quidam quasi consulendo a salute avertunt ; simulantes siquidem (sicut Herodes) habere pallium consulentis, habent venenum perimentis.... *Tu* igitur, *o homo Dei*, *illos fuge* [11].

Herodiana siquidem malitia est, et Babylonica crudelitas, nascentem sic velle exstinguere in te religionem et allidere parvulos Israelis. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicunque resistit, quicunque repugnat, plane cum Ægyptiis parvulos Israelitici germinis necare conatur, imo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem [12].

Secessit porro in Ægyptum quasi Herodem fugiens, revera autem ut Ægyptii erroris dæmones effugaret ex ea, sicut testatur Isaias dicens : *Ecce Dominus descendit in Ægyptum, et cadent idola Ægypti* [13.14]. Non igitur ut mortem fugeret, sed, 1° ut mortifera Ægypti idola dissiparet... ; 2° ut regionem illam nequitiæ officinam sanctificaret [15]... ; 3° ut gens antiquis erroribus dedita jam ad vicinam salutem per occultam gratiam signaretur, et quæ nondum ejecerat ab animo superstitionem, jam hospitio reciperet veritatem [16].

4° Secessit in Ægyptum ut perfidiam Judæorum per fidem gentium castigaret. Nam Dominum suum quem Judæa fugaverat, Ægyptus obsequenter accipit : ut Ecclesiam Synagogæ, Judæis gentes anteponendas in fide suam panderet per figuram [17].

Denique ideo in illam regionem longinquam et barbaram secessit Deus et in illa per plures annos habitavit ut discant Christiani exsilium non timere ;

[94] S. Chrysol., serm. 150. [95] S. Fulgent., *Serm. de Epiph.* [96] *Matth.* II, 15 ; *Osee* XI, 1 ; S. Chrysol., ubi supra. [97] *Ibid.* [98] *Matth.* X, 23. [99] S. Chrysol., *ibid.* Idem habent S. Aug., Cyprian., Athanas. et alii. [1] S. Thom., *Catena aurea*, c. 2. [2] S. Chrysol., serm. 150. [3] Id., serm. 153. [4] S. Bern. Senens., t. II, serm. 51, a 2, c. 2. [5] S. Bonavent., *Medit. Vit. Christi*, c. 7. [6] S. Bonav., *ibid.*, c. 12. [7] *Ibid.* [8] Origen., hom. 3 *In diversos.* [9] Ex S. Aug., *in psal.* CXIX. [10] Petr. Blesens., epist. 15. [11] *I Tim.* VI, 11 ; S. Aug., *in psal.* CXIX. [12] S. Bern., serm. 3 *in Epiph.* [13.14] *Isa.* XIX, 2 ; Hugo cardinal., *in Matth.* II. [15] Theophylac., hic. [16] S. Leo, serm. 2 *De Epiph.* [17] S. Chrysolog., serm. 1.

discant quod beatus ille est [18]... cui Christus in fuga comes est [19].. discant quod viro forti omne solum patria est, perfecto autem mundus totus exsilium [20]... discant quod homines Dei nunquam in Christo exsules sunt, licet ubique in carne peregrini [21].

—

CHRISTUS IN MEDIO DOCTORUM REPERTUS IN TEMPLO.

Infantia teneriori decursa, discendæ humilitatis, (pietatis et obedientiæ) nobis adhuc exempla præbuisti, dum sedisti non in consilio vanitatis, sed in templo, in medio doctorum, interrogans et audiens illos [22], cum tamen Dominus scientiarum tu esses [23], atque ipsa Dei Patris sapientia [24].

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, inquit evangelista [25]. Audite hoc, juvenes, et discite quam... *bonum* sit viro *cum portaverit jugum ab adolescentia sua* [26]... *Adolescens* enim *juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea* [27]... Difficulter siquidem eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Ac recens testa diu et saporem retinet et odorem quo primum imbuta est [28]... *Memento* igitur *Creatoris tui in diebus juventutis tuæ* [29]... Qui enim non assuescit virtuti dum juvenescit, a vitiis nescit discedere quando senescit [30].

Discite etiam, juvenes, quod anno duodecimo ætatis suæ in medio doctorum in templo sedens, non docens, sed interrogans voluit inveniri [31].

Ascendentibus illis Jerosolymam [32]. Attende quomodo jam nunc puer Jesus laborat itinere longo, ut honoret Patrem suum cœlestem in festis suis. Est enim amor summus inter Patrem et Filium [33]... Attende quomodo ascendit Jerosolymam, ut templum petat et Dei cultui vacet, ut... tu quoque ad ecclesiam convenias, ac sæcularibus operibus relictis, spiritualibus vaces [34]...

Secundum consuetudinem diei festi [35]. Ascendentes Judæi ad diem festum seorsum viri et seorsum mulieres ascendebant : unde credibile est puerum Jesum illo tempore nunc patri et viris adhærentibus ei, nunc matri et mulieribus comitantibus eam, suæ præsentiæ dulcedinem indulsisse [36].

Cogita vero quanta eorum fuerit felicitas, qui tot diebus viderunt faciem ejus, et mellifluos sermones audierunt, et consideraverunt in homine et puero insignia quædam cœlestis radiare virtutis, et inter confabulationes mutuas concessum est mysterium sapientiæ salutaris inserere [37].

Stupent senes, admirantur juvenes, et suæ tunc ætatis pueri deterrentur morum ejus gravitate et sermonum pondere. Credo quod omnium in se converteret aspectum, auditum erigeret, excitaret affectum. Cerne, quæso, quemadmodum a singulis rapitur, a singulis trahitur, senes osculantur, amplectuntur juvenes, pueri obsequuntur. Credo singulos proclamare intimo cordis affectu : *Osculetur me osculo oris sui* [38].

Consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem [39].

1° Remansit ut radium aliquem suæ divinitatis emitteret, jamque officium ad quod a Patre missus fuerat, inchoaret, ut postea ex hisce præludiis vir factus facilius agnosceretur et reciperetur [40].

2° Remansit et a se dimisit dilectissimam Matrem, ut qui spiritualiter vivit non miretur si aliquando mente arida remanens, videtur sibi se a Deo derelictum, cum etiam Matri Dei id contigerit. Non igitur mente tabescat, sed eum quærat sanctis orationibus, et bonis operibus persistendo, et inveniet eum [41].

3° Remansit et recessit a parentibus cum operibus Patris sui voluit intendere [42]... Ut si ab illo didicisti post Deum amare patrem, amare matrem, discas etiam quod, si necessitas venerit ut amor parentum ac filiorum Dei amori comparetur, et non possit uterque servari, odium in suos pietas in Deum est [43]... Honorandus siquidem est pater, sed obediendum Deo ; amandus est generator, sed præponendus est Creator [44]... *Qui enim amat patrem suum et matrem suam plus quam me*, inquit Christus, *non est me dignus* [45].

Scias igitur temperata eos discretionis arte et convenienter diligere et salubriter odio habere..., quatenus unicuique quæ sua sunt reddentes, parentibus scilicet quæ sunt parentum et quæ sunt Dei Deo... anteriora posterioribus non subdas, nec cum vocat te Oriens attendas ad Occidentem, ut sic possis dicere cum sponsa : *Ordinavit in me charitatem* [46].

Et non cognoverunt parentes ejus [47]. Cum a Deo relinquimur, nec ipsa ullatenus destitutionis nostræ damna sentimus, etc. At si afflatu sancti Spiritus mens tangitur, ad considerationem protinus suæ perditionis evigilat, in cœlestium inquisitione se excutit, amoris summi æstibus inardescit, quæ se circumpremunt damna considerat, et plorat proficiens, quæ prius læta torpebat [48].

Existimantes autem illum esse in comitatu requirebant eum [49]. O quam bonum est quærere Deum !

[18] Ex S. August. [19] Ex S. Cyprian. [20] Hugo Victorin., lib. xiii *Didascal.*, c. *ult.* [21] Ex S. Cyprian. [22] *Luc.* ii, 46. [23] *I Reg.* ii, 3. [24] *I Cor.* i, 24 ; S. Anselm., lib. x, medit. 9. [25] *Luc.* ii, 42. [26] *Thren.* iii, 27. [27] *Prov.* xxii, 6. [28] S. Hier., epist. 7 ; Hor. epist. i, ep. 2, 69, 70. [29] *Eccle.* xii, 1. [30] S. Maxim. [31] S. Greg., hom. 2 *in Ezech.* [32] *Luc.* ii, 42. [33] S. Bonav., *Medit. Vit. Christ.*, c. 14. [34] Origen., hom. 23 *in Num.* [35] *Luc.*, ubi supra. [36] Beda, hic ; S. Bern., *Hom. in Dom. infra oct. Epiphan.* [37] *Ibid.* [38] *Cant.* i, 1 ; S. Bern., ubi supra. [39] *Luc.* ii, 43. [40] Euthym., hic ; *Catena. Græc.* [41] S. Bonav., *Medit. Vit. Christ.*, medit. 14. [42] Id., ubi supra. [43] S. Hier., *in Matth.* x. [44] S. August., serm. 8 *De verb. Apost.* [45] *Matth.* x, 37. [46] *Cant.* ii, 4 ; S. Greg., lib. vii, c. 14. [47] *Luc.* ii, 43. [48] S. Greg., *in cap.* x *Job ; Catena Græca*, hic. [49] *Luc.* ii, 44.

Ego hoc nullum in bonis animæ secundum judico. Primum in donis, ultimum in profectibus virtutum; nulli accedit, cedit nulli. Quæ enim virtus ascribi possit non quærenti Deum? *Quærite*, inquit, *faciem ejus semper* [50]. Existimo quia nec, si inventus fuerit, cessabitur a quærendo [51].

Inter cognatos et notos [52]. Hæc causa quærentes frustrare solet dum quærunt ubi non oportet [53]... Parentes ejus quærunt eum sollicite, et non inveniunt. Quærunt inter affines, quærunt in comitatu, quærunt inter notos, et in his omnibus non reperiunt. Non enim inter cognatos et carnis propinquos invenitur Jesus; non in his qui corporaliter ei uniti sunt. In multorum comitatu Jesus meus non potest inveniri. Disce ubi eum quærentes reperiant, ut et tu quærens cum Joseph Mariaque reperias. *Et quærentes*, inquit, *invenerunt illum in templo* [54]. Non ubicunque in alio loco, sed in templo [55]... Quomodo ergo te, o bone Jesu, inter meos cognatos inveniam qui non es inventus inter tuos [56]?

Et non invenientes [57]. Christo non invento qualem quietem habere poterant, tu ipse cogita, et maxime Mater quæ ipsum arctius diligebat, nec poterat consolari? quid enim erat perdere Jesum; conspice ipsam et compatere [58].

Non turbemur ergo quando tribulationes habemus, cum etiam Matri non pepercit Dominus. Ad suos eas permittit venire; signa sunt suæ dilectionis et nobis expedit eas habere.

Reversi sunt in Jerusalem [59]. Cur, o Domine Jesu, furaris præsentiam tuam? Cur desiderium inducis et delectationem subducis? An forte hoc modo in majorem aviditatem et ardentius desiderium concupiscentiam protrahis? Ita est, plane ita est. Istæ amoris fallaciæ quæ ipsum amorem magis inflammant, ad cujus cumulum proficiunt, dum sic decipiunt [60].

Requirentes eum [61]. *Si quæritis, quærite*, inquit propheta [62]. Quid est *si quæritis, quærite*. Quærite in simplicitate, ut non aliud tanquam eum, nec aliud præter eum, nec aliud post eum: si nolumus frustra quærere, quæramus veraciter, ut nec pro illo quæramus aliud. Quæramus simpliciter, ut nec cum illo aliud quæramus, perseveranter, ut nec ab illo ad aliud convertamur. Facilius est cœlum et terram transire quam ut sic quærens non inveniat, sic petens non accipiat, sic pulsanti non aperiatur [63].

Et factum est post triduum invenerunt illum [64]. Cum ante oculos cordis tui illa dulcis pueri dulcis versatur imago; cum illum speciosissimum vultum spirituali quadam imaginatione depingis; cum oculos suavissimos simul et mitissimos in te jucundius radiare persentis: tunc, ut videtur mihi, intimo clamas affectu: O dulcis puer, ubi eras triduo illo quo quærebaris a Matre [64*]?

Ubi jacebas? quo utebaris hospitio? quo fruebaris consortio? quibus alitus, quibus negotiis occupatus? An in domo aliqua interim morabaris, vel certe cum aliquibus tuæ ætatis puerulis secreto loco consistens eis secretorum mysteria profundebas; secundum tuam in Evangelio vocem: *Sinite parvulos venire ad me*, etc. [65]. Felices, si qui fuerunt, illi, quibus tot diebus tam familiariter tuam præsentiam indulsisti [66]!

Invenerunt illum. O pium, o delectabile pietatis spectaculum! Occultat se, ut ardentius requiratur, et requisitus inveniatur, inventus cum sollicitudine teneatur et tentus non dimittatur, donec in amoris sui cubiculo mansionem facturus introducatur. Hac arte ludit Sapientia in orbe terrarum, et deliciæ ejus esse cum filiis hominum [67].

Si ergo delectationem præsentiæ suæ aliquando subducit a te, ne animo concidas... Discedit enim a te non ut iratus, sed ut amore succensus; et ideo tardius redit, ut ipsa dilatione vehementius inflammeris, pulses vehementius, provoces ardentius [68]... Quo enim desiderando magis lassatur affectus, eo amplius amor crescit: et quo diutius abest qui desideratur, eo exspectantis desideria majore quodam vi amoris ignescunt [69].

Post triduum. Tridui iter proficisceris, si te ab omni inquinamento spiritus, animæ et corporis conserves, si purificans dicta, facta et cogitata, spiritualia opera in te compleas... Sic post triduum anima Christum inveniet [70].

In templo. Non invenerunt Jesum parentes ejus inter cognatos et notos. Ubi igitur invenerunt eum? In templo. Ibi enim invenitur Filius Dei..., ibi invenitur Jesus [71].

In templo, in ecclesia, in conventu fidelium, in medio doctorum... Si quando et tu quæsieris Jesum, quære in templo. Illuc propera, ibi Christus reperitur... Ibi paterno jure residere delectat... Qui igitur Jesum quæris, veni ad templum, veni ad ecclesiam, veni ad episcopos et sacerdotes. Audi quod ipsi dicunt: ibi enim videbis Jesum, ibi sedet in medio doctorum, id est, in cordibus eorum. Ibi enim audiens docet, et interrogans instruit. Ibi omnes actus nostri et cogitationes respondent. Nihil ei absconditur. Omnia videt et cuncta ei loquuntur... Si ita quæsieris, invenies eum [72].

Sedentem in medio doctorum. Quid tibi fuerit animi, dulcissima Domina mea, quid stuporis, quid gau-

[50] *Psal.* CIV, 4. [51] S. BERN., *in Cant.*; *Catena aurea*. [52] *Luc.* II, 43. [53] S. BERN., serm. 75 *in Cant.* [54] *Luc.* II, 46. [55] ORIGEN., hom. 18 *in Luc.* [56] S. BONAV., *Specul. discip.*, part. I, c. 23, ex S. Bern. [57] *Luc.* II, 45. [58] S. BONAV., medit. 14 *Vit. Christ.* [59] *Luc.*, ubi supra. [60] GILLEBERT., *in Cant.* [61] *Luc.*, ubi sup. [62] *Isa.* XXI, 12. [63] S. BERN., serm. 2 *Ad fratres.* [64] *Luc.* II, 46. [64*] S. BERN., *Hom. in Dominic. infr. octav. Epiphan.* [65] *Marc.* X, 14. [66] S. BERN., ubi supra. [67] *Prov.* VIII, 31; DROGO Ostiens., *Serm. de Passione Dom.* [68] S. LAURENT. JUSTINIAN. [69] S. AMBROS. [70] ORIGEN., *in cap.* III *Exod.*; *Catena Græca.* [71] ORIGEN., hom. 19 *in Luc.*; EUSEB. Emiss. [72] *Catena*, ORIGEN. sup.; BEDA, hic; EUSEB.; ORIGEN., hom. 18 *in Luc.*

dii, cum dulcissimum Filium tuum Dominum Jesum invenires non inter pueros, sed inter doctores, cum omnium oculos in ipsum intentos, omnium cerneres aures ad ipsum arrectas, cum de prudentia ejus et responsis pusilli et magni, docti pariter et indocti loquerentur ! *Inveni*, inquit, *quem diligit anima mea, tenebo illum nec dimittam* [73]. Tene, o dulcis Domina, tene quem diligis : et triduanam ejus absentiam multiplicatis deliciis recompensa [74].

Interrogantem eos. Tribus modis Deus nos interrogare consuevit : 1° invectione flagelli ; 2° promulgatione præcepti ; 3° revelatione secreti [75]. Invectione flagelli..., cum flagelli districtione percutit, ut quanta nobis insit vel desit patientia ostendit. Promulgatione præcepti, dum quædam quæ nolumus præcipit, et nostram nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit. Revelatione secreti, cum aliqua nobis occulta aperit, et aliqua abscondit et mensuram nobis nostræ humilitatis innotescit [76].

Et audientem. Conspice illum sedentem inter doctores, vultu placido, sapienti et reverenti audientem et ex humilitate quasi ignorans interrogantem eos [77]... Quasi fons sapientiæ doctorum medius sedet, sed quasi exemplar humilitatis, audire prius et interrogare doctores, quam instruere quærit indoctos. Ne etenim parvuli a senioribus erubescant discere, et ipse ob ætatis humanæ congruentiam, hominibus auscultare non erubescit Deus [78]. Ne infirmus docere quis audeat, et ille puer doceri interrogando voluit qui per divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministravit [79].

Vigilanti itaque consideratione pensandum est, quod juxta rationis usum doctrinæ sermo non suppetit nisi in ætate perfecta... Ne igitur junior docendi ministerium usurpes..., memor filii Sunamitidis, qui adhuc tener et parvulus egressus ad messores, revertens ad matrem, et clamans : *Caput meum dolet*, exstinctus est [80].

Data etiam hæc pueris et adolescentibus humilitatis et reverentiæ forma, ut in medio doctorum taceant et audiant, interrogent et discant [81]... Cum enim parvulus Jesus invenitur in medio præceptorum, non docens, sed interrogans, docet nos quid pueris, quantumvis sapientes et eruditi sint, conveniret, ut audiant potius magistros quam docere desiderent, et se vana ostentatione non jactent [82].

Stupebant autem *omnes qui audiebant super prudentia et responsis ejus* [83]. Quicunque cordis ore adhuc audiunt, stupent ad ejus prudentiam [84].

Et responsis ejus. Responsa ejus stupenda sunt. Respondere enim illius est, eum qui se humiliter nescientem cognoverit, occultis inspirationibus erudire. Respondet ex magisterio aspirationis, et mentem humilium mirabiliter docet [85].

Et videntes admirati sunt [86]. Inter alta quæ audiunt, et infirma quæ vident, admiratione turbantur : divinam lingua sapientiam prodebat, sed infirmitatem ætas prætendebat humanam [87].

Et dixit mater ejus ad illum. Dixit fiducialiter, humiliter, et affectuose [88].

Fili, quid fecisti nobis sic? O bone Jesu, quid est quod sanctissimæ Matri tuæ, quærenti, dolenti, suspiranti non compatiebaris [89] ?

Ego et pater tuus dolentes quærebamus te. O Domina, quid dolebas ? Non famem, non sitim, non inediam timebas puero quem Deum noveras ; sed tantum subtractas vel ad modicum ineffabiles præsentiæ ejus delicias querebaris. Tam enim dulcis est Dominus Jesus gustantibus eum, tam speciosus ad videndum, tam suavis ad amplectendum, ut brevis ejus absentia maxima doloris materia sit [90].

Imitare ergo Mariam... Imitare Sponsam : *Surgam*, ait, *et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea* [91]. Non tepide aut negligenter, non perfunctorie quærit... Imitare Mariam : sollicite, dolenter et perseveranter quærit [92]... Oportet enim qui quærit Jesum, non negligenter quærere, non dissolute, non transitorie sicut quærunt multi, et ideo invenire non possunt. Dicamus ergo : Et nos dolentes quærimus te [93].

Sed quæramus Jesum propter ipsum... Quam multi enim non quærunt Jesum nisi ut illis benefaciat secundum tempus ! Alius negotium habet, quærit intercessionem clericorum : alius premitur a potentiore, fugit ad ecclesiam. Alius pro se vult intervenire apud eum, apud quem parum valet. Ille sic, ille sic. Impletur quotidie talibus ecclesia. Vix quæritur Jesus propter Jesum [93*].

Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis? Non quod eum quasi filium quærat, vituperat, sed ad quod ei potius, qui æternus est Filius debeat, cogit oculos mentis attollere [94].

Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse [95]. Quasi dicat : Scio quod desolatum me credentes quærebatis : sed sciatis quod spiritualem consolationem quam habui in domo Patris mei, id est in templo isto, plus dilexi quam carnalem consolationem, quam habere potuissem in domo vestra. Heu ! quam pauci puerum Jesum imitantur in hac parte, ut videlicet plus diligant spiritualia quam temporalia. Plus enim litigatur hodie pro temporalibus defensandis, quam laboratur pro animabus salvandis [96].

[73] *Cant.* III, 4. [74] S. Bern., *Hom. in Domin. inf. octav. Epiph.* [75] S. Bern., *Sentent.* [76] S. Greg., lib. XXVIII *Moral.*, c. 5 ; S Anselm., *Enarr. in Evang.*, c. 2. [77] S. Bonav., medit. 14 *Vit. Christ.* [78] Beda, *in Luc.* VIII. [79] Greg., *Pastor.*, part. III, admonit. 26. [80] *II Reg.* IV, 19, 20 ; S. Greg., lib. II *in Ezech.*, hom. 2. [81] S. Bern., *Hom. inf. oct. Epiph.* [82] Origen., hom. 19 *in Luc.* [83] *Luc.* II, 47. [84] S. Anselm., *Enarrat. in Evang.*, c. 2. [85] *Ibid.* [86] *Luc.* II, 48. [87] Beda, *in cap.* II *Luc.* [88] S. Thom., *Caten. aurea.* [89] S. Bern., *Hom. in Dom. inf. oct Epiph.* [90] *Ibid.* [91] *Cant.* III, 2. [92] S. Bern., serm. 75 *in Cant.* [93] Origen, hom. 18 *in Luc.* [93*] S. Aug., tract. 25 *in Joan.*, c. 6. [94] Beda, *in Luc.* II. [95] *Luc.* II, 49. [96] Albert. Magn., t. XII, serm. 14 *De temp.*

Sciat porro unusquisque nostrum quod si bonus fuerit atque perfectus, possessio Dei Patris est, et habet in medio sui Jesum : *In his enim*, inquit, *quæ Patris mei sunt oportet me esse* [97].

Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos [98]. Non intelligunt, nec tamen mysterium absconditum inquirunt, ut discas quod... venerari potius quam interpretari convenit divina oracula... *Altiora* igitur *ne quæsieris*, inquit Sapiens, *et profunda consiliorum ejus ne investigaveris* [99]. Incomprehensibilem enim divini consilii altitudinem sapientia humana puro cognitionis intuitu comprehendere non potest, quia dum mens ultra se præcipitanter erigere usque ad inaccessibilem secretorum Dei visionem appetit, infirmitatis suæ obstaculo reverberata, et intra ignorantiæ suæ angustias coarctata, nec quod ultra se est valet comprehendere, nec quod intra se est æstimare [1]... Cedat ergo curiositas fidei... *Scrutator enim majestatis opprimetur a gloria* [2].

Et descendit cum illis et venit Nazareth [3]. Disce ex illo proprium sensum, propriam abnegare voluntatem. Nam cum Dominus Jesus dixisset, quod oportebat eum operibus Patris intendere [4], mutavit consilium, et Matris voluntatem secutus recessit cum ea et cum nutritio suo [5].

O quantum pietatis simul in Domino et humilitatis exemplum ! Parentes ejus non intelligunt verbum quod de sua divinitate loquitur ad illos, et tamen ipse humanæ illorum erga eum sedulitatis non ingratus, quo præcipiunt descendit et subditus illis. Quid enim magister pietatis, nisi officium pietatis impleret ? Quid inter nos aliud quam quod a nobis agi vellet, ageret [6] ?

Deferebat homini, deferebat ancillæ, deferebat simulato patri, deferebat Deo vero Patri : ut ejus videlicet exemplo admoniti quid parentibus debeamus, qui tanta pro nobis patiuntur, agnoscamus [7].

Et erat subditus illis [8]. Jam cœlestium mysteriorum incipit revelare secretum, ut humilitatis et obedientiæ, simulque propriæ voluntatis deserendæ, seniorum præceptis etiam utilibus prætermissis, obtemperandi expressius et excellentius commenderet exemplum ; his enim tam sublimibus, tam utilibus, tam denique necessariis prætermissis, seniorum se subdit voluntati, ut ait evangelista : *Et erat subditus illis* [9].

Quis, quibus ? Deus hominibus, nec tantum Mariæ, sed et Joseph. Utrinque stupor, utrinque miraculum : et quod feminæ Deus obtemperat ; humilitas sine exemplo ; et quod femina principatur Deo, sublimitas sine socio. Erubesce, superbe cinis. Deus se humiliat et tu te exaltas ; Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Auctori ? Quoties enim præsse desidero, toties Deum meum præire contendo [10]. *Et erat*, inquit, *subditus illis*. Et tu ergo subditus esto propter illum [11].

Quia etiam majorem Joseph videbat ætate, propterea eum parentis loco coluit, omnibus filiis exemplum tribuens ut subjiciantur parentibus. Quod si patres iis non fuerint, subjiciantur his qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus et filiis ? Si Jesus filius subjicitur Joseph et Mariæ, ego non subjiciar episcopo, qui mihi a Deo ordinatus est pater ; non subjiciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est [12] ?

Disce ergo, o homo, hominibus obtemperare, disce superioribus obedire. Disce... in ara conscientiæ victimas propriæ voluntatis imponendo te ipsum Deo immolare [13]... Disce tandem... proprio sensui non nimis inniti [14] : siquidem inter omnes tentationes, hac nulla videtur perniciosior [15].

Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc [16]. Cæteris nescientibus sive non intelligentibus, Maria, ut sciens et intelligens consilia Filii sui, conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Memoria conservabat, meditatione ruminabat, et hæc cum cæteris quæ de eo viderat et audierat conferebat [17].

Ita beatissima Virgo tunc misericorditer providebat nobis, ne tam dulcia, tam salubria, tam necessaria aliqua negligentia laberentur, et propterea nec scriberentur, nec prædicarentur, et sic sequaces hujus spiritualis mannæ deliciis defraudaremur [18].

Et Jesus proficiebat sapientia et ætate [19]. Profectum ætatis sapientiæ profectum esse decet. *Et gratia apud Deum et apud homines.* Agebat scilicet ea quæ Deo beneplacita erant, et quæ laudata ab hominibus. Primum enim oportet Deo placere et deinde hominibus [20]... Deo enim debemus conscientiam, proximis famam [21]... ; crescebat ergo non ut augmentum aliquod acciperet, cum ab initio gratia sapientiaque absolutus esset, sed quod hæc hominibus paulatim apparerent [22]... Non per accessum temporis accipiendo quod non habebat, sed pandendo donum gratiæ quod habebat [23]... Augescente enim magnitudine corporis, una crescebat in eo Divinitatis manifestatio, sicque proficiebat quia sapientior videbatur [24].

[97] *Luc.* II, 49 ; Origen., hom. 20 *in Luc.* [98] *Luc.* II, 50. [99] *Eccli.* III, 22 ; Symmach., lib. I, epist. 54. [1] Fulbert., epist. 1 *Ad Deodat.* [2] *Prov.* XXV, 27 ; Tertull., *De præscript.* [3] *Luc.* II, 51 [4] *Ibid.*, 49. [5] Ex S. Bonav., medit. 14 *Vit. Christ.* [6] Beda, hic. [7] *Ibid.* [8] *Luc.*, loc. cit. [9] S. Bern., hom. *in Domin. infra octav. Epiph.* [10] S. Bern., serm. 1 super *Missus est angelus Gabriel.* [11] Id., serm. 3 *in Circumcis.* [12] Origen., hom. 26 *in Luc.* [13] S. Laurent. Justin., *De obed.*, c. 3. [14] *Prov* III, 5. [15] S. Bonav., *De sex alis seraph.*, c. 7. [16] *Luc.* II, 51. [17] S. Bern., *Hom. in Domin. oct Epiph.* [18] S. Bern., loc. cit. [19] *Luc.* II, 52. [20] Theophylact., in his verbis *Luc.* [21] S. Bern. [22] S. Gregor Naz., orat. 20. [23] Beda. [24] S. Cyrill.

Ecce habemus exemplum a puero Jesu quod sicut ætate proficimus, ita etiam de die in diem proficere debemus in sapientia et gratia tam coram Deo quam coram hominibus, ut videlicet de tempore in tempus vera sapientia sapientiores exsistant, et ampliorem nobis gratiam, tam Dei quam hominum inquiramus [25].

Nullam enim ascensus et deificationis mensuram agnoscit Christianus [26]... Et quia nunquam arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, satis est : sed semper esurit sititque justitiam. Ita ut si semper viveret, semper quantum in se est justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus, instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipavit famulatui [27].

Nullum ergo finem, nullum terminum habeat devotio amantis [28]... Semper quantum in te est justior esse contendas, et de bono in melius proficere [29]... Bona enim est in rebus spiritualibus insatiabilitas [30]... Et quia natus Christus non sic remansit, crevit enim, ad juventutem pervenit, sed ad senectutem non declinavit [31]... crescat jam in te qui in se ipso crescere non potest..., robur inveniat, vetustatem nesciat [32]... conceptus enim et natus in nobis vult nutriri semper et crescere, *donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* [33].

Quia autem sicut in illo homine quem gessit, ita in nostris mentibus gradus quosdam corporeæ ætatis exsequitur, nascitur, crescit, roboratur : orandus ne in nobis diu aut jugiter parvulus, infirmus et pauper sit [34].

[25] Albert. Magn., serm. 14 *De temp.* [26] S. Greg. Naz. [27] *Philipp.* III, 13; *Matth.* V, 6; S. Bern., epist. 253. [28] S. Bern., *Ad frat. de Monte Dei.* [29] Id., epist. 253. [30] S. Greg. Thaumat. [31] S. Aug., *Serm. de temp.* [32] *Ibid.* [33] *Ephes.* IV, 13; S. Bern., *serm. inf. oct. Epiph.* [34] S. Paulin., epist. 3 *Ad Sever.*

PARS SECUNDA.

CHRISTUS PRÆDICANS SEU VITA PUBLICA.

CHRISTUS A JOANNE BAPTIZATUS.

Quantam gratiam Christo debemus qui vota votis accumulat, gaudia gaudiis multiplicat! Ecce enim adhuc exsultamus Christum natum, et jam eum lætamur pro salute humani generis baptizatum; nec ortus ejus est expleta festivitas, et jam baptismatis ejus est celebranda solemnitas [1].

Ita enim disposuit ut esset continuata festivitas nativitatis et baptismatis, ut quemadmodum tunc eum miramur incorrupta matre genitum, ita et nunc suscipiamus illum pura unda submersum [2].

Gloriemur igitur in utroque facto, quia filium genuit Mater et casta est : et quia Christum unda lavit et sancta est. Nam, sicut post partum glorificata est Mariæ castificatio, ita et post baptismum aquæ est purificatio comprobata [3].

Natalis ergo hodie altera est quodammodo Salvatoris. Nam iisdem signis, iisdem miraculis cognoscimus genitum; sed Spiritus qui illi in utero adfuit, modo eum in gurgite circumfulsit. Qui tunc Mariam castificavit, nunc fluenta sanctificat. Pater qui tunc obumbravit in virtute, nunc clamat in voce. Et qui umbram præstitit nativitati, modo testimonium perhibet veritati... Et Maria honoratur Genitrix... Ubi Joseph pater æstimatur, hic Pater Deus Majestatis inscribitur... Illa silentio Christum genuit, ista cum divinitatis protestatione [4].

Ut autem hujus mysterii sacramentum plenius inspicias, attende quod ubi robustioris ætatis plenitudo advenit [5], missurus manus ad fortia [6], egressus est in salutem populi sui [7], ut gigas fortis ad currendam viam [8] totius nostræ miseriæ. Et primum quidem ut per omnia se fratribus assimilaret [8a], servum suum baptizantem peccatores in pœnitentiam, tanquam peccator adiit. Baptizari se quoque postulavit innocens Agnus Dei, non se in aquis, sed aquas in se sanctificaturus, ut per eas sanctificaret nos [9].

Quia nempe per universum mundum sacramentum baptismi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Jordanis alveum unica ac singulari pietate descendit... Et attactu membrorum Christi fluenta ditantur : vitalemque gratiam non corpus ex flumine, sed flumen mutuatur ex corpore...O misericordia simul et potentia Dei! necdum eramus in mundo, et jam abluebamur in baptismo [10].

Quod si igitur, o anima, sequi Sponsum virginum quocunque ierit [11] delectet, altiora ejus et secretiora scrutare, ut in Jordanis flumine audias in voce Patrem, in carne Filium, in columba videas Spiritum sanctum. Ibi ad spirituales nuptias invitata sponsum suscipe datum a Patre, purgationem a Filio, pignus amoris a Spiritu sancto [12].

[1] S. Aug., serm. 36 *De tempore.* [2] *Ibid.* [3] *Ibid.* [4] *Ibid.* [5] *Galat.* IV, 4. [6] *Prov.* XXXI, 19. [7] *Habac.* III, 13. [8] *Psal.* XVIII, 6. [8a] *Hebr.* II, 17. [9] S. Ansel., l. X *Medit.* [10] S. Aug., serm. 1 *in Epiph.* et *in octava Epiph.* [11] *Apoc.* XIV, 4. [12] S. Ansel., *Med. de vræt. benef. memoria.*

I. *Venit Jesus ad Joannem* [13].

Contuendum est quia superior venit ad inferiorem, Christus ad Joannem [14].

Cum famulis Dominus, cum reis Judex baptizandus venit : qui dignatus est cuncta perpeti quæ passus est, quid miraris si baptizari suscipiat, cumque aliis ad servum venire non respuat [15]?

Inter hujusmodi homines, id est, vitæ perditæ, et progeniem viperarum [16], virtutum cœlestium Dominus, *qui respicit terram et facit eam tremere* [17], Christus Jesus, non dedignatur humilis ad servi sui baptismum properare [18].

II. *Ut baptizaretur ab eo* [19].

Ut sanctificaret baptismum Joannis, venit ad baptismum [20].

Venit autem inter populares turbas, venit tanquam unus e populo, qui solus erat sine peccato [21].

Quis eum tunc crederet Filium Dei? quis putaret Dominum majestatis [22]?

Baptizari vis, o Domine Jesu! ut quid? aut quid opus fuit tibi baptismate? Nunquid sano opus est medicina, aut mundatione mundo [23]?

Quomodo non humiliaretur homo coram humili Deo [24]?

III. *Joannes autem prohibebat eum* [25].

Reverendo vertici Christi impositurus manum Baptista contremuit... Qua igitur fiducia meritorum, qua mentis audacia, contrectare præsumam vitam animarum, pretium mundi, angelorum panem? ubi quanto dignior et eminentior est hujus ministerii gradus, tanto gravius imminet ex ipsius dignitate discrimen [26].

IV. *Dicens : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me* [27]!

Ego sum creatura, tu Creator; ego servus, tu Dominus; ego figura, tu Veritas.

Quis dives a paupere divitias quærit? nunquid potius pauper a divite [28].

Ego factus sum redimendus a te, tu autem natus ut redimas [29].

V. *Respondens Jesus dixit ei : Sine modo* [30].

Quem superna gratia ad ministeria sacra elegit, sub humilitatis specie superbe non contradicat, nec pertinaciter declinet, cum ad hæc suscipienda divina voluntas agnoscitur [31].

VI. *Sic decet nos implere omnem justitiam* [32].

Id est implere omnem legem. 1° Justitia enim est omnium mandatorum custodia. 2° Est propositum susceptæ humilitatis [33]. 3° Id est maxima et plena justitia est se inferiorem exhibere ipsi inferiori [33*].

Tota Christianæ disciplinæ sapientia in voluntaria humilitate consistit [34].

4° Id est : justissimum est, ut quia totum suscepi hominem... per omnia transeam hominis sacramenta, et pro vobis ad baptismum veniam, propter quos circumcisionis non vitavi sacramentum [35].

VII. *Tunc dimisit eum Joannes* [36].

Humilitas enim ante Dei oculos vera est, cum ad respuendum hoc quod utiliter præcipitur pertinax non est [37].

Cum sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est quibus et aliis prosit, et ex corde debet fugere, et invitus obedire [38].

Neque enim veræ humilitatis est, qui superni Numinis arbitrium ut debeat præesse intelligit, et tamen præesse contemnit [39].

VIII. *Et baptizatus est a Joanne in Jordane* [40].

Supponit cervicem sanctam manibus hominis humilitas Redemptoris [41].

Inclinatur sub Baptistæ manibus caput tremendum potestatibus, principibus adorandum... O quam altum erit in judicio caput quod modo inclinatur [42]!

Prior est fonte ille qui mergitur, et ex quo in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas mysterio baptismatis consecravit [43].

Baptizatur ergo non sibi, sed nobis. Non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet [44]; utque aquas sanctificatas relinqueret postmodum baptizandis [45]... ut ablutæ per carnem Christi baptismatis jus haberent. Baptizatur novus homo, ut novi baptismatis constituat sacramentum [46]... Et baptismati Judæorum terminum posuit, ut nostrum sumeret exordium [47]...; baptizatur ut omnibus baptizandi se præberet formam [48]...; ut totum humanæ naturæ inveniretur implesse mysterium [49]... Tandem unus mersit, sed lavit omnes; unus descendit, ut ascenderemus omnes; unus omnium peccata suscepit, ut in illo omnia peccata morerentur [50].

« Purificate ergo vos, » inquit apostolus, « quia ille pro vobis purificavit se, qui purificatione non eguit. »

IX. *Et statim ascendens de aqua vidit cœlos apertos* [51.52].

Confestim ascendit, festinans scilicet ad tentationem contra diabolum, ad liberandum genus hu-

[13] *Matth.* III, 13. [14] S. Ambr., l. I *in Luc.* I. [15] S. Chrysost., hom. 12 *in Matth.* [16] *Matth.* III, 7. [17] *Psal.* CIII, 32. [18] S. Maxim., hom. 7 *in Epiph.* [19] *Matth.* III, 13. [20] S. Ambros., l. I *in Luc.* I. [21] S. Bern., serm. 1 *in Epiph.* [22] *Ibid.* [23] *Ibid.* [24] *Ibid.* [25] *Joan.* III, 14. [26] Petr. Blesens., epist. 139. [27] *Matth.* III, 14. [28] S. Chrysost., hom. 4 *Op. imper.* [29] S. Maxim., hom. 1 *in Epiphan.* [30] *Matth.* III, 15. [31] S. Greg., *Past.*, p. I, c. 7. [32] *Matth.* III, 15. [33] S. Chrysost., hom. 3 *in Matth.*; S. Maxim., ubi supra. [33*] S. Bern., serm. 4 *in Epiphan.* [34] S. Leo, serm. 7 *in Epiphan.* [35] S. Maxim., hom. 7 *in Epiphan.* [36] *Matth.* III, 15. [37] S. Greg., *Pastor.*, p. I, c. 6. [38] *Ibid.* [39] *Ibid.*, paulo ante. [40] *Marc.* I, 9. [41] S. Cypr., *De Christi bapt.* [42] S. Bern., serm. 4 *in Epiphan.* [43] S. Aug., serm. 36 *De temp.* [44] S. Maxim., hom. 7 *in Epiph.* [45] S. Chrys., hom. 4 *Op. imp.* [46] S. Ambr., *in c.* II *Luc.* [47] S. Max., supra. [48] S. Laur. Just., *De Circ.* [49] S. Chrysost., ubi supra. [50] S. Ambr., hom. *in Luc.* II. [51.52] *Marc.* I, 10.

manum. Sicut dux contra tyrannum deputatus ad bellum, mox ut signum acceperit, sciens quod tarditas ejus perditio est provinciæ [53].

Non dixit evangelista, egressus est, sed *ascendit*, quia omnes qui digne formati et consummati baptizantur in Christo, confestim de aqua ascendunt, id est proficiunt ad virtutes, et ad dignitatem sublevantur cœlestem [54].

Et Jesu baptizato et orante cœli aperti sunt ei [55]. Quia, dum corporis humilitate Salvator undas fluvii subiit, divinitatis suæ potentia nobis cœli januas aperuit [56].

Cœli igitur patuerunt, ut discas etiam tu, cum baptizaris, hoc fieri, Deo te jam ad cœlestem patriam vocante, nihilque cum terra commune habere suadente. Non solum ei, sed nobis apertum est propter ipsum. Similiter igitur aperiuntur baptizatis cœli, et vident ea quæ sunt in cœlo, non carnalibus oculis videndo, sed spiritualibus fidei credendo [57].

X. *Et descendit Spiritus sanctus corporali specie* [57*].

Spiritus sanctus toto se fudit illapsu, quando Pater de cœlestibus clamat : *Hic est Filius meus dilectus* [58] ; ut quibus, in creandis nobis, operatio fuerat una cum Filio, una fieret de nostra reparatione dignatio [58*].

Corporali specie, ut disceres quoniam super te quoque, cum sacro fonte dilueris, sanctus Spiritus veniat. Non enim propter ipsum descendit in eum Spiritus sanctus, siquidem semper ab exordio conceptionis suæ Spiritu sancto plenus remanserat [59].

XI. *Sicut columba* [59*].

Recte sicut columba in ipsum descendit Spiritus sanctus : 1° ut ejus mansuetudinem nobis intimaret. Ipse enim judex est generis humani, sed quis ejus ferret justitiam, si, priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset [60] ?

In columba apparere super eum debuit Spiritus, qui non venerat ut peccata per zelum jam percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. Igitur in specie venit columbæ, quia mansuetum hoc animal ac mundum est, ipse autem est mansuetudinis spiritus [60*].

2° Ideo Spiritus sanctus speciem columbæ suscepit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis. Solam autem charitatem sancti Spiritus non potest diabolus imitari, nec illa invenitur in impostoribus, sed in solis servis Dei [61].

3° Ut sicut illa columba Noe nuntiaverat diluvium discessisse, ita ista indice nosceretur perpetuum mundi cessasse naufragium [61*].

XII. *Et vidit venientem supra se, et mansit super eum* [62].

Requiescet, inquit propheta, *super eum Spiritus Domini* [63]. Super quem enim requiescet, nisi super humilem et quietum [64] ?

XIII. *Et ecce vox de cœlis, dicens : Tu es Filius meus dilectus* [65]

Hucusque, Domine sancte Pater, non audivimus te loquentem, qui multifarie olim patribus locutus es in prophetis per angelos sanctos [66].

Nunc autem e cœlis de Filii exuberanti humilitate exsultans, extemplo cœlorum portas pandisti, et in tonitrui modum vocem demisisti paterno refertam affectu, dicens : *Hic est Filius meus dilectus* [67].

XIV. *In quo mihi bene complacui* [68].

Hoc est simul de omnibus, quæ in te sunt, vel quæ egisti placui mihi, quia nihil unquam in te inveni, quod non semper placuit mihi [69].

Quod autem de capite Christo diximus referendum est ad membra ut corpus ejus... quia, cum quilibet electorum ejus baptizatus est, et non otio vacat, sed devotis precibus occupatur, et iter virtutum arripit... tunc descendit Spiritus sanctus in eum. Venit corporali specie ut designet firmitatem donationis suæ. Sicut columba, ut innocentiam et simplicitatem se talibus afferre demonstret [70].

XV. *Et vox de cœlo facta est : Tu es Filius meus* [71].

Non angelos nos aut archangelos facit, sed Dei filios, atque dilectos [72].

Quia tunc quisque est filius Dei cum de baptismo ascendit. Et dilectus meus per prævenientem gratiam meam, qui prius odibilis eras malitia tua. *In te complacui mihi* : totum placet quod in te gessi, cum hucusque displicuisset quidquid ipse gesseras [73].

Hæc igitur universa considerans : videlicet et charitatem vocantis, et illius ad quam vocaris patriæ claritatem et honorem quo utique donatus es, vitam exhibe muneribus congruentem. Crucifige te mundo, tibique mundum [74], cumque omni diligentia cœlestis in ea decus conversationis exorna [75].

Permaneamus custodientes illam quam suscepimus dignitatem, et futura quotidie regna quæramus, omniaque præsentia umbras esse ac somnia judicemus. Neque enim, si rex terrenus aliquis assumeret te pauperem ac mendicum, repente sibi adoptaret in filium, tu jam ad tugurii tui respiceres vilitatem : ita nunc igitur nihil præsentium putes esse pretiosum [76].

Longe majora sunt ad quæ vocatus es. Non enim te a terra transponit ad terram, ut terrenus iste rex,

[53] S. Chrysost., hom. 4 *Op. imp.* [54] *Ibid.* [55] *Luc.* III, 21. [56] S. Anselm., c. 3 *Enar. in Evang.* [57] S. Chrysost., hom. 12 *in Matth.*; hom. 4 *Op. imp.* [57*] *Luc.* III, 22. [58] *Matth.* III, 17. [58*] S. Chrysost., serm. 157. [59] Id., hom. 12 *in Matth.* [59*] *Luc.* III, 22. [60] S. Anselm., c. 3 *Enar. in Evang.* [60*] *Ibid.* [61] S. Chrysost., hom. 12 *in Matth.* [61*] *Gen.* VIII, 11, 12; Id., serm. 157. [62] *Matth.* III, 16; *Marc.* I, 10; *Joan.* I, 32. [63] *Isa.* XI, 2. [64] *Isa.* LXVI, 2; S. Bern., hom. 1 super *Missus est.* [65] *Luc.* III, 22. [66] *Hebr.* I, 1; S. Cypr., *De bapt. Christi.* [67] *Matth.* III, 17; S. Procl., orat. 7 *in Epiph.* [68] *Matth.*, ubi supra. [69] S. Anselm., l. III *Enar. in Evang.* [70] S. Ansel., *ibid.* [71] *Marc.* I, 11. [72] S. Chrys., hom. 12 *in Matth.* [73] S. Ansel., *ibid.*, c. 3 *Enar. in Evang.* [74] *Galat.* VI, 14. [75] S. Chrys., ubi supra. [76] *Ibid.*

sed a terra extollit in cœlum, a mortali ad immortalem patriam [77].

Tantorum igitur particeps futurorum bonorum, noli auri argentique curis onerare mentem, cæterisque hujusmodi umbris atque imaginibus illudere [78].

XVI. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta* [79].

Jesus triginta annorum baptizatur, et tunc demum incipit signa facere et Evangelium prædicare; legitimum videlicet et maturum tempus ætatis ostendens his qui omnem ætatem vel ad sacerdotium, vel ad ministerium putant opportunam. Talem igitur ætatem exemplo Christi debent habere qui sacerdotes fiunt vel doctores, aut aliquem hujusmodi primatum accipiunt [80]. Quia vero in plenitudine temporis venit [81], et in eo habitat plenitudo corporaliter [82], nihil novit nisi plenum. Nam legem non venit solvere, sed implere [83].

—

CHRISTUS IN DESERTO JEJUNANS ET TENTATUS.

Baptizato Domino, non repente ad signa et miracula, et doctrinam usus est potestate, sed antequam notum se faceret mundo, exposuit se tentandum diabolo, non ut divinitatis integritas probaretur, sed ut tentatoris confunderetur præsumptio [84].

Pugnantem, hic, o Christiane, ducem tuum specta, qui exemplo virtutis suæ docet manus tuas ad prælium [85], et ad illud te fortiter provocat, ac vehementer accendit [86]. In hoc prælio dilectissimus Jesus solitudinis tibi secreta dicavit, et sanctificavit tibi jejunium subeundum, docens cum callido hoste conflictum. Hæc ibi facta, et pro te facta, et quonam modo facta sunt diligenter attendas. Dilige eum a quo facta sunt, et imitare quæ facta sunt [87].

I. *Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu* [88].

Mystico flumine infusus nihil sibi prius agendum putat, quam ut ad deserta contendat [89].

Tunc, id est statim post baptismum, *ductus est a Spiritu*, seu : *expulit eum Spiritus* in desertum. Vel : *agebatur a Spiritu in desertum* [90].

Uberiores enim fructus habet celerata devotio [91]. Et sicut nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia [92], sic nescit moras fidelis obediens, fugit crastinum, ignorat tarditatem [93].

In desertum. Considera quoniam Christum assumens Spiritus sanctus duxerit, non in urbem, neque in forum, sed in eremum [94].

Spiritus enim sanctus non libenter habitat ubi turba, ubi frequentia, ubi dissensiones, ubi rixæ sunt, sed sedem propriam habet solitudinem [95].

Desertum ergo ille Spiritus dictat, illud tacitus inspirat, fitque eremus Spiritui sancto suggerenti digna suggestio [96]. Et ipse Christus similis factus pellicano solitudinis [97]. Et secretum quærit, et solitarium locum diligit [98].

Discat ex hoc Salvatoris exemplo quilibet Christianus, 1° quod baptizatus nihil debet habere commune cum mundo, qui mundo renuntiavit [99]. Et qui major est mundo, quid facit in sæculo?

2° Fugiat mundum, si vult esse mundus [1]; fugiat autem non passu, sed affectu mentis [2]; abjiciens mel mundanæ delectationis, et deceptoriæ voluptatis [3], ac quidquid in sæculo arridet tanquam ludificatoria imaginationis somnia deputans [4].

3° Si Christus, qui peccatum non fecerat [5], neque sibi metuebat, eremi tamen amore flagrabat... quanto magis nobis exoptanda? quanto magis necessaria his erroribus obnoxio? exoptanda peccanti [6]?

Nos igitur tanquam in eremo constituti, nihil deliciarum sæcularium cogitemus. Nulla nos cupiditatum corporalium dulcedo sollicitet; simus sobrii, simus casti; habentes conversationem in urbibus, possideamus mente desertum [7].

Desertum enim plane est ipsum corpus Christiani, qui jejunus est et castus. Cum abstinentia marcescit caro, siti pallor obducitur, et contemptu rerum totius hominis species inculta sordescit [8].

Tunc enim Christus habitat desertum nostrum, cum terram nostram fame squalidam et siti aridam reperit; secundum quod ait Propheta : *Sicut in terra deserta, et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi* [9].

Aliter enim sicut in sancto apparere ei non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis deliciis, invia diabolicis concupiscentiis, et inaquosa libidinosis illecebris [10].

Nos ergo formam Domini sequentes et tanquam desertum habitantes abstineamus epulis, voluptate, muliere, ac nos intra nosmetipsos veluti in solitudine constituti, nonnisi cœlum respiciamus et terram, hoc est non cogitemus alium, nisi cœlestis regni Dominum, et terrenæ resurrectionis auctorem [11].

Sit tibi amica solitudo, si non deserta, saltem secreta [12].

[77] S. Chrysost., hom. 12 *in Matth.* [78] *Ibid.* [79] *Luc.* III, 23. [80] S. Ansel., c. 3 *Enar. in Evang.* [81] *Galat.* IV, 4. [82] *Col.* II, 9. [83] *Matth.* V, 17; S. Bern., *Serm in octav. Epiphan.* [84] S. Cypr., *De tentat. Christi.* [85] *Psal.* CXLIII, 1. [86] S. Bern., serm. 74 *in Cant.* [87] S. Ansel., lib. I *Medit. de præterit. benef.* [88] *Matth.* IV, 1. [89] S. Euch., *De laud. eremi*, n. 13. [90] *Matth.* IV, 1; *Marc.* I, 12; *Luc.* IV, 1. [91] S. Ambros., lib. I *De Abrah.*, c. 5. [92] *Ibid.* [93] S. Bern., *Serm. de virt. obed.* [94] S. Chrysost., hom. 4 *in Joan.* [95] Id., *in Marc.* [96] S. Eucher., *De laud. erem.* [97] *Psal.* CI, 7. [98] S Bern., *De vita solit.*, c. 66. [99] S. Nilus. [1] S. Hier., *Epist. ad Heliod.* [2] S. Aug. [3] Petr. Blesens., serm. 55. [4] Petr. Damian., opusc. 21. [5] *I Petr.* II, 22. [6] S. Eucher., *De laud. eremi*, n. 13. [7] S. Ambros., serm. 54. [8] *Ibid.* [9] *Psal.* LXII, 3; S. Ambros., *ibid.* [10] *Ibid.* [11] *Ibid.* [12] S. Paulin., *Epist.*

Ædifica in corde tuo solitudinem, ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, a corporeis liber cupiditatibus, in aula mentis divinæ possis vacare sapientiæ [13].

Sit tibi desertum conscientia tua, quo nullus hominum intret, ubi nemo tecum sit, ubi tu et Deus sis [14].

Eligatur etiam tibi opportunus, et aliquantum a familiæ strepitu remotus locus, in quem tu velut in portum quasi e multa tempestate curarum te recipias, et excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas [15].

Tantum tibi sit divinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, tam firma et pressa de futuris cogitatio, ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses [16].

Sint ergo divinæ Scripturæ semper in manibus tuis, et jugiter in mente volvantur [17]

II. *Ut tentaretur.*

Ut scilicet baptizetur in igne tentationis, postquam baptizatus fuit in aqua a Joanne, a Patre autem in Spiritu. Sic homo, postquam baptizatus fuit in aqua, a Spiritu baptizatur in igne, et sicut athleta ante certamen ungitur, ut contra diabolum quasi spiritualis athleta luctetur [18].

Et quia omnia ad nos erudiendos et facienda sibi et patienda susceperat, in eremum quoque se patitur abduci, et cum diabolo inire certamen, ut si quisque post baptisma majoribus tentationibus urgeatur, non utique turbetur, quasi insperatum sibi aliquid obviaverit, sed permaneat cuncta viriliter sustinendo. Idcirco enim accepisti arma, non ut otieris, sed ut pugnes [19].

Et propterea Deus tribulationes in te venire permittit : 1° ut discas quoniam Christi baptisma multo te facit fortiorem ; 2° ut in egregia illa animi mediocritate permaneas, ne donorum scilicet magnitudine elatus fias neque tentationum mole depressus ; 3° ut ex ipsa tribulationis tolerantia discat... malignus ille dæmon quod perfecta ab illo renuntiatione discesseris ; 4° ut fortior, et ipso etiam ferro valentior, tentationum exercitatione reddaris ; 5° ut capias grande documentum thesaurorum tibi a Domino creditorum : neque enim adversus te diabolus irrueret, nisi in majore te positum honore conspiceret [20].

Accedens ergo, *fili, ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem* [21]. Acrius enim tentantur, qui converti deliberant. Quod urgentur gravius in operibus luti et lateris qui Ægyptum egredi et Pharaonis imperium effugere moliuntur [22].

Quod diabolus semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat exstinguere, sciens quod subvertere fundata non possit [23].

Quod tunc homo magis excitat tentatoris invidiam, cum venit in spiritus conceptionem, cum in virum perfectum spirans, exit terminos infirmitatis suæ [24].

Non solum autem *accedens ad servitutem Dei*, sed etiam proficiens, imo et perfectus, *præpara animam tuam ad tentationem* [25]. *Militia enim est vita hominis super terram* [26]... Et semper vigilandum esse docet apostolus, *quia adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* [27]... Illos autem magnopere rapere nititur, quos, despectis terrenis studiis, jungi jam cœlestibus contemplatur [28].

Non quærit inimicus ille diabolus homines infideles, de Ecclesia Christi rapere festinat ! *Escæ ejus*, secundum Habacuc, *electæ sunt* [29]. Job subvertere nititur, et devorato Juda, ad cribrandos apostolos expetit potestatem [30].

Majores majoribus consueverunt conflictationes occurrere. Acrius divitibus quam pauperibus invidetur, et non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva latronum [31]. Plus duces quam milites appetuntur in pugna, et violentioribus propulsantur ventis et turbinibus culmina quæcunque sunt altiora [32].

Tentatur Christus ut intelligamus quod quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius ab adversariis expetendos [33] ; et quod in sanctificatis maxime diaboli tentamenta grassantur, quia victoria ei est magis exoptata de sanctis [34].

Tentatur consilio, ut diabolum provocaret et mihi vinceret ; mysterio, ut Adam de paradiso ejectum de exsilio liberaret ; exemplo, ut ostenderet diabolum ad meliora tendentibus invidere, et tunc magis esse cavendum [35].

Porro exemplo tuo, o Domine Jesu, commendasti in tentationibus, loci solitudinem, ciborum parcitatem, temporalium contemptum, divinæ legis meditationem, et orationis frequentiam [36].

His munitus armis, tu omnium o fortissime, cum hoste dimicaturus intrasti in stadium, et reportasti triumphum. Neque enim licet ut milites tui aliis utantur armis [37].

Quisquis igitur exemplo Domini de inimicis spiritualibus victoriæ tropæum obtinere desiderat, hominum consortia declinet, tumultus devitet, et in

[13] S. Leo, serm. 8 *De jejun. decimi mensis.* [14] S. Aug., *in psal.* liv. [15] S. Hier., epist. 14 *Ad Celantiam*, forte S. Paulini in fine. [16] *Ibid.* [17] *Ibid.*, circa med. [18] S. Chrysost., *Op. imp.*, hom. 5. [19] Id., hom. 13 *in Matth.*; idem habet Vict. Antioch., *in c.* 1 *Marc.* [20] *Ibid.* [21] *Eccli.* II, 1. [22] *Exod.* I, 14 ; S. Bern., *De convers. ad cler.*, c. 11. [23] S. Chrysost., serm. 11. [24] S. Paulin., *Ad Sever.*, epist. 7. [25] *Eccli.* II, 1. [26] *Job* VII, 1. [27] *I Petr.* V, 8. [28] S. Greg., *in illud Job* (XL, 18) : « *Absorbebit fluvium.* » [29] *Habac.* I, 16. [30] *Luc.* XXII, 31 ; S. Hieron., *Ep. ad Eustoc., De custod. virg.* [31] S. Cypr., *De singul. cleric.* [32] *Ibid.* [33] S. Leo, serm. 1 *De Quadragesim.* [34] S. Hilar., *in Matth.* IV. [35] S. Ambros., *in cap.* IV *Luc.* [36] S. Laur. Just., *De casto connubio*, c. 6. [37] *Ibid.*

secretiorem se conferat locum, quatenus super sui custodia diligentius valeat vigilare [38].

Diffusa quippe per exteriora mens ad interiora consideranda minus sufficit, utrique vacare nequit... proindeque frequentiam fugiat, et ad remotiora secedat divinum flagitando suffragium.

A diabolo tentari voluit ut inimicus laqueo suo ipse teneretur, et caperetur inde, unde capere se putabat, sicque a Christo victus cederet Christianis [39]. Tentatus est ergo Christus ne vinceretur a tentatore Christianus [40].

III. *Et cum jejunasset*, etc. [41].

De baptismo in desertum in Spiritu fortitudinis egressus es, ut et vitæ solitariæ non deesset exemplum : solitudinem ac jejunium 40 dierum, famis acerbitatem, tentamenta illusoris æquanimiter tolerasti ut omnia nobis tolerabiliora efficeres [42].

Jejuniis ergo, 1° dæmonem vicit, ut nobis vincendi vires, vincendi formam taliter largiretur : *hoc enim genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio* [43]. 2° Quia primum jejunavit Dominus noster : bonus enim medicus poculum quod ægro daturus est, prior gustat, ut peritiam artis suæ ante in se ipso demonstret, et experimentum æger accipiens securus sit de poculo, securior de salute [44]. 3° Quia primus Adam in paradiso constitutus per intemperantiam gulæ gloriam immortalitatis amiserat, eamdem immortalitatem secundus Adam Christus per abstinentiam reparavit [45]... Jejunat ergo ostendens remedia nostræ salutis. 4° Statim post baptismum ductus in desertum jejunat, ut discas quam sit bonum grande jejunium : et quia hæc adversus diabolum arma sunt maxima; quodque post baptisma, non deliciis atque temulentiæ, non mensæ epulis onustæ, sed jejunio animum debemus intendere. Jejunat itaque non justificationis suæ causa, sed nostræ salutis gratia [46]. 5° Ut Christianus sumens cum illo arma jejunii criminum propellat impetus, prosternat castra vitiorum; et de ipso auctore mali sumat Christo dimicante victoriam [47].

Jejunemus ergo, ut passionum Christi simul ac victoriarum participes simus [48]. Qualis enim es Christianus cum Domino jejunante prandes? Qualis Christianus es cum Christo esuriente tu reficeris? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis jejunare formidas [49].

Jejunemus, hæc est enim voluntas Dei; sed jejunemus pariter a cibis et peccatis. Abstinentiam indicamus corpori, ut a vitiis magis animam abstinere possimus [50]. Verum jejunium est a vitiis immunem esse... Perfectum jejunium est abstinere a peccatis. Generale jejunium non a concupiscentia ciborum tantum [51], sed ab omni lætitia temporalium delectationum. Non enim in sola cibi abstinentia stat nostri summa jejunii; aut fructuose subtrahitur esca corpori, nisi mens ab iniquitate revocetur [52].

IV. *Quadraginta diebus et quadraginta noctibus* [53].

Quadraginta dierum mysticum numerum recognosce; tot enim diebus aquas abyssi effusas esse meministi; tot jejunio dierum sanctificato propheta, refusam cœli serenioris esse clementiam. Tot jejunio dierum sanctus Moyses perceptionem legis emeruit. Tot annos in eremo constituti Patres panem angelorum, et cœlestis alimoniæ gratiam consecuti sunt, nec ante terram promissionis intrare meruerunt. Tot jejunio dierum Domini nobis in Evangelium patescit ingressus [54].

V. *Postea esuriit* [55].

Qui quadraginta diebus esurire non potuit, ostendit non cibum esuriisse corporis, sed salutem. Simul ut adversarium lacesseret jam timentem, qui quadraginta dierum fuerat jejunio vulneratus [56]. Sic occasionem diabolo tentandi præbens, illum ad certandum attrahit, ut prius ipse congressus, quomodo etiam ab aliis vinci possit, ostenderet. Sic enim faciunt athletæ, qui cum discipulos suos vincere docent, data opera in palæstris cum aliis certamen exercent, ut in luctantium corporibus faciant spectare artem vincendi [57].

Videte ergo artem Domini, qua adversarium fraude circumvenit. Post multa jejunia esurire se simulat, ut diabolum quem jam jejunando vicerat, iterum esuriendo sollicitet, ac gloriosius superet. Hæc enim est vera victoria, ut quia Adam immortalem, gloriosum et epulantem vicerat; nunc ab homine mortali, humili, atque esuriente vincatur [58].

Porro quomodo potest fieri, ut qui tot dierum numero famem sitimque non senserit, postea esurierit? Esuriebat sane, nec negare possumus quod esurierit. Esuriit tamen non cibum hominum, sed salutem, sed animarum sanctitatem. Cibus enim Christi est redemptio populorum, paternæ voluntatis affectus : *Meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem Patris* [59]. Esuriamus ergo cibum qui divinarum Scripturarum lectione colligitur [60].

Homo Deus in te jejunat, in te esurit, imo tibi esurit, tibi jejunat; qui sibi, sicut non potest esurire, sic nescit manducare. Ergo, cum propter te jejunat Christus, te esurit... ut tu ipsum esurias [61].

VI. *Et accedens tentator, ait* [62].

Accessit tentantis dolo, non obsequentis affectu. Tunc enim maxime aliquos diabolus aggreditur, cum solos viderit, atque ab aliis segregatos; sic

[38] S. Laurent. Justin., *De casto connubio*. c. 6. [39] S. Chrysost., serm. 11. [40] S. Aug., *De Trinit.*, lib. iv, c. 13. [41] *Matth.* iv, 2. [42] S. Anselm., med. 9, lib. x. [43] *Matth.* xvii, 20; S. Chrysolog., serm. 12. [44] S. Ambros., serm. 37. [45] *Ibid.* [46] S. Chrysost. hom. 13 *in Matth.* [47] S. Ambros., serm. 35. [48] S. Basil. et S. Chrys. [49] S. Ambros., serm. 34. [50] Id., serm. 33. [51] S. Basil., *De jejun.*, et S. Ambros. [52] S. Aug. [53] *Matth.* iv, 2. [54] S. Ambros., *in c.* iv *Luc.* [55] *Matth.*, *ibid.* [56] S. Ambros., *ibid.* [57] S. Chrysost., hom. 13 *in Matth.* [58] S. Ambros., serm. 35. [59] *Joan.* iv, 34. [60] Id., serm. 36. [61] S. Chrysost., serm. 11. [62] *Matth.* iv, 3.

Christum in deserto et in invio solitudinis tentat : sic mulierem ab initio aggressus est solam inveniens, atque a viro separatam. Quando enim viderit aliquos copulatos haud similiter audet accedere. Unde maxime oportet etiam ob hanc causam frequenter nos aliis aggregari, ut non facile in diaboli captionem paremur [63].

Quid enim periculosius quam solum luctari contra antiqui hostis versutias, a quo videatur et quem videri non possit? Hinc itaque patet, aciem multorum pariter pugnantium esse quærendam, ubi tot sunt auxiliarii quot socii... Congregatio enim pro fortitudine sua *terribilis* est, *ut castrorum acies ordinata* [64]. *Væ autem soli, quia si ceciderit non habet sublevantem se* [65].

Et certe, minori discrimine multi confligunt cum hoste, quam singuli ; nec patet vulneri locus, quem opposito scuto fidei, non sua tantum, sed etiam aliorum fortitudo defendit. Et dicere possunt cum Apostolo : *Quia non ignoramus astutias inimici* [66].

VII. *Si Filius Dei es* [67].

Existimat se aliquid posse per laudum blandimenta furari... Sed incidit inimicus ille in foveam quam fecit. Filius enim Dei non gloriam suam quærit, sed gloriam ejus qui misit eum [68]. Ideo : et universa sine periculo elationis exercens [69], *superbis resistit* [70], superborumque oculos humiliat. Et dispergit superbos mente cordis sui [71].

VIII. *Dic ut lapides isti panes fiant* [72].

Potest famem vertere Christus Dominus in saturitatem, potest in panem lapides immutare. Potest sane, sed signa fidei sunt præstanda, non doli ; credenti, non tentanti ; ad petentis salutem, non ad facientis injuriam [73].

Non dixit : Dic ut homines aut angeli fiant, sed *dic ut lapides isti panes fiant*. Signum panis petit, qui signum jejunii pertimescit, ut jejunii tremendum sibi refugiat signum [74].

Hæc igitur verba (*dic ut lapides*, etc.) verba sunt dæmonis fervorem et austeritatem pœnitentiæ remittere satagentis. *Dic*, inquit, *dic ut lapides*, etc., id est fac ut durities pœnitentiæ panes fiant, id est convertantur in mollitiem et suavitatem consolationis [75]. Sed proh dolor ! multi hodie istam vocem audiunt tentatoris, et pœnitentiam deserentes ad carnalis et mundanæ delectationis mollitiem convertuntur. Non sic Christus [76].

IX. *Qui respondens dixit* [77].

Non acquievit petenti, nec denegat exploranti, ac per hoc et potentiam suæ virtutis suo reservat arbitrio, ac versutiam adversarii suo confutat eloquio [78]. Respondit ergo :

X. *Non in solo pane vivit homo* [79].

Audi Patris Verbum, verba salutis nostræ esuriens, non panem ; ut homo semper vivat cœlesti verbo, terreno pane non semper, ac sic Deo vivat, ut sui nescius sit laboris, quia vere illa vita est quæ sudorem nescit, dolores non habet, non habet finem [80].

XI. *Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [80*].

Verbum enim Dei Christus est Dominus in quo sunt vitæ alimenta cœlestis. Quisquis autem hoc verbo pascitur terrenum pabulum non requirit [81].

Est etiam verbum Dei Scriptura sacra, quæ vitam præstat, animam pascit et saginat, impinguat viscera... Unde negligit famem corporis, qui pabula lectionis intendit. Nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit [82]. Comede ergo panem istum cœlestem... Sicut enim humanum corpus non vivit sine terreno cibo, ita et anima vivere non potest sine verbo divino [83]... Trajiciatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, et in mores tuos [84]... Ac plus studeas verbi pabulo mentem reficere, quam ventrem terreno pane satiare [85].

XII. *Tunc assumpsit eum in sanctam civitatem* [86].

Diabolus nec victus discedit, sed tanto atrocior redditur quanto eum debellari contigerit... Et acrior factus hoc ipso quo victus est, superantem superare conatur [87].

Cum autem audis, *assumpsit eum diabolus*, nihil cogites de potentia diaboli, sed de patientia Christi mirare, quia sustinuit ut a diabolo duceretur. Sicut enim in ducente diabolo non virtus, sed superbia est, ita in Domino sequente non infirmitas, sed patientia est [88].

XIII. *Et statuit eum in pinnaculum templi*, etc. [89].

Tentat te Deus ut elevet, dæmon ut subruat..., ideo multos tollit in altum, ut lapsu graviore ruant... ; altius enim mergitur quod de alto cadit... juxta illud psalmi : *Elevans allisisti me* [90].

Quanto præ cæteris gradus altior est, tanto gravior ruina... Et sicut levius est de plano corruere, sic gravius est qui de sublimi ceciderit dignitate, quia ruina quæ de alto est, magno casu colliditur [91].

XIV. *Et dixit : Si Filius Dei es, mitte te deorsum* [92].

O signum ! *Mitte te deorsum :* consiliis suis se diabolus prodit, lapsus quærit, præcipitia imperat. Convenientius dixerit : Si Filius Dei es, ascende ad

[63] S. Chrysost., serm. 11, et hom. 13 *in Matth.* [64] *Cant.* vi, 3. [65] *Eccle.* iv, 10 ; S. Bern., serm. 3 *De circumcis.* [66] *II Cor.* ii, 11 ; S. Leo, serm. 4 *De jejun. septimi mensis.* [67] *Matth.* iv, 3. [68] *Joan.* viii, 50. [69] S. Chrysost., hom. 13 *in Matth.* [70] *I Petr.* v, 5. [71] *Luc.* i, 51 ; Cassiodor., collat. 15. [72] *Matth.* iv, 3. [73] S. Chrysol., serm. 4. [74] Id., serm. 13. [75] S. Anton. de Pad., serm. 2 *Domin.* 1 *Quadrages.* [76] *Ibid.* [77] *Matth.* iv, 4. [78] S. Ambros., serm. 35. [79] *Matth.* iv, 4. [80] S. Chrysol., serm. 11. [80*] *Matth., ibid.* [81] S. Ambros., serm. 35. [82] *Ibid.* [83] S. Bernardin., serm. 10. [84] S. Bern., serm. 3 *De Advent.* [85] S. Greg., hom. 6 *in Evang.* [86] *Matth.* iv, 5. [87] Cassiod., *in psal.* li ; S. Cypr., epist. 5 *Ad presb. et diac.* [88] S. Chrysost., hom. 5 *Op. imp. in Matth.* [89] *Matth., ibid.* [90] *Psal.* ci, 11 ; S. Aug., serm. 143 *De temp.*, c. 3. [91] S. Ambros., *De dign. sacerd.*, c. 3. [92] *Matth.* iv, 6.

cœlum; cum sit hominis utique ad ima cadere, Dei sit ad superna conscendere. Sed sic suis suadet, sic suis providet semper, sic suos elevat, non ut de humili tollat et elevet ad coronam, sed ut eos impellat ad mortem, et de alto præcipitet validius in ruinam [93].

Cave ergo tibi, quicunque es, qui templi pinnaculum ascendisti... qui in Ecclesia locum cerneris tenere sublimem. Quam enim ingratus si quæstum æstimes pietatem..., quam infidelis si quæras gloriam tuam, si quæ tua sunt, non quæ Jesu Christi [94].

Deorsum certe te mittis, si non sapis ea quæ sursum sunt, sed quæ super terram [95]. Deorsum te mittis, si de virtutum eminentia, ad inanis gloriæ te demittis appetitum; si non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Tanto autem gravior est lapsus, et periculosior ruina tua, quanto dignior est eminentia dignitatis [96]. Quod si vis mittere te deorsum, humilia te et non ascende. Sed humilitate et pœnitentia inclina te inferius et salvaberis [97].

XV. *Scriptum est enim quia angelis suis mandavit de te* [98].

Quid scriptum est, maligne? quid scriptum est? *Angelis suis mandavit de te.* Quid mandavit?... animadvertite, et videte quomodo subticuit malignus et fraudulentus... Quid mandavit? Nempe, *ut custodiant te in omnibus viis tuis* [99]. Nunquid in præcipitiis, qualis via hæc, de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina : et si via, via tua est, infelix damnate, non illius [1].

Vide quomodo serpens ille argute loquitur, artificiose agit, callide decipit [2]... Iniquitatem palliat virtutis imagine [3]... Et quia negotiatur in tenebris, ideo ut se occultet, formam retinet pietatis... Perinde venit occultus, qui manifestus non audet : et quem satis expertus est apertum omne horrere malum, falso bono supplantare molitur [4]... Cave ergo tu serpentis illius astutias, observa insidias inimici [5]... Plus enim periculi est in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto [6]... Nam tentationes quæ sub specie boni se ingerunt, et difficilius discernuntur, et periculosius admittuntur [7].

XVI. *Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum* [8].

Hoc et dicere potest omnis homo Dei tentatus : quoniam et qui hominem Dei tentat, membrum diaboli est [9].

XVII. *Iterum assumpsit eum diabolus* [10].

Advertite si possit sævus inimicus, quamvis sæpe victus, homini cedere, qui audit et sentit Dominum Jesum Deum, et tamen adhuc tentare non desinit [11]. Ex hoc intellige... quod non potest vita ista carere tentationibus, et quod non potest esse pax firma et solida nisi in regno suo, id est in cœlo [12]... Tot enim tentationibus plena est vita nostra, ut non immerito tota ipsa tentatio debeat appellari [13]... Vigilemus ergo et oremus, ne subito præoccupati a pusillanimitate spiritus, a bono cœpto resiliamus [14].

XVIII. *In montem excelsum valde* [15].

Quid mirum si se ab illo (diabolo) permisit in montem duci, qui se pertulit etiam a membris illius crucifigi [16]?

XIX. *Et ostendit illi omnia regna mundi, et omnem gloriam eorum* [17].

Ostendit autem in momento, ait evangelista, in momento enim cuncta ista prætereunt, et sæpe honor sæculi abiit antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum? cum ipsa diuturna non sint sæcula [18]. Tu ergo exemplo Domini ista renue. Si enim inanis gloria exsufflatur a te, restat ut qui non curat laudes, nec appetat dignitates [19].

XX. *Et dixit illi : Hæc omnia tibi dabo* [20].

Hæc dicit, non qui possit dare, sed fallere. Offert quæ Dei sunt Deo; auctori, quæ auctoris sunt repromittit [21]. Offert autem tanquam homini... ut qui evaserit de retibus gulæ, et non incurrit in retia vanæ gloriæ, incidat in retia avaritiæ. De his enim tribus retibus nullus hominum ad perfectum evasit; et si evasit, non integer sed contritus evasit [22].

XXI. *Si cadens adoraveris me* [23].

Omnia Christo promissa sunt, et omnia Christus contempsit, ne gloriam Dei diabolo daret : ut et tibi etiamsi totus mundus fuerit datus tantum ut dimittas Deum, non pluris æstimes divitias quam gloriam Dei. Divitias enim tibi dare Deus potest, divitiæ autem tibi Deum dare non possunt; nec justum est propter creaturas contemnere Creatorem sed propter Creatorem creaturam [24].

XXII. *Tunc dixit ei Jesus : Vade, Satana*, etc. [25].

Vides, quamvis Christus in ea tentatione gravem passus fuisset tentationis injuriam, non est exasperatus, nec in increpationem vel abjectionem ejus est excitatus, sed sustinuit, et mitis permansit. Similiter et in secunda. Nunc autem quando diabolus Dei sibi præsumpsit honorem, et hoc sibi quæsierit a Christo quod soli Deo fieri debebatur, exasperatus et iratus increpavit eum et repulit dicens : *Vade, Satana*, etc. [26].

Æmulemur atque imitemur victoriam jusque.

[93] S. Chrysol., serm. 13. [94] *I Tim.* VI, 5; *Philipp.* II, 21; S. Bern., serm. 14 *in psal.* XC : *Qui habitat.* [95] *Col.* III, 2. [96] *Matth.* XVI, 23; S. Bern., *ibid.*; Petr. Bles., serm. *in c.* V *Ose.*, 1. [97] S. Ant. de Pad., serm. 2, *Dom.* 1 *Quadrag.* [98] *Matth.* IV, 6. [99] *Psal.* XC, 11. [1] S. Bern., *in psal.* XC, serm. 14, ŷ 11. [2] S. Bern., *Sent.* [3] Id., *in psal.* XC, serm. 6, ŷ 6. [4] Id., *in Cant.*, serm. 33. [5] Id., *in psal.* XC, serm. 14. [6] S. Leo, serm. 9 *Quadrag.* [7] S. Bern., *Ad fratr. de Monte Dei.* [8] *Matth.* IV, 7. [9] S. Chrysost., hom. 5 *Op. imp.* [10] *Matth.* IV, 8. [11] S. Chrysol., serm. 13. [12] S. Bern., *Sentent.* [13] Id., serm. 5, *in psal.* XC. [14] Id., serm. 33 *in Cant.* [15] *Matth.* IV, 8. [16] S. Greg., hom. 16 *in Evang.*, et Beda, *in Dom.* 1 *Quadragesim.* [17] *Matth.*, ubi supra. [18] V. Beda, *Hom. in Dom.* 1 *Quadragesim.* [19] S. Bern., serm. 33 *in Cant.* [20] *Matth.* IV, 9. [21] S. Chrysost. [22] Id., hom. 5 *Op. imp.* [23] *Matth.*, ubi supra. [24] S. Chrysost. [25] *Matth.* IV, 10. [26] S. Chrysost., ubi supra.

Nos igitur illius exemplo discamus injurias nobis illatas sive in dicto, sive in facto magnanimiter sustinere; Dei autem injurias et contemptum, nec usque ad auditum sufferre. Quoniam in propriis injuriis esse quemquam patientem laudabile est, injurias autem Dei dissimulare nimis impium [27].

XXIII. *Et consummata omni tentatione* [28].

Quomodo, inquies, omnem tentationem consummavit? quia hæc mihi videntur cuncta tentationum capita, servire ventri, inanis gloriæ appetitu quidquam facere, ac furioso pecuniarum amore superari... Hæc omnium vitiorum origines et fontes [29].

XXIV. *Diabolus recessit ab illo* [30].

Non enim diabolus est in stadio pertinax; cedere solet veræ virtuti, et ipse instare formidat, quia frequenter refugit triumphari. Si ergo permanseris confringens eum in corde tuo, cum te non potuerit superare, recedet a te et accedens angelus ministrabit tibi. Recessit usque ad tempus: quia licet cedere soleat, veræ virtuti invidere tamen non desinit... Recedit ergo, non ut malitiæ finem præbeat... sed ut rediens inopinate irrumpat... Cum illo enim nulla pax firma et diuturna [31].

XXV. *Et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei* [32].

Postquam diabolum per cuncta devixit Christus, et victum fugavit, tunc consequenter angeli apparent. Ut discas te quoque post confectam de diabolo victoriam angeli suscipiant plaudentes tibi, teque stipatorum more ubique comitantes [33].

Quia vero non propter se, sed propter nos tentatus est Christus, videamus iterum quid ad nostram ædificationem significent illius tentationes [34].

1° Corporis jejunium est abstinere a cibis, animæ autem jejunium est abstinere ab omni re mala, peccato, etc. [35]. Itaque diabolo suadenti ea re uti (scilicet consortio hominum, delectatione, etc.,) a qua se abstinere decrevit (quasi esurientem), respondeat, quia non in solo usu rei illius vivit homo perfecte, sed in observatione mandatorum, etc. [36].

2° Ascensio super templum moraliter intelligitur exaltatio cordis sanctorum ad sanctitatem. Statio autem super pinnaculum templi exaltationis ipsius mora [37].

Quando ergo quis inflatus mente carnis suæ exaltatus fuerit quasi sanctus, et gloriatus fuerit quasi consummatus, ductus est a diabolo quasi super templum. Et quando existimaverit se consistere in sanctimoniæ summitate, et in ipsa æstimatione jactantiæ fuerit demoratus, positus est super pinnam templi, et stat ibi [38].

Si ergo times ruinam de fastigio sanctitatis, fuge exaltationem cordis ad sanctitatem, et non patieris ruinam. Qui enim confidit in operibus suis et gloriatur, securus est; qui autem securus est non timet; et qui non timet, non cavet; dum non sperat, supplantatur a diabolo et dejicitur. E contra publicanus stans a longe [39], etc.

3° Conductio in montem excelsum, est processio ad magnitudinem vel altitudinem divitiarum et gloriæ mundi. Vide ordinem hujus tentationis, quæ et tibi contingit. 1° Siquidem, cum volueris fieri altus et magnus, hoc est ascendere in montem, diabolo te ducente; 2° cum incipis die ac nocte cogitare de divitiis acquirendis, et suscipiendis honoribus, scito quia princeps mundi gloriosa regni sui tibi ostendit; 3° cum senserit te in eorum concupiscentias accensum, providet causas, ut si volueris illa consequi, eum adores eique servias [40]. Sic nos artibus suis et fallaciis insequitur, ac supplantare nititur inimicus. Sed ne formides a facie eorum; quid enim trepidet cui angeli sancti astant a latere, et quem dux belli Christus præivit [41]... qui ideo tentari voluit, ne vinceretur a tentatore Christianus [42]; Christus enim vicit diabolum, ut te doceret cum diabolo dimicare [43].

Qui illum et pro te vicit, et tibi vicit, et in te vicit. Qui vincendo ita ligavit, ut sollicitare te possit, et latrare, mordere non possit [44]. Qui te tandem certantem spectat, deficientem sublevat, vincentem coronat [45].

Ne ergo fatigemini animis vestris deficientes, recogitate eum qui talem sustinuit adversus semetipsum contradictionem [46].

Christi enim tentatio nostrarum est singulare levamen; dulcescunt enim nostra, cum considerantur tentationes illius [47]. Tandem, si consistant adversum te castra, non timeat cor tuum [48]. Si exsurgat adversum te prælium, in illo sperans certa ut bonus miles Christi [49]... Qui exemplo virtutis suæ docet manus tuas ad prælium, et digitos tuos ad bellum [50].

CHRISTUS BEATITUDINES NOVÆ LEGIS IN MONTE PRÆDICANS.

Beatitudines olim Jacob per ænigma edoctus est, cum scalam a terra ad altitudinem cœli pertingentem, et Deum super illam stantem vidit [51]. Illæ enim ascendentes tanquam per gradus extollunt ut Deo appropinquent [52].

Per hanc scalam, quæ a Christo nobis erecta est

[27] S. Chrysost., hom. 5 *Op. imp.* [28] *Luc.* iv, 13. [29] Id., nom. 13 *in Matth.*; Beda, *Hom. in Dom. 1 Quadrages.* [30] *Luc.*, ubi supra. [31] Beda, *ibid.*; S. Chrysost., hom. 5 *Op. imp.*; S. Ambros., lib. iv *in Luc.* [32] *Matth.* iv, 11. [33] S. Chrysost., hom. 13 *in Matth.* [34] S. Chrysost., hom. 5 *Op. imp.* [35] *Ibid.* [36] S. Chrysost., hom. 5 *Op. imp.* [37] *Ibid.* [38] *Ibid.* [39] *Luc.* xviii, 13; S. Chrysost., *ibid.* [40] Id., ubi supra. [41] S. Bern., epist. 1. [42] S. Aug., conc. 2, *in psal.* xc. [43] Id., *in psal.* cxxiii. [44] Id., *in psal.* cxlix. [45] Id. et S. Bern. [46] *Hebr.* xii, 3. [47] S. Laur. Justin., *De cast. connub.*, c. 6. [48] *Psal.* xxvi, 3. [49] *Ibid.*, 4; *II Tim.* ii, 3. [50] *Psal.* cxliii, 1; S. Bern., serm. 47 *in Cant.* [51] *Gen.* xxviii, 12. [52] S. Gregor. Nyss., *De beat.*, orat. 5.

universus sanctorum chorus ascendit... Per hanc quilibet justus ascensiones in corde suo disposuit... Per hanc itur de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion [53]. Participatio enim beatitudinum nihil est quam Divinitatis communicatio. Videamus ergo qui sunt illius scalæ gradus [54].

I. *Videns Jesus turbas* [55].

Videns miserationis intuitu... Videt Deus quando miseretur [56].

Sequebantur turbæ et adhærebant ei... Sequamur et nos et ei adhæreamus, qui totus desiderabilis [57], in quem non solum populi, sed et angeli desiderant prospicere [58]. Quid suavius?... Huic suavitati, huic sapori, huic sapientiæ omne quod desideratur non valet comparari. Deliciæ angelorum [59].

II. *Ascendit in montem* [60].

1° In montem Christus ascendit : magnum aliquid se locuturum significat. Ideo enim propheta ait : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion* [61].

2° Per montem bene intelligitur significari majora præcepta justitiæ. Minora enim Judæis data sunt [62].

3° Ut discipulis terrena relinquentibus, et superiora petentibus præcepta traderet cœlestium mandatorum, et munera sacræ benedictionis divinitus largiretur [63].

4° Ut nos erudiat nihil ad ostentationem nostri facere, sed a cunctis tumultibus liberari [64].

5° Quod nisi doctor virtutum culmen ascendat, inaniter clamat [65].

III. *Et cum sedisset* [66].

Inclinavit et exinanivit se usque ad sessionem, ut ad eum quem ne angeli quidem attingere poterant, etiam publicani et peccatores accedant [67].

IV. *Accesserunt ad eum discipuli ejus* [68].

Non tam incessu pedum, quam affectu cordis et imitatione virtutum [69].

V. *Et aperiens os suum* [70].

Apertio oris profunditatem significat sacramenti... Et quia aperuit nunc os suum, qui prophetarum prius aperuerat ora..., et quia etiam non aperto ore docebat operibus..., magna reverentia et veneratione verba Evangeliorum suscipi debent, quæ proprio ore Dei Filius locutus est [71].

VI. *Docebat eos dicens* [72].

Beati qui audierunt in carne loquentem Sapientiam. Beati qui verba Dei, quæ ab ipsius ore processerunt, audierunt. Verumtamen quod audierunt illi, et nos audire possumus [73].

Prima beatitudo. — *Beati pauperes spiritu.*

Vere ante prædixerat : *Ecce nova facio omnia* [74]. *Eructabo abscondita a constitutione mundi* [75]. Quid enim tam absconditum, quam paupertatem esse beatam? Attamen Veritas loquitur, quæ nec falli nec fallere potest; et ipsa est quæ dicit : *Beati pauperes spiritu.* Sic vos insensati filii Adam divitias quæritis, divitias desideratis usque adhuc, cum jam beatitudo pauperum divinitus commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus [76].

Quærat eas (divitias) paganus, qui sine Deo vivit, quærat eas Judæus, qui terrenas promissiones accipit; sed qua fronte, aut qua mente Christianus eas quærat, postquam Christus beatos pauperes prædicavit? Quousque, filii alieni, quousque vanitatem loquitur os vestrum, ut *beatum* dicatis *populum cui hæc sunt* [77]? cum Filius Dei, locutus veritatem, dicat beatos pauperes [78], et, væ divitibus [79]? Sed attende primum qui sunt hi pauperes spiritu, et cur beati [80]?

1° Non omnes pauperes beati, nec omnes divites miseri sunt. Multos enim latrones, etc., videmus qui in hac, et post hanc vitam infelices sunt. Divites autem multi Domino placuerunt [81].

Nec dicit beatos pauperes simpliciter, propter eos qui necessitate, non voluntate tales sunt... sed de iis qui dicere possunt : Voluntarie sacrificabo tibi, cum Propheta [82]... scilicet de spiritu pauperibus, id est temporali, voluntaria, amata et electa paupertate..... non enim paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor [83].

Nec de omnibus voluntarie pauperibus : quidam enim philosophi ut studio possent vacare liberius, leguntur omnia sua voluntarie reliquisse. Et nolebant abundare censu terreno, ut abundarent magis in sensu suo [84].

Nec de iis qui pauperes quidem esse volunt, sed eo pacto ut nihil eis desit; et hi veram non habent paupertatem. Paupertas itaque spiritus est ea quæ fit spiritu, id est propria voluntate, per instinctum Spiritus sancti [85].

Pauperes ergo dicit spiritu. Id est spirituali virtute, spirituali intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei et salutem animarum [86].

2° Pauperes spiritu dicit eos qui propter Evangelium omnia reliquerunt... ; 3° qui corporalem opulentiam animæ divitiis permutant.. ; 4° qui etsi rebus abundent, sunt tamen pauperes spiritu ; 5° humiles spiritu et voluntate ; 6° qui nihil eorum quæ videntur concupiscunt ; 7° beati pauperes, qui a spi-

[53] *Psal.* LXXXIII, 8. [54] S. Bern., *in fest. Omnium SS.*; S. Greg. Nyssen., ubi supra. [55] *Matth.* v, 1. [56] S. Bern., serm. 1 *in fest. Om. SS.*; S. Aug. [57] *Cant.* v, 16. [58] *I Petr.* I, 12. [59] S. Bern., ubi supra. [60] *Matth., ibid.* [61] *Isa.* XL, 9; Euseb., episc. Gallic., hom 2 *in Natal. unius martyr.* [62] S. Aug., *De serm. Dom. in monte*, serm 1. [63] S. Petr. Damian., *Contra cleric. aulic.*, c. 4. [64] S. Chrysost., ubi supra. [65] S. Bern., serm. 1 *in fest. Omn. SS.* [66] *Matth.*, ubi supra. [67] *Luc.* XV, 1; S. Bern., ubi supra. [68] *Matth., ibid.* [69] S. Bern., ubi supra. [70] *Matth.* V, 2. [71] Paschas. abb., hic: S. Bern., supra; Eutym., hic. [72] *Matth., ibid.* [73] S. Bern., ubi supra. [74] *Isa.* XLIII, 19; *Apoc.* XXI, 5. [75] *Psal.* LXXVII, 2; *Matth.* XIII, 35. [76] S. Bern., serm. 1 *in fest. Omn. SS.* [77] *Psal.* CXLIII, 15. [78] *Matth.* V, 3. [79] *Luc.* VI, 24. [80] S. Bern., serm. 1, *in fest. Omn. SS.* [81] Euseb. Gallic., hom. 2 *in Natal. mart.* [82] *Psal.* LIII, 8. [83] S. Bern., ubi supr.; Hugo card., hic; S. Bern., epist. 100. [84] Id., serm. 1 *in fest. Om. SS.* [85] Id., serm. 14 *De Advent.* 2; S. Thom., 2-2, q. 19, a 12, c., ex S. Ambros. [86] S. Bern., serm. 1 *in fest. Om. SS.*

ritu malo pauperes sunt, et divites Spiritu Dei, Spiritu bono [87].

Spiritus enim carnis semper loquitur mollia et voluptuosa; spiritus mundi loquitur vana, spiritus diaboli loquitur aspera; 8° beati pauperes spiritu suo, qui contemnunt spiritum suum...; tales enim habent spiritum Dei, divites sunt Spiritu Dei, accipiunt Spiritum Dei..; 9° qui terrena despiciunt, cœlestia desiderant; 10° qui nihil omnino se habere reputant, nec corpus, nec animam, nec sensum, nec voluntatem, sed omnia commodata [88].

Altus gradus paupertatis est relinquere res temporales : altior relinquere amicos : altissimus relinquere seipsum. In omnibus illis gradibus fuit Christus, qui reliquit sua, suos, seipsum [89].

Secundo, cur beati?

1° Quia Christianæ paupertati datum est, in omnium rerum Domino omnia possidere [90].

2° Quia hæc sola est via secura et expedita ad vitam; cæteræ viæ malignis latronibus plenæ sunt [91]... Hæc autem paupertas spiritus regia via est, in qua nullæ latent insidiæ, et ad quam nullus immundorum spirituum patet accessus, quoniam multorum angelorum noscitur munita esse præsidiis [92].

3° Quia illis qui reliquerunt omnia, Christus portio est, Christus possessio est. Quid autem magnificentius hospite cœlesti? quid beatius possessione divina [93]?

4° Quia a sollicitudinibus liberi, alacri animo ac fide non ficta ad perfectionis fastigium evolant [94].

5° Quia nihil in hoc sæculo possidentes, nihil formidantes, in solo divino innitentes suffragio, Deum ubique reperiunt provisorem [95].

Tertio, cur ipsorum est regnum cœlorum?

1° Quia paupertas magna quædam penna est, qua tam cito volant in regnum cœlorum. Nam in aliis virtutibus promissio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur quam datur. Præsenti enim tempore enuntiatur [96].

2° Quia martyrii genus est, paupertas et egestas bene tolerata [97].

Quod enim martyrium gravius est, quam inter epulas esurire? inter vestes multas et pretiosas algere? paupertate premi inter divitias? Annon merito coronatur qui sic certaverit [98]?

3° Quia paupertas est thesaurus pretiosissimus, quo sapientissimus mercator Jesus regnum cœlorum venaliter exposuit..., et quo cœlum emitur [99].

4° Vis obtinere cœlum : illud perdidit superbiens angelus confisus in multitudine divitiarum suarum; paupertatis vilitatem amplectere, et tuum erit. Si enim miserrimus ille e cœlo ejectus est quoniam sublimitatem præsumpsit, consequens est beatos esse qui sponte in paupertatis humilitatem se deponunt, ut juxta Dei promissionem ipsorum sit regnum cœlorum, quod perdidit ipse [1].

Ille enim est pauper spiritu qui etiam cum bona agit, semper se inutilem attendit. Ille pauper est spiritu, qui cum plures virtute et sanctitate superet, cunctis se inferiorem meritis perpendit... Qui nulla superbia diaboli inflatur, nulla sæculi ambitione extollitur, sed humilitatem spiritus cum fidei devotione custodit [2].. Qui non concupiscunt res et oblectamenta hujus vitæ, non opes, non gloriam, non delicias, non aliam denique ullam vitæ præsentis aut corporis voluptatem, sed eam quæ a solo Deo est, et ita ab aliis omnibus se abjiciunt, ut et ab illis aversentur [3]. Et ideo beati quia non inflati spiritu; paupertas enim spiritus, ut exponit sanctus Augustinus, est exinanitio inflati spiritus.... Unde qui inflati per spiritum non sunt, pauperes spiritu dicuntur : nam qui superbiæ abundant spiritu, jam pauperes non sunt [4].

Secunda beatitudo. — *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Mitis est homo mansuetus (quasi manu assuefactus), humilis et modestus : in fide simplex, et ad omnem injuriam patiens, qui præceptis evangelicis institutus, Dominicæ mansuetudinis imitatur exemplum.

Mitis est ille cujus est immobilis animi status, qui in omni fortuna honorum et contumeliarum æquabilem animi statum conservat [5]... Mitis qui nulla vel contumelia, vel laude dimoveri potest [6].... Qui est tanquam prominens adversus iram maris rupes, quæ omnes illisos fluctus dissolvit ac frangit, nec ipsa interim movetur aut frangitur [7]... Qui ab omni affectuoso motu liber, nullum in anima perturbationi locum relinquit [8]..., qui denique pro aliis perturbantibus sine perturbatione sincere et ex animo precatur [9].

Primum virtutis ejus tirocinium est intra labia continere verborum impetum, quantumvis cor tumultuetur. Profectus et quasi medius est tumultuantium cogitationum sedatio, cum exigua adhuc animi perturbatione. Absoluta demum victoria est inter immanium turbinum procellas, tranquilla animi serenitas..... Et hæc absoluta victoria superatæ naturæ [10].

[87] S. Greg., *in I Reg.;* Chromat., epist. hic; Hug. Vict., lib. I *De claus. animæ*, c. 9; Simeon Junior.; Euseb. Gall., hom. 1 *in Natal. mart.* [88] S. Bern., *Serm. de spiritu;* S. Aug., *Serm. de verb. Apostoli in psal.* cm; S. Brun. Herbip., *in psal.* cvi; Hugo card., hic. [89] S. Bonav., *De grad. virt.* [90] S. Leo, serm. 4 *De Quadrages.* [91] Petr. Blesens., epist. 102. [92] S. Laurent. Just., *De obedientia*, c. 20. [93] S. Ambros., *in psal.* cxviii. [94] S. Laurent. Just., *De spiritu divinæ resur.*, c. 2. [95] Id., *De disc. et perf.*, c. 2. [96] S. Bern. *De dupl. Advent.* [97] S. Chrysost., *Hom. de divite.* [98] *II Tim.* II, 5; S Bern., serm. 1 *in festo Omn. SS.* [99] Hug. card., hic; S. Laurent. Just. [1] S. Bern., ubi supra. [2] Paschas. abb., hic. [3] Simon Junior. [4] S. Thom. 2-2, q. 19, a. 12; S. Greg., *Moral.*, lib. I, c. 11. [5] S. Joan. Climac., grad. 24. [6] Id., grad. 8. [7] Id., grad. 24 [8] S. Basil., *in psal.* xxxiii. [9] S. Joan. Climac., grad. 24. [10] Id., grad. 8.

Sed cur beati, et qui?

Beati mites. Non tamen illi qui mites sunt quandiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio [11]... nec fortasse illi qui ingenio et ex natura illam assequuntur, sed qui suis sudoribus ad hunc gradum victoriæ evadunt [12]. Nec etiam illi quorum nimis blanda et dissoluta lenitas non est accepta Domino, nec in ejus sacrificio acceptatur, quia nimia et inimica benignitate palliant crimina..., et ultra quam necesse est vigorem districtionis emolliunt [13].

Sed illi beati mites qui ad perturbatos et vitiosos animi motus non præcipites, sedati sunt, et ratione tanquam freno impetus illos reprimentes, non sinunt ad perturbationem rapi et efferri [14].

An non beati qui habent pacem et societatem cum proximo, gratiam et familiaritatem cum Deo, regnum et hæreditatem in cœlo [15]?

An non beati...,quos libenter Deus exaudit? *Mansuetorum* enim, inquit, *tibi semper placuit deprecatio* [16]. In quibus libenter pausat et dormit; dicitur enim : *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et mansuetum* [17]? Quibus ad loquendum et videndum mitem et facilem se exhibet Deus. Sic Moyses loquebatur cum Deo facie ad faciem [18], quia homo mitissimus erat [19].

An non beati, qui clarius informantur, rarius impugnantur, altius elevantur?..

Qui omnibus bonis operibus decorantur, affecti injuria lætantur, in adversis gratias agunt, irascentes placant, increpationes tolerant fortiter, in pugna tranquilli, sub imperio læti vivunt, in recte factis non extolluntur, cum omnibus pacifici, ad omne opus bonum prompti [20], etc. *Beati* ergo *mites!*

Quoniam ipsi possidebunt terram.

1° Terram, hoc est terrenam substantiam : ea enim amissa non dolent : qui autem amissionem illius pertimescunt, verius se possideri, quam possidere fatentur... Mites ergo quia bona temporalia non permittunt sibi dominari, nec amittere pertimescunt [21].

2° Terram, id est corpus suum, subjectum rationi, quod si possidere vult anima, si regnare super membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis et superiori subjecta, quoniam talem inveniet corpus suum, qualem se exhibuerit superiori, etc. [22].

3° Terram, id est seipsos (libertatem), iracundi enim seipsos non possident [23].

4° Terram, id est corpus gloriosum et transformatum et conforme factum corpori gloriæ Christi, et erit terra vivorum [24].

5° Terram, id est terram cœlestis Jerusalem, quæ est non bellatorum spolium, sed longanimiter et mansuete omnia tolerantium sperata hæreditas... Nullius enim Deus erit possessio, nisi illius quem ipse possederit, lege vicissitudinis. Vocat terram ut significet stabilitatem et soliditatem [25].

TERTIA BEATITUDO. — *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Non omnes qui lugent beati sunt, sed qui lugent ut Deus vult : sæpe enim in luctu miscentur invisæ Deo lacrymæ. Est igitur, ut ait Paulus, *tristitia sæculi quæ mortem operatur ; et est tristitia secundum Deum, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur* [26]... Secundum mundum tristitia est, si ob amissas opes, si ob gloriam, si ob alicujus mortem... Plorandi sunt, qui taliter plorant. Luctus pius ac religiosus... est prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntium salus, periclitantium portus, promissionem habens consolationum quæ nunc sunt, et gaudiorum quæ futura sunt [27].

Beati ergo *qui lugent :* 1° Ob peccata commissa; 2° ob pericula hujus vitæ; 3° ob desiderium æternæ; 4° ex recordatione Passionis Christi; 5° vel ex languore ejus amoris.

1° Beati qui lugent, ob peccata commissa : lacryma enim compunctionis peccatum expellit, infernum claudit, paradisum aperit, voluptates exscindit, temperantiam gignit, virtutes perficit... ac cœlos penetrans in gaudio peccatores beatos efficit [28].

2° Ob pericula vitæ. In hac siquidem regione labor, dolor, timor, tribulatio, gemitus, suspirium. Hic falsi felices, veri sunt infelices, quia falsa felicitas vera miseria est. Audi Dominum dicentem : *Beati qui lugent....* beati in spe, lugentes in re : et quia se agnoscunt in ista miseria et gemunt, beati sunt [29].

3° Ob prolongationem incolatus, et desiderio vitæ æternæ. Hinc Paulus : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* [30]? *Supra modum gravati sumus, ita quod nos tæderet etiam vivere* [31]. *Cupio dissolvi et esse cum Christo* [32]. Et Propheta : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* [33]! *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei* [34]?

Beati qui flent non fletu Babylonico, quales sunt qui gaudent lucris et flent damnis : sed recordando tui, Sion, affectu cordis pio et religioso, desiderio æternæ civitatis... felices lacrymæ quæ de futuri gau-

[11] S. BERN., hic. [12] S. JOAN. CLIMAC., grad. 8. [13] PETR. Blesens., epist. 100; *Serm. in Levit.* II, 11; S. GREG., *Pastoral.*, p. III, c. 17. [14] S. GREG. Nyss., *Orat. de beatitud.* [15] S. BONAV., *Diæt. salut.*, tit. 7, c. 2. [16] *Judith* IX, 16. [17] *Isa.* LXVI, 2. [18] *Exod.* XXXIII, 11. [19] *Num.* XII, 3. [20] S. EPHR., *De virt. et vitiis.* [21] HUGO card., hic; S. BONAV., *Diæt. salut.*, tit. 7, c. 2. [22] S. BERN., hic. [23] HUGO card., hic. [24] S. CHRYSOST., *Op. imp.*, hic. [25] S. BASIL., *in psal.* XXXI; HUGO card., hic; S. AUG., *De serm. in monte*, lib. I. [26] *II Cor.* VII, 10. [27] *I Tim.* IV, 8; S. JOAN. CLIMAC., grad. 7; S. CHRYSOST., *in II Cor.* VII, 10, hom. 15; *Op. imp.*, hic; S. BERN., *Serm. de S. Magd.* GUERR., abb., serm. 2 *De Pentecoste.* [28] S. AUG., serm. 11, *Ad fr. eremi;* S. EPHRÆM., *Non esse ridend.* [29] S. AUG., *in psal.* XXV. [30] *Rom.* VIII, 24. [31] *II Cor.* I, 8. [32] *Philipp.* I, 23. [33] *Psal.* CXIX, 5. [34] *Psal.* XLII, 3; PETR. Blesens., serm. 16.

dii exspectatione procedunt.... quas absterget Deus ab oculis eorum [35]

4° *Beati qui lugent* recordatione Passionis Christi, et ex compassione dolorum ejus. Audi clamantem Jesum et dicentem : *Sustinui qui simul contristaretur et non fuit, qui consolaretur et non inveni* [36]. In dolore Domini debemus sibi dolere et compati... Quid enim suavius et fructuosius ? nam si compatimur, et conregnabimus [37].

5° Ex devotione et languido Christi amore. Sicut Sponsa quæ dicebat : *Dicite dilecto meo quia amore langueo* [38]. Et videns illum aliquando discessisse, post illum currens pia lamentatione perfunditur [39]... Harum lacrymarum dulcedinem cognoverat, quæ dicebat : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est* [40]... Effusa est sicut aqua [41].

Quoniam ipsi consolabuntur.

Ubi consolabuntur ? Et hic, et quod amplius est, in futuro... hic per gratiam, in futuro per gloriam [42].

Hic, 1° quia non potest Deus animam, tanquam viduam dolenter coram se stantem, despicere [43.48].

2° Ipsæ lacrymæ sunt suaves diligentibus Deum [49].

3° Lacrymæ contrito corde in vinum lætitiæ convertuntur [50].

In futuro, 1° *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* [51]. Felix lacryma, quæ pia manu Conditoris meretur abstergi [52]!

2° *Mundus gaudebit, vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium* [53]. Nemo potest hic et in futuro sæculo gaudere, ideo necesse est ut unum amittat, qui alium voluerit possidere [54].

3° Lugeamus ergo dum gaudent, ut cum lugere cœperint, nos gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus [55]

4° *Qui seminant in lacrymis in exsultatione metent* [56]. Qui ergo in hac vita seminaverint lacrymas, quæ sunt ad tempus, in illa beata vita et æterna metent gaudium sempiternum [57].

5° Nemo potest transire de deliciis ad delicias, etc. [58].

Quarta beatitudo. — *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Esurire et sitire justitiam, est illam non mediocriter desiderare..., sed vehementer appetere... Idcirco tanquam cibum et potum Christus illam proponit ut ardorem et fervorem cupiditatis appetitus indicaret... Igitur non nobis sufficit velle justitiam, nisi et justitiæ patiamur famem... Qui enim justitiam esuriunt et sitiunt, sic in observanda justitia delectantur, ac si magnis epulis delectentur [58*].

Per justitiam quid intelligat Christus Dominus.

1° Per justitiam omnem virtutis speciem designat... Justitia enim virtutes in se omnes complectitur, et omnis virtus justitiæ nomine significatur... Hæc enim unicuique tribuit quod suum est, se extendens ad alias virtutes. Deo enim tria debemus, honorem, amorem, timorem... ; proximo quoque tria, obedientiam... concordiam..., beneficentiam...; nobis similiter tria, munditiam cordi, custodiam ori, disciplinam carni [59].

2° Justitiam, id est, justitia Dei, qua scilicet justificat in se credentes... et quæ bonis operibus adimpletur [60].

3° Justitiam, id est Christum ipsum... Est enim summus Deus vera justitia : vel verus Deus summa justitia. Ipse enim factus est nobis justitia [61].

4° Esurire et sitire justitiam, id est, nostram salutem, et divinam voluntatem, quæ est ut salvemur [62]

Hæc ergo esurire et sitire debemus... Semper enim justus esurit sititque justitiam, nunquam enim arbitratur se comprehendisse. Nunquam dicit, satis est, etc. [63].

Quoniam ipsi saturabuntur : 1° Scilicet ipsa justitia... Non sic qui temporales divitias appetunt, nunquam enim saturantur eis ; hæ enim sunt velut aquæ putei Samariæ, quæ non reficit quia non sufficit, imo appropinquantes fugit et prætervolat : *Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non deficient omni bono* [64]. Infirmiori palato cordis et animæ languenti adhuc dura et insipida videtur ; sed qui gustaverunt, ecce ipsi sciunt quam beati sunt qui esuriunt illam quoniam ipsi saturabuntur... Cibus enim justitiæ dum plus appetitur, plus dulcescit, et in illa est satietas sine attædiatione [65].

2° Saturabuntur per gratiam et donorum affluentiam, quia quantumcunque desiderare potuerint, tantum sunt accepturi... imo amplius, quia majora sunt præmia Dei quam desideria sanctorum [66].

3° Saturabuntur ; qui enim sitit in peregrinatione, qui sitit in cursu, satiabitur in adventu : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* [67].

O vere felix et gloriosa satietas ! o sanctum convivium ! o desiderabiles epulæ, ubi anxietas nulla,

[35] *Isa.* xxv, 8 ; *Apoc.* vii, 17 ; S. Aug., *in psal.* cxxxvi ; Petr. Blesens., serm. 15. [36] *Psal.* lxviii, 21. [37] *Rom.* viii, 17 ; *II Tim.* ii, 12 ; S. Bonav., *Stim. amor.*, p. i, c. 15, et p. ii, c. 6. [38] *Cant.* ii, 5. [39] S. Bonav., *ibid.*, p. iii. [40] *Cant.* v, 6. [41] *Psal.* xxi, 15 ; Petr. Blesens., serm. 15. [42] S. Chrysost., hic. [43.48] S. Joann. Climac., grad. 7. [49] S. Aug., serm. 11, *Ad fr. erem.* [50] S. Bonav., in *Stim.*, p. iii. [51] *Apoc.* vii, 17. [52] Hugo card., hic. [53] *Joan.* xvi, 20. [54] S. Chrysost., ubi supr. ; S. Aug., ubi supra. [55] S. Hier., epist. 34. [56] *Psal.* cxxv, 5. [57] *Vit. B. Cæcil.* [58] S. Hier. [58*] S. Chrysost., hic ; S. Gregor. Nyss., *De beatitud.* ; S. Hier. ; Euseb., episc. Gallic., hic. [59] S. Ambros., lib. ii *De Abrah.*, c. 105 ; S. Greg. Nyss., hic ; Hugo card., et Gorran. [60] Paschas., hic ; S. Remig., episc., hic. [61] S. Aug., epist. 120, *Ad Consent.* [62] *I Tim.* ii, 4 ; S. Greg. Nyss., *De beatitud.* [63] S. Bern., epist. 255. [64] *Psal.* xxxiii, 11. [65] Petr. Blesens., serm. 15 ; S. Greg. Nyss., *De beatitud.*, orat. 4 ; S. Bern., serm. 1 *in fest. Omn. SS.* ; S. Greg. Nyss., *De beatitud.*, orat. 4 ; S. Aug., *in psal.* cl. [66] S. Bern., serm. 2 *in fest. Omn. SS.* ; S. Chrysost., *Oper. imp.*, hic. [67] *Psal.* xvi, 15 ; S. Aug., *in psal.* xli.

nullum fastidium, quoniam satietas summa, et summum inerit desiderium [68].

4° Saturabuntur. Nam qui Dominum gustaverunt, hoc est qui in sese receperunt, explentur eo quod sitierunt et esurierunt, juxta promissionem ejus, qui dixit : *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [69], scilicet Spiritu sancto prius inhabitante... saturabuntur ergo possessione sanctissimæ Trinitatis... Quid enim sufficit ei cui Deus non sufficit [70]

Totum quod est felicitatis, quod satietatis, quod delectationis, hoc unico verbo comprehenditur, *Ostendam tibi omne bonum* [71].

Quinta beatitudo. — *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Post justitiam merito ponit misericordiam, quia justitia sine misericordia non est justitia, sed crudelitas : sicut misericordia sine justitia non est misericordia, sed fatuitas [72].

Misericordia est virtus per quam animus super calamitates aliorum movetur, nihil humanum a se alienum putans [73], et aliorum mala sua æstimans [74].

Hæc porro virtus aliis omnibus virtutibus ita superior est, ut omnes aliæ huic cedere honorabiliter non recusent... ut quæ sine illa prodesse non possint [75].

Hoc designant quinque virgines prudentes et quinque fatuæ : prudentes habuerunt oleum (misericordiæ) in vasis suis.., et adveniente Sponso admissæ fuerunt, illæ exclusæ "

Ideo baptizati oleo ungimur et chrismate, ut oleo misericordiæ liniatur altare cordis nostri... Semper igitur in misericordiæ oleo natent corda nostra [77]. Siquidem : 1° nulla alia re ita vincitur inimicus. ; 2° nulla alia ita colitur Deus : *Misericordiam*, inquit, *volo et non sacrificium* [78] ; 3° quia misericordia est præcipuum opus Christianorum, proprium justorum opus [79] ; 4° solum opus hominis commune cum Deo, per quod homo creatorem suum imitatur eique consociatur..; et creator in homine imaginem suæ pietatis agnoscit [80] ; 5° quia nullum qui misericordiam fecit invenimus periisse [80*]... *Estote ergo misericordes sicut Pater vester cœlestis misericors est, ut sitis filii Patris vestri* [81].

Beati igitur *misericordes* : modo tamen misericordes præcipue sint erga seipsos... Primum enim opus misericordiæ est seipsum Deo offerre.., et ordo, ut quam jubetur impendere alteri, prius exhibeat sibi, dicente Scriptura : *Miserere animæ tuæ placens Deo* [82].

Quoniam ipsi misericordiam consequentur. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis [83]... Par tamen non est humana miseratio cum divina... Isti ut homines miserentur, qui ab omnium Domino misericordiam consequentur [84].

Duplicem autem obsequii sui mercedem obtinet misericordia : *promissionem* scilicet *habens vitæ quæ nunc est, et futuræ* [85].

Præsentis vitæ : 1° per liberationem a culpa : *Dimittite*, inquit Christus Dominus, *et dimittetur vobis* [86] ; 2° per liberationem a pœna ; unde dicitur : *Misericordia Dei in tempore tribulationis, sicut nubes pluviæ in tempore siccitatis* [86*] ; 3° per liberationem a miseria.

Vitæ vero futuræ per gloriam. Si vis ergo ad cœlum volare, suscipe alas misericordiæ, istæ te ferent ad Patrem misericordiæ, et ad Deum totius consolationis [87].

Ideo ad judicium veniens Dominus de sola misericordia sermonem facit : *Esurivi, et dedistis mihi manducare ; sitivi*, etc. [88], alios de misericordia laudans : *Venite*, inquit, *benedicti, possidete regnum cœlorum* [89]. Alios qui misericordiam non habuerunt damnans [90].

Debet igitur in hoc mundo misericordiam dare, qui illam optat in cœlo recipere. Quod enim in terra accipit Deus, in cœlo reddit... Et quidquid humana misericordia largitur in via, misericordia divina reddit in patria [91].

Sexta beatitudo. — *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Hæc virtus in duobus consistit : in munditia intellectus, et in munditia affectus. Munditia intellectus est puritas, scilicet a curiositate inquisitionis, ab vilitate cogitationis, a falsitate opinionis vel erroris [91*].

Munditia affectus est puritas a tribus : a primo motu pravæ delectationis, seu cogitationis ; a consensu noxiæ delectationis ; ab amore carnalis affectionis [92].

Mundos autem hic appellat, aut continentia conspicuos, aut nullius sibi mali conscios, aut universalem virtutem tenentes.., aut ab omnium terrenorum affectu alienos... quæ desiderata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant. Mundi corde sunt, qui non solum non faciunt malum, nec cogitant, sed etiam qui omne bonum faciunt et cogi-

[68] S. Bern., *Serm. in fest. Omn. SS.* [69] *Joan.* xiv, 23. [70] S. Greg. Nyss., orat. 4, *De beat.* ; S. Aug., *Serm. in fest. Omn. SS.* [71] *Exod.* xxxiii, 19 ; S. Laurent. Justin., *De perfect. grad.*, c. 15. [72] S. Chrysost., apud S. Bonav., *Pharetr.*, lib. iv, c. 45. [73] Alludit ad Terentium, *Heauton.*, act. I, scen. I, vers. 25. [74] S. Bonav., *Centiloq.*, p. iii, c. 44. [75] S. Euseb., Gall. episc. ; S. Leo, serm. 5, *De collect.* [76] *Matth.* xxv, 2 seq. ; Philip. Solit., lib. I *Dioptræ*, c. 2. [77] S. Bruno episc., *De vitiis.* [78] *Osee* vi, 6 ; *Matth.* ix, 13. [79] Humbert., *Specul. relig.*, lib. iii ; Eutym., *in Matth.* ix ; Id., *in Matth.* iii ; Lactant., *Divin. institutiones*, lib. vi. [80] Philip. Solit., lib. I, c. 2 ; S. Leo, serm. 6. *De Quadragesima.* [80*] Petr. Blesens., serm. 46. [81] *Luc.* vi, 36 ; *Matth.* viii, 45. [82] *Eccli.* xxx, 24 ; S. Fulgent., c. 12, *De Trinit.* [83] *Luc.* xi, 38. [84] S. Chrysost., *in Matth.* v. [85] *I Tim.* iv, 8 ; Hugo card., *in I Epist. ad Tim.* iv. [86] *Luc.* vi, 37. [86*] *Eccli.* xxxv, 26. [87] S. Bruno episc. Astens., lib. ii *De cæremon. Eccles.*, c. 6. [88] *Matth.* xxv, 35. [89] *Ibid.*, 34. [90] S. Bern.,lib. ii *De cæremon. Eccles.*, c. 6. [91] Cæsar. Arelat., hom. 22. [91*] Hugo card., hic. [92] *Ibid.*

tant, ac propter Deum faciunt... Et qui mundum contemnunt .. Si enim mundum despexeritis, cor mundum habebitis, et videbitis eum qui fecit mundum [93]. Ideo sequitur,

Quoniam ipsi Deum videbunt. Magna promissio, et totis desideriis expetenda... Magna felicitas. Videre enim in usu Scripturæ idem est quod habere. Unde qui Deum videt omne bonum adeptus est; videbunt autem Deum tam in hac quam in altera vita [94].

In hac vita : 1° in se ipso tanquam in speculo, sicut ait Paulus : *Videntes nunc per speculum* [95]... In speculo nisi imago non cernitur; per imaginem autem, quod nos sumus, videmus eum a quo facti sumus... Immundi autem in se non vident... Hanc conditoris sui imaginem sordidarunt, detriverunt, exterminaverunt transgressione peccati... At mundi, qui cor suum ab omni creatura, atque a vitiosa affectione expurgarunt, in sua ipsius pulchritudine per sanctimoniam, puritatem, simplicitatem, tanquam per divinæ naturæ radios Deum intuentur [96].

2° Vident Deum mundi corde, quem immundi non vident, quia Deus non oculis, sed corde videtur [97].

Interdum autem intellectus illecebra carnis, interdum curiositate et ambitione turbatur, sicut oculus humore interiore, aut pulvere injecto [98].

3° Deum videbunt in hac vita per puram et affectuosam Dei cognitionem, quam Deus eis præ aliis infert. Videbunt autem in altera vita per speciem, quem in ista viderunt per speculum et in ænigmate [99].

Merito autem hæc beatitudo cordis promittitur puritati, splendorem enim veri luminis sordens acies videre non poterit [1].

Et quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum [2], mundemus interiora mentis nostræ, et peccatorum nostrorum diligenter secreta scrutemur, ne ex affectu peccati delectatio, ne turpe desiderium, ne passionum contentiones pullulent, ne perversarum cogitationum distractiones aliquando erumpant [3].

Sic pura mente, et integra conscientia sub fide Dei viventes, Deum gloriæ in futuro regno videre merebimur [4].

Septima beatitudo. — *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.*

Pacifici vocantur, qui paci faciendæ, aut conservandæ, aut reformandæ invigilant [5].

Pax autem est quædam animi ordinata concordia cum se ipso, cum proximo, cum Deo... Et tunc pax integra est quando homo cum his tribus est pacificus..., scilicet per conformitatem cum Deo, per humilitatem cum proximo, per tranquillitatem in se ipso [6].

1° Itaque pacifici sunt in semetipsis, qui motus interiores pacificant in servitutem et obsequium Christi... qui animi motus subjiciunt rationi, carnalesque concupiscentias habentes domitas, fiunt regnum Dei [7].

2° Pacifici cum proximo, qui *pacem cum omnibus habentes* [8]... *solliciti sunt servare unitatem spiritus in vinculo pacis* [9]... Qui neminem lædunt, non facto, non verbo, non signo... Sine pace enim nullum boni operis Deo sacrificium immolant [10].

3° Pacifici cum Deo, *qui justificati ex fide pacem habent ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum* [11]... Cum scilicet *pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodit corda nostra, et intelligentias nostras in Christo Jesu Domino nostro* [12]. *Pax Dei*, id est pax Deus; *custodiat corda nostra*, id est voluntates nostras; in charitate, scilicet a mala affectione; et *intelligentias nostras* in fide, ab omni scilicet errore. Et hoc in Christo Jesu, id est ut nihil extra Deum appetatur, seu intelligatur [13].

Cur autem beati?

1° Quia meritum Christianæ virtutis vilescit in cunctis, si unitatem non habet pacis... Hæc ex famulo liberum facit, filium ex servo, amicum ex Deo, patrem ex domino [14].

2° Quia pax est voluntas Dei, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis... Ideoque super illos requiescit pax Dei, quam sequitur pax æterna [15].

Cur filii Dei vocabuntur pacifici?

1° Quia non pervenitur ad vocabulum filii Dei, nisi per nomen pacifici... Pacifici autem æterno nomine vocandi sunt filii Dei [16]... quia non est Deus dissensionis, sed pacis [17]. Ideoque filios pacis, Dei quoque filios dignum est appellari [18].

2° Filios Dei pacificos nominat, quia vere filii Dei imitatores exsistunt. Scilicet 1° imitatores humanitatis divinæ, quia quod proprium est divinæ efficientiæ, scilicet pacificare omnia [18*], in vita sua ostendunt; 2° divinitatis, quia sicut Dei proprium est quiescere in se ipso, ita pacifici in Deo pacificantur et quietantur [19].

3° Merito filii nomine vocabuntur, quia opus Filii impleverunt. Ipse enim est per quem reconciliati pacem habemus ad Deum [20].

4° Quia in pace perfectio est ubi nihil repugnat :

[93] S. Chrysost., *Op. imperf.*, hic; S. Bern. [94] S. Bern., *De convers. ad cleric.*, c. 17; S. Leo, *De grad. ascens.* [95] *I Cor.* xiii, 12. [96] S. Aug., *De Trin.*, lib. xv, c. 8; *in psal.* lxxi; serm. 50, *De temp.*; S. Greg. Nyss., hic. [97] S. Aug., *De serm. Dom. in monte.* [98] S. Bern., *De convers. ad cler.*, c. 17. [99] *I Cor.* xiii, 12; S. Aug., lib. lxxxiii *Quæst.*, q. 11. [1] S. Leo, *Serm. in fest. Omn. SS.* [2] *Apoc.* xxi, 27. [3] S. Greg., *in psal.* iv *pœnit.* [4] S. Chrom, episc. Aquit., hic. [5] Hugo card., hic. [6] S. Aug., lib. xix *De civit. Dei*, c. 11; S. Bernard., *Serm. de beatit.*, serm. 11; S. Bonav., *De beatit.*, c. 6 [7] Petr. Blesens., serm. 48; S. Aug., *De serm. Dom. in monte.* [8] *Rom.* xii, 18. [9] *Ephes.* iv, 3. [10] Hugo card., hic; S. Greg., *Pastor.* lib. iii, c. 23. [11] *Rom.* v, 1. [12] *Philip.* iv, 7. [13] S. Bernard., *De beatit.*, serm. 51. [14] S. Aug., serm. 169, *De temp.*, serm. 109, *ibid.* [15] S. Chrysost., serm. 52; Petr. Blesens., serm. 48. [16] S. Petr. Chrysol., serm. 55. [17] *I Cor.* xiv, 33; S. Leo, *Hom.* [18] S. Bern., serm. 1 *in fest. Omn. SS* [18*] *Col.* i, 20. [19] Id., serm. 12, *De beat.* [20] *Rom.* v, 1; Id., serm. 1 *in fest. Omn. SS.*

et ideo filii Dei pacifici, quoniam in his nihil resistit Deo. Filius ergo Dei esse incipit, quicunque pacificus esse cœpit. Non vult autem dici, qui pacificus noluerit inveniri. Et negat sibi Patrem Deum, qui hæres pacis esse nequivit : severum sensurus est Deum, quem clementem blandumque dedignatus est Patrem. Felices pacifici qui filii Dei vocabuntur. Gaudeamus hoc nomine, quasi filii et hæredes Dei, cohæredes autem Christi [21] : quanta est hujus pacis retributio hæreditatem possidere cum Christo, substantiam Patris habere cum Filio, cœleste regnum participare, et in consortium perpetuitatis admitti cum Domino [22] !

Octava beatitudo. — *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Posita beatitudine pacificorum, ne aliquis existimaret, quod pacem quærere semper bonum sit, immediate subdit : *Beati qui persecutionem patiuntur*, etc. En caput et summum fastigium scalæ per quam ad cœlos ascenditur [23].

Qui persecutionem patiuntur. Beati. Multæ sunt persecutiones, et multi persecutores. Patitur enim quis aut a se, quando novus homo, id est ratio per gratiam innovata cruciat suum veterem hominem ; quod facit, vel subtrahendo quæ placent, vel inferendo quæ displicent [24].

Aut ab alio, scilicet vel a Deo, vel ab antiquo adversario, vel a proximo, etc. [25]

A Deo, corporis ægritudines..., mentis hebetudines, insensibilitates cordis, pusillanimitates, et quamplurima similia, etc. [26].

A proximo, verborum contumelias, vel corporum molestias, vel rerum amissiones [27].

Ab adversario, graves, diros et laboriosos tentationum impetus... Adversarius enim ille multos ministros suos dirigit, qui non solum foris, sed intus faciunt persecutiones in animos singulorum... quot peccata, tot persecutores. Habet autem Satanas martyres suos, quales sunt multi mundi hujus amatores, perjuri, adulteri, fures, avari, etc. Et ideo non omnes beati qui hæc patiuntur... Quales etiam sunt, qui quoties adversitate pulsantur, rebelles contra Dominum murmurare præsumunt [28].

Sed soli beati, qui non pro rebus transitoriis, non pro vanis honoribus, non pro suis offensis, persecutiones æquanimiter, patienter, constanter tolerant, sed propter justitiam.

Propter justitiam autem, vel faciendam, vel defendendam, vel promovendam [29].

2° Id est, propter fidem, justitiam, leges aut nomen Christi [30].

3° Id est, propter honorem Dei, amorem proximi odium sui [31].

4° Id est, propter aliquam causam, etiam privatam, persecutionem patiuntur... propter Deum..., æquo animo et cum exsultatione... Beati sunt, quia tunc causa privata facta est causa Dei [32].

Cur beati ? 1° Quia Christus cum illis est... Certantes enim spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat [33]. *Cum ipso sum*, inquit, *in tribulatione. Eripiam eum et glorificabo eum* [34]. *Cum ipso sum*, ecce societas Dei : *eripiam eum*, ecce liberatio : *et glorificabo eum*, ecce præmium [35].

2° Quia tales Christo assimilantur, quod est gloriosissimum. Quid enim gloriosius est Christiano, quam Christi portare opprobrium, quam portare stigmata Christi [36] ?

3° Quia Christi martyres sunt... Habet enim et pax Ecclesiæ martyres suos... Et sine ferro et flamma martyr est, qui patientiam servat veraciter in mente [37]... Et genus martyrii est spiritu facta carnis mortificare [38], illo quidem, quo membra cæduntur ferro, horrore mitius, sed diuturnitate molestius, etc. [39].

4° Beati, quia *quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus super illos requiescit* [40].

5° Quia patientia, et vos, et quisquis lenis, et patiens, et mitis est, Dei Patris imitator est. Quæ gloria similem Deo fieri ! Qualis et quanta felicitas habere in virtutibus, quod divinis laudibus possit æquari [41] !

Quoniam ipsorum est regnum cœlorum. — Si enim compatimur, et conglorificabimur [42]... *si sustinemus et conregnabimus* [43]... *si complantati sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* [44]... Siquidem certa atque secura est exspectatio Dominicæ beatitudinis, ubi participatio est Dominicæ Passionis [45]

Beati ergo eritis cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me ; gaudete et exsultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis [46].

Gaudete de multiplici tribulatione multiplicationem mercedis attendentes ; gaudete magis ut dignum est, quod non tam persecutio quam remuneratio augeatur ; gaudete eo abundantius, quo plura sustinetis propter Christum, ut perinde vos copiosior mensura maneat apud ipsum [47].

Sic apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati,* [48].

Sic beatus Paulus gloriabatur in tribulationibus [49].

[21] *Rom.* VIII, 17. [22] S. Aug., lib. I *De serm. Dom. in monte ;* serm. 169, *De tempore.* [23] S. Bernardin., serm. 12 ; ex S. Chrysost. [24] S. Ambros., *in psal.* CXVIII ; Hugo card., hic. [25] S. Laurent. Justin., *De ligno vitæ*, tract. 5, c. 4. [26] Id., *De discip. et perf.*, c. 16. [27] Id., *De lig. vitæ*, ubi supra. [28] S. Ambros., *in psal.* CXVIII ; S. Bruno, Astens. episc., l. II *De cœrem. Eccles.*, c. 8 ; S. Aug., hom. 200, *De temp.* [29] S. Bernardin., *De beatit.*, serm. 12. [30] S. Chrom. episc., hic. [31] S. Bernardin., ubi supra. [32] S. Chrys., *Op. imp. in Matth.* V ; S. Aug., lib. I *De serm. Domini in monte.* [33] S. Aug., ubi supr. [34] *Psal.* XC, 15. [35] Petr. Blesens., *De utilit. tribulat.* [36] *Galat.* VI, 17 ; S. Laur. Just., *De lig. vitæ*, tract. 5, c. 2. [37] S. Aug., S. Laurent. Justin., ubi supra. [38] *Rom.* VIII, 13. [39] S. Bern. [40] *I Petr.* IV, 14. [41] Tertull. [42] *Rom.* VIII, 17. [43] *II Tim.* II, 12. [44] *Rom.* VI, 5. [45] S. Leo, serm. 9, *De Quadrages.* [46] *Matth.* V, 11, 12. [47] S. Bern., *De convers. ad cler.*, c. 23, *in fine.* [48] *Act.* VII, 41. [49] *II Cor.* VII, 4.

Sic sancti ad tormenta tanquam ad ornamenta, ad pœnas sicut ad delicias properabant.

Sic Christus ipse cum gaudio sustinuit crucem confusione contempta.

Nos vero infelices, quid faciemus, qui non solum tales cruciatus, sed et muscas et pulices ferre non valemus? qui ad facilem injuriam, aliquando ad unum verbum incaute prolatum, multoties etiam ad fratris risum, et levem subsannationem sic irascimur, ut vix aliquando placari possimus, etc. [50].

Respicite, quæso, Christi discipuli, ad octo dictas beatitudines... quas tanquam pretiosas margaritas vobis in Evangelio proposuit. Aperite cordis vestri thesauros, emite, percipite avide, feliciter possidete. Amen, Amen. Amen [51].

—

CHRISTUS VOCATUS AD NUPTIAS, AQUAM IN VINUM CONVERTIT [52].

Sicut in Christo, sic in operibus ejus reperies. Exterius enim *speciosus* erat *præ filiis hominum* [53]; interius autem tanquam candor lucis æternæ [54]. Sic superficies operum ejus a foris considerata decora est valde; at si quis fregerit nucem, intus inveniet quod jucundius sit, et multo amplius delectabile... Hoc advertite in illo miraculo facto in nuptiis... cujus et historia admirabilis et significatio amplius delectabilis [55].

Nuptiæ factæ sunt in Cana. Felices nuptiæ quibus adest Christus, et Mater ejus; sed licet magnum divinæ majestatis indicium fuerit ad nutum Domini aquam in vinum converti, est tamen multo melior mutatio dexteræ Excelsi [56], quam in ista præfiguravit. Multo feliciores igitur illæ nuptiæ... ad quas vocati sumus, in quibus Sponsus est Christus Dominus, sponsa vero nos ipsi, ubi singulorum animæ quasi sponsæ singulæ... Illas enim, licet inferiores genere, inferiores specie, inferiores dignitate, Christus desponsat, eo affectu diligit, quo diligitur sponsa a sponso, et sic eis adhæret, ut unus cum eis spiritus efficiatur [57].

Unde tibi, o anima mea, unde tibi hoc? unde tibi tam inæstimabilis gloria, ut ejus sponsa mereari esse *in quem desiderant angeli prospicere* [58]? Unde tibi hoc ut ipse sit Sponsus tuus, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, ad cujus nutum universa mutantur [59]?

Quid retribuis Domino pro omnibus quæ retribuit tibi [60], ut sis socia mensæ, socia regni, socia denique thalami, ut introducat te in cubiculum suum? Vide jam quid de Deo tuo sentias; vide quantum de Deo præsumas; vide quibus charitatis brachiis redamandus et amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, tanti te fecit [61].

Audi ergo, *filia, et vide, et obliviscere populum tuum et domum patris tui* [62]: desere carnales affectus; sæculares mores dedisce; a prioribus vitiis abstine; consuetudines noxias obliviscere. Noli alterum admittere amatorem, ne angelus te mediam secet. Jam enim desponsata es illi, jam prandium celebratur nuptiarum, quarum cœna in cœlo et in aula æterna paratur [63].

Hæ porro cœlestes nuptiæ initiantur in inchoatione pœnitentiæ: ratificantur in profectu justitiæ: consummantur in morte, quando anima non potest separari a Christo [64].

Tria autem in his nuptiis debent reperiri: 1° matrimonii bona fides, id est fidelitas, ne Christo dimisso adulter diabolus admittatur ad torum; 2° proles, bonorum scilicet operum fecunditas; 3° sacramentum, id est inseparabilitas, ut nunquam separentur a Christo [65].

Et erat Mater Jesu ibi. Cum nuptiæ celebrantur caste et honeste, adest quidem Mater Salvatoris; sed et ipse una cum discipulis vocatis venit... ut nuptias honorabiles sanctificet... Sed et Virgini placent magis nuptiæ nostræ, et pertinent ad eam multo amplius illis, nimirum de cujus utero tanquam e thalamo suo cœlestis Sponsus processit [66].

Multæ autem nobis hic virtutes sanctissimæ Virginis spectandæ proponuntur: 1° humilitas, quod angelorum hominumque Regina pauperum conjugum nuptiis interesse dignata est; 2° charitas, quod cum vinum defecisset, alienam inopiam suam reputans, eam suppliciter Filio repræsentavit; 3° fiducia patientiæ et longanimitati conjuncta, quod verbis Filii sui, quæ duriuscula videbantur, nihil deterrita, ministros bono animo esse jubet, et ad simplicem Filii obedientiam hortatur.

Vocatus est autem et Jesus ad nuptias. Magnum pietatis mysterium: ipse qui sponsus est invitatur ad nuptias.

Jam impletis nuptiis discumbentium, jam consedentibus convivis, consulto factum est ut vocaretur et Jesus, cujus benedictio posteritati nubentium, vel toto cœtui convivantium profectura frustra non speraretur. Ipse vero qui non est dedignatus formam servi accipere [67], non est dedignatus ad nuptias venire servorum... sæcularia instituta non contemnens, qui ad hæc venerat corrigenda [68].

Vadit autem ad nuptias non pocula sumpturus, sed daturus.

Vadit, non tam epulaturus, quam miracula patra-

[50] S. Bruno episc., lib. II *De ornam. Eccles.*, c. 8. [51] S. Chrom., episc. Aquit., *De octo beatitud.* [52] *Joan.* II, 1-11. [53] *Psal.* XLIV, 3. [54] *Sap.* VII, 26. [55] S. Bern., serm. 2 *in Dom.* 1 *post Epiph.* [56] *Psal.* LXXVI, 11. [57] *I Cor.* VI, 17; S. Bern., ubi supra. [58] *I Petr.* I, 12. [59] S. Bern., ubi supra. [60] *Psal.* CXV, 12. [61] S. Bern., ubi supra. [62] *Psal.* XLIV, 11. [63] S. Bern., serm. 2 *in Dom.* 1 *post Epiph.* [64] Granat. [65] *Ibid.* [66] *Psal.* XVIII, 6; Granat. [67] *Philip.* II, 7. [68] S. Rupert., hic; S. Chrysost., S. Aug., serm. 1 *in Dom.* 1 *post Epiph.*

turus..., vadit veteris instituti novam sibi perpetuæ virginitatis Sponsam, gentium de conversione facturus [69].

Interfuit, nuptias præsentia sua cohonestaturus ... Et ut benediceret quod constituerat a primordio, legitimum videlicet conjugium, pergere ad nuptias non renuit invitatus... ut concordiæ jura firmaret, ut psalmos ad Dei Patris gloriam prædicandam concitaret, ut Pater honoraretur in Filio... In exemplum humilitatis. Erubescat homo esse superbus, quoniam humilis factus est Deus. Ecce venit ad nuptias qui cum apud Patrem esset, instituit nuptias [70].

Et discipuli ejus, etc. Decebat ut miracula patranti adessent, qui rerum mirabilium studio tenebantur; id quod patrandum erat quasi quemdam cibum fidei suæ collecturi [71].

Et deficiente vino. Ibi vinum, id est virtus lætitiæ spiritualis, defecerat, et languebant sitientium convivarum ora, vini lætificantis inopia [72].

Nonnunquam et hic deficit vinum, gratia scilicet devotionis, et fervor charitatis. Quoties mihi necesse est, fratres... exorare Matrem misericordiæ, ut suggerat benignissimo Filio suo, quoniam vinum non habeatis, et ipsa... si pie a nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ, quoniam misericors est et Mater misericordiæ [73].

Dicit Mater Jesu ad eum : Vinum non habent. Ex hoc loco discimus in quavis inopia, aut calamitate, quæcunque illa fuerit, ad Dominum nos beatissimæ Virginis exemplo debere converti.

Vide modestiam Virginis : non postulat imperando, nec etiam petit rogando, sed eorum tantum necessitatem indicat, dicens : *Vinum non habent...* Et is quidem sermo certissimus index ingenitæ mansuetudinis et virginalis verecundiæ fuit [74].

Aliorum si quidem verecundiam suam reputans, sustinere non potuit vini dissimulare defectum... Non quod crederet ipsum nescire, sed ut ostenderet suam compassionem, et Filii potestatem.

Compassa est ergo eorum verecundiæ sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas? Quid mirum si pietatem exhibent viscera pietatis, in quibus novem mensibus requievit (ipsa pietas) ? Nam et ante mentem replevit quam ventrem, et cum processit ex utero, ab anima non recessit [75].

Et dixit ei Jesus. Non offensus, non corrigens, non arguens Matrem suam, cujus grata erat illi compassio [76].

Quid mihi et tibi est, mulier? Quem non moveat responsio illa Domini, *quid mihi et tibi, mulier?* Quid tibi et illi, Domine, nonne quod filio et matri? Quid ad illam pertinet quæris, cum tu sis benedictus fructus ventris illius immaculati [77] ?... cum factus annorum duodecim fueris subditus illi [78]... Nunc ergo quid molestus es illi [79]?

Sed manifeste jam video quod non velut indignans, aut confundere volens teneram Virginis Matris verecundiam, dixeris, *quid mihi et tibi?* cum venientibus ad te juxta Matris præceptum ministris, nihil cunctatus facias quod illa suggessit [80].

Ad quid ergo, ad quid sic respondebat prius? Utique propter nos : ut conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium cura parentum, et necessitudines illæ impediant exercitium spirituale. Hoc enim nos optime docuit Dominus... quando ipse Matri, et tali Matri respondit : *Quid mihi et tibi* [81]?

Duriuscula ergo videtur Matri respondisse, quia vix dici potest, quantum parentum teneritudo arduum virtutis iter ingressos remorari soleat, ne dicam revocare... Et licet hæc verba specietenus asperitatis aliquid præ se ferant, magnam tamen piis hominibus consolationem atque fiduciam afferunt [82].

Præclare etiam hoc dicit : nec enim ad patranda miracula currere aut ultro se inferre oportet, et utilitati magis quam spectatorum oculis consulere. Gratiosa vero sunt quæ optantur, si non cito petentibus tribuantur [83].

Illa etiam repulsio significat quod Deus aliquando non exaudit, nec dat statim quod petitur, ut avidius petatur, et cum exaudierit, diligentius consideretur quod dederit [84].

Licet ergo ita responderit, maternis tamen precibus obtemperavit, ut Matri honorem exhiberet... et ostenderet quantus honor parentibus debeatur, cum statim ad actum propter reverentiam Matris accedit [85].

Nondum venit hora mea. Medicus si ultro se offerret ægroto, non multum curaret de eo ægrotus, sed cum multis precibus se exhibet ei, tunc multam reverentiam illi exhibet; ideo dicit, *nondum venit hora mea* [86].

Hora scilicet edendi miraculi prænognita et præfinita a Patre. Nihil enim intempestivum apud Verbum, sed quæ prænognita sunt a Patre, hæc ordine, tempore et hora prænognita facit Dominus [87].

Vel hora Passionis, in qua illud redemptionis nostræ vinum, quod vitæ omnium proficeret [88].

Dicit Mater ejus ministris. Durior et austerior videri potuerat responsio Domini, sed noverat illa, cui loqueretur non ignorabat. Unde non desperavit Virgo non defuit pietati fides, efficacia voto. Disce

[69] S. Maxim., hom. 1, *De Epiph.* [70] S. Cyrill., hic; S. Gaud. episc., serm. 8; S. Aug., *De verb. Dom.*, serm. 41. [71] S. Cyrill., hic. [72] *Psal.* cm, 15; S. Gaud. episc., serm. 8. [73] S. Bern., serm 2 *in Dom.* 1 *post Epiph.* [74] S. Bern., serm. 2, *De B. V.* [75] S. Bern., serm. 1 *in Dom.* 1 *post Epiph.* [76] Hugo, card., hic. [77] *Luc.* I, 42. [78] *Luc.* II, 51. [79] S. Bern., serm. 2 *in Dom. infra octav. Epiph.* [80] *Ibid.* [81] S. Bern., ubi supra. [82] Granat. [83] S. Cyrill., hic. [84] Hugo card., hic. [85] S. Chrysost.; S. Cyrill. [86] Hugo card., hic. [87] *Ibid.* [88] S. Aug.; S. Maxim.; S. Gaudent.

in Matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere... nec cum nulla humani auxilii spes affulget desperemus, nec despondeamus animum, sed fidei anchoram arripiamus; et instrumentum spei faciamus, non quidem in mare, sed in cœlum; et tempestatum procellis aptata navis ab omni periculo liberabitur. Quod contra faciunt plerique, qui tunc potissimum orationis et spei arma projiciunt, cum maxime capere deberent [88*].

Quodcunque dixerit vobis facite. Ite ad Filium meum et quidquid dixerit vobis facite... Hanc jam Christianæ vitæ regulam a sacra Virgine traditam pii omnes sibi proponant... non humano judicio quod præcipitur expendere, sed humili simplicique obedientia, illud adimplere, quamvis id prima fronte supervacaneum et otiosum videatur [89]

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ. Hydriæ sex devota sunt corda sanctorum, quorum perfectio vitæ et fidei ad exemplum recte credendi ac vivendi proposita est [90]

Secundum purificationem Judæorum. Desponsationis hic nuptiæ istæ sunt, non copulatio. Nunc utique lavandi tempus est, nunc purificationem patet esse necessariam, quoniam nemo mundus a sorde. Nunc abluitur Sponsa, ut in cœlestibus illis nuptiis Sponso suo sine omni macula præsentetur [91].

Prima vero hydria et prima purgatio in compunctione est, secunda confessio est, tertia eleemosynarum largitio, quarta remissio injuriarum, quinta afflictio corporis, sexta obedientia præceptorum [92].

Capientes singulæ metretas binas, vel ternas. Quæ sunt binæ metretæ? quæve tertiæ? Triplex timor: primus, ne cruciemur in gehenna; secundus, ne privemur æterna gloria; tertius, ne deseramur a gratia. Vel triplex timor: 1° time cum arriserit gratia; 2° time cum abierit; 3° time cum denuo revertetur: 1° cum adest, ne non digne opereris ex ea, vel eam tibi arroges... 2° cum recesserit multo magis, quia ubi deficit tibi gratia, deficis tu: time ergo et contremisce, Deo tibi irato... superbia semper causa est subtractæ gratiæ... 3° jam repropitiata, multo amplius timendum ne contingat recidivam pati: recidere enim quam incidere deterius est... Time ergo pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata [93].

Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Nobis qui ministri sumus præcipitur implere hydrias aqua quoties deest vinum; ac si dicatur: Poculi devotionem desiderant, vinum requirunt, fervorem flagitant: sed *nondum venit hora mea: implete hydrias aqua.* Quæ est enim aqua sapientiæ salutaris? *Initium sapientiæ timor Domini* [94]. Ut dicere possitis: A timore tuo *concepimus*, Domine, et *parturivimus spiritum* salutis [95].

Implete aqua lacrymarum; quæ statim mutantur in vinum spiritualis lætitiæ... implete aqua doloris et tristitiæ, quæ convertitur in gaudium quietis et spiritualis lætitiæ; et quanto plus ibi fuerit de aqua, tanto plus erit tibi de vino [96]

Præcepit nobis Dominus, ut hac aqua hydrias impleamus: sunt enim aliquando vacuæ et plenæ vento, dum per vanitatis studium, supradictæ observantiæ mercede perpetua vacuantur... vel, quod pejus est, plenæ veneno, quod est invidia, murmur, etc. Propterea ne forte subintrent ista, dum vinum deest, jubemur implere hydrias aqua, ut observentur mandata Domini in timore [97].

Et impleverunt eas usque ad summum. Non unus timor, non duo, sed toti tres simul implent usque ad summum. Sint autem omni tempore, et ex toto corde, et replevisti hydriam tuam usque ad summum. Amat Deus integrum munus, affectum plenum, perfectum sacrificium [98].

Cura ergo ut de te dicatur, quia replevit eum spiritus Domini; qui enim sic timet, 1° nihil negligit: unde namque negligentia intraret in plenitudinem? quod capere aliquid potest plenum non est; 2° necesse est etiam cætera vitia omnia plenitudine timoris excludi [99].

Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Aquam scilicet vinum factam. Vinum autem hoc vinum est zeli in charitate ferventis, quo æstuet prorsus oportet qui aliis præsidet [1].

Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam. Tunc Jesus vinum ex aqua facit, cum lascivas et infirmas hominum voluntates mutat (in melius). Sunt enim plerique homines nihil ab aqua meliores, frigidi, fluentes, mutabiles: qui scilicet fluxis præsentis vitæ rebus incumbunt.

Qui humanas sæculi delicias, gloriam, potentiam, divitias, et cætera fluxa, caduca, nunquam consistentia, et in præceps semper celeri cursu labentia diligunt [2].

Quando igitur hujusmodi homines ad Dominum adducuntur, et eorum voluntates ad illum ita transferuntur, ne amplius labantur, et præteritorum compuncti gustant quam suavis est Dominus, tunc aqua convertitur in vinum. Divina etiam virtute aqua mutatur in vinum, quando timor expellitur a charitate et implentur omnia fervore spiritus et jucunda devotione [3].

Sine charitate enim timor pœnam habet, et charitas vinum habet lætificans cor hominis; perfecta autem charitas foras mittit timorem [4], ut ubi aqua fuerat vinum esse incipiat, ad laudem et gloriam Sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri. Gustat porro aquam vinum factam omnis anima, quæ prius tepida, et jam nunc divino amore vehe-

[88*] S. Bern. [89] S. Bonav., *De vita Christi*; Granat. [90] Ven. Beda, hic. [91] S. Bern., *ibid.* [92] Id., ubi supra, serm. 2, *in Dom. 1 infr. octav. Epiph.* [93] S. Bern., serm. 54 *in Cant.* [94] *Psal.* cx, 10. [95] *Isa.* xxvi, 18; S. Bern., serm. 2 *in Dom. infr. oct. Epiph.* [96] Hugo card., hic. [97] S. Bern., ubi supra. [98] S. Bern., serm. 54 *in Cant.* [99] *Ibid.* [1] S. Bern. [2] S. Chrysost., hom. 21 *in Joan.* II. [3] S. Bern., serm. 1 *in Dom. 1 post Epiph.* [4] *Psal.* cxii, 13; *I Joan.* iv, 18.

mentissime flagrans et æstuans, justitiæ zelo, in cunctis spiritualibus exercitiis et officiis pernimium fervet, ita ut possit dicere : *Concaluit cor meum intra me* [5].

Et non sciebat unde esset. Hæc videntibus mira erant, intelligentibus autem sacramenta... in conversione enim aquæ religionis nostræ designatur arcanum... et novi poculi prælibatum est sacramentum .. Si quidem aqua in sanguinis erat convertenda mysterium, ut mera pocula in vase corporis sui Christus bibentibus propinaret, et impleret illud : *Calix meus inebrians quam præclarus est* [6] !

Vocat sponsum architriclinus, et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. In his verbis magnum inter Dei ac dæmonis calicem discrimen designatur. Dæmon enim si quid habet dulce aut pretiosum, initio statim degustandum proponit ; quod vero acerbum et amarum est, servat in posterum, ut hac fallendi arte improvidos et incautos illaqueet.

Voluptatis ergo illecebras blandientes proponit, ut sic decepti a meretricio Babylonis, et poculo illius aureo inebriati in vita sua, in ipso vitæ exitu calicis illius amaritudinem improbi experiantur [7].

Christus autem, si quid habet ejus doctrina difficile et asperum, initio statim proponit. Non enim gaudet fallaciis divina Sapientia, non nititur mendaciis æterna Veritas : in fine autem gaudium et exsultationem : *Ridebit* enim *justus in die novissimo* [8].

Non ergo blandientem scorpionis faciem, sed caudam attende [9].

Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Vinum optimum verbum Dei, quia mentes hominum inebriat, ut præteritorum obliviscantur, et in anteriora currentes non lassentur [10].

Bonum vinum charitas et amor, hoc vino nihil castius, calidius, sapidius. Nihil castius, quia quo magis bibitur, eo magis exstinguit sitim concupiscentiæ; nihil sapidius, quia præbet gustum quam suavis est Dominus [11], et ideo lætificat cor hominis [12] : nihil calidius, quia velut ignis mentes piorum inflammat, renes urit et corda potenter, potenter inebriat animam, et usque ad oblivionem sui inducit : plane tales ebriosi regnum Dei possidebunt [13].

Bonum vinum spirituales consolationes, ac Sponsi deliciæ, quibus animæ sanctæ postoositis omnibus temporalibus inebriantur [14].

—

CHRISTUS DOCENS DISCIPULOS ORARE.

Inter cætera salutaria monita et præcepta divina quibus populo suo Christus consuluit ad salutem, etiam orandi formam dedit, et quod precaremur monuit et instruxit ipse..., a quo est ordinata religio orationis [14*].

Qui fecit vivere docuit et orare, ea benignitate scilicet qua et cætera dare et conferre dignatus est, ut dum prece et oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur [15]

Jam prædixerat horam venire, quando veri adoratores adorarent Patrem in spiritu et veritate [16]. Implevit quod ante promisit, ut qui Spiritum et veritatem de ejus sanctificatione percepimus, de traditione ejus vere et spiritualiter adoremus [17].

Quæ enim potest esse magis spiritualis oratio, quam quæ vere a Christo data est, a quo nobis et Spiritus sanctus missus est? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui est Veritas [18], de ejus ore prolata est [19] ?

Privilegiata est ergo in dignitate hæc oratio, quia a Christo est composita : sed privilegiata est etiam in brevitate, ut citius sciatur, melius retineatur, frequentius dicatur. Privilegiata est in fecunditate, quia omnes petitiones continet, et utriusque vitæ necessaria complectitur..... Evangelii breviarium est [19*].

Nam non solum propria orationis officia, venerationem scilicet Dei, et petitionem hominis, sed omnem pene sermonem Domini [20] et omnes species orationis compendiosis verbis complectitur... quamvis enim alia verba dicamus nihil aliud dicimus, quam quod in ista oratione Dominica positum est [21].

Qualia autem sunt hujus Dominicæ orationis sacramenta, quam multa, quam breviter in sermone collecta, sed in virtute spiritualiter copiosa, et qualiter quidque oremus, jam docente Domino cognoscamus [22].

Factum est cum esset Jesus in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine, doce nos orare : et ait illi [23]*..... Cum oratis dicite... Pater noster*, etc. [24].

In exordio hujus orationis datur petenti fiducia, cum dicitur : *Pater noster*, non, Domine ; Domino enim servitur timore ; Patri vero, amore : teste Malachia, qui ait : *Filius honorat patrem suum, et servus dominum suum timebit. Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus, et si Dominus ego sum, ubi est timor meus* [25] ?

Ubi ergo Deus Dominum mutavit in almum Pa-

[5] *Psal.* XXXVIII, 4 ; S. BERN., serm. 19 *in Cant.* [6] *Psal.* XXII, 5 ; EUSEB. Emiss., *Hom. de Epiph.*; S. MAXIM., *Serm. de Epiph.* ; S. P. CHRYSOLOG., serm. 160. [7] ID. *ibid.* [8] *Prov.* XXXI, 25 ; S. CHRYSOLOG., *ibid.* [9] ID., *ibid.* [10] S. GREGOR., *in Cant.* [11] *Psal.* XXXIII, 9. [12] *Psal.* CIII, 15. [13] GUILLELM. [14] S. BERN. [14*] S. CYPR., *De orat. Dom.*; TERTULL. [15] S. CYPR., ubi supra. [16] *Joan.* IV, 23. [17] S. CYPR., ubi supra. [18] *Joan.* XIV, 4. [19] S. CYPR., ubi supra. [19*] S. BONAV., *Expos. in orat. Dom.* [20] TERTULL., hic. [21] S. AUG., serm. 182, *De tempore.* ID., epist. 121, c. 12. [22] S. CYPR., ubi supra. [23] *Luc.* II, 1. [24] *Matth.* VI, 9-13. [25] *Malach.* I, 6.

trem, voluit charitate magis quam potestate regnare ; et amari maluit quam timeri.... Patris enim est misereri et parcere, et, si percusserit, sanat. Paterna vox est : *Percutiam et ego sanabo* [26]. Non est proinde quod a Patre formides, qui etsi aliquando feriat ut emendet, nunquam tamen ut vindicet [27].

Quanta Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus et bonitatis ubertas, qui sic nos orationem voluit celebrare in conspectu Dei, ut Deum Patrem vocemus, et ut Christus Dei Filius, sic et nos filii Dei nuncupemur : quod nomen nemo nostrum auderet attingere in oratione, nisi ipse nobis sic permisisset orare... *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus ut Deum Patrem vocemus et filii Dei nominemur et simus* [28]... Glorientur terreni homines de terrena origine et de generis nobilitate, nos de spirituali tantum origine et de cœlesti patria gloriemur... qui vocavit nos in societatem Filii sui, *ut adoptionem filiorum reciperemus* [29]... Et Spiritum *in quo clamamus : Abba (Pater)* [30]... *Si autem filii sumus et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* [31]. Quid splendidius in sæculo ? Quid hac prærogativa gloriosius [32] ?

Fastigium nobilitatis est inter filios Dei computari, nec addere nobis quidquam ad dignitatem terrenæ originis decus, nisi contemptu suo potest.... Nemo in cœlestibus est gloriosior, quam qui, repudiato patrum stemmate, sola elegit Christi paternitate censeri [33].

Agnosce ergo, o Christiane fili Dei, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ [34], noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire [35].

Quid enim prodest ei quem sordidant mores, generatio clara.. Dicebat olim Christus Judæis : *Si filii Abrahæ estis, opera patris vestri facite* [36]. Nunc dicit Christianis : Si filii Dei estis, opera Dei Patris vestri facite [37].

Meminisse itaque debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut, quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat et ille de nobis. Et quia cœlestes et spirituales esse cœpimus, nonnisi spiritualia et cœlestia cogitemus et agamus, ne sit degener actus noster a spiritu [38].

Hoc eodem Patris nomine charitas excitatur ; quid enim charius debet filiis esse, quam pater ? et supplex affectus : cum enim homines dicant, *Pater noster*, est quædam impetrandi præsumptio quod petituri sumus [39].

Noster. Dicitur *Pater noster*, 1° quia Pater est generaliter omnium per creationem, juxta illud : *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, et fecit, et creavit te* : fecit scilicet in corpore, creavit in anima, possedit in utroque... Pater est, quia condidit, quia vocat, quia jubet, quia regit [40].

Dicitur 2° *Pater noster* specialiter justorum per adoptionem. Non enim peccator populus potest esse Dei filius. Homo ergo novus, renatus, et Deo suo per ejus gratiam restitutus, dicit : *Pater*, quia filius esse jam cœpit, et bene debet incipere, ut et gratias agat, et profiteatur se Dei filium, dum nominat Patrem sibi esse in cœlis Deum [41].

Contestatur quoque inter prima statim nativitatis suæ verba renuntiasse se terreno patri, et patrem solum nosse se et habere cœpisse qui est in cœlis [42].

3° Dicitur *noster*, quia noluit pacis doctor, atque unitatis ac concordiæ magister, ut quis, cum precatur, sigillatim et privatim pro se tantum precetur. Ideo dicit, *Pater noster*, non pater meus, *qui es in cœlis ;* quia vult ut publica et communis sit nobis oratio, et quando oramus non pro uno, sed pro toto populo oremus, quia totus populus unum sumus, sicque unum pro omnibus orare, quomodo in uno omnes in se portavit.

Qui es in cœlis. Dicendo, *qui es in cœlis*, in cœlum transfert affectus nostros, ut non amplius terrena, sed cœlestia diligamus, et nonnisi quæ sursum sunt sapiamus [43].

Qui ergo invenimus Patrem in cœlis, attendamus quemadmodum vivamus in terris. Sic enim debet vivere qui talem invenit Patrem, ut dignus sit venire ad hæreditatem [44].

De tanto igitur Patre elevabitur cor meum ut aquila, et jam hæres cœli omnia inferiora contemnam. Quid enim mihi ultra de terrenis honoribus, qui sum filius Dei ? Quid ultra de terrenis divitiis, qui regni ætherei sum hæres [45] ?

Omnibus ergo postpositis curram ad Dominum ; sufficit mihi si habeam Patrem meum.

Prima petitio. — *Sanctificetur nomen tuum*. Petimus 1°, ut sanctificetur in nobis nomen ejus, quod dicitur in Scripturis terribile, admirabile, laudabile : terribile quantum ad potentiam quæ attribuitur Patri, et sanctificatur in nobis in cognitione summæ potestatis ; admirabile quantum ad sapientiam quæ attribuitur Filio, et sanctificatur in cognitione æternæ veritatis ; laudabile quantum ad bonitatem quæ attribuitur Spiritui sancto, et sanctificatur in cognitione summæ seu primæ veritatis [46].

2° Petimus ut sanctificetur nomen ejus, non quod optemus Deo ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod nomen ejus sanctificetur in nobis ; hoc est, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus... sanctificatio enim nominis Dei est qua efficimur sancti [47].

[26] *Deut.* XXXII, 39. [27] S. Petr. Chrysol., serm. 7 ; S. Bern., serm. 16 *in Cant.* [28] *I Joan.* III, 1. [29] *Galat.* IV, 5. [30] *Rom.* VIII, 15. [31] *Ibid.* 17. [32] S. Cypr., hic. [33] S. Hilar. Arelat., *De S. Honorato.* [34] *I Petr.* I, 4. [35] S. Leo. [36] *Joan.* VIII, 39. [37] S. Chrysost. [38] S. Cyprian., hic. [39] S. Aug., lib. II *De serm. Dom. in monte.* c. 4 [40] *Deut.* XXXII, 6 ; S. Bonav., *Expos. in Orat. Dom.* [41] S. Cyprian., hic. [42] *Ibid.* [43] *Col.* III, 2 ; S. Aug. [44] Id., hom. 42, ex 50. [45] S. Bonav. [46] *Psal.* CX, 9 ; VIII, 2, 10 ; CXII, 3 ; S. Bonav., *Expos. in Orat. Domin.* [47] S. Cypr., hic.

3° Petimus ut sanctificetur nomen ejus, id est nomen Filii Dei, siquidem Christus est, nosque Christiani : petimus ut in nobis sanctificet nomen suum... hoc est ut prærogativa tanti nominis meritis in nobis subsequentibus roboretur [48].

Petimus etiam 4° ut sanctificetur non solum in nobis, qui in illo sumus, sed et in cæteris, quos adhuc gratia Dei exspectat [49]... digneturque vitam nostram ita munda conversatione servare, ut per nos cuncti illum glorificent [50]. Nomen enim Dei aut honoratur nostro actu, aut ex nostris actibus blasphematur. *Nomen Dei*, inquit Apostolus, *per vos blasphematur in gentibus* [51].

Petimus 5° ut nomen ejus quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, et ita illis innotescat, ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant [52].

Sanctificetur ergo nomen Dei in nobis et in omnibus, ut quidquid videmus, quidquid audimus, quidquid intelligimus aut sentimus, totum ad sanctissimi nominis tui notitiam ordinemus. Ut sit in nobis sanctum nomen tuum, id est sine terra et purum, ut excisi ab omni curiositate et vanitate, et omni inutili phantasia, te solum in omnibus cognoscamus [53].

Semper, piissime et sanctissime Pater, mentis nostræ oculus ad te dirigatur; semper te, qui in omnibus es et a quo omnia sunt, in omnibus te intuear, in omnibus te cognoscam... Filialis devotio totum reverentis filii animum convertat in Patrem cœlestem, ut clamet et dicat : *Sanctificetur nomen tuum;* quasi dicat : Non terrenas divitias, delicias et honores peto, sed ut sim in te totus conversus, et totus divinus [54].

Secunda petitio. — *Adveniat regnum tuum.* Regnum Dei votum Christianorum, confessio nationum, exsultatio angelorum, propter quod conflictamur, imo potius propter quod oramus. Regni autem nomine, vel futuram bonorum fruitionem... vel gratiam, quam ille per Spiritum impertit nobis; vel secundum ejus adventum... vel Christum ipsum, vel Spiritum sanctum intelligit [55].

1° Futuram bonorum fruitionem... Regnum enim petimus advenire a Deo nobis repromissum, ut qui in hoc sæculo ante servivimus, postmodum Christo dominante regnemus.

Regnum autem illud, sive velimus, sive nolimus veniet : sed orando desiderium nostrum ad illud excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur [56].

Et hoc est gratissimi omnino servi non inhærere præsentibus, sed ad Patrem semper urgeri, semperque in futura gestire, sicut Paulus per singulos dies desiderabat, dicens : *Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum exspectantes redemptionem corporis nostri* [57].

2° Regnum Dei gratiam intelligit per quam regnat in nobis... ideo sancti hoc orant, id est ut in ea sanctitate quæ illis data est perseverent. Neque enim aliter veniat regnum Dei [58].

Deus siquidem naturaliter Rex est, sed non in omnibus regnat, nec omnes sunt regnum ejus, nec de regno ejus; nam in iniquis non Deus, sed diabolus regnat, cujus faciunt voluntatem; et quia nolunt esse Dei, non sunt de regno Dei. Omnes igitur peccatores quamvis sint sub potestate Dei, quia nolunt esse sub Deo, non sunt regnum Dei... verum enim regnum est quando rex vult homines habere sub se, et cupiunt homines esse sub eo [59].

Petimus ergo ut qui sibi regnavit semper, modo regnet in nobis, ut nos in illo regnare possimus; nec ut Deo veniat regnum habenti postulas, sed ut tibi veniat non habenti, et percipias illud quod tibi affectu suo pollicetur Dominus [60].

Regnavit diabolus, regnavit peccatum, regnavit mors, et fuit diu captiva captivitas. Petimus ergo ut regnante Deo pereat diabolus, deficiat peccatum, moriatur mors, ut nos liberi perpetuam regnemus in vitam [61].

Fidelis est miles qui regis sui præsentiam sitit, exoptat regnum, expetit et concupiscit triumphos; sed hic petis ut tibi et in te veniat regnaturus, in quo diabolus arcem, mors imperium, diu infernus gessit et retulit potestatem [62].

Petis ut Christus semper suo regnet in milite : petis ut miles suo semper triumphet in rege... Quia igitur Christus Rex est, idem regnum infidelibus quoque adveniat, ut in Christo credentes, eum Regem suum esse profiteantur, petimus [63].

Adveniat igitur *regnum tuum*, quantum ad fervens desiderium affectus. Nunc regnum mundi occupavit totam animam meam, totam dissipavit, totam laceravit, totam denigravit sponsam tuam dilectam. Ergo *adveniat regnum tuum*, ut princeps hujus mundi ejiciatur foras [64].

3° *Adveniat regnum tuum :* id est, dies adventus Judicis quo in claritate venturus est.... Fretus itaque bona conscientia precatur ut veniat resurrectio et judicium. Adveniat, id est manifestetur mundo [65]

Petimus ergo ut adveniat, non quasi non regnet in terra, sed ut regnum ejus manifestetur hominibus. Lux enim absens est cæcis, etc. Nulli autem tunc licebit ignorare regnum Dei, cum ejus Unigenitus non solum spiritualiter, sed etiam sensibiliter in homine dominico de cœlo venerit judicare vivos et mortuos [66].

[48] S. Aug., hom. 42 ex 50; S. Germ., patriarch. Constantinopol. ; S. Chrys., serm. 67. [49] S. Germ. Constantinopol. [50] Tertull., hic. [51] *Rom.* II, 24; S. Chrysost., *in Matth.*; S. Chrysol., serm. 67. [52] *Psal.* CX, 9; Aug., lib. II *De serm. Dom. in monte.* [53] S. Bonav. [54] *Ibid.* [55] Tertull., ubi supra ; Petr. Laodic. [56] S. Aug., epist. 121. [57] *Rom.* VIII, 23; S. Chrysost. [58] *Ibid.* [59] *Ibid.* [60] *Ibid.* [61] *Ibid.* [62] *Ibid.* [63] Petr. Laodic. [64] S. Bonav. [65] S. Aug.; Theophil.; S. Aug., ser. 182 *De tempore.* [66] S. Aug.

Petimus etiam ut dignos nos faciat regno suo ; ne forte, quod absit, veniat, et non nobis, sed contra nos. Quid est nobis veniat? Bonos nos inveniat [67].

Regnum ergo Dei quod ut adveniat oramus, ad consummationem sæculi tendit. Optamus maturius regnare et non diutius servire [68].

Porro si judicium petis et judicem, rationi consentaneum est ut te prius judices. Hoc quippe regnum quod tu tunc anxie petis et desideras, cum ipsa morte adveniet, et non dabitur nisi ei qui mundam conscientiam habuerit [69].

4° Regnum potest etiam ipse Christus intelligi.... In illo enim pacifice et perfecte regnat Deus, et nonnisi per ipsum regnare potest in nobis... per quem in ipso regnaturi sumus [70].

Quia ergo ipsum venire quotidie cupimus, cujus adventus ut cito nobis repræsentetur optamus... ideo dicimus *adveniat regnum tuum*. Adveniat igitur, Pater piissime, regnum tuum, id est Filius tuus in nobis...Sufficit mihi, Domine, regnum tuum, id est Filius tuus sit ibi habitatio mea, sit ibi recessio mea, sit ibi tota conversatio mea [71].

Tu solus, o Domine Jesu, in me regnes : tu solus inhabites mentem meam : totum me occupet regnum tuum : totum sibi vindicet desiderium meum : solus reficias affectum meum.... Tu enim talis es naturæ ut alienum non velis admittere, sed solus cor meum possidere et tanquam rex in proprio throno sedere [72].

Tu ergo solus me regas, tu solus me dirigas, tu solus me allicias, tu solus cor meum habeas, animarum zelator. In te solum quiescat, in te solum dulcoretur. Tu solus repleas animam meam, ut cum impetu ascendam ad te centrum meum, et regnum meum [73].

5° Regnum Dei est Spiritus sanctus, de quo dicitur : *Regnum Dei intra vos est* [74].

Tertia petitio. — *Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra*. Non quod aliquis obsistat quominus voluntas ejus fiat, et ei successum voluntatis oremus, sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus [75]... Id est petimus non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod ipse vult [76]... Ex interpretatione enim figurata carnis et spiritus, nos sumus cœlum et terra [77].

Et hoc est regnum Dei, quando sicut in cœlo sic et in terra, Dei voluntas est sola, quando in omnibus hominibus Deus meus vivit, Deus agit, Deus regnat, Deus est totum, juxta Apostolum, *ut sit Deus omnia in omnibus* [78].

Fiat ergo, Domine, voluntas tua in me et in omnibus sicut in cœlo in quo nihil fit præter Dei voluntatem [79]... Hoc volo, hoc desidero, hoc totis viribus concupisco, ut in me, et de me, et per me, non mea sed tua fiat voluntas : jam non flectam ad meum appetitum ; non cogitem quid amarum, quid dulce, quid onerosum et leve, etc. Hoc solum mihi jucundum, hoc mihi sit suave, hoc solum mihi leve et amabile, in quantumcunque asperis, vilibus, difficilibus et amaris, tuam requirere, perficere voluntatem, ac me totum tibi et totaliter, semper et ubique exponere, et in tuum honorem resolvi [80].

Magis gaudeo, magis approbo, magis totis artubus et visceribus concupisco, me totum impendere tuo honori et tuæ satisfacere voluntati, quam etiam quantumcunque cœlestibus et divinis deliciis jucundari. Sic enim angeli et animæ sanctæ plus gaudent de magnificentia tui honoris quam de gloria sua.

Ideo *fiat voluntas tua sicut in cœlo*, id est in cœlestibus spiritibus ; *et in terra*, id est in nobis [81]... Ut scilicet sicut in angelis ita et in hominibus omnes omnino tibi serviant, teque fruantur, nullo errore obnubilante sapientiam eorum, nulla miseria impediente beatitudinem... Ut scilicet sicut in cœlo nihil fit præter Dei voluntatem, ita et in terra [82].

Petimus ut Domini familia, natura diversa, voluntate sit una et eadem, ut scilicet destructo mortis imperio et abolita dominatione peccati in cœlo et in terra, in Deo et in hominibus una Dei sit eademque voluntas... Tunc autem in Christo omnes, et in omnibus Christus, quando omnes Dei sapiunt et faciunt voluntates : tunc enim omnes unum, imo unus omnes, quando Dei Spiritus in omnibus vivit unus [83].

Quod ergo dicitur, *sicut in cœlo et in terra*, potest intelligi.

1° Fiat in nobis in terris, ut possit fieri in cœlis [84].

2° Fiat in corpore sicut et in spiritu, ut inter duo ista concordia fiat [85]... Ut sicut spiritus non resistit Deo, ita nec corpus resistat spiritui [86].

3° Sicut in sanctis et justis, ita et in peccatoribus [87].

4° Fiat in terrenis hominibus et infidelibus, ut terra imitetur cœlum, homo angelum, infidelis fidelem [88].

5° Fiat sicut in Christo et in Ecclesia... Est enim Dei voluntas quam Dominus administravit prædicando, operando, instruendo. Sicut enim ipse pronuntiavit, non suam, sed Patris se facere voluntatem, ad quam nunc nos velut ad exemplaria provocamur, ut et prædicemus, operemur, et sustineamus ad mortem usque [89].

Fiat igitur (in me, de me, et per me) bona, bene

[67] S. Aug., hom. 42, ex 50. [68] Tertull., *De Or. Dom.* [69] Stella, *in Luc.* [70] S. Cypr., *in Or. Dom.* [71] S. Bonav. [72] Id. *De imit. Christi.* [73] S. Bonav. [74] *Luc.* xvii, 21 ; S. Germ. Constantinop. [75] Tertull., hic. [76] S. Cypr., hic. [77] Tertul., hic. [78] *I Cor.* xv, 26. [79] S. Petr. Chrysolog. [80] S. Bonav., hic. [81] *Ibid.* [82] S. August., *De serm. Dom. in monte ;* S. Petr. Chrysolog., serm. 70. [83] S. Chrysolog., serm. 72. [84] Tertull. [85] S. Cypr., hic. [86] S. Aug., *De serm. Dom. in monte*, lib. ii. [87] *Ibid.* [88] *Ibid.* [89] S. Aug., *De bono versever.*, c. 3 ; Tertull., hic.

placens et perfecta.... Fiat quod præcipis, quod consulis, quod suades, sicut in cœlo et in terra, scilicet alacriter, prompte et exacte, sine discontinuatione, sine contradictione, sine admistione propriæ voluntatis... Et sicut in cœlo omnia fiunt libere, libere cedunt voluntati divinæ, libere obsequuntur potentes Virtutes facientes verbum ejus; sic in terra nos, non ex dimidio, sed prorsus ex integro, ea quæ in ejus sunt voluntate... profunda in tranquillitate faciamus [89*].

Quarta petitio. — *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Sufficientiam nostram petimus a parte quæ excellit, significantes omnia ad vitam necessaria. Quidquid enim animæ et carni nostræ in hac vita necessarium est, quotidiano pane concluditur... ideo dicimus *panem nostrum* [90].

Quotidianum. Qui sæculo renuntiavimus, cibum tantum petimus et victum, et cibum diurnum : qui enim renuntiavit omnibus, non debet in longum desideria petitionis extendere... *Quotidianum* etiam dicit, ut luxuriosos cibos compescat [90*].

Da nobis hodie. Hodie dixit, ut nequaquam nos ulterioris diei cura contereret : *Nolite*, inquit, *solliciti esse in crastinum* [91]... Christiano siquidem cras non est. Porro triplicem panem petimus, juxta illud : *Amice, accommoda mihi tres panes* [92] : 1° Panem scilicet corporalem, ad corporis sustentationem, de quo dicitur : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* [93] : 2° spiritualem, ad animæ refectionem, de quo dicitur : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [94] ; 3° sacramentalem denique seu æternalem, ad æternam fruitionem, de quo dicitur : *Ego sum panis vivus. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* [95].

Panis enim vitæ Christus : in Patris æqualitate panis æternus, quotidianus in carne ; æternus sine tempore, quotidianus in tempore.... Qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in Passione confectus, in fornace coctus sepulcri, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus, cœlestem cibum quotidie fidelibus subministrat [96].

Et hunc panem supersubstantialem petimus. Omnes enim quando oramus mendici Dei sumus, inquit sanctus Augustinus, ante januam magni Patrisfamilias sumus aliquid volentes accipere, et ipsum aliquid ipse Deus est. Quid petit mendicus ? Panem. Et tu quid petis a Deo, nisi Christum qui dicit : *Ego sum panis vivus*, etc. [97].

Petendo autem panem quotidianum perpetuitatem postulamus in Christo, et individuitatem a corpore ejus.... Et quotidie panem istum, Christum scilicet, dari nobis poscimus, ut qui in Christo manemus, et vivimus, a sanctificatione et corpore ejus non recedamus [98].

O admirabilis dignatio ! o mira jubilatio mentis ! Deus sponsus meus, amor meus factus est cibus meus. Sanctorum præmium, gaudium angelorum, Dei Patris Verbum est nutrimentum meum, etc. Quid ultra affecto ? Quid ultra me potest allicere [99] ?

Absit a me, Domine, ex quo cor meum habet tam nobilem cibum, quod circa aliquid quod est in toto mundo, afficiatur ; absit ut circa vana, turpia et immunda delectetur [1] !

Quod si non possim ipsum semper sacramentaliter sumere, saltem cor ipsum spiritualiter non desinat ruminare. Tu ergo, bone Jesu, sis cibus meus et refectio mea : te solum esuriam, te solum avide et insatiabili appetitu comedam, et semper sim famelicus tui. Tu semper mihi dulcescas in corde, et cor meum ita delectetur in te, ut obliviscatur omnium præter tui [2].

Quinta petitio. — *Dimitte nobis debita nostra.* Peccata, debita Dominus appellat : et ne quis sibi quasi innocens placeat, ac se extollendo plus pereat, instruitur, et docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare [3].

Dimitte ergo *nobis delicta nostra.* O mira erga nos Dei nostri dignatio ! Ipsum contempsimus et pro vilissima sanie commutavimus, et tamen nobis suadet ut veniam petamus, quoniam vult nobis debita dimittere cum offensis, quod non vult angelis elargiri [4].

Scio igitur quid faciam, *ibo ad Patrem meum* cœlestem, *et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis* ; hoc est *dimitte nobis debita nostra* [5].

Sed o felix recognitio culpæ, quæ promeretur Patris amplexus ! Forte amoris fervore inter amplexus ejus resolvar, et mutabor in virum alterum [6-7].

Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. O beatum proximi debitum ! o felix offensa, quam allegare coram Deo possumus in remissionem delicti nostri [8] !

Non ergo contristemur, si nos offendunt homines, si nos affligunt, si nostra rapiunt, sed intus exsultemus, quia dimittendo ea proximis, allegare poterimus remissionem debiti nostri. Quam magna virtutis est allegatio ista, quam summus Advocatus et Judex noster nos docet [9]

Dimittite et dimittetur vobis [10]... Sic enim dimittet Deus, quemadmodum et nos : habet te Deus ut exemplar. Quod facio alii, faciet et mihi... Quantum

[89*] *Psal.* CII, 20; S. Bonav.; Innocent. III ; S. Chrysost., *in Matth.*; S. Germ. Constantinop. [90] S. Aug., *De serm. Dom. in monte.* [90*] S. Cypr., hic ; S. Chrys., *Op. imperf.* [91] *Matth.* VI, 34. [92] *Luc.* XI, 5. [93] *Gen.* III, 19. [94] *Matth.* IV, 4. [95] *Joan.* VI, 51, 52; S. Chrysost., *Op. imp.* ; Tertull. ; S. Bonav., hic. [96] S. Aug., hom. 14 ex 50; S. Petr. Chrysol., *Ser. in Orat. Domin.* [97] S. Aug., serm. 15 *De verb. Dom.* [98] Tertull., hic; S. Cypr., hic. [99] S. Bonav., *Stim. amor.*, p. III, *Addit.* [1] *Ibid.* [2] S. Bonav., ubi supra. [3] S. Cypr., hic. [4] S. Bonav, *Stimul. amor.*, p. III, *Addit.* [5] *Luc.* XV, 18, 19; S. Bonav., ubi supra. [6-7] *Ibid.* [8] *Ibid.* [9] *Ibid.* [10] *Luc.* VI, 37.

igitur vis dimitti tibi, toties tu dimitte. Imo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. Sic tu tibi homo factus es misericordiæ mensura... *In qua* siquidem *mensura mensi fueritis, remetietur vobis* [11]...Tu servus remittis, Deus servo : tu mille peccatorum reus, Deus vero ab omni peccato prorsus extraneus : tu remissione indignus, cum ille nullius prorsus indigeat [12].

Sexta petitio.—*Et ne nos inducas in tentationem.* Id est ne nos patiaris induci, ab eo utique qui tentat...nec permittas nos tentari supra id quod possumus [13].. Nos arbitrio nostro non relinquas, in omni actu paterna nos charitate conjungas, et in vitæ tramite cœlesti moderatione confirmes [14].

Non ergo hic oramus ut non tentemur, sed ut non inferamur in tentationem, tanquam si quispiam cui necesse sit igne examinari, non oret ut igne non contingatur, sed ut non exuratur... Petimus ut si inciderimus in tentationem, non absorbeamur a tentatione. Absorptus est, qui inductus, est victus; at non item qui incidit et vincit [15].

Sic igitur orantes : 1° Admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostræ, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat..... neve fragilitas militis plus ausa et de se tumore præsumens, nec virium suarum modum colligens, in conflictu mala causa succumbat [16]

2° Ostenditur etiam hac in parte nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus permiserit, ut omnis timor noster, devotio et obsecratio ad Deum convertatur, quando in tentationibus nostris malo nihil liceat, nisi potestas ei tribuatur [17]

3° Docemur hoc petere ne deserti Dei auxilio, alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cadamus afflicti. Ergo [17*], o bone Jesu, quia omnem modum et viam, qua possis nos ad te trahere, exerces, quia tecum nos cupis habere, ideoque multoties permittis nos tentationibus stimulari, ut orantes ad te recurramus, ad amplexus paternos tentatus fugiam, ut accipiat me fugientem et timidum, et dicam ei : *Et ne nos inducas in tentationem.* Hoc vult, hoc desiderat, hoc exspectat Pater meus ut curram ad sinum ejus, et ut totaliter de me diffidens, solum de ipso confidam [18].

Septima petitio.—*Sed libera nos a malo.* Digni sumus omni malo, quia contempsimus omne bonum : sed, o clementissime Pater, ut possimus dominatui tuo servire, libera nos famulos tuos a malo opprimente, a malo destruente, a malo retardante a bono [19].

1° *Libera nos a malo*, id est a peccato, solum enim peccatum essentialiter malum est, quia nihil aliud est quod per se opponatur essentiali bono.

2° *A malo*, id est a diabolo, ex quo est omne malum, qui totius mali auctor est et origo ; unde non jam malus, sed malum dicitur, quia ab illo est omne malum. Excellentiæ igitur cujusdam ratione diabolus malus appellatur... quia cunctorum causa et caput malorum est, et in eo præ cæteris omnibus vitiositas exuberat [20].

3° *A malo*, id est ab iniquo homine : ut si malevolus homo tentare nos voluerit, nos ejus voluntati non tradas, sed sub umbra alarum tuarum protegas [21].

4° *A malo*, id est a te ipso... Quando enim oras ut liberet te Deus a malo, rogas ut liberet te a te ipso.. Habes siquidem adversarium malum in te ipso.. Et nihil tibi magis nocet, quam tu tibi ipsi [22]

5° *A malo*, id est ab inferno. Ab illo terribili et horribili malo æterno : ne tua desiderabili visione privemur, quod horrent omnia ossa mea [23].

6° *A malo*, id est ab adversis omnibus quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus... Petimus ut malis omnibus, cum mali careamus auctore... A quibus potest esse fida et firma tutela, si nos Deus liberet.. Et maxime a multis pronitatibus excitantibus ad peccatum [24]

7° *A malo*, id est a purgatorio. *A malo*, non tantum pœnæ infernalis, sed et purgatorii. Si enim essem in inferno nunquam te facie ad faciem viderem ; si in purgatorio diu stetero, nimis prolongabitur desiderium faciem tuam videndi... Non tantum peto, Pater, ut effugiam tormenta [25].

Quod si Deus nos liberet, si deprecantibus atque implorantibus opem suam præstet, nihil remanet quod ultra adhuc debeat postulari ; protectione siquidem illius contra omnia quæ diabolus ac mundus operantur impetrata, securi stamus et tuti. Quis enim de sæculo victus est, cui in sæculo Deus tutor est [26] ?

Oremus itaque sicut magister Deus docuit amica : et familiaris est oratio Deum de suo rogare, ad aures ejus ascendere Christi oratio est. Agnoscat Pater Filii sui verba : qui habitat intus in pectore, ipse sit et in voce : et cum ipsum habeamus apud Patrem Advocatum pro peccatis nostris [27], quando peccatores pro delictis nostris petimus, Advocati nostri verba promamus [*]

Nam cum dicat, quia quodcunque petierimus a Patre in nomine ejus, dabit nobis [29], quanto efficacius impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione!

---

[11] *Luc.* VI, 38. [12] Theophil., hic; S. Petr. Chrysolog., *in Orat. Dom.* ; S. Chrysost., *in Matth.* [13] *I Cor.* X, 13. [14] Tertull. ; S. Aug., serm. 12, *De tempor.* ; S. Petr. Chrysol., *Ser. in Orat. Dom.* [15] S. Aug., lib. II *De serm. Dom. in monte* ; Theophil. [16] S. Cypr., hic; S. P. Chrysol., hic. [17] S. Cypr., hic. [17*] S. Aug., ubi supra. [18] S. Bonav., *Stim. amor.*, p. III, *Addit.* [19] *Ibid.* [20] S. Petr. Chrysol., *in Orat. Dom.*; Petr. Laodic. ; S. Chrysostom. [21] S. Germ. Constantinop. [22] S. Aug. [23] S Bonav., hic. [24] S. Cypr., hic ; S P. Chrysol., *Serm. in Orat. Dom.* ; S. Cypr., hic ; S. Bonav., hic et c. 2, p. II *Myst. theol.* [25] S. Bonav., hic ; *Myst. theol.*, c. 2, part. III. [26] S. Cypr., *De Orat. Dom.* [27] *I Joan.* II, 1. [28] S Cypr., ubi supra. [29] *Joan.* XV, 16.

CHRISTUS TRANSFIGURATUS IN MONTE [30].

Hodiernum diem lætis animis cum virtutibus supernis agamus, spiritu exsultemus et omnis mœstitiæ nubem discutiamus. Cui enim hodie festum ac læta solemnitas? cui voluptas et exsultatio? an non iis qui Trinitatem colunt, et Dei timore præditi sunt? *Non* enim *est gaudere impiis, dicit Dominus* [31].

Hodie divinæ naturæ radius in monte Thabor apostolorum oculos perstringit [32]. Hodie carnis suæ tanquam exiguam quamdam rimam aperuit, immensoque lumine oculos astantium perstrinxit. Hodie Jesus Christus Veteris ac Novi Testamenti Dominus agnoscitur... Hodie Christi revelatur excellentia majestatis... et Christianis ostenditur promissæ gloria mercedis [33].

Assumpsit Jesus Petrum, Jacobum et Joannem. Hos tres assumpsit, tanquam apostolorum coryphæos, qui primas inter apostolos obtinebant... Petrum quia valde Christum diligebat; Joannem quia valde diligebatur a Christo; Jacobum quia Christo respondit : *Possumus bibere hunc calicem* [34]... In his tribus designantur universi electi... Hos enim assumit Jesus qui diligunt Christum, et diliguntur a Christo, et qui pro Christo zelo ferventes calicem ejus semper bibere parati sunt [35].

Et duxit illos in montem excelsum. His tribus discipulis Dominus gloriam suam ostensurus, in montem eos ducit excelsum, ut doceat eos qui hanc videre desiderant, non in infimis jacere voluptatibus, non illecebris servire carnalibus, non terrenis adhærere cupiditatibus, sed mente in excelsis habitare, ad superna semper erigi, et angelicæ vitæ munditiem imitari debere, juxta illud Apostoli : *Nostra conversatio in cœlis est* [36].

Montes enim figurato sensu virtutes Scriptura nominat. Omnium porro virtutum apex, ac velut arx, est charitas... Nam qui ad summum charitatis verticem pervenit, quodammodo a se excedens, eum qui cerni non potest, perspicit. Igitur nisi quis exaltetur, non est dignus divinis contemplationibus, et faciem Jesu videre non poterit... Unde Jesus in montem discipulos ducit, ut discant ipsi, ut discant omnes qui gloriam majestatis ejus videre sitiunt, non eam sibi in hujus sæculi profundo, sed in regno supernæ beatitudinis esse quærendam, ut studeant digni fieri ascendere in montem Domini, et stare in loco sancto ejus [37].

Ascendit autem in montem excelsum, ut transfiguraretur, ut doceret nos cogitatione ascendere ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis [38].

Felix cujus meditatio in conspectu Domini est semper [39]... Quid enim grave illi esse poterit, qui semper mente tractat, *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* [39*]? Quid concupiscere poterit in hoc sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium [40]?.. Ascende igitur non modo cogitatione cœlestis gloriæ, sed et conversatione, quæ cœlestem gloriam mereatur... Non vestigiis corporalibus, sed factis sublimioribus in hunc montem ascende et sequere Christum... Felices illi quos Christus ducit : feliciores, qui cum Christo montem ascendunt, felicissimi qui gloriam ejus speculantur [41]

Duxit illos seorsum solos. Quia justi etsi nunc cum pravorum vicinia premuntur, animo tamen toto ac mentis intentione et operum exsecutione separati sunt ab illis; sicut in futuro, etc. Ut oraret ascendit in montem, ut doceret nos [42] : 1° Quia mens ad contemplanda interna non perducitur, nisi ab his quæ exterius implicant, studiose subtrahatur [43]... 2° Ut ostendat orationis causa in semotum locum secedendum. Mater enim orationis est solitudo : oratio autem est divinæ gloriæ demonstratio. 3° Locus solitarius aptus est orationi... et orando solitarios nos esse oportet et ascendere ac nullis terrenis rebus intendere [44]. 4° Ascendit oraturus et sic transformandus, quia in cœli altitudinem Pontifex ascendit pro suis interpellaturus [45], suamque gloriam eis manifestaturus. 5° Et ut ostenderet quia qui beatam resurrectionem exspectant et regem in decore suo videre desiderant, mente in excelsis habitare [46] et continuis precibus insistere debeant [47].

Et facta est dum oraret species vultus ejus altera [48]. Id est alterius gloriæ... Ut scilicet nos erudiret : viamque nobis, qua ad Deum per precationem ascenderemus, muniret; doceretque per orationem nobis divinam gloriam conciliari..., et faciem nostram (scilicet mentem) mutari ex consortio sermonis Dei... Et hominis commutatur facies dum interni sui hominis mutatur aspectus..., ut discamus quod hominem transformat atque illustrat oratio... Cujuslibet enim hominis orantis facies alteratur, quia ipsa oratio pars est spiritualis transformationis [49].

Et transfiguratus est ante eos. Divinitate scilicet parvos quosdam radios suos declarante et splendore divino faciem illius illustrante, speciemque illius ad majorem Dei similitudinem commutante... Gloriam, non tanquam ascititium gloriæ ornamentum habens (ut Moyses), sed insita divinæ gloriæ claritate manans. Transfiguratus est ergo, non in id quod non erat migrans, verum quod erat discipulis suis declarans...

[30] *Matth.* XVII, 1-9. [31] *Isa.* XLVIII, 22; S. DAMASC., *Orat. in Transfig.* [32] *Ibid.* [33] S. LEO, *Serm. de Transfig.* [34] *Matth.* XX, 22. [35] VICT. Antioch., *in Evang. Marc.*, c. 9; S. CHRYSOST., hom. 57 *in Matth.*; S. ANSEL., *in Evang. Enarr.* [36] *Philipp.* III, 20; BEDA, *Hom. in Transfig.* [37] *Psal.* XXIII, 3; S. DAM., supra; THEOPHYL., *in c.* XVII *Matth.*; S. ANSEL., ubi supra; BEDA, ubi supra. [38] *Rom.* VIII, 18; S. BERN., serm. 4, *De Ascens.* [39] *Psal.* XVIII, 15. [39*] *Rom.* VIII, 18. [40] *Psal.* XXVI, 13. [41] S. BERN., ubi supra; S. AMBROS., lib. V *in Luc.* VI. [42] S. ANSELM., *Enarr. in Evang.*, c. 8. [43] BEDA, *Hom. in Transfig. Dom.* [44] HUGO cardinalis, *in Luc.* IX; THEOPHYLACT., *ibid.* [45] *Hebr.* VII, 25. [46] *Isa.* XXXIII, 16, 17. [47] S. ANSELM., ubi supra; BEDA, *in Luc.* IX. [48] *Luc.* IX, 29. [49] S. ANSELM., ubi supra; S. DAMASCEN., *Orat. in Transfig.*; S. GREG., lib. X *in Job* XI; ID., lib. IX, 24; ODO Cluniac., *in Job*; EUTHYM., *in Luc.* IX; HUGO card., *ibid.*

Non formam humani corporis amittens, sed suam suorumque glorificationem monstrans... toto æternæ suæ gloriæ circumdatus [50].

Transfiguratus est autem *ante eos :* 1° Ut de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur [51].

2° Ne de sua aut Domini morte doleant, quia multa eis prædixerat Dominus.

3° Ut ad quælibet difficilia, et fortius toleranda, et generosius aggredienda suos incitaret (præmii spe videlicet)

4° Ut et nos transfiguremur, et in eamdem imaginem transformemur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu [52].

Porro ad triplicem transfigurationem nos invitat : prima est susceptio pœnitentiæ per quam fit transitus de statu culpæ ad statum gratiæ ; secunda est profectus justitiæ, per quam fit transitus de virtute in virtutem [53]; tertia est inquisitio contemplationis, per quam fit transitus de mundo ad Patrem. In prima transfiguratur bestia in hominem; in secunda puer in senem; in tertia homo in angelum [54].

Et resplenduit facies ejus sicut sol. Nihil ita hominem splendidum facit ut splendor virtutis; sicut enim ipso sole circumdatus, ita ubique clarus refulget. In hac porro transfiguratione Dominus gloriam corporis sui; in Resurrectione, et omnium electorum quantæ claritatis futura sint præmonstravit [55].

Et vestimenta ejus facta sunt splendentia et candida nimis sicut nix [56]. Sicut per carnem divinitas foris illuxit, sic et caro illuminata de divinitate per vestimenta radiavit... Per vestimenta autem Christi figuraliter intelliguntur sancti [57].

Qualia fullo super terram non potest candida facere [57*]. Quia nemo est qui sine corruptione et sine affectu alicujus peccati vivere queat super terram... Fullo, id est doctor animarum, sive mundator aliquis sui corporis eximius. Super terram non potest, Dominus faciet in cœlo, emundans Ecclesiam, vestem scilicet suam, ab omni inquinamento carnis et spiritus [58].

Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias loquentes cum Jesu. Moysen et Eliam produxit, cæterorum prophetarum vertices.

1° Ut quam magnum sit inter servos et Dominum discrimen oculis cernerent.

2° Quia Christum tanquam transgressorem legis Judæi accusabant, et quasi gloriam Patris injuste sibi vindicaret, duos illos produxit in mundum, quorum alter legem dedit, alter pro gloria Dei zelavit.

3° Ut ostenderet quod mortis ac vitæ haberet potestatem, et quod esset supernorum et infernorum Dominus, apparuerunt Moyses jam mortuus, et Elias adhuc vivens.

4° Ut crucis gloriam ostendat, et discipulos, qui passionem formidabant, consolaretur, et ad sublimius erigeret.

5° Ut fierent discipuli mites ut Moyses, et zelotes ut Elias.

6° Tandem ut omnia despicerent, et ad perfectionem conscenderent, viros adduxit, quorum virtus apud veteres emicuit.

Adde 7° Moyses et Elias oracula legis et prophetiæ in Domino completæ designant [59]

Et dicebant excessum ejus quem completurus erat in Jerusalem [60]. Excessum, id est Passionem..., et excellentem illam humilitatem, qua usque ad mortem crucis se humiliavit [61].

Excessum autem vocat Passionem suam, quia in ea fuit excessus amoris, excessus doloris et excessus humiliationis. Dolor enim fuit supra consuetudinem, amor supra mensuram, humilitas supra virtutem [61*].

Petrus vero et qui cum eo erant gravati erant somno, quia splendor incomprehensibilis Divinitatis premit quodam velut pondere sensus corporis nostri... Somno gravantur sancti dum ab actione terrena, et ab amore temporalium rerum quiescunt, et ab appetitu visibilium mentis oculos claudunt [62].

Et respondens Petrus dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse. Quia quo amplius quisque vitæ cœlestis dulcedinem degustat, eo amplius fastidit omnia quæ placebant in infimis ; terrena obliviscitur, ibique cum Jesu optat habitare, dicens : *Domine, bonum est nos hic esse.* Quod si beatus Petrus glorificatam Christi humanitatem contemplatus, tanto afficitur gaudio, ut nullatenus ab ejus intuitu secerni velit : quid putamus esse beatitudinem eorum qui divinitatis ejus altitudinem videre meruerint? Et si cum duobus tantum sanctis, Moyse et Elia, quis comprehendere poterit quanta sint gaudia justorum cum accesserint ad cœlestem Jerusalem, et multorum angelorum frequentiam, ipsumque Deum facie ad faciem viderint [63], quis ex vobis secum cogitans futuram illam vitam... lætitiam... jucunditatem, beatitudinem, gloriam, non continuo de plenitudine suavitatis eructat : *Domine, bonum est nos hic esse?* O quam bonum est et quam jucundum tecum, o dulcissime Jesu, habitare in unum [63*]; tecum colloqui, tibi revelare causam animæ nostræ, tuæque consolationis responso perfrui ! O quantum vilipendunt exteriores collocutiones postquam interioris collocutionis gustaverint dulcedinem [64] !

O quam amarum est eis... ad exteriora rursus at-

[50] Theophylact., *in c.* xvii *Matth.;* Euthym., *in c.* vii *Luc.;* S. Damasc., *Orat. in Transfig.;* S. Anselm., *Enarr. in Evang*, c. 8; S. Hilar., *in c.* iii *Matth.* [51] S. Leo, *Serm. in Transf.;* S. Chrysost., hom. 57 *in Matth.* [52] *II Cor.* iii, 18. [53] *Psal.* lxxxiii, 8. [54] Hugo card., *in c.* ix *Luc.* [55] S. Chrysost., hom. 15 *in c.* xv *Matth.;* Beda, *Hom. in Transfig.* [56] *Marc.* ix, 2. [57] Apud S. Aug., lib. iii *De mirabil.;* S. Anselm., *Enarr. in Evang.*, c. 8. [57*] *Marc.* ix, 2. [58] *II Cor.* vii, 1; S. Anselm., *ibid.* [59] S. Chrysost., hom. 57 *in Matth.* [60] *Luc.* ix, 31. [61] *Philipp.* ii, 8; S. Anselm., *Orat. in Transfig.;* Hugo card., *in c.* ix *Luc.* [61*] Ludolph., *De vitæ excess.* [62] S. Anselm., *Enarr. in Evang.*, c. 8. [63] *Hebr.* xii, 22; *I Cor.* xiii, 12; S. Anselm, *Enarr. in Evang.*, c. 8 [63*] *Psal.* cxxxii, 1. [64] S. Bern., serm. 4 *De Ascens.;* Id., *De Passion.*

trahi. Mori sibi videntur, quia revera quædam mortis species est a contemplatione vitæ... candidi Jesu... faciei illius rutilantis sicut sol, ad has tenebras rursus avelli.

Bonum est nos hic esse, quia revera solum hominis bonum... est intrare in gaudium Domini sui [65]... quia quando Jesus adest totum bonum est, quando vero Jesus abest totum durum est. Quid enim potest esse illo felicius, cui solus Jesus dulcescit et cætera omnia vilescunt [66]?

Si vis, faciamus hic tria tabernacula. Qui ad montana conscenderat, non vult amplius ad terrena descendere, sed semper in sublimi perseverare. Sic multi postquam culmen contemplationis ascenderunt... postea nolunt ad laborem activæ vitæ descendere. Hos signat hic Petrus : sed nesciebat quid diceret, quia oportet aliquando ad activam descendere propter proximum [67]. Sed quid dicis, o Simon, *Faciamus hic tria tabernacula?* Si hic manserit Christus, quis verba adimplebit prophetarum? quis justorum mysteria perficiet? Chirographum Adæ quis scindet [68]? ejus debitum quis solvet? gloriæ indumentum quis ei restituet [69]?

Tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Nullum pro se petit tabernaculum, qui tabernaculum Christi sibi destinabat... At debemus nos in penetralibus cordis nostri Domino tabernaculum præparare. Unde, si vis Domino tabernaculum facere, præpara tabernacula cordis tui... et invenies *locum Domino tabernaculum Deo Jacob* [70].

Tria autem tabernacula sunt tres animæ vires. Et tria tabernacula in nobis facimus, si posse nostrum Patri, nosse Filio, velle Spiritui sancto præparamus ad inhabitandum [71].

Nesciens quid diceret [72]. O quam fervens charitate Christi, quam inflammatus, quanto ardore jucundabatur! Non enim pro se, sed pro Magistro dicit : *Faciamus hic*, etc. [73].

Porro nesciebat quid diceret. 1° Quia mente excesserat; 2° quia oblitus est regnum sanctis in cœlis promissum, non in terris; 3° quia non recordatus est se adhuc mortalem immortalis vitæ donari non posse [74]; 4° quia speravit sibi in terra posito cœlestia promissa dari [75]; 5° quia non intellexit... inter tentationes hujus vitæ prius nobis tolerantiam postulandam esse quam gloriam [76]; 6° quia si in monte Thabor mansisset, non regni claviger exstitisset [77]; 7° quia sanctos viros in hac vita legimus peregrinos et hospites..., quia sanctis in hac vita tabernaculum non est quibus patria et domus in cœlo est [78]; 8° quia oportet semper proficere, et non manere in uno gradu virtutis et contemplationis... Nam non progredi regredi est..., et non proficere deficere...; siquidem inter profectum et defectum, in hoc statu vitæ mortalis, nihil medium invenitur; 9° quia commune bonum intra privatum suum visus est concludere [79].

Hæc autem illo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos [80]. Quando minatur Deus, tenebrosam nubem ostendit : hic vero quia non terrere, sed docere volebat, lucida nebula videbatur... Hæc nubes lucida obumbrans eos est illa lux inaccessibilis in qua Deus habitat [81]; quæ inaccessibilis est viribus nostris, sed acceditur ad eam muneribus divinis [82].

Et timuerunt intrantibus illis nubem [83]. Quia quicunque ad Dei contemplationem sic proficiunt, ut eum in hujusmodi nube obscuritatis arcanorum ejus videant, cum magno metu reverentiæ id faciunt... unde et Seraphim faciem velant, etc. [84].

Et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus [85]. Filius naturalis, non adoptivus; dilectus, quia quæ placita sunt Patri, facit semper [86].

Duo grata vocabula, *filius* et *dilectus*, ipso Deo dictante nostris sensibus imprimuntur, ut communio nominum nos associet collegio munerum, et tantæ dulcedinis nomina nostra corda emolliant, accendantque devotionis affectum [87].

In quo mihi bene complacui. Id est in quo requiesco, cui placeo. Triplex dilectio, quia filius, quia dilectus, quia bene in ipso complacuit... Displicuit sibi in peccatoribus; complacuit in solo Unigenito, in quo peccatum non fuit, sed plenitudo totius sanctitatis [88].

Ipsum audite Ecce Deus majestatis intonuit, et vox Patris audita est : *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Ecce, Domine Jesu, et jam loquere. Quousque siles? quousque dissimulas?... O humilitas virtutis Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, et jam silere non possum, impudenter me ingerens et ostentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum [89]... Ipsum ergo audite ad facienda mandata, audite ad toleranda adversa.., vox enim illius efficax, et persuadet, quod nulla potuit alia doctrina obtinere [90].

Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde [91]. Audita ergo Dei voce, Petrus et socii ejus in faciem suam ceciderunt, quia quamvis homo ad intelligenda sublimia levetur, ex contemplatione tamen majestatis Dei infirmitatem suæ

[65] *Matth.* XXV, 21. [66] V. Beda, *in cap.* XVII *Matth.*; A Kemp., lib. II; S. Bern., serm. 2 *in Cœna Dom.* [67] Hugo card., *in c.* IX *Marc.* [68] *Col.* II, 14. [69] S. Ephræm., *Serm. de Transfigur.* [70] *Psal.* CXXXI, 5; Abul., q. 74 et Lyran.; Beda, *in c.* IX *Marc.*; Hug. card., *in Marc.* [71] Hug. card., ubi supra. [72] *Marc.* IX, 5. [73] S. Chrysost., hom. 57 *in Matth.* [74] S. Anselm., *Enarr. in Evang.*, c. 8. [75] Beda, *in c.* XVII *Matth.* [76] S. Leo, *Serm. de Transfig.* [77] S. Damasc., *Orat. in Transfig.* [78] S. Isidor. Hisp., l. III, c. 16, n. 4. [79] Theophylact., *in c.* XVII *Matth.*; S. Aug., epist. 145; S. Bern., *De vita sol. ad fr. de M. D.* [80] *Luc.* IX, 34. [81] *I Tim.* VI, 16. [82] S. Chrysost., hom. 57 *in Matth.*; S. Anselm., *Enarr. in Evang.*, c. 8. [83] *Luc.*, ubi supra. [84] S. Anselm., *Enarr. in Evang.*, c. 8. [85] *Matth.* XVII, 5. [86] *Joan.* VIII, 29; S. Anselm., ubi supra. [87] S. Cyprian., *Serm. de baptism.* [88] S. Anselm., ubi supra. [89] S. Bern., serm. 1 *in Epiphan.* [90] S. Leo, *Serm. de Transf.*; Gilo, *in Cant.*, c. 42. [91] *Matth.* XVII, 6.

conditionis intelligit, et quasi statum non habet, qui se ante Dei oculos esse pulverem et cinerem videt [92].

Et accessit Jesus et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, et nolite timere [93]... Accedit per gratiam, tangit per virtutem : accessit igitur et tetigit, quia illuminavit et adjuvit... siquidem cum nos infirmitatem nostram subtiliter agnoscentes humiliter jacemus, tunc virtute Spiritus sancti tangimur, et ad robusta opera surgere præcipimur quæ non per timorem, sed per charitatem faciamus [94]... Rogemus Dominum Jesum, ut nos tangat, et a somno torporis et insipientiæ excitet, atque ad se videndum oculos nobis aperiat dulcis ille amicus, qui pie consolatur et potenter adjuvat [95].

Levantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Jesum [96]. Sunt oculi corporis, sunt et oculi cordis. Habes foris oculos unde videas marmora et aurum, intus habes oculos unde videatur pulchritudo justitiæ... Oculi carnis vident vanitatem, oculi cordis veritatem. Quid igitur per oculum, nisi intentio designatur, sicut scriptum est : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* [97]?.. Hos itaque oculos cum apostolis leva, ut et tu neminem videas nisi Jesum [98].

Quando verus amor sic inebriat mentem ut totaliter sit transformata in Christum, tunc nihil sentit in se nisi Christum, et quæ sunt Christi... Qui enim in consideratione suæ infirmitatis oculos mentis, dum jacerent, defixerant, ipsi surgentes levaverunt eosdem spirituales ad altiora divinæ contemplationis, ac tunc *neminem viderunt nisi solum Jesum* [99].

Porro attende quod videre Jesum non potest, qui non habet cor mundum, cor mite, cor mansuetum, cor charitatis dulcedine plenum... qui enim non diligit non videt eum; cæcus est, oculorum lumen amisit : unde ergo videbit? Si ergo eum videre desideras, cor tuum ab omni lepra peccati mundificare non negligas... Et tunc dic cum fiducia : *Faciamus hic tria tabernacula*, fidei unum, spei unum, amori unum. Nunquid nescio quid dicam, cum dico : *Domine, bonum est nos hic esse* [1].

Et inventus est Jesus solus [2]. Remansit solus... qui solus vult diligi, et ita amari ut nihil præter ipsum ametur. Non enim vult consortem habere in amore, qui parem non habet in dilectionis retributione. Fugit ab illo quem aliud, nisi ipsum, amare cognoscit... Dilectus enim ille tuus talis est naturæ ut alienum non velit admittere, sed solus vult cor tuum habere, et tanquam rex in proprio throno sedere... Sic vult amari, ut nihil ametur præter ipsum, quia in cunctis creaturis vult amari, et cunctæ per ipsum, ut sic cuncta diligantur cum ipso, ac ipse solus diligatur [3].

Felix ille qui solum Jesum invenit, quia invenit thesaurum bonum; imo bonum super omne bonum... O felices divitiæ! o opes beatæ, possidere Jesum... Cui enim Deus possessio est, quid amplius quærit? Nimis certe avarus esset homo, cui Deus in possessione non sufficeret... Et quid tibi potest conferre mundus sine Jesu? Esse sine Jesu gravis est infernus; et esse cum Jesu dulcis paradisus [4].

Et descendentibus illis de monte, præcepit eis dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat [5]. Dominus visionem ostensæ suæ majestatis taceri voluit...

1° Ne si palam vulgaretur in populos, Passionem illius impedirent, ac sic humanæ salutis effectus retardaretur.

2° Ne pro rei magnitudine non crederetur, et ne post tantam gloriam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret [6].

3° Quia alii discipuli adhuc imperfecti tristati fuissent, quod hanc visionem non vidissent [7].

4° Ut daretur nobis exemplum, ea quæ ad laudem et gloriam nostram spectant, esse occultanda quandiu sumus in hac mortali vita [8].

5° Ut ostenderet quod secreta et mysteria divina non sunt semper sed loco et tempore debitis, publicanda [9].

6° Ut discant viri sancti revelationes sibi factas non facile publicare [10].

7° Ut doceret nos neminem laudare dum vivit juxta illud Ecclesiastici [11] : *Ante mortem ne laudes quemquam*... Tanquam si diceret: Magnifica post mortem, lauda post consummationem [12].

8° Quia non debent Christum prædicare, qui non sunt transfigurati, qui non ostendunt in se videndum quod dicunt audiendum [13].

Et ipsi tacuerunt [14]. Ex hoc disce, quod aliud est *tempus loquendi, et tempus tacendi* [15].., quod *sacramentum regis abscondere bonum est* [16].., et quod *bonum est præstolari in silentio salutare Dei* [17].

Exposito jam Dominicæ transfigurationis mysterio, ad nostram conscientiam revertamur : et si gloriam Domini videre delectat, transitis carnalibus desideriis, subeamus in montem virtutum [18].

Si ad vestimenta Domini candidissima pertinere volumus, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei [19].

Si vocem Patris audire, si consubstantialis ejus

[92] S. Anselm., ubi supra. [93] *Matth.* xvii, 7. [94] S. Anselm., ubi supra. [95] Ludolph., *De vita Christi.* [96] *Matth.* xvii, 8. [97] *Matth.* vi, 22. [98] S. Aug., *in psal.* lxiv; Id., tract. 7 *in Joan.*; Odo Clun., lib. xiii *in Job*, c. xvi, n. 21. [99] S. Bernardin., serm. 51, in exord.; S. Anselm., *Enarr. in Evang.*, c. 8. [1] S. Bern., *Serm. in Cœn. Dom.*; Idem, *De amore Dei*, c. 2. [2] *Luc.* ix, 35. [3] S. Bern., *Serm. in Cœna Dom.*; Thomas a Kemp., lib. ii, c. 7, *De imit.*; S. Bern., *Serm. in Cœna Dom.* [4] Thom. a Kempis, l. ii, c. 8, *De imitatione Ch.*; S. Bern.; S. Aug. [5] *Matth.* xvii, 9. [6] S. Anselm., *Enar. in Evang.*, c. 8; S. Hieron.; Beda, hic. [7] S. Damasc. [8] Id. [9] Id. [10] Id. [11] *Eccli.* xi, 30. [12] Hugo card., *in c.* ix *Luc.*; S. Maxim., hom. 59. [13] Hugo card., ubi supra. [14] *Luc.* ix, 36. [15] *Eccle.* iii, 7. [16] *Tob.* xii, 7. [17] *Thren.* iii, 26. [18] V. Beda, *Hom. in fest. Transfig.* [19] *Ibid.*; *II Cor.* vii, 1.

Filii majestatem desideramus intueri, studeamus solliciti perversa et inutilia mortalium verba declinare, oculos avertere a spectaculis sæculi [20], etc.

Demus operam ut divini hujus spectaculi pulchritudinem pectoribus inclusam geramus; paternaque hæc vox auribus nostris nunquam non insonet: *hic est*, non servus, aut legatus, aut angelus, sed *Filius meus dilectus, ipsum audite* [21]. Quocirca ipsum audiamus his verbis utentem, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, etc. [22], *et proximum sicut teipsum* [23]. Hæc est enim perfecta transfiguratio ut splendeat facies mentis Deo, et vestimentum proximo [24].

Sic ergo... formam tuam in formam tui reduc Salvatoris [25].

—

CHRISTUS SAMARITANAM CONVERTENS [26].

Samaritanæ certamina Christus hodie nobis promulgat, fidem illius intueamur, ac miremur illam... quæ inquinata fuit et purgata: quæ aquas vivas desiderabat, et cœlestium fluentorum gratiam consecuta est [27].

Ecce venit Jesus in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, inquit evangelista. Venit mollem et lascivam vitam expellens, laboriosam autem ac difficilem nos erudiens. Ideo jumentis non usus est, sed fatigatus venit... Piscatores ea loca insident, unde sperant piscem se posse venari. Sic etiam Christus in eum venit locum, unde noverat Samaritanam venari, et per ipsam ingentem hominum capturam parare [28]... Sic Christus vadit circumiens, ut inveniat aliquos dignos se [29].

Juxta prædium. Locum indicat, in spiritali enim venatione versabatur, cujus causa in locum illum se contulerat, unde poterat prædam referre... Piscatores non omnis maris loca percurrunt, sed ad celebrem abeunt, in quo latitare pisces noverunt: sic Dominus noster Jesus Christus noverat, ut Deus, inde se posse prædam reportare, mulierem scilicet Samaritanam [30].

Quod dedit Jacob Joseph filio suo. Prædium non tam Joseph quam Christo arbitror derelictum, cujus figuram sanctus Joseph patriarcha portavit, quem vere sol adorat, et luna, et omnes stellæ benedicunt [31].

Erat autem ibi fons Jacob. Mystice fons Jacob Scripturæ sunt: siquidem instructi in Scripturis, bibunt ut Jacob et filii ejus; simplices autem et rudes bibunt more pecorum Jacob [32].

Jesus ergo fatigatus ex itinere. Non frustra fatigatur Jesus, non frustra fatigatur virtus Dei: non frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur; non frustra fatigatur, quo deserente fatigamur, quo præsente firmamur... Sed tu noli infirmari in illius infirmitate (id est carne), sed fortis esto; quia *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* [33]... Illius autem infirmitas nostra est fortitudo [34].

Hodie fatigat eum infirmitas nostra. Infirmi enim sumus quando ea quæ fortia sunt atque perpetua non sectamur, sed ea quæ temporalia sunt et caduca... Fatigatur ergo onere peccatorum nostrorum, ea portando et exspectando usque ad canos [35]: *Laboravi sustinens* [36]; clamore, vocando: *Revertere ad me* [37], etc... : *Laboravi clamans* [38]..; itinere.., prosequitur enim fugientes, ait sanctus Bernardus, ut amplectatur revertentes [39].

Sedebat. Sedet vel humilitatis modestiam signans, vel magistri demonstrans personam... sic non in throno vel in plumari [40], sed :

Sic supra fontem. Mirum in modum fons super puteum sedens, misericordiæ ibidem fluenta producit, et mulier quæ ad puteum meretrix advenerat, a Christi fonte casta regreditur; et quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportavit [41]... Sedet ergo supra puteum, ut non in altitudine quæramus aquam, sed de eo fonte, qui supra omnes est, salutaria nobis pocula hauriamus [42]. Meridiano quoque ardens æstu, et fatigatus ex itinere, sedens, vincebat nihilominus in eo corporis fatigationem salvandorum desiderium [43]... Bonus fons Christus, qui nos de hujus vitæ refrigeravit incendio, et inundatione sua ariditatem nostri pectoris superavit [44].

Hora erat quasi sexta. Hanc horam cæteri captandæ quieti dabant : Jesus vero eadem hora spiritualem prædam venatur... Continua in illo apparet humanitatis impendendæ insatiabilitas : 1° quia fessus erat satagens ut Samaritanæ præstrueret salutem ; 2° quia sedebat exspectans ut salutem conferret, ubi illa paruisset ; 3° quod tempus prandii insumpserit assiduus in illa exspectanda [45].

Venit mulier de Samaria haurire aquam. Mulier paupercula et misera... forma Ecclesiæ non jam justificatæ, sed justificandæ... Audiamus in illa nos, et in illa agnoscamus nos, et in illa gratias agamus pro nobis. Figura enim erat, non veritas [46].

Dicit ei Jesus. Bonus Dominus ultro se offert non quærenti... O insignem charitatem ! qui cum Patre regnat in æterno regno, qui super cherubin sedet, cum muliere colloquitur. Non erubescit meretricis amictum, ut salutem animæ promoveat, qui a

[20] Beda, *Hom. in Transf.* [21] *Matth.* xvii, 5. [22] *Matth.* xxii, 37. [23] *Ibid.*, 39. [24] S. Joan. Damasc., *Orat. in Transf.*; Hugo card., *in c.* xvii *Matth.* [25] S. Chrysost. [26] *Joan.* iv, 5-42. [27] S. Chrysost., hic. [28] S. Chrysost., *ibid.* [29] Hugo, card., hic. [30] S. Chrysost., *ibid.* [31] S. Aug., serm. 92 *De tempore.* [32] Origen. [33] *I Cor.* i, 25. [34] S. Aug., tract. 15 *in Joan.* [35] *Isa.* xlvi, 4. [36] *Isa.* i, 14. [37] *Isa.* xliv, 22. [38] *Psal.* lxviii, 4. [39] S. Aug., serm. 92 *De tempore;* Hugo card., hic; S. Bern. [40] S. Aug., *Lib. LXXXIII QQ.*, q. 64, c. 4; Hugo card. [41] S. Ambros., *De eleem. et Samarit.*, hom. 81. [42] S. Aug., serm. 42 *De tempore.* [43] S. Chrysost. [44] S. Aug., *ibid.*, serm. 42 *De tempore.* [45] S. Chrysost. [46] S. Chrysost.; S. Aug., tract. 15 *in Joan.*

sinu Patris ad nos descendit propter ovem quæ perierat [47].

Dicit ei Jesus : Da mihi bibere. Fons vitæ juxta fontem sedens bibere poscit, non bibere volens, sed potum dare... Sic Deus ad Abraham : *Da mihi filium tuum* [48]... Non quod eum in holocaustum accipere vellet, sed quod proprium Filium largiri vellet [49]... Aquam ergo postulat, ut sitientibus æternam gratiam largiatur... sitiebat igitur non potum hominum, sed salutem... illiusque mulieris fidem [50].

Discipuli ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent. Quia non laboris tantum studiosus erat, sed et humilitatis, utpote relictus solus [51]... Solus etiam sedet, ut mulieri fiduciam cum eo familiariter loquendi præberet, quia cum multis non esset ita ausa loqui... Quibus monemur ad tria : ad laborem, fatigatur enim Jesus ; ad parcitatem, aquam petit ; ad humilitatem, sedet enim supra fontem, non in pulvinari [52].

Dicit ergo ei illa : Quomodo tu, Judæus, bibere a me poscis? Inquisitio initium est discendi, et addubitatio radix intelligendi quæ ignoramus. Hoc initium verbum desiderat [53].

Non enim coutuntur Judæi Samaritanis. In omnem impuritatem se lapsos Judæi putabant, si vel minimum cum Samaritanis consentire viderentur, ita ut nec aquam aut cibum gustare vellent tali manu oblatum [54].

Respondit Jesus, et dixit ei : Si scires donum Dei. 1° Quod præstantius est regnis et sedibus, quod divitiæ nihil sunt in comparatione illius [55], etc. 2° Si scires quam utile ; facit enim homines cives sanctorum [56], domesticos [57] et hæredes Dei, cohæredesque Christi [58], et divinæ consortes naturæ [59], ac amicitiæ Dei participes. 3° Quam necessarium : per illud enim eripimur de potestate tenebrarum [60], de captivitate dæmonum, de lacu miseriæ ac de luto fæcis [61] : et transferimur in regnum Filii dilectionis Dei [62].

Et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere. Ipse enim est fons ex quo sitientia corda cœlestis gratiæ aqua irrigantur... Idem est et redemptor perditorum, mœrentium consolatio, spes exsulum, salus peccatorum... *Dei Verbum* [63], *Dominus dominantium* [64] ; *Deus deorum* [65], *princeps regum terræ* [66] ; sanctus denique ægrotæ animæ incantator et medicus, qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra [67].

Forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. Aquam Spiritum vocat, propter ablutionem et refrigerium... mirum enim in modum vivificat animas et delicta exstinguit [68].

Dicit ei mulier : Nec in quo haurias habes. Ante adventum Domini et puteus altus erat, et sine hauritorio aquam sibi unusquisque haurire non poterat. Venit Dominus fons vivus, qui ut sitim exstinguat, ultro se infundit mentibus singulorum [69].

Puteus altus est. Puteus appellatur, qui fons antea dictus est : etenim si mysteriorum altitudinem persequaris, puteus tibi videtur, quia in profundo sita est divina sapientia. Si vero haurire velis affluentiam charitatis, quæ major est quam fides et spes [70], tunc tibi fons est [71].

Unde ergo habes aquam vivam. Aqua quam Salvator dat e Spiritu aqua viva dicitur... Aqua enim viva est Spiritus sancti gratia abluens a peccatis, refrigerans a concupiscentiis, fecundans in operibus bonis : aqua vivificativa et regenerativa [72].

Nunquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum? Frustra de Abraham et Jacob patre gloriatur, qui Abrahæ opera non habet... Nihil enim majorum virtus confert si nepotes degenerant... Nam quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara?... Unus siquidem in nobis generis splendor, divinam imaginem conservare, et exemplar nostrum imitari... Et probati viri genus, virtutis prosapia est [73].

Et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus. Si mulier Samaritana tantam adhibet diligentiam, ut aliquid utilitatis consequatur, neque a Christo discedit, quamvis adhuc eum ignoraret ; quam nos veniam consequemur, qui non ad fontem, non in deserto, non in meridie, neque in solis æstu ardentissimo, sed sub aurora, sub tecto, ad umbram intuemur, non tamen quidquam audire patimur, sed deridemus... Imitemur Samaritanam, alloquamur Christum : medius nostrum stat, per prophetas ac discipulos nobiscum loquitur, audiamus ac credamus [74].

Respondit Jesus et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum... Aqua in puteo voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa.., quam hauriunt homines hydria cupiditatum.., ad quam, cum pervenerint usque ad voluptatem.., nunquid non iterum sitierint ? Ergo *qui biberit ex aqua hac iterum sitiet* [75].

Qui autem biberit ex aqua quam dabo ei, non sitiet in æternum. Spiritum sanctum intelligit, qui tanquam hortum virentem, et fructiferis et semper florentibus arboribus comantem promptam animam disponit, ut nulla anxietate, nullis Satanæ insidiis distrahi sinat, sed omnia ardentia malitiæ tela exstinguat... Sicut ergo fontem intus habens nunquam sitiret, ita qui hanc aquam biberit, non si-

[47] S. Aug., serm. 9 *De tempore.* [48] *Gen.* xxii, 2. [49] S. Chrysost. [50] S. Ambros., *Hom. de eleem. et Samarit.* ; S. Aug. [51] S. Chrysost., hom. 13 *in Joan.* [52] Hugo card., hic. [53] S. Cyrill., hic. [54] *Ibid.* [55] *Sap.* vii, 8. [56] *Ephes.* ii, 19. [57] *Ibid.*, 15. [58] *Rom.* viii, 17. [59] *II Petr.* i, 4. [60] *Col.* i, 13. [61] *Psal.* xxxix, 3. [62] *Col.* i, 13. [63] *Apoc.* xix, 13. [64] *Ibid.*, 16. [65] *Psal.* xlix, 1. [66] *Apoc.* i, 5. [67] *Psal.* cxiii, 3 ; S. Ambros., lib. i *De Spiritu sancto* ; Clem. Alex. [68] S. Chrysost., hic ; S. Ambros., serm. 31. [69] S. Aug., serm. 92 *De tempore.* [70] *I Cor.* xiii, 13. [71] S. Ambros., *De Isaac et anima.* [72] Orig., hic ; Hugo card., hic. [73] S. Chrysost., hic ; Id., hom. 3, *Op. imp.* ; S. Greg. Naz., orat. 18. [74] S. Chrysost., hic. [75] S. Aug., tract. 15 *in Joan.*

tiet in æternum... Quomodo enim sitient qui inebriabuntur ab ubertate domus tuæ [76]? Saginam ergo quamdam et satietatem Spiritus sanctus promittit [77].

Sed aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam... Porro animadverte hic Domini sapientiam : vide magistri benignitatem : attende quomodo se mulieri Christus accommodat, et infirmitati ejus aliquid concedit, ut ad rerum graviorum sublimitatem eam sensim provehat [78].

Nam quemadmodum piscium venatores hamum in mare mittunt, cumque senserint captum esse piscem, non statim extrahunt illum, sed paulatim laxant, ut ille plane atque integre illecebram devoret, cumque animadverterint intimis ejus præcordiis hamum ac visceribus infixum esse, tum majori impetu piscem extrahunt, qui prius se illi accommodaverant; ita se Christus erga mulierem gessit: non a principio illi pulchritudinem divinitatis revelavit, neque ingentium illi bonorum promissa proposuit, sed ejus appetitum animi ad cupiditatem excitat [79].

Fiet in eo fons aquæ, etc. Spiritus sancti gratiam Salvator aquam nuncupat, cujus si quis particeps fuerit, scaturientem in se divinarum doctrinarum vim deinceps habebit... ut alios facile hortari possit, quibus divinum ac cœlestem sermonem sitire contigerit [80].

Dicit ei mulier : Domine, da mihi hanc aquam, etc. Postquam biberis ex fonte Jacob, in Scripturis ad Jesum recurre, ut a Spiritu docearis, et tibi aquæ in vitam æternam salientis fontem largiatur [81].

Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc. Si consortem habes, fiat et consors fidei, ne spiritualium bonorum sola gratiam accipias [81*]... Forte et animæ nostræ dicit : *Voca virum tuum.* Cur jam non sit ipse Jesus vir animæ, verus vir [82]?

Respondit mulier et dixit : Non habeo virum... Virum non habet peccatrix anima, quia legem non habet. Cœpit ergo illa confiteri peccata sua, dicendo : *Virum non habeo* [83].

Dicit ei Jesus : Bene dixisti... quinque enim habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir, etc. Per quinque viros, quinque sensus... mulier autem erga eos errabat... et ipse error, adulter est... Hæc autem a Christo reprehensa non contristata est, neque dimittens fugit, sed ait : *Domine, video quia propheta es tu* [84].

Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Hierosolymis est locus in quo adorare oportet. Hæc admiratur magis et immoratur, nil mundanum eum interrogans, non de corporis sanitate, non de divitiis, sed solum de doctrinis [85].

Pudeat nos et erubescamus : quinque virorum mulier, et Samaritana, tantam in discendo adhibet diligentiam... nos vero omnia negligimus... hæc vero Dominum confessa est, et nihil præter paterna dogmata petivit [86].

Dicit Jesus : Mulier, crede mihi... Ubique nobis opus est fide, bonorum matre, salutis medicina, sine qua similes sumus illis qui sine navi pelagus transnatare aggressi, parum provecti lassatis manibus pedibusque, fluctibus continuo obruuntur [87].

Venit hora et nunc est. Tempus videlicet evangelicæ doctrinæ quod jam instabat, quando, omni umbra figurarum fugata, veritas pura luce mentes credentium illustratura est [88].

Quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Non circumscribitur loco adoratio Dei, sed undequaque diffusa est gratiæ divinæ cognitio. Non jam amplius Judæi et Samaritani ad se legis insignia rapient; sed in omnem terrarum orbem salutis dona diffundentur [89].

Vos adoratis quod nescitis. Samaritani quod nesciebant adorabant, quoniam localem et particularem Deum æstimabant, nihil de eo plus imaginantes quam de idolo [90]

Nos adoramus quod scimus. Seipsum inter adoratores collocat ; ut homo, in humilitatis exemplum et conveniens servo ministerium implet [91].

Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate... Veros adoratores dixit ad distinctionem falsorum, qui temporalia et caduca quærunt in oratione, sive qui contra hoc quod orant agere non cessant .. Veri autem adoratores omni loco spiritualia Deo sacrificia offerunt, virtutem scilicet ac pietatem... non amplius in holocaustis alienis.., non amplius umbra... Omnia illa transierunt, commutata est rerum gratia [92].

Adorabunt autem veri adoratores Patrem in spiritu et veritate. Id est in Filio et Spiritu sancto [93].

Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum.... Spiritus enim est Deus, etc. Spiritualis adorator gratus est, qui non forma et figuris... sed veritate evangelica fulgens veram peragit adorationem... Cum Deus sit incorporeus, cultum quoque ipsius incorporeum esse decet, ideoque mente colendus : spiritum ergo vocat spiritualem animæ portionem [94].

Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus... O profectum spiritualem ! o mulierem mysteria scientem ! Vide quo pacto a terrenis ad

[76] *Psal.* XXXV, 9. [77] S. Chrysost., hic ; *Ibid.*, S. Aug., ubi supra. [78] S. Chrysost., hic. [79] S. Chrysost., hic. [80] S. Cyrill. Alex., hic. [81] Origen., hic. [81*] S. Chrysost. [82] S. Aug., hic. [83] S. Chrysost., *Cat. aurea.* [84] Origen.; S. Aug. [85] S. Aug., *ibid.* [86] S. Chrysost., hom. 31 *in Joan.* [87] Id., *ibid.* [88] S. Aug., *Cat. aurea.* [89] S. Chrysost. [90] *Ibid.* [91] S. Cyrill. Alex., hic. [92] S. Chrysost., *Cat. aurea ;* Ammon. [93] S. Athanas. *Epist. ad Serap.* [94] S. Cyrill.; Ammon.

cœlos evolarat! Messiam dicit eum qui mittebatur, Christum qui exspectabatur, unctum cujus caro divinitate uncta est, qui ad salutem mundi procurandam veniebat.

Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Illum quæro, illum præstolor, illum exspecto [95].

Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum. O magna et incredibilia miracula! quod multis ex apostolis non revelavit, hoc peccatrici palam revelat [96].

Et continuo venerunt discipuli ejus, et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Mirabantur superabundantem Christi mansuetudinem et humilitatem, quoniam ita conspicuus exsistens, sustinuit loqui cum tanta humanitate mulieri inopi et Samaritanæ [97].

Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Bonum enim mirabantur, non malum suspicabantur [98].

Reliquit ergo hydriam mulier... Hydria amorem sæculi significat, id est cupiditatem, qua homines de tenebrosa profunditate, cujus imaginem puteus gerit, hoc est de terrena conversatione hauriunt voluptatem... Oportebat autem ut Christo credens sæculo renuntiaret, et relicta hydria cupiditatem sæcularem se reliquisse monstraret... Curis igitur jam corporis superior exsistit, sitique pariter ac potu neglecto, in alium statum per fidem reformatur [99].

Projecit ergo cupiditatem, et properavit annuntiare veritatem. Discant, qui volunt evangelizare, ut prius hydriam ad puteum projiciant [1].

Abiit in civitatem et dixit illis hominibus: Venite et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Statim, indicante Domino, sua peccata recognoscens confitetur Christum, annuntiat Salvatorem, et ad civitatem non hydriam refert, sed gratiam, quæ relinquens vasculum, Christi plenitudinem reportabat... mutuumque amorem capessens, strenue annuntiat aliisque communicat [2].

O inopinatam mutationem! o magnam profecto divinamque virtutem... arcano miraculo conspicuam!.. Samaritana apostolico functa officio omnibus audita annuntiat, et universum populum extra civitatem advocat, et trahit ad Christum... Excitat eos ad cupiditatem ut egrederentur, et venatu caperentur, ut retibus captaret, ita retia tendit... Poterat solum dicere: Venite et videte prophetam: sed non verecundata est dicere quod fecit; anima enim ignita igne divino ad nil eorum quæ sunt in terra de reliquo aspicit... Hanc mulierem imitemur, et in peccatis quæ fecimus confitendis neminem vereamur [3].

Nunquid ipse est Christus? O mulierem apostolicam et apostolis præstantiorem! non vidit Christum a mortuis excitatum; non vidit Lazarum quatriduanum e monumento evocatum, non mare verbo frenatum, etc.: et ipsa Dominum prædicat, et evangelistarum opus facit [4].

Interea interrogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Beneficii maximi loco est, ut Christum alas! nec is eo volentes fraudat [5].

Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Hominum salutem hoc in loco cibum appellat, ut quanta salutis nostræ cura et desiderio teneatur ostendat. O præclarum futuris orbis terrarum magistris exemplum! docendi enim curæ intentos illos duntaxat esse oportet, et a carnis desideriis in tantum recedere, ut ne vel necessarium ad vitam officium admittant [6].

Dicebant ergo discipuli: Nunquid aliquis attulit ei manducare? In hoc considera quod cibos ab aliis oblatos Dominus suscipere solebat, non quod alieno ministerio indigeret, qui dat escam omni carni, sed ut deferentes meritum consequerentur: simulque formam tradens non erubescere paupertatem [7].

Dicit eis Jesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me. Idoneus cibus Filio, hoc velle in semetipso, quod erat in Patre... cæteri sancti nihil præter divinam peragunt voluntatem... Filii vero proprius cibus est... Dignus utique cibus nobis, sed cibus cordis; quid enim æque confirmat et corroborat cor humanum? quid ita in omni necessitate confortat et sustentat, ut divinæ voluntatis exsecutio, velut in quemdam animæ ventrem, conscientiam scilicet ejus ingesta [8]?

Et perficiam opus ejus..., id est quod præceptum erat a Patre... Vel hominem perfecit; opus enim Dei est ut quilibet perfectus fiat... Vel legem perfecit: *Finis enim legis Christus* [9], omnibus scilicet quæ in ea erant perfectis, et ex corporali cultu in spiritualem redactis [10].

In civitate autem illa multi crediderunt in eum propter verbum mulieris testimonium perhibentis. Judæorum duritiem, Samaritanorum credendi facilitas arguit: illorumque crudelitas in illorum humanitate splendescit. His ergo verbis Israel condemnatur... qui neque Moysis verba suscepit, neque prophetarum præconiis credendum esse censuit [11].

Cum venissent ad eum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Judæi ad se venientem expulerunt: gentiles alio proficiscentem ad se trahunt: illi invidebant, hi credunt; illi indignabantur, hi admirantur et adorant [12].

[95] S. Chrysost. [96] *Ibid.* [97] Id., *Cat. aurea.* [98] S. Aug., tract. 15 *in Joan.* [99] S. Aug., *Lib. LXXXIII Quæst.* in *Caten. aurea;* Beda, hic; S. Cyrill. Alex., hic. [1] S. Aug., *in Joan.* [2] S. Ambros., *De eleem. et muliere Samar.;* S. Cyrill. Alex., hic. [3] S. Chrysost., *Catena aurea.* [4] *Ibid.* [5] Apollin. [6] S. Chrysost., hic; S. Cyrill. Alex., hic. [7] Theophil., *Catena aurea.* [8] Origen., hom. 15 *in Joan.; Catena aurea;* S. Bern., serm. 3 *in Dom. Palm.*, post med. [9] *Rom.* x. 4. [10] Origen., et Theoph., in *Catena aurea.* [11] S. Cyrill. Alex., hic. [12] S. Chrysost., hom. 30 *in Joan.*

Et mansit ibi duos dies. Animadvertat quisquis pius est ac religiosus ab his Christum abscédere, qui ipsum contristant; in iis autem habitare, qui per obedientiam ipsum exhilarant [13].

Et multo plures crediderunt propter sermonem ejus. Judæi quidem etiam signis visis incorrecti manserunt, hi autem et sine signis multam circa eum fidem demonstrarunt, solum enim verba audierunt [14].

Audiat Christianus quod non vult audire Judæus, ut ille proficiat in fide redemptus, quando hic deficit induratus... Pie attendat ad verba oris ejus, cujus aurem inclinat humilitas, non cujus cervicem erigit superbia; quod enim infunditur, et concavo humilitatis suscipitur, eminentia tumoris expellitur [15].

Et mulieri dixerunt: Jam non propter loquelàm tuam credimus, ipsi enim audivimus et scimus Hoc idem dicere possunt, qui a peccatis conversi gustant et vident *quoniam suavis est Dominus* [16]. Jàm enim non tam prædicantium verbis, quam ipsa experientia edocti, credunt quoniam Dominus ipse est Deus [17], cui servire regnare est; et cui obedire summa felicitas, quem amare summa voluptas.

Quia hic est vere Salvator mundi, id est, non solum Judæorum, sed et gentium... Tria autem hic confitentur de Christo : 1° eminentiam singularem : *Hic est;* 2° efficaciam salutarem : *Vere salvator;* 3° influentiam generalem hic : *Mundi* [18].

—

CHRISTUS LAZARUM A MORTE SUSCITANS.

Domini facta non sunt tantummodo facta, sed signa... Si ergo attendamus, quia omnis qui credit resurgit, et omnis qui peccat moritur, bene intelligimus mortuos quos suscitavit aliquid significare [19].

Quia enim tria sunt genera peccantium, tres etiam mortuos suscitavit : 1° filiam archisynagogi adhuc in domo jacentem [19*]; 2° juvenem filium viduæ extra portam allatum [20]; 3° Lazarum quatriduanum [20*]. Si consensisti peccato, intra adhuc mors est; si ipsum malum fecisti, quasi mortuum extra portam extulisti; si consuetudo mala sit, genus mortis est immane [21]

Qui peccat et cito corrigitur, continuo reviviscet; quia non est implicatus consuetudine, non est sepultus; qui autem peccare consuevit sepultus est, et jam fetet.

Audistis quid significat Lazari resurrectio; legamus jam eum resurgentem, et resurgamus.

Erat quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariæ, et Marthæ sororis ejus. Bethania Hebraice idem est ac domus afflictionis, obedientiæ, et exauditionis Domini. Marthæ administratio, Mariæ contemplatio, Lazaro pœnitentia tribuitur [21*]... ut scias quod nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacrymæ pœnitentis extra Bethaniam, id est obedientiam, accepta esse poterunt illi qui tantam habuit obedientiam, ut vitam ipsam perdere maluerit quam obedientiam, *factus obediens Patri usque ad mortem* [22].

Lazarus, Martha et Maria significant incipientes, proficientes, et perfectos [22*].

Miserunt ad Jesum sorores ejus, dicentes : Domine, quem amas infirmatur. Non sunt profectæ, sed miserunt, ob fiduciam..; et quia non debent mulieres discurrere et vagari... Non dixerunt : veni; amanti enim tantummodo nuntiandum fuit... *Domine, ecce quem amas infirmatur*, sufficit ut noveris, non enim amas et deseris [23].

Sic melius tanquam non orantes oramus, sic efficacius, tanquam diffidentes confidimus... sic dicentes affectum pulsant, interpellant amorem, conveniunt charitatem [23*].

Quem amas. Amat Dominus peccatores, sed jam pœnitentes..... Nec mirum si mors et morbus ei quem Deus diligebat acciderit, hæc enim ex naturali infirmitate proveniunt.... Afflictio in hoc sæculo materia præmiorum est. Unde ægre non est ferendum si boni viri et Deo amici morbo laborant... Licet ergo infirmatur caro, lætare et lauda, emendaris enim ut filius..; nec odii, sed dilectionis præsagium est ista correctio [24].

Audiens Jesus dixit : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed, etc. *Et mansit in eodem loco,* etc. Ipsa enim mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum, ut homines crederent in Christum, et vitarent veram mortem... Cum fidelis infirmatur, et patiens est, infirmitas illius est pro gloria Dei, et glorificatur Filius Dei per eam... Quæ enim Christo inde accessit gloria præter eam quæ est crucis? crux enim Christi gloria est... et inter octo sanctorum afflictionis causas, tertia est ut virtus Dei appareat, per ægrotantes exsuperans et vincens [24*].

Mansit duobus diebus, etc. Distulit enim sanare, ut posset resuscitare... Disce ex hoc quod cum aliquid aliquando tardius dat Deus, commendat sua

[13] S. Cyrill. Alex., hic. [14] S. Chrysost., hom. 34 *in Joan.; Catena aurea.* [15] S. Aug., serm. 3 *De tempore;* Id., *in psal.* LXXVII. [16] *Psal.* XCIX, 5. [17] *Psal.* XCIV, 7. [18] Hugo card., hic; De Lyra, hic. [19] S. Aug., tract. 49 *in c.* XI *Joan.* [19*] *Marc.* V, 35. [20] *Luc.* X, 12 seqq. [20*] *Joan.* XII, 1-45. [21] S. Aug., ubi supr. [21*] S. Bern., serm. 3 *De Assumpt.* [22] *Philipp.* II, 2. Id., *Ad milit. Templi*, c. 13. [22*] Hugo card., hic. [23] S. Chrysost., hom. 61 *in Joan.*; Hug. card.; Ven. Beda; S. Aug. [23*] S. Bern., *De grad. humil.*; S. P. Chrysol., serm. 63. [24] Euseb. episc., serm. 6 *post Dom.* 4 *Quadrages.*; S. Cyrill., *in Joan.* X; S. Hier., *in Epist. ad Pauli;* S. Chrysost., *in Joan.*; S. Laurent. Just., *De vita solit.* c. 12. [24*] Andr. Cret., *Orat in Lazar.*; S. Chrysost., hom. 1 *Ad popul. Antioch.*

dona, non negat. Diu enim desiderata dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt.... Dissimulat audire petentem, ut faciat perseverantem, ne, cum implet voluntatem, perfectam non impleat sanitatem [25].

Deinde dicit discipulis : Eamus in Judæam, etc. E Judæa discessit ut homo, ne lapidaretur : sed redeundo quasi oblitus infirmitatem, ostendit pietatem [26].

Dicunt ei discipuli, etc. Fide nondum firma timent, imbellem animum effeminatumque ostendunt.... timent affectu erga Christum... timebant et sibi [27].

Respondit Jesus : Nonne sunt duodecim horæ diei? Insinuat 1° hominum mentem ab una in aliam sententiam desultoria levitate transeuntem, quemadmodum dies ab una hora in aliam transit [28]...

2° Hoc dicit quia cum Christo nihil timendum.... *Stemus simul, et quis est adversarius meus*, ait propheta [29].

3° Quia justo nulla nocere poterit adversitas, si nulla ei dominetur iniquitas... Itaque nihil timendum ei qui nullius sibi sceleris conscius est... ; et quia homines consilium Deo dare volebant, id arguit [30].

Si quis ambulaverit in die, non offendit, etc. *Si quis ambulaverit in die*, id est 1° in me, aut mecum [31], *non offendit*, potentia enim mea, qui *sum lux mundi*, deducit illum.. ; 2° vel in luce virtutis.. ; 3° vel in diem, id est gratiam et veritatem [32].

Si autem ambulaverit in nocte, offendit quia lux non est in eo. Lucem, id est evangelicam prædicationem ; noctem, id est legalem cæcitatem quæ figurarum graditur via et offendit in Christum... 2° Ambulat in nocte quicunque in iniquitate vivit [33].

Post hæc dicit eis : Lazarus... dormit, sed vado ut a somno excitem eum, etc. Sororibus mortuus erat quæ eum suscitare non poterant ; Domino dormiebat, qui eum tanta facilitate suscitare poterat. Somnus in Scripturis, id est 1° torpor negligentiæ ; 2° in terrenis desideriis quies ; 3° mors carnis... Non dixit Jesus : Vado eum a mortuis suscitare, fastum et jactantiam vitans, ad nostram utilitatem. Et quomodo intellexerunt discipuli, sic responderunt : *Si dormit salvus erit* [34].

Tunc dixit eis manifeste : Lazarus mortuus est, etc. *Gaudeo*, etc., *ut fides vestra firmetur*... In resurrectione Lazari figura tota mortis et resurrectionis Dominicæ pingebatur ; et quod erat secuturum in Domino pingebatur in servo [35].

Quoniam non eram ibi. Non me præsente mors eum invasisset. Ubi enim est vita, mors esse non potest [36].

Sed eamus ad eum. Tempus est ut impleamus leges amicitiæ ; tempus ut dominii auctoritatem probemus[37], etc.

Dixit ergo Thomas... Eamus et nos, et moriamur cum illo... Eamus comites, ut vel convivamus viventi, vel morienti commoriamur. Sermo alacer, animus audax, et bene fidens.., verus amantium affectus [38].

Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento. Lazarus peccatorem inveteratum, et mala consuetudine peccandi, criminibus in monumento obvolutum designat... Ad hanc quarto gradu pervenit anima : primus est delectationis titillatio in corde ; secundus consensio ; tertius factum, et quartus consuetudo [39].

Multi ex Judæis venerunt ad Martham et Mariam ut consolarentur eas... Dilectas a Christo consolabantur, aut propter necessitatem charitatis aut propter nobilitatem eas venerantes ; aut quia non erant mali isti. Et forte designant adulatores, qui consolationes vanas proponunt justis [40].

Martha autem occurrit illi. Quare Martha sollicita, et Maria quieta, sciunt qui per eas activam et contemplativam vitam significari intelligunt [41]

Maria vero domi sedebat... Contemplationi assueta domi sedet ab omni exteriore actione quiescens [42].

Dixit Martha : Domine, si fuisses hic, etc., *sed et nunc scio*, etc. Audi credentem, sperantem, nec tamen orantem.. quem enim credidit vivum potuisse servare, mortuum non dubitat posse suscitare... hoc potes, si vis facias ; hoc tantum dixit.... Ad jactantiæ fugiendam speciem non dixit Christus, Suscitabo, sed *resurget*.. si credis fore ut resurgat in die resurrectionis, neque in isto dubia fueris, qui enim tunc, nunc idem ipse sum [43].

Ego sum resurrectio et vita. Per me enim resurgunt quicunque vivunt et resurgunt [44].

Crede ergo, etsi mortuus vives : si autem non credis, et non vivis, mortuus es. Unde mors in corpore ? quia non est anima. Unde mors in anima ? quia non est fides [45].

Qui vivit et credit in me non morietur in æternum. Mors enim illis non est exitus, sed transitus, et temporali itinere decurso ad æterna transgressus [46].

Ait illi : Utique, Domine : credo quia tu es Christus Filius Dei vivi, etc. Vide quam sapienter, et recto ordine seminat fidei confessionem, ut ex ea fructum metat [47].

Et vocavit sororem suam silentio, etc. Non inve-

[25] S. Aug., *De verb. Dom.*, serm. 5, c. 5 ; S. Anselm., lib. x *Medit.* ; S. Aug., serm. 3 *De verb. Apostoli.* [26] S. Aug., *in Joan.* xi. [27] Andr. Cretens., *Orat. in Lazar.* ; S. Cyrill., *Fragment.* ; Id., hom. 61 *in Joan.* [28] S. Cyrill., *ibid.* De hac instabilitate *vide* S. Bern., *Medit.*, c. 9. [29] *Isa.* l, 8. [30] S. Chrysost., hom. 61 *in Joan.* [31] *Joan.* viii, 12. [32] Eutym., *in Joan.* c. xi ; S. Andr. Cret., ubi supr. [33] Id., *ibid.* ; S. Aug., *in psal.* v. [34] S. Aug., hic ; S. Greg., *Moral.*, c. 22 ; S. Cyrill., hic ; S. Aug., hic. [35] S. Cyrill., hic ; S. P. Chrysol., serm. 63. [36] S. Andr. Cret. ; Euseb. episc., hic. [37] S. Andr. Cretens., *ibid.* [38] Id., *ibid.* ; Hug. card. [39] S. Aug., serm. 44 *De verb. Dom.*, c. 6. [40] Hugo card., hic. [41] Euseb. episc., *Hom. in fer.* 6 *post Dom.* 4 *Quadrages.* [42] Hugo, supra. [43] S. Bern., *De grad. hum.* ; S. Aug., hic ; S. Andr. Cret., *Orat. in Lazar.* [44] Euseb., episc. Gall., supra. [45] S. Aug., hic. [46] S. Cypr., *De mortalit.* [47] S. Andr. Cret., supra.

nimus usquam Christum dixisse : Voca sororem tuam. Sed Martha adventum Christi pro jussu accipiens dicit : *Dominus vocat te*... Felix hora quando Jesus vocat te de lacrymis ad gaudium spiritus [48] !

Illa ut audivit, surgit cito, etc. Quomodo enim non cito, quæ tanta pietate et charitate in amorem ejus exarserat ?... *Cito* insinuat illius fervorem... Nec dignitas, nec luctus, nec assistentes eam sunt remorati. Sed procidit ad pedes ejus ; neque turbam reverita est, neque opinionem quam de eo Judæi habebant, sed omnem humanum affectum expulit, Magistro præsente, et hoc unum curabat ut illum veneraretur [49].

Dicit ei : Domine, si fuisses hic, etc. Illam non redarguit Christus, exemplum nobis præbens non redarguendi eos qui sunt in recenti vehementique luctu [50]

Jesus ergo.. infremuit spiritu, non ficte, sed interius doluit ; vel spiritu, id est voluntate, quia scilicet voluit [51].

Magnum aliquid per hoc significavit nobis Jesus. 1° Id est cum quodam fremitu gemit et turbat semetipsum super spiritum in criminibus obstinatum... ; 2° ut doceat nos quomodo in tali re agere debeamus, quando vel pro nobis ipsis, vel aliis in peccatis fetentibus Deum oremus... ; 3° ut ostendatur ejus compassio erga peccatores... ; 4° ut in accusatione malorum operum et violentia pœnitendi cedat consuetudo peccandi (fremere debet fides hominis). Turbavit autem seipsum potestate, non necessitate, aut infirmitate, quomodo vult sine passione [52].

Et dixit : Ubi posuistis eum ?... Domine, veni et vide. Quasi nesciret sciscitabatur, sed ut intentos faceret... Quid est vide ? miserere. Videt Dominus quando miseretur. *Vide humilitatem et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea* [53].

Et lacrymatus est Jesus. 1° Non Lazarum lacrymatus est, sed Judæos, quorum, etiam post miraculum, incredulitatem futuram prospiceret ; 2° ut sororum temperaret fletus, et præstaret pietatis officium solatio lacrymarum ; 3° flevit quod diabolus homines docendo peccata paradiso fecit extorres ; 4° ut doceret nos cum quanta pietate, et cum quantis doloribus et fletibus anima resuscitanda erat.., si forte Dominus nostris lacrymis fetentes in peccatis suscitare dignetur ; 5° ut lacrymis suis mundi peccata deleret ; 6° lacrymas fudit ut gauderemus... ; 7° flevit ut fleret se homo... ; 8° flevit, sed quiete, decore, cum Dei timore : fle igitur sicut ipse [54].

Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum. Ideo plorabat, non quia amabat : sed quia eum iterum ad hujus vitæ miserias revocabat... Quid mirum si pro amore nostro lacrymas dedit, qui pro peccatoribus vitam dedit [55] ?

Quidam autem dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur ? Potuit certe, sed noluit... ; quia plus est quod facturus est, ut mortuus suscitetur [56].

Jesus ergo fremens in semetipso venit ad monumentum. Sancta carne vergente ad lacrymas, non sinit eam facere. *Infremit autem spiritu*, hoc est vi sancti Spiritus ; quodammodo suam carnem increpat [57].

Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. Lazarus in monumento animam terrenis peccatis obrutam significat... ; spelunca vero est cor tenebricosum, et lapis superpositus ei infidelitatis durities, et renitentia..., vel vis duræ consuetudinis..., vel ipsum peccatum profundum per culpæ magnitudinem... fetidum per pravi exempli corruptionem, clausum per consuetudinem et obfirmatum per excusationem, quod est quando lapis excusationis et defensionis superponitur [58].

Ait Jesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha : Jam fetet. Quatriduanus est enim, etc. Dat locum morti, licentiam dat sepulcro, corruptioni potestatem permittit, ut humana tota spes pereat.. et quod facturus est divinum sit, non humanum.... Tollitur lapis. Non quod post visitationem gratiæ consolantis cessare debeat pœnitentia, absit hoc : sed tollatur lapis, id est peccatum, vel obstinatio cordis, vel excusatio oris, sed pœnitentia maneat... Quid autem per quatuor dies, nisi quatuor ætates illius qui in pueritia, adolescentia, juventute et senectute in malo perseverat... vel peccata cordis, oris, operis et consuetudinis [59] ?

Dicit ei Jesus : Videbis gloriam Dei. Id est gloriosam operationem, quam ut Deus operabor... ; magna enim fides magna meretur. Et magnus Sponsus magnificavit facere cum eis ; tollitur lapis, quando cor mollitur per attritionem [60].

Et Jesus sublevatis oculis dixit : Pater, gratias ago, etc. Hoc autem dixit elevatis oculis sursum, ut nobis supplicandi formam tribuat, non sibi viam præparet deprecandi.. *Gratias*, inquit, *tibi ago*, ostendens se non egere precibus, *sed propter circumstantem populum, ut credant, quia tu me misisti. Sciebam quod semper me audis.* Insinuat vo-

[48] S. Cyrill., hic ; A Kemp., lib. II, c. 8. [49] S. Cyrill., *ibid.* ; Hug. card. hic ; S. Chrysost., hom. 62 *in Joan.* [50] S. Cyrill., hic. [51] Hugo card., hic. [52] *Psal.* xxiv, 18 ; Euseb. episc. Gallic., hic ; S. Bernardin., serm. 51 ; Euseb., serm. 6 *post. Dom. 4 Quadrag.* ; Hugo card. ; S. Aug., tract. 49 *in Joan.* ; S. Laurent. Just., *De agon. Christi*, c. 5. [53] S. Andr. Cret., *Orat. in Lazar.* ; S. Aug., *ibid.* [54] S. Andr. Cretens., supra ; Petr. Veron., *Serm. de Lazar.* ; Bernardin. Senens., serm. 51, a. 2, c. 3 ; S. Aug., serm. 104 *De tempore* ; Id., tract. 49 *in Joan.* ; S. Basil. Seleuc., orat. 40. [55] S. Fulg., hom. 22 ; Hugo card., hic. [56] S. Aug., tract. 49 *in Joan.* [57] S. Cyrill. Alex. [58] S. Aug. ; Andr. Cret., supra ; S. Aug., serm. 44 *De verb. Dom. in Joan.* [59] S. Petr. Chrysol., serm. 63 ; S. Bern., *Serm. in Assumpt. B. V.* ; Hugo card., hic ; Euseb., episc. Gallic. [60] *Psal.* cxxv, 2 ; Hugo, *ibid.* ; S. Bern., serm. 32 *in Cant*

luntatis identitatem : semper vis, quæ volo [61].

Hæc cum dixisset voce magna clamavit : Lazare, etc. Vox Domini est regia jussio, potestatis imperium.... *Voce magna*, id est magna gratia vocando...; magna quia difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit... ; magna, non tam sono quam pietate magnifica... ; magna, quia, qui magno somno gravatur, magna voce excitandus est. 2° Mortuum tanquam viventem appellat.. , quia mortui apud Deum vivunt.. *Audient enim vocem Filii Dei, et vivent* [61*]. — *Veni foras :* quid est foras prodire, nisi quod occultum est, foras prodere? Qui confitetur foras prodit... Lazarus igitur non incongrue formam videtur gerere pœnitentis [62].

Et statim prodiit qui fuerat mortuus ligatus, etc. Adhuc ligatus jam foras processit... Quando confiteris procedis ; quid est enim procedere, nisi ab occulto velut exeundo manifestari ?... Peccator equidem quacunque hora ingemuerit vivet et non morietur [63] : ligatus tamen adhuc esse videtur donec ab episcopis solutus Ecclesiæ reddatur [64].

Quod vero institis obvolutus, hoc est quod, etsi a carnalibus recedentes, et mente servientes legi Dei, adhuc tamen in carne constituti alieni a carnis molestiis esse non possumus.

Et facies ejus sudario erat ligata. Utinam et mens mea in affectionum monumento sepulta, et earum fasciis alligata, Verbi sermone resurgeret [65] !

Dixit eis : Solvite eum et sinite abire. Solvite vestris ipsi manibus, ut sitis testes miraculi.... Attende quod... ut solverentur peccata ejus (qui confitetur), dixit ministris Dominus : *Solvite eum et sinite abire ; quæ enim solveritis in terra, erunt soluta in cœlo*[66]... Denique intuere quod nullam gloriam expetit : non ducit eum ; non jubet secum esse, ut rem ostentet facto miraculo [67].

Multi ergo qui... viderant... crediderunt in eum... Beatus qui bonas has merces, fidem scilicet mercatus est, qui non vacuus, nihilque negotiatus Bethania exivit, qui Christo bene credens, bonas doctrinæ ipsius margaritas coemit data fide, et agnitione accepta [68].

Tandem esto et tu si vis Lazarus, qui mundo sis mortificatus, etc. Magis autem Domini amicus esto : Habes et tu sorores animam et carnem, fac Christo amicas, ut cum mortuus fueris mittant ad Jesum, sicut Maria et Martha, illa sermone, hæc opere dicentes : *Domine, ecce quem amas infirmatur...*, ut dicat ad angelos suos : *Solvite et sinite abire :* quo? ad Abrahæ sinum, ad æterna tabernacula, ad divinæ quietis beatitudinem [69]

[61] S. Petr. Chrysol., serm. 45 ; S. Chrysost., hom. 55 *in c.* II *Joan.* ; Eutym., hic. [61*] *Joan.* V, 25. [62] S. Andr. Cret., *Orat. in Lazar.* ; S. Aug., tract. 49 *in Joan.* ; S. Bern., *in Assumptione B. M. V.* ; Euseb., Gall. episc. ; S. Chrysost., hic ; Eutym., hic ; S. Aug., *De verbis Dom. in Matth.*, serm. 8 ; S. Bern., serm. 2 *in Assumpt.* [63] *Ezech.* XXXIII, 14 seq. [64] S. Aug., tract. 49 *in Joan.* ; Euseb., episc. Gall. [65] Eutym., hic. [66] *Matth.* XVIII, 18. [67] S. Andr., Cret., supra ; S. Aug. ; S. Chrysost., hic. [68] S. Andr. Cret., *Orat. in Lazar.* [69] *Ibid.*

PARS TERTIA.

CHRISTUS PATIENS, SEU VITA DOLOROSA.

[1]*Aspicite in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta* [1].

Creator et Dominus omnium Christus, post inusitatum sacræ Virginis partum ; post adorata Magorum confessione cunabula ; post multiplicem doctrinam cœlestis eloquii, et variarum curationum medelas imperio verbi potenter effectas, dispensationem omnium sacramentorum, omniumque virtutum, salutifera Passione consummat [2].

Huic autem Dominicæ Passionis sacramento, ab initio omnia famulata sunt mysteria [3].

Vide, o anima, et diligenter considera mira et inaudita prodigia quæ fecit Dominus super terram. Deus illuditur ut honoreris ; innocens flagellatur, ut consoleris ; justus crucifigitur, ut libereris ; Agnus immaculatus occiditur, ut epuleris ; sanguis et aqua de latere emittuntur, ut poteris [4].

Poterat quidem omnipotens majestas aliter perditum reparare hominem. Sed ut sciret quantum deliquerat, quantumque diligeretur, id agere voluit [5].

Hac dignatione quid dulcius? quid sublimius? quid amabilius [6] ?

Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, compatiamur [7].

Passio autem Verbi incarnati præ omnibus in exemplum præponenda est [8].

Hæc quidem roborat debiles, fovet pusillanimes, excitat pigros, nutrit parvulos, certantes provocat, accendit perfectos [9].

Cujus vel saxeum pectus non emolliant vulnera Salvatoris? quis pati renuet patiente Domino? Cru-

[1] *Hebr.* XII, 2. [2] S. Leo, serm. 5 *De Passione Dom.* [3] Id., serm. 9. [4] S. Bonav., *Soliloq*, c. 3. [5] S. Laur. Justin., *Prol. de Christi agone.* [6] Id., *Serm. de Pass.* [7] S. Bonav., ubi supra, c. 3 ; S. Aug. ; S. Bern. [8] S. Laur. Just., *De casto connub. Christi et animæ.* [9] *Ibid.*

cifixus reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus [10]... habemus exemplum, habemus et adjutorium [11].

Fecit antidotum spirituale aceto, felle, sanguine, flagellis, irrisione opprobriisque compositum; quo vulnera, dolores, tentationes cruciatusque lenirentur nostri et fierent tolerabiles Salvatoris exemplo [12].

Hic vox sileat, dicant lacrymæ : taceat sermo, clament fletus. Christus Deus noster pro nihilo, imo pro gaudio mortem ducebat, per quam nos a morte perpetua liberaret [13].

O stupor! o charitas! o Verbi ineffabilis sapientia! qua arte mederis! quo vinculo trahis! quo vulneras amore [14]!

O quam dulciter allicis! quam suaviter blandiris! quam recte capis! quam fortiter premis! quis non sequatur vestigia tua, o Pastor bone [15]?

O Christiane, recogita omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ [16]. Statue Christum sic crucifixum ab uno latere tuo, et peccata tua ab altero, et inter hæc positus, vide quid agas [17].

O quis tantæ duritiei est, quod ei cor non scindatur? Clamant sputa, clavi, lancea, irrisiones, et verbera, ut ipse toto corde, totisque visceribus diligatur, qui præ dilectione tanta ac talia perferre dignatus est [18].

Quid non suave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui?... Hoc enim maximum amoris incendium est [19].

Calix iste inebrians quam præclarus est! inebriat prorsus animam et rapit affectum contemplantis [20].

Sic ebrii erant martyres qui suos non agnoscebant, non uxorem flentem, non filios, non parentes. Sic ebrii erant quorum mens aliena erat ab hoc sæculo. Sic ebrii qui Christum confitendo mori voluerunt... Sic ebrius erat qui neminem noverat secundum carnem [20*].

Hæc est perfectissima Christiani imitatio; summa et perfectissima vita; summa et perfecta religio, et religiosa perfectio, Christum imitari in Passione et in morte [21].

Attende quod, cum deliciis æstuas, Dominus, Rex, Sponsus, Magister et amicus tuus affligitur omni genere pœnarum. Sit ergo regula nostra vivendi passio Salvatoris [22]... Et pro modulo nostro quantum possumus eidem conformemur, ita ut velimus ab omnibus conculcari, dejici, vilipendi, illudi, persequi, flagellari, et ab omnibus exprobrari. Nudi cum nudo [23].

Et quia omnia in Christi agone plena sunt mysteriis, proponamus nobis ipsis, nunc, rei gestæ modum et ordinem..., quatenus per hoc excitati ad devotionem, ad compassionem permoti, ad imitationem igniti inveniamur, et liberi [24].

DOM. J. C. IN HORTUM ORATURUS SECEDIT.

Egressus Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron ibat in montem Olivarum ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus [25] : *et cum pervenisset ad locum, dixit discipulis suis : Sedete hic donec vadam illuc et orem* [26].

Secessit Christus ab aspectibus hominum non propter suffragium mentis, sed propter exemplum tui, ut scilicet antequam miles Christum Dominum in passionibus imitari præsumat, vacet devotioni, orationi intendat, quietem diligat, devitet tumultus, et interiore exercitatione diuturna quies lacte devotionis enutriat, quos adultos et fortes probatio tentationis examinat [27].

Proinde quandoque secedendum (quod etiam viris bellatoribus contingere solet) et reparandæ vires [28].

Quo autem declinandum? Utique in secretiora loca, ubi fragor nullus..., nullus timeatur hostium incursus [29].

Tunc quidem in magna pace positus (Christianus) statuat se ante se, et tanquam in tribunale residens operum suorum familiam judicet, agnoscat cogitata, desideria penset, collapsa erigat, scissa resarciat, delicta defleat, prudentique examinatione agenda disponat [30].

Ut ergo triumphali honore dignus sis, ne inermis et imparatus accedas ad bellum, secessum pete, solitudinem oraturus ascende [31].

Nec ab hujusmodi exercitatione se subducat (miles Christi) donec omnibus introrsus rite ordinatis lætificantem in se advenisse sentiat Paracleti gratiam

Nusquam enim apertius componuntur arma, certamen ordinatur, donatur et gratia, quam in orationis quiete et devotionis affectu [32].

—

CHRISTUS IN HORTO TRISTIS USQUE AD MORTEM.

O pium verbum! o flebile verbum! o amabilis vox! *Tristis est anima mea usque ad mortem* [33]. Hæc tristitia magnitudinem prætendebat amoris [34].

Unde hoc, Deus meus, ita compateris mihi exhibens hominem, ut quodammodo videaris nescire quod Deus es [35]?

[10] *I Petr.* II, 21. [11] S. Laurent. Just., *De casto connub.*, c. 6. [12] S. Laur. Just., *ibid.* [13] S. Bern., serm. 4 *in Cœna Dom.* [14] S. Laur. Just., ubi supra. [15] *Ibid.* [16] *Isa.* XXXVIII, 15. [17] S. Bern., ubi supra. [18] S. Bernardin. Senens., serm. 51, a. 3, c. 1; S. Laurent. Justin., ubi supra. [19] Id., *ibid.*; S. Bern., serm. 22, *De quadruplici debito.* [20] *Psal.* XXII, 5; S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 7. [20*] *II Cor.* V, 16; S. Aug., *in psal.* XXXV, LIV. [21] S. Bonav., *Stim. amor.*, p. I, c. 4. [22] Id., *Solil.*, c. 3. [23] Id., *Stimul.*, part. I, c. 4. [24] S. Laur. Just., *De agone Christi*, c. 17. [25] *Joan.* XVIII, 1. [26] *Matth.* XXVI, 36. [27] S. Laur. Just., *De agone Christi*, c. 7. [28] *Ibid.* [29] *Ibid.* [30] *Ibid.* [31] *Ibid.* [32] *Ibid.* [33] *Matth.* XXVI, 38. [34] S. Bernardin. Senens., serm. 51, a. 1, c. 1. [35] S. Anselm., lib. X *Med. de præter. benef.*

Ut videlicet in tantum nos sciamus diligi, ut tristetur pro nobis lætitia, et tristetur usque ad mortem. Id est : 1° usque ad mortem nostram in victoria Christi absorptam ; 2° id est usque ad terminum vitæ Christi ; 3° usque ad mortem, id est, tristitia illi quasi mors, adeo erat vehemens [36].

Cœpit enim non solum contristari, sed *pavere, tædere, et mœstus esse*, inquit Scriptura [37].

Contristatur Gaudium, pavet Fortitudo, timet Virtus, Gloria tædium patitur, Beatitudo denigratur, confunditur Majestas, Charitas obscuratur, infirmatur Sanitas, Latitudo coarctatur [38].

Sed tristitia advocata ab ipso (mœstus est) atque jussa non importuna venit [39].

Suscepit meam tristitiam, ut mihi suam lætitiam largiretur... Non scandalizeris pro infirmitate. Se curvavit ad te ut te elevaret ad se ; humiliavit se, ut te exaltaret in se ; depressit se, ut in perpetuum beatificaret te [40].

Doles ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed nostram infirmitatem, non pro te, sed pro me [41].

Tristis erat non pro sua Passione, sed pro nostra dispersione ; tristis erat quia nos parvulos relinquebat ; tristis erat pro persecutoribus suis... Non timore patiendi, sed propter infelicissimum Judam : propter scandalum apostolorum : propter rejectionem populi Judæorum [42].

Affligebatur pro offensa Dei, pro contemptu gratiæ, pro futura sui corporis mystici persecutione, pro plebis Hebræorum reprobatione [43].

Affligebatur in singulis, affligebatur pro omnibus, et modo quodam indicibili in omnibus electis suis omnia perferebat pœnarum genera [44].

Persequebatur (*sic*) in apostolis, lapidabatur in Stephano, assabatur in Laurentio, sicque in singulis singula martyrum cæterorumque justorum sustinebat tormenta.

Compatere Salvatori tuo sic afflicto et humiliato [45]... De tuo hoc habuit, non de suo ; pro peccato tuo doluit, flevit quod non commisit, exhorruit quod non fecit... Te in illo agnosce, et pro illo lacrymare, qui usque ad mortem doluit pro te.

Lacrymare etiam in te et pro te, et tristis esto usque ad mortem... in quo enim statu debeat esse pœnitens Christus demonstrat. Nam dicitur esse tristis usque ad mortem veteris hominis, non tantum usque ad mutilationem peccati contristari, quales sunt qui a peccato cessant, sed emendare non curant [46].

Timeat Christianus ne pereant homines a Christo ; contristetur cum perit aliquis Christo ; timeat et sibi ne pereat Christo ; contristetur peregrinari se a Christo [47].

CHRISTUS IN HORTO ORANS.

Disce de exemplo Christi remedium in afflictionibus. Non de terra neque ab hominibus, sed a Deo opportunum quæsivit præsidium [48].

Ad orationis suffragium, ad quietis portum, ad implorationis adminiculum compassione commotus. Quid ergo agis tu, o elate?... Ille in agone ad orationis solatium reclinavit, tu absque orationis medicamine tribulationum vulnera perferre præsumis [49] ?

Absque divino adjutorio in tribulatione quis stetit ?

Disce igitur in omni negotio, in tentationibus, in pressuris, in necessitatibus, in dubiis, in omnique eventu, omni tempore, et ubique orare [50].

Porro Mediatoris exemplo qualiter orare debeas diligenter attende : 1° *avulsus a discipulis ;* 2° *positis genibus* [51] ; 3° *procidit in faciem suam ;* 4° *et ait : Pater, si fieri potest, transeat*, etc. ; 5° *fiat voluntas tua*, etc. [52].

Secessit ab hominibus, propter exemplum, ut tu cum orare vis, elongeris ab hominibus [53].

Sede et tu solitarius sicut turtur, nihil tibi et turbis, nihil cum multitudine. *Obliviscere populum tuum*, etc. [54].

O sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti [55].

Secede ab amicis et intimis. An nescis te verecundum habere sponsum ? etc. [56].

Secede ergo, sed mente, sed intentione, sed spiritu... sola enim corpore, potes esse inter multos [57].

Positis genibus orat. Species tibi, Christiane, datur, forma præscribitur quam debeas æmulari [58]

Genuflectimus nostram infirmitatem designantes, in comparatione ad Deum [59].

Cum enim oras assistis Deo, et cum Omnipotenti loqueris. Quis autem non paveat assistentiam majestatis ? Quis divinam non vereatur præsentiam ? Quis Domini sui non timeat displicere conspectui [60] ?

Procidit in faciem suam. Orat ergo procidens in faciem suam ob præsentiam et reverentiam divinæ majestatis [61]. Et etiam ut humilitatem mentis habitu corporis ostendat [62].

Prosternimus autem nos, quasi profitentes nos nihil esse ex nobis [63].

[36] S. Bernardin., ubi supra ; S. Hier., *in cap.* xxvi *Matth.* [37] *Marc.* xiv, 33 ; S. Laur. Just., *De agone Christi*, c. 6. [38] *Ibid.* [39] S. Bernardin. [40] S. Ambros., *in Luc.*, lib. x, c. 2 ; S. Laur. Just., ubi supra. [41] S. Ambros., *in Luc.*, lib. x, c. 22. [42] *Ibid.* [43] S. Laur. Just., *De agone Christ.*, c. 19. [44] *Ibid.* [45] *Ibid.* [46] Hugo card., *in c.* xx *Matth.* [47] Beda, *in Joan.* xiii. [48] S. Laur. Just., *De agone Christ.*, c. 6. [49] *Ibid.* [50] *Ibid.* [51] *Luc.* xxii, 41. [52] *Matth.* xxvi, 39 ; *Luc.* xxii, 42. [53] S. Laurent. Just., ubi supra. [54] *Psal.* xliv, 11 ; S. Bern., serm. 40 *in Cant.* [55] S. Bern., *ibid.* [56] *Ibid.* [57] *Ibid.*, n. 5 et 6. [58] S. Ambros. [59] S. Thom., 2-2, q. 84, a. 2, ad 2. [60] S. Laurent. Just., ubi supra. [61] Ven. Beda, *in cap.* xxvi *Matth.* [62] Hugo cardin. *in Luc.* xxii. [63] S. Thom., 2-2, q. 84, a. 2, ad 2.

Quid enim est procidere in faciem suam, nisi in cognitione sui humiliari?... Qualis porro erat illius conscientia mentis, in eamdem transformabat et corpus [64].

Orabat et dixit : *Si possibile est, transeat a me calix iste* [65]. In his vocibus 1° agnosce vocem ægroti in medico. Quid enim illa vox erat, nisi sonus infirmitatis nostræ? Infirmantium timorem ut abstraheret, suscepit. Timuit Christus mori, ut tu non timeas mori. Multi adhuc infirmi contristantur futura morte, sed habent rectum cor : scilicet *non quod ego volo, sed quod tu* [66].

2° Orat Christus, non dicit, ut transeat calix a me, sed calix iste, hoc est populi Judæorum, qui excusationem habere non potest.

3° Orat ut pro me impetret. Non enim ait, transeat me calix : sed *transeat a me*... Totus metuens pro his qui passuri erant, rogat, ut ab his bibatur sine spei diffidentia, etc. [67].

Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu [68]. Suscepit voluntatem meam, qui suscepit tristitiam meam. Mea est voluntas, quam suam dixit : quia ut homo locutus est. *Non sicut ego, sed sicut tu.* Prima petitio infirmitatis est; secunda virtutis. Illud optavit ex nostro, hoc elegit in proprio [69].

1° Vellet eos non pati, ne in passione diffidant; sed ut sint firmi

2° Non cessat nos docere in bono patribus obedire, et voluntatem eorum voluntati nostræ præponere, dicens : *Non sicut ego volo, sed sicut tu* [70].

3° Erudit nos, etiam natura reluctante, sequi Deum [71].

4° Superiori voluntati cessit inferior, quia nos *quid oremus sicut oportet nescimus* [71*], et utile nobis est ne fiat plerumque quod petimus... et Deus negando miseretur [72].

Discant igitur Christiani Deo esse subjecti, ut non quod ipsi volunt eligant, sed quod sciunt esse Deo placiturum.

1° Itaque ante orationem considera quid postules; 2° pete humiliter; postremo cuncta dispositioni divinæ committe [73].

Quantumcunque honesta, quantumcunque utilia, quantumcunque spiritualia, poscas, semper sit hic orationum tuarum finis : *fiat voluntas tua* [73*].

Non sicut ego volo, sed sicut tu, inquit, ideo, siquidem, Dominus hic voluntatis nostræ correctionem trina sua oratione firmat. *Non mea voluntas*, etc. [74]. *Non quod ego volo, sed quod tu* [75]. *Non sicut ego volo, sed sicut tu* [76].

Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes [77]. Languescebant enim et opprimebantur negatione vicina. Sicut autem dormiunt mente, sic et corpore [78]

Et dixit eis : Surgite [79]. Surgit qui erigitur in spem vitæ æternæ [80].

Et vigilate [81]. 1° Quia *adversarius vester diabolus circuit quærens quem devoret* [82]. Vigilat hostis, dormis tu [83] !

2° Quia vita nostra et mores debent vigilare in Christo [84].

Et orate. Oratio enim oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus autem flagellum [85].

Ut non intretis in tentationem. Non dixit, ut non tentemini, sed *ne intretis in tentationem*, hoc est ne tentatio vos superet et vincat [86].

Orare nos docet, non, ut non tentemur, sed ne consentiamus. Ut si quis necesse sit igne examinari, oret non ut igne non contingatur, sed ut non exuratur [87].

Oremus igitur sedulo... In tentationem enim intrat, qui orare negligit [88].

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Igitur, quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus. Et non sicut temerarii... [89].

Et iterum secundo abiit et oravit, eumdem sermonem dicens [90]. Habes in hoc perseverantiæ documentum, ut si primo non exaudiaris, ab oratione non deficias, imo precibus et clamori insistas. Esto violentus et vim facias etiam ipsis cœlis. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci [91].

Et reversus iterum, invenit eos dormientes [92]. Intermittit orationem... ostendens quod oratio quandoque pro utilitatibus proximorum intermittenda est [93], etc.

Ostendit absentiæ suæ tempore plures fidei somno detinendos... Et venit confortaturus quos in pugna debiles cognoscebat [94].

Erant enim oculi eorum gravati. Oculi sunt lucidæ ac fervidæ intelligentiæ mentis, qui aut pondere sensualitatis, aut onere iniquitatis gravantur [95].

Et relictis illis abiit, et oravit tertio [96]. 1° ut et nos a peccatis præteritis veniam, a præsentibus

[64] Hugo card., *in cap.* xxvi *Matth.* [65] *Matth.* xxvi, 39. [66] *Ibid.*; S. Bern., apud Hug., ubi supra; V. Beda, *in c.* xiv *Marc.*; Idem, *in c.* xxii *Luc.*; S. Bern., *Fer.* 4 *Cœnæ*; V. Beda, *in cap.* xiv *Marc.* [67] S. Ambros., lib. ii, *in Luc.* vi; S. Hilar., can. 31 *in Matth.* [68] *Matth.*, ubi supra. [69] Beda, *in Marc.* xiv. [70] S. Hieron., *in Matth.* xiv; Hugo, *in Luc.* xxii. [71] S. Bern.; apud Hugonem *in Matth.* xxvi. [71*] *Rom.* viii, 26. [72] S. Leo, serm. 4 *De Passione Dom.* [73] S. Laurent. Justin., *De agone Christi.* c. 6. [73*] *Matth.* xxvi, 42. [74] *Luc.* xxii, 42. [75] *Marc.* xiv, 36. [76] *Matth.* xxvi, 39; S. Leo, serm. 3 *De Passione Christi.* De hac trina oratione obedientiam perfectam complectente, vide infra, col. 443. [77] *Luc.* xxii, 45. [78] S. Hier. et Beda, *in Matth.* 26. [79] *Luc.* xxii, 45. [80] S. Aug., *in Psal.* [81] *Matth.* xxvi, 41. [82] *I Petr.* v, 8. [83] S. Aug., *in psal.* lxv. [84] Id., *in psal.* xxxii. [85] Id., *Serm.* [86] V. Beda, *in c.* xiv *Marci.* [87] S. Aug., lib. ii *De serm. Dom. in monte.* [88] Id., serm. 182 *De tempore.* [89] S. Hier., *inc.* xxvi *Matth.*; et V. Beda, *in c.* xiv *Marc.* [90] *Matth.* xxvi, 42. [91] S. Greg., *in Psal.* vi *pœnit.* [92] *Matth.* xxvi, 43. [93] S. Bernardin. Senens., serm. 51, a. 1, c. 2. [94] S. Hilar., can 31 *in Matth.* [95] S. Bernardin. Senens., ubi supra. [96] *Matth.* xxiii, 44.

malis tutelam, a futuris periculis cautelam oremus [97].

2° Ut omnem orationem ad Patrem, ad Filium et ad Spiritum sanctum dirigamus.

3° Ut integer spiritus noster, et anima, et corpus servetur.

4° Quia sicut tentatio cupiditatis trina, ita et tentatio mortis trina [98].

Eumdem sermonem dicens, sed tribus modis expressum. Ut discas quomodo Deo perfecte obediendum, nimirum : 1° quoad substantiam : *Non quod ego volo, sed quod tu* [99] ; 2° quoad modum : *Non sicut ego volo, sed sicut tu* [1] ; 3° quoad principium : *Non mea voluntas, sed tua fiat* [2]

Apparuit illi angelus de cœlo confortans eum [3]. Si nobis, id est propter nos, tristis est, necesse est ut propter nos sit confortatus et nobis [4].

Et tunc venit tertio ad discipulos suos, et dicit eis : Dormite jam et requiescite [5]. Revertens Dominus ad discipulos, 1° objurgat ; 2° silet ; 3° quiescere jubet : metum demit, securitatem reddit, in requiem adhortatur [6].

Sufficit, surgite, eamus, ecce appropinquavit, qui me tradet [7]. Videsne quam robustus, quam alacer et intrepidus ab oratione surrexit ? non enim inimicorum suorum declinavit præsentiam, quinimo se capere volentibus occurrit. In hoc quantum proficere possis in oratione suo Christus te instruxit exemplo [8].

—

CHRISTUS IN HORTO AGONIZANS ET SUDANS SANGUINEM.

Et factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram [9]. Accedite nunc... huc, huc omnes in spiritu, vos qui pietatis viscera gestatis atque in simplicitate cordis quæritis Dominum [10].

Accedite, inquam, et considerate Redemptorem vestrum, Regem cœlorum orantem, paventem, agonizantem, sanguine sudantem... non tamen sine profluvio lacrymarum.

Quis enim lacrymas contineat, aspiciens piissimi Domini guttas sanguinis decurrentis in terram ? Tanto siquidem premebatur tædii ac pavoris impulsu, ut in agonia fieret, dumque prolixius oraret, *factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

Timor et amor bellabant in corde Jesu, ex timore sanguineus humor fuit ad interiora reductus, sed ferventissimus amor tanquam malleus repercutiens, et ipsum excludens, poros corporis et venam largiter reiaxavit, ut sic de toto corpore flueret sanguineus sudor decurrens in terram. O quale bellum in anima Christi tunc gerebatur ex immenso dolore, et immenso ac ferventissimo amore ! O quali ardore fornax Jesu (id est cor) erat accensa [11-12] !

Decurrit in terram sanguineus Christi sudor, ut terra cordis nostri pinguedine fecundetur [13].

Significat quod in toto corde spiritali Christi, quod est Ecclesia, sanguis erat martyrum effundendus [14].

Ut a sanguinibus liberati Christianis sufficeret sanguis capitis effusus [15].

Ad consolationem infirmorum.., ne forte desperet quis, si caro infirma remurmurat, ubi ad passionem promptus est animus [16].

Ut majoris erga Christum amoris et gratitudinis stimulos habeamus [17].

O quam mirandum certamen ! o quanta pugna in mediatore Christo, carnem aspicere repugnare spiritui, et spiritum carni [18] !

Denique cernite diligenter Dominum Jesum totius suavitatis fontem, pallentem facie, genibus flexum, trementem corpore, corde mœrore transfixum, vultu rubricatum sudore sanguineo, et juxta ipsum angelum adhortantem : compatimini, gemite, flete, ululate : maximum afflicto compassio lacrymosa solatium affert [19].

—

CHRISTUS A JUDA TRADITUS ET VENUNDATUS.

Passionem Domini pie considerare volenti primum occurrit perfidia proditoris... qui suum Dominum prodidit [20].

Tanta fuit flamma cupiditatis accensus, ut optimum Deum argento venundaret, et pretiosum Christi sanguinem vilis mercedis pretio compensaret [21].

Tantæ ingratitudinis, ut illum qui omnia sibi commiserat, et ad honorem, et dignitatem, et culmen apostolicæ potestatis provexerat, insequeretur ad mortem [22].

Tantæ duritiæ, ut nec familiaritate convivii, nec humanitate obsequii, nec suavitate colloquii a concepta malitia potuit revocari [23].

Tradidit discipulus Magistrum, servus Dominum, perditionis filius Regem cœlestis curiæ [24].

Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille [25].

Sed quamvis inexplicabilis fuerit proditoris impietas, in immensum tamen eam exsuperat Agni Dei dulcissima mansuetudo, mortalibus in exemplum data [26].

[97] Raban. ; Hugo card., *in c.* xiv *Marci* ; S. Hier., *ibid.* [98] Beda, *in c.* xvi *Matth.* [99] *Marc.* xiv, 36. [1] *Matth.* xxvi, 39. [2] *Luc.* xxii, 42. [3] *Ibid.*, 43. [4] Beda, *in Matth.* xxvi. [5] *Matth.* xxvi, 45. [6] S. Hilar., can. 3 *in Matth.* [7] *Matth.* xxvi, 46. [8] S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 6. [9] *Luc.* xxii, 43, 44. [10] *Sap.* i, 1 ; S. Laur. Just., *De agone Christi*, c. 6. [11-12] S. Bernardin. Senens., serm. 51, a. 1, c. 2. [13] *Ibid.* [14] S. Bern., *De passione*, c. 37. [15] *Ibid.* [16] S. Ansel., lib. x *Medit.* ; S. Bern., *Serm. de Passione.* [17] *Ibid.* [18] S. Laur Justin., ubi supra. [19] S. Laur. Justin., *De agone Christi*, c. 6. [20] S. Bonav., in *Ligno vitæ.* [21] *Ibid.* [22] *Ibid.* [23] *Ibid.* [24] S. Laurent. Just., *De agone Christi*, c. 4. [25] *Matth.* xxvi, 24. [26] S. Bonav., ubi supra.

Nam ut omnia quæ pravi cordis pertinaciam emollire possent illi exhiberet [27],

1° Discumbentibus secum discipulis ad edendam mysticam cœnam, noluit illi mysterium submovere [28];

2° Non apostolici ordinis honor, non sacramentorum communio denegatur;

3° Non aspera nec aperta impium increpatione confundit, sed leni ac tacita admonitione convenit.

Unus vestrum, inquit, *me traditurus est* [29]

4° Maluit illos omnes terrere, quam huic pœnitentiæ irritamenta non dare [30].

Cur, infelix Juda, tanta benignitate non uteris? Ecce parcit ausibus tuis Dominus, nulli te nisi tibi indicat, nec nomen tuum nec persona detegitur... Deposito furore resipisce. Clementia invitat, salus pulsat, ad vitam vita revocat [31].

5° Agnus ille mitissimus, os in quo non est inventus dolus ori quod abundavit malitia [32], in ipsa proditionis hora, suavi osculo applicare non renuit [33].

6° Ut jam non dicat ab amico exasperata humanitas: *Si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique*, etc.; quia ecce homo unanimis, qui dux dabatur et notus, qui Christi panes edebat, et in illa sacra cœna cum illo dulces capiebat cibos, magnificabat super eum supplantationem [34].

Turbatur Dominus, turbatur charitas, non utique propter se, sed ob Judæ proditionem. *Unus ex vobis, qui manducat*, etc. [35].

Perfidum illum, Domine, in cœtu fratrum detegere et palam confundere noluisti [36].

Ipse Judas (cæteris discipulis sigillatim dicentibus: *Nunquid ego sum* [37]? ex conscientia humili), ne suo agnosceretur silentio, temerario ausu interrogat Magistrum, et ait: *Nunquid ego sum, Rabbi* [38]? nec compunctus est [39].

O saxeum Judæ cor! o proditoris mens, adamante, silice et ferro impenetrabilior, quam emollire nequiverunt sermones Sapientiæ, dicentis videlicet: *Tu dicis*, quod ipse solus cognovit!

Sed unde hæc tanta in discipulo Christi insania? unde tantus furor? unde durities tanta [40]?

1° Quia supra petram Christum interioris domus fundamenta non jecit. Et sapientiam Dei monentem intus, foris clamantem, detegentem, corripientem, comminantem ad emendationem recipere recusavit [41].

2° Quia avarus erat..., nam argenti cupiditate ipsum deperiisse invenies [42].

Hæc enim tyrannica passio, qui sibi serviunt crudeles efficit atque atroces [43]

Usque ad mortem Domini se ingerit, nec vitæ parcit Salvatoris, infidelitatis filia, ac mater impietatis [44]; omnis injustitiæ fomes [45]; malorum omnium radix et origo [46]; communis omnium hominum hostis, ac totius orbis inimica [47].

3° *Quia fur erat* [48], in usum suum rapiens, quæ in divinum dabantur..., fur itaque non qualiscunque, sed loculorum Dominicorum, sed sacrorum [49]

Et loculos habens [49*]. Cavete a marsupiis, foveæ diaboli sunt. Heu quot in illis perdidit! quot in illis interfecit [50]!

Heu quot habent marsupium mentis, et loculos propriæ voluntatis [51]!

Quot, marsupium murmurationis, detractionis, superbiæ, livoris, invidiæ et malæ voluntatis! Hic sequuntur Judam, et nisi se emendaverint, regnum Dei non possidebunt [52].

4° Quia temerarius et impudens: dixerat enim Dominus: *Unus ex vobis me tradet, qui intingit mecum manum in catino* [53]... Temeritate et impudentia qua Magistrum erat proditurus, etiam manum cum Magistro mittit in catino, ut audacia bonam conscientiam mentiretur [54].

5° Quia fraudator et hypocrita, qui non ambulans in veritate cum veritatis Magistro, locum dedit diabolo..., foris discipulus Christi, intus vero diaboli [55].

Quare noc unguentum, inquit, *non est venundatum denariis trecentis, et datum pauperibus* [56]? Irreligiosus plane, factum enim in honorem Christi reprehendit; fraudator, quia loculum tenens; avarus, quoniam non satiabatur [57].

6° Quia sacrilegus: manducavit enim et bibit indigne corpus et sanguinem Domini... Petrus accepit et Judas: bonus in salutem, pessimus ad mortem [58].

Immisit se in cor ejus diabolus, quasi possessionem suam vindicans, et portionis suæ jus retinens [59].

7° Quia ingratus; quid enim erat panis traditori datus, nisi demonstratio gratiæ?.. Homini autem ingrato introivit panis in ventrem, hostis in mentem [60].

Tunc abiit Judas ad principes sacerdotum [61]. Tunc, id est, cum ingressus esset Satanas in interiora cordis, et occupasset animam ejus [62].

Et ait: Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? Nec certam postulat summam, sed quasi vile

[27] S. Bonav., in *Ligno vitæ*. [28] S. Leo, serm. 7 *De pass.* [29] *Matth.* xxvi, 21. [30] S. Chrysost., hom. 82 *in Matth.* [31] S. Leo, ubi supra. [32] *Isa.* liii, 9; *Psal.* xlix, 19. [33] S. Leo, ubi supra. [34] *Psal.* liv, 13-15, xl, 10; S. Bonav., in *Ligno vitæ*. [35] *Marc.* xiv, 18; S. Laurent. Just., *De agone Christi*, c. 4. [36] S. Bern., *Serm. de Pass.* [37] *Marc.* xiv, 19. [38] *Matth.* xxvi, 25. [39] S. Laurent. Just., *ibid.* [40] *Ibid.* [41] *Ibid.* [42] S. Chrysost., hom. 81 *in Matth.* [43] *Ibid.* [44] S. Cypr., *Serm. de jejun. et tent.* [45] S. Laurent. Just. [46] S. Chrysost. [47] S. Ambros. [48] *Joan.* xii, 6. [49] Theophylac. [49*]. *Joan.* xii, 6. [50] S. Bern., *De Cœna*, serm. 1. [51] *Ibid.* [52] *Ibid.* [53] *Marc.* xiv, 20. [54] Beda, *in Marc.* xiv. [55] S. Bern., serm. 14 *in Cant.* [56] *Joan.* xii, 5. [57] Gaudentius, episc. Brix., serm. 13 *De nat. Dom.* [58] S. Bern., *Serm. de Cœna Dom.* [59] S. Ambros., lib. x, epist. 82, *Ad Vercell.* [60] S. Aug., tr. 62 *in Joan.* [61] *Matth.* xxvi, 15. [62] Theophylact., *in c.* xiii *Joan.*

trädens mancipium, in potestate mentium posuit quantum vellent dare [63].

At illi constituerunt ei triginta argenteos; et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet [64]. Multi hodie Judæ scelus exhorrent, nec tamen cavent.

1° Deum pro pecunia vendunt, cum pro muneribus falsum testimonium dicunt [65].

2° Qui societatem fraternitatis discordiæ peste commaculant. *Deus enim charitas est* [66].

3° Qui terrena et criminosa pro illo diligere convincitur.

4° Qui causa alicujus lucri peccant, aut Dei verbum tradunt [67].

5° Simoniaci, qui de vendendo Christo, et gratia ejus laborant.

6° Prælati qui accepto pretio peccata dissimulant, vel blanditiis palpant [68].

7° Judices, qui obtentu pecuniæ innocentes tradunt [68*].

8° Vendit Dominum, qui eum alienat et depellit a se.

Et turpius vendimus quam Judas, qui purum hominem credebat, cum familia ejus indigeret; nos vero quem scimus Deum; nos pro denario, ille pro triginta. Ille pœnitens retulit argenteos, et jam non est inter nos qui turpiter acquisita rejiciat [69].

Dedit eis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est. Et ipse antecedebat eos [69*]. Dedit eis signum quia post communionem habebant apostoli Christiferas facies [70].

Dat signum osculi cum veneno doli [71].

O signum sacrilegum! Per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum [72].

Ecce dux in præceps, ecce obstinata malitia, ecce impatiens feritas [73].

Privilegio perfidiæ obtinuerat in facinore principatum [74].

Appropinquavit Jesu et osculatus est eum, dicens: Ave, Rabbi [75]. Appropinquabat, sed mente se elongabat [76]. O horrenda nequitia animæ sceleratæ! præmittit salutationem ei, quem in mortis damnationem inducit... O improba iniquitas!... O stupenda malignitas! O Juda infelix, charitatis officio sanguinem fundis [77].

Considera promptitudinem amoris Christi. Corde manet impavidus, pericula non timet, nihil perhorrescit [78]. Quam multi appropinquant ore, et cor eorum longe est a Deo..., sed væ homini, qui sic appropinquat, ut tradat [79]!

Væ illi qui ad mensam Domini malignus accedit! Væ homini tradenti Christum ad crucifigendum, sed væ cum maligna conscientia sumenti illum [80]!

Heu quanti Judæ, qui panem Domini manducant, et Dominum in operibus suis calce percutiunt [81]!

Jesus autem dixit illi: Amice, ad quid venisti? Juda, osculo Filium hominis tradis [82]! O Magistri miranda humilitas! O discipuli inaudita crudelitas [83]!

Oscularis et insidiaris, Juda homo pacis meæ, in quo speravi. Jesus tamen osculantem non despicit: osculum non renuit [84].

Pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos dicens: Peccavi [85]. Pœnitentia, non quæ revocaret ad Christum, sed quæ instigaret ad laqueum... Non enim agnovit pretium redemptionis suæ. O homo inconvertibilis, spiritus vadens et non rediens! Jam perfida impii conversio fuit, ut etiam pœnitendo peccaret [86].

Post redditum enim pretium, suo reus judicio damnatus, acerbos non valens conscientiæ stimulos et flagella perferre [87],

Abiens laqueo se suspendit [88]; ut qui multaverat se pecunia, multaret et vita; ut quod fecerat in occulto omnibus manifestaret [89]...

O miser Juda, Domini tui ac propriæ animæ homicida nefande [90]!

O desperate pœnitens, dixisti: *Peccavi tradens sanguinem justum*, et laqueo desperationis te, miser, suffocasti [91]

Nonne contremiscis recogitans, Christiane, quid actum est de discipulo Christi [92]?

Time ergo et tu, o homo, licet sis ex familiarissimis Jesu [93].

Hoc sacrilegii solet esse judicium; ut conscius facti, ipse se damnet, et idem sui reus sit sceleris et judex ultionis [94].

O Christiani, attendite et videte quantum timendus sit Judæ interitus, qui de venia desperans potius sibi collum ligavit, quam Regis clementiam supplicavit [95].

Judam derelinquite desperantem, Petrum sequimini vere pœnitentem [96].

O peccator, quicunque es, noli Judam imitari... Ne cogites tam gravia te admisisse peccata, ut jam Dei misericordiam promereri non possis... Cum peccatorum multitudinem attendis, cur et omnipotentiam cœlestis medici non attendis?... Cum enim Deus velit misereri quia bonus, et possit quia omnipotens, ipse contra se pietatis januam claudit, qui

[63] S. Hier., *in cap.* xxvi *Matth.* [64] *Matth.* xxvi, 16. [65] V. Bed., *in cap.* xiv *Marci.* [66] *I Joan.* iv, 8 [67] Orig., hom. 35 *in Matth.* [68] Hugo card., *in* xxvi *Matth.* [68*] *Ibid.* [69] S. Bern., *De Cœna*, serm. 1; Petr. Cant., *Verb. abbr.*, c. 28. [69*] *Matth.* xxvi, 48; *Luc.* xxii, 47. [70] S. Chrysost. [71] S. Ambros., *in c.* xxi *Luc.* [72] S. Chrysost., hom. 84 *in Matth.* [73] S. Bernard. Senens., serm. 31, a. 2, c. 1. [74] S. Leo, serm. 5 *De Passione.* [75] *Matth.* xxvi, 49. [76] Hugo card., *in c.* xxii *Luc.* [77] S. Bernardin., serm. 51, a. 2, c. 1; S. Aug., *Append.*, serm. 43. [78] S. Bernardin., *ibid.* [79] S. Leo, serm. 55, a. 1, c. 1. [80] V. Bed., *in cap.* xiv *Marci.* [81] S. Bern., serm. 2 *in Cœna.* [82] *Matth.* xxvi, 50; *Luc.* xxii, 48. [83] S. Laurent. Just., *De agon. Christi*, c. 7, n. 4. [84] S. Ambros., lib. x *in Luc.* xxii. [85] *Matth.* xxvii, 4. [86] S. Leo, serm. 1 *De Pass.*; S. Aug.; S. Leo., serm. 3 *De Pass.*; *ibid.*, serm. 6; S. Ambros., *in Luc. c.* xxii. [87] S. Chrysost., hom. 86 *in Matth.* [88] *Matth.* xxvii, 5. [89] Drogo Ostiens., *De Pass.* [90] S. Laurent. Justin. [91] Matth. xxvii, 4. S. Bern., serm. 1 *in Cœna.* [92] *Ibid.* [93] Theophylact., *in c.* xxvi *Matth.* [94] S. Ambros., serm. 50. [95] S. Aug., serm. 109 *De temp.* [96] S. Bern., serm. 1 *in Cœna.*

Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit. Nemo ergo de divina misericordia desperet (etiam post multa peccata), sed sic speret ut sine ulla mora Deum sibi repropitiari festinet [97].

Traditor enim ille perfidus, quia diabolicæ suggestioni initio non obstitit, quia debiles concupiscentiæ motus cito non repressit, in immensum excrevit, omnemque substantiam ejus corrupit. Ex parvis enim neglectis ingentia atque incurabilia fiunt vulnera [98].

Ita ut quæ in exordio debilis, et in progressu fortis fuerat (suggestio), in consummatione fiat insuperabilis [99].

Quapropter passiones in ipsis præludiis frange, ne tandem insanabili morbo labores [1].

Dum parvus est hostis, interfice, ut elidatur malitia in semine.

Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat, cum parvula est, elide eam... ad petram Christum [2].

Sed quia et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur exstincta, et sopita denuo excitantur, parum est semel putasse : sæpe putandum, imo, si fieri possit, semper [3], etc.

Tandem... illud præcipue tene, quia si radicem non evulseris, magnum (ex parvo) peccatum succrescet.

Dicere audeo, solet mihi nonnunquam, non tanto studio magna videri peccata vitanda esse, quanto parva et vilia.

Illa enim ut aversemur peccati natura efficit : hæc autem, quia parva sunt, desides reddunt : unde cito ex parvis maxima fiunt [4].

—

CHRISTUS CAPTUS.

Aspice, o anima, Dominum Deum Salvatorem tuum. Quomodo se nunc patitur capi, ligari, percuti, et furibunde duci, ac si esset malefactor... inspice et compatere [5].

Armatos milites non veritus, procedens obviam eis dixit : *Quem quæritis? Responderunt : Jesum Nazarenum. Dixit eis Jesus : Ego sum* [6]. O bone Jesu, quid facies amicis te in puritate quærentibus, qui inimicis ad mortem te quærentibus sponte teipsum tradis [7]?

Ut ergo dixit eis : *Ego sum, abierunt retrorsum* [8]. Hoc verbo explicavit suæ celsitudinem majestatis : quod enim a semetipso non est nequit veraciter dicere : *Ego sum* : ille solus est, qui sempiternum habet esse, et immutabile, et a nullo est [9], etc.

Dominus dicit : *Ego sum*, et ad vocem ejus turba prosternitur impiorum [10].

Illi fulgorem æternæ veritatis sustinere non valentes, ab ipsius lumine repercussi, et divinæ vocis tonitru territi, retrorsum abierunt [11].

Attende quid jam poterit majestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda [12].

Quid judicaturus faciet, qui hoc judicandus fecit [13]?

Et ceciderunt in terram. 1° Ut cognosceret humana præsumptio nihil se posse adversus Christum, nisi permitteretur ab illo [14]. Ubi enim tunc fuit sævitiæ conspiratio? Ubi ardor irarum? Ubi instructio armorum? Dominus dicit : *Ego sum*, et ad vocem ejus prosternitur turba impiorum [15].

2° Signum gentis Judaicæ casus hoc particulari casu statuitur [16].

3° Docet ruituros omnes qui in Christum flagitia perpetrarint.

Iterum ergo interrogavit eos : Quem quæritis? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum [16*]. O amentia! verbum ejus misit eos resupinos, et neque ita conversi sunt, sed rursus instant eisdem verbis [17].

Tunc si voluisset Christus occultare se poterat, vel omnes interimere. At noluit potestate pugnare, sed humilitate vincere [18].

Magna hæc virtus, si non lædas a quo læsus es [19].

Respondit Jesus... Sinite hos abire [20]. Non parcens sibi, rogat ut parcatur suis. O ardor verissimæ charitatis!... invictæ virtutis constantia! quæ tribulationum suarum oblita, de proximis gerit curam [21]!

Tunc accesserunt et manus injecerunt in eum [22]. Quando accesserunt, tunc ab eo longius recesserunt. Volenti injicit manus turba. O amentes! o perfidi! non sic comprehenditur sapientia, justitia, mysteria [23].

Maledictus furor, quem nec majestas miraculi, nec potestas beneficii potest confringere [24].

Et tenuerunt eum. Irruerunt in lumen verum filii tenebrarum... Occupant paratum teneri... volentem trahi [25].

Non fuit amissio potestatis, sed humilitatis ostensio [26].

Et tunc Petrus exemit gladium. Et percutiens, etc., *amputavit illi auriculam dexteram* [27].

Bonus zelus quo mens abjecto timore pro defensione veritatis accenditur [28]

[97] S. Aug., serm. 58 *De tempore.* [98] S. Ephrem. [99] S. Laurent. Justin., *De regim. prælat.*, c. 19, n. 2. [1] S. Isidor. Pelus., lib. II, epist. 212. [2] S. Hier.; S. Aug., *in psal* CXXXVI. [3] S. Bern., serm. 58 *in Cant.* [4] S. Chrysost., hom. 87 *in cap.* XXVII *Matth.* [5] S. Bonav., *Medit. vitæ Christi*, c. 75. [6] *Joan.* XVIII, 4, 5. [7] S. Laurent. Justin., *De Christi agone*, c. 7; S. Bernardin. Sen., serm. 51, a. 2, c. 1. [8] *Joan.* XVIII, 6. [9] S. Laurent. Just., *De Christi agone*, c. 7. [10] S. Leo, serm. 1 *De passione.* [11] S. Laurent. Justin., *ibid.* [12] S. Leo, *ibid.* [13] S. Aug., *in c.* XVIII *Joan.* [14] S. Anselm., l. X, med. 9. [15] S. Leo, ubi supra. [16] S. Cyrill., lib. XI *in Joan.* XVIII. [16*] *Joan.* XVIII, 7. [17] Hugo card., *in c.* XVIII *Joan.* [18] S. Laurent. Justin., ubi supra. [19] S. Bern., *De inter. domo*, c. 24. [20] *Joan.* XVIII, 8. [21] S. Leo, serm. 1 *De pass.*, c. 41; S. Chrys., hom. 1 *in c.* I *Epist. ad Philip.* [22] *Matth.* XXVI, 50. [23] S. Aug., tract. 93 *in Joan.*; S. Ambros., l. X *in c.* XXII *Luc.* [24] S. Bern., serm. *De passione.* [25] S. Leo, serm 8 *De passione.* [26] S. Laurent. Just., *De agone*, c. 7. [27] *Joan.* XVIII, 10. [28] S. Bern., *in Cant.* serm. 68.

Sed quo zelus fervidior, eo vigilantiori opus est scientia quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Zelum ergo tuum inflammet charitas, sed informet scientia. Sit circumspectus... nec discretione carens [29].

Jesus autem sanavit eum [30]. Nunquam pietatis suæ Dominus obliviscitur, qui etiam hostes suos non patitur vulnerari [31].

Caveamus ne occasione vindictæ propriarum injuriarum eximamus gladium [31*].

Bibamus calicem quem dedit Pater, usque ad amaras fæces. Pater est filiorum amans.

Possum rogare Patrem [32], etc. Captus ergo (cum posset habere duodecim legiones angelorum, etc.), humiliatus et oblatus est quia voluit [32*], ut tu libenter ac sponte cum Christo humiliatus, cum ipso exaltari possis in gloria [33].

Hæc est hora vestra [34], etc. Illa scilicet de qua dixerat : *Ecce appropinquat hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum* [35]. Nunc in manus peccatorum semper traditur Jesus, quando habent Jesum in manibus (per fidem, etc.), cum sint peccatores.

Tunc omnes relicto eo fugerunt [36]. O quam paucos Dominus discipulos habet ad compatiendum, etsi multos habeat ad conregnandum [37].

Non est ingressus ad lignum vitæ, nisi per gladium flammeum [38]; nec transitus ad cellarium, nisi per torcularis pressuram; nec in horrea, nisi per ventilationem in tritura [39].

Hi sunt dimidii amici Dei... De his dicitur : *Est amicus secundum tempus, et non permanebit in die tribulationis* [40]... *elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria* [41], scilicet propter miseriam [42]. *Per multas autem tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum* [43]. Quomodo ergo intrabunt, qui regni introitum id est tribulationes, fugiunt [44] ?

—

CHRISTUS VINCTUS.

Agno impassibili dato, injicit manus turba, nectuntur vincula, deridetur justitia, et traditur ab injustitia [45].

Quis, o Domine Jesu, audiat sine gemitu qualiter homicidas manus in te injecerunt, vinculis astringentes te Agnum mansuetissimum, nihil loquentem, ad instar latronis [46] ? etc. Ligant eum a quo potius solvi debuerant [47]. Sed væ illis qui ligant Verbum ! Mala vincula, quibus non Christum, sed seipsos alligant [48].

Deficerem, Domine Jesu, videns te nexibus attritum tanquam latronem trahi ad judicium, nisi cognoscerem te prius nexibus charitatis in corde constrictum [49].

O magna misericordiæ vincula, quibus Deus ligari voluisti, et homo ligatus vincula iniquitatis dirupisti [50] ! Itaque propter misericordiam ligatus es, o bone Jesu, ut nos scilicet a miseriis nostris faceres absolutos; ut nos a nodo maledictionis absolveres; ut nos ad te traheres in vinculis Adam, in funiculis charitatis [51].

Gratia tibi, o bonitas infinita, qui sic vinctus educis vinctos in fortitudine [52]

Exeamus ergo cum nostro Jesu extra castra, id est extra concupiscentias..., vinculorum asperitatem cum illo portantes; quia non decet membrum delicatum sub capite crucifixo seu spinoso [53]. Primum vinculum Christi fuit obedientia... patri et matri, judicibus; secundum in utero Virginis : quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti; tertium fuit in præsepio : membra enim pannis involuta Virgo Maria alligat; quartum vincula immitia quibus Agnum mitissimum vincierunt [54]

Vinciamur igitur vinculis Passionis boni Jesu, ut etiam vinculis charitatis cum illo vinciri possimus [55].

Ideo injecta pro Christo opprobria et vincula non nobis pudori sint, sed gloriæ [56].

Vinctum enim esse propter Christum, præclarius quam esse apostolum, doctorem, evangelistam [57].

Si quis amat Christum, novit quod dico : Si quis in Dominum insanit, et ejus amore uritur, novit vim vinculorum. Maluerit esse vinctus propter Christum quam habitare cœlos. Nunquid enim quovis auro splendidiores sunt, et quovis diademate manus catenis vinctæ [58] ?

Non tam splendidum facit vitta ex gemmis composita, quam catena ferrea propter Christum. Si quis diligit, novit hanc dignitatem, novit hanc virtutem. Si quis mihi daret totum cœlum, aut illam catenam, ego illam præferrem : nihil enim illa beatius, nihil melius quam pati propter Christum... O beata vincula ! o beatas manus, quas ornavit Christi catena !... Non tam beatum censeo Paulum quod raptus sit in tertium cœlum [59], quam propter vincula. *Solve* ergo *colligationem iniquitatis, dissolve fasciculos comprimentes* [60].

Tot funibus constrictus eras, quot delictis obnoxius. Si solutus esses a nodis peccatorum et a vinculis cupiditatum malarum, esses vinctus Christi [61].

[29] S. Bern., *in Cant.*, serm. 49; *Ibid.*, serm. 20; S. Greg., *Moral.* lib. I, c. 15. [30] *Luc.* xxii, 51. [31] V. Beda, hom. 5 *in Psal.* [31*] *Matth.* xxvi, 53. [32] Orig., hom. 35 *in Matth.* [32*] *Isa.* 53, 7. [33] Origen., ubi supra. [34] *Luc.* xxii, 53. [35] *Matth.* xxvi, 45. [36] *Ibid.*, 56. [37] Hugo card., *in cap.* xxiv *Matth.* [38] *Gen.* iii, 24. [39] Hugo card., ubi supra. [40] *Eccli.* vi, 8. [41] *Psal.* lxxxvii, 19. [42] Hugo, ubi supra. [43] *Act.* xiv, 21. [44] Hugo card., ubi supra. [45] S. Aug., in Append., serm. 43. [46] S. Bern., serm. *De passione.* [47] S. Aug., serm. 112 *in Joan.* [48] S. Ambros., lib. x *in Luc.* xxii. [49] S. Bern., *De pass.*, serm. 4. [50] S. Aug., serm. 5 *Ad fr eremi.* [51] S. Bern., *ibid.* [52] S. Aug., *in psal.* lxvii. [53] S. Bern., *De pass.* c. 4, in fine. [54] S. Bern., ubi supra. [55] Id., *De pass.* c. 4. [56] S. Chrysost., hom. 1 *in Epist. ad Philipp.* [57] Id., *in c.* iv *ad Ephes.*, hom. 8. [58] *Ibid.* [59] *II Cor.* xii, 2 seq. [60] *Isa.* lviii, 6; S. Chrysost., ubi supra. [61] S. Laurent. Justin., serm. *De S. Magd.*; S. Aug., serm 6 *Ad fr. erem.*

Projice ergo pedem tuum in compedes illius, et collum tuum in torques illius [62].

Vinctos suos non despicit Dominus [63]. Eos scilicet qui suis legibus vinciuntur [64.68].

Tandem ut non te teneat catena ferrea peccatorum, sed catena Christi,

Memor esto semper vinculorum illius. Videbis enim quam sit absurdum illum esse in periculis, te autem in deliciis [69]

—

CHRISTUS A DISCIPULIS SUIS DERELICTUS.

Christo sponte tradito et vincto, *tunc discipuli omnes, relictoeo, fugerunt* [69*].

Fugit Petrus, cæteris promptior, fugit Joannes qui in Cœna supra pectus Domini recumbere meruit, fugerunt reliqui humano terrore prostrati [70].

Nimiam audaciam animique fiduciam comprimere volens, omnes per fugam dispergi passus est [71].

Impletumque est quod ore prophetico prædicitur : *Noti mei recesserunt a me* [72]. *Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde* [73]. Nam *et qui juxta me erant de longe steterunt* [74].

In tanta confusione percusso pastore velut oves erraticæ sunt dispersi. Scriptum est enim : *Percutiam pastorem et dispergentur oves* [75].

Timeant ex hoc sancti, ne ipsis operibus pietatis elati si aliquantulum superbire cœperint, deserantur ope gratiæ, et remaneant in infirmitate naturæ [76].

O quanti qui *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt* [77] ! In prosperitate sequuntur, in adversitate deserunt. O mira fragilitas conditionis humanæ [78] ! Persecutione veniente scandalum patiuntur [79]. Tempore pacis se fortes ad omnia credunt, et in tempore tentationis, solo timore fugiunt... vel etiam ante [80].

Non sic amicitia fidelis · ipsa se in omnibus, adversis et prosperis, lætis et tristibus, jucundis et amaris, præbet æqualem [81].

Omni enim *tempore diligit qui amicus est* [82].

Amicus autem *secundum tempus suum, non permanebit tempore necessitatis* [83].

Si ergo vere Dominum amas, amorem ejus omni tempore custodi [84].

Dic Domino, sed vere dic, de corde dic, constanter dic, perseveranter dic : *Sequar te, Domine, quocunque ieris* [85] ; et iterum : *Eamus et nos et moriamur cum eo* [86].

Si tamen te minus idoneum ad toleranda supplicia sentis, tibi tutius est præsidia petere, quam discrimini exponere [87].

Sed cave ne, declinando pugnam, perdas victoriam simul et coronam... Libentius enim insequitur adversarius fugientem, quam sustineat repugnantem [88].

Adolescens autem sequebatur eum, amictus sindone super nudo [89]. *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua* [90]. Bona enim consuetudo cum ætate simul accrescit. Senem vero in melius mutari, et ab inolita consuetudine revocari, difficillimum est [91].

Unde de sene dicitur : *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ suæ* [92].

Sequebatur Jesum. Sequitur qui imitatur. Quid est enim sequi, nisi imitari ? hunc in eo quisque sequitur in quo imitatur. Aspiciamus ergo qua graditur, et ejus vestigia imitando teneamus [93].

Quod si sequi non valemus actu, sequamur affectu. Si detinemur infirmitate carnis, sequamur passibus amoris. Eum enim sequimur diligendo. Sed ut sic sequaris, noli te miscere gentibus similitudine morum [94].

Super nudo. Id est sola necessaria habens, nulla superflua [95].

At ille rejecta sindone nudus profugit [96]. Ostendens temporalia omnia etiam necessaria tutius esse dimittere, quam aliquid possidere ad sequendum Christum [97]. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta [98] ?

Profugit ab eis. Fugit ab hostibus quorum præsentiam detestabatur, et facta [99].

Fuge et tu hostes Christi, inimicos Christi, persecutores Christi, ut Christum usque ad crucem et mortem fideliter sequaris.

Tu ergo si vis effugere manus iniquorum, relinquens mente quæ mundi sunt, fuge post Jesum [1].

Pallium ergo cum Joseph, cum Matthæo telonium, sindonem cum Joanne, cupiditatis hydriam cum Samaritana relinque [2]

Discipuli enim Christi mundum et omnia quæ mundi sunt abjiciunt, et nudi nudum sequuntur Christum [3].

Nudus siquidem athleta fortius dimicat, natator

[62] *Eccli.* VI, 25. [63] *Psal.* LXVIII, 34. [64.68] CASSIODOR., *in psal.* LXVIII. [69] S. CHRYSOST., hom. 12 *in Epist. ad Coloss.*, c. IV ; *De vinc. S. Pauli.* [69*] *Matth.* XXVI, 56. [70] *Joan.* XIII, 25 ; S. LAURENT. JUSTIN., *De agone Christ.*, c. 7. [71] VICTOR Antioch., *in cap.* XIV *Marc.* [72] *Job* XIX, 13. [73] *Psal.* XXX, 13. [74] *Psal.* XXXVII, 13 ; S. LAURENT. JUSTIN., *De agone Christi*, c. 7. [75] *Zachar.* XIII, 7 ; *Matth.* XXVI, 31, S. BERN., *De passione*, c. 9. [76] VICTOR Antioch., ubi supra. [77] *Luc.* VIII, 13. [78] S. BERNARDIN., serm. 51, a. 2, c. 2. [79] *Marc.* XIII, 21. [80] HUGO cardinal., *in Marc.* XIV. [81] S. AUG., *De amicitia*, c. 10. [82] *Prov.* XVII, 17. [83] *Eccli.* VI, 8. [84] V. BEDA. [85] *Matth.* VIII, 19. [86] *Joan.* XI, 16. [87] BEDA, *in cap.* XXVI *Matth.* [88] S. BERN., epist. 1. [89] *Marc.* XIV, 51. [90] *Thren.* III, 27. [91] S. BERN., *De ord. vitæ.* [92] *Job* XX, 11. [93] S. GREG., hom. 2 *in Evang.* ; S. BERN., *De passion.*, c. 31 ; S. GREG., *ibid.* [94] S. AUG., serm. 103 *De diversis*, c. 6 ; ID., *De moribus eccles.*, c. 11 ; S. GREG., hom. 29 *in Evang.* ; S. AUG., ser. 1. 7 ex addit. a Sirmundo. [95] HUGO card., *in Marc.* XIV. [96] *Marc.* XIV, 52. [97] HUGO, ubi supra. [98] S. GREG., hom. 32 *in Evang.* [99] BEDA, *in cap.* XIV *Marc.* [1] S. HIER., *in Marc.* XIV. [2] PETR. Blesens., epist. 14. [3] HUGO card., *in Marc.* XIV.

exuitur ut flumen transeat, viator exoneratur sarcinis ut expeditius currat [3*].

—

CHRISTUS A PETRO NEGATUS.

Attendite quid Christo promiserat Petrus : *Etiamsi*, inquit, *oportuerit me mori tecum, non te negabo* [4]. Dilectionis equidem fuit quod dixit : sed quia per solum sui amoris studium fuit, non addito Domini adjutorio, stare non potuit per hominem, quod sub divinitate pendebat [5].

Porro sequebatur a longe [6] Christum : charitas illum trahit, timor retrahit [7].

Bene autem sequebatur a longe, qui erat proxime jam negaturus. Neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhæsisset [8]

Et ingressus intro. Quod Petro, hoc frequenter contingit in Ecclesia. Quam multi enim qui gratiæ sortiti sunt munus, et sub specie sanctitatis delusi, in sæculi hujus atrium intrant, in quo maligni spiritus principantur, et Dominum illudunt Jesum [9] ! Inermes utique accedunt ad pugnam, sola præsumptionis lorica vestiti [10], etc.

Sedebat cum ministris in medio eorum. Proh dolor ! sceleratorum hominum residet in medio. Nemo bonus secure cum malis habitat : *Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala* [11]. Diabolus, caput malignantium, in eorum semper residet collegio [12].

Quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioratur, sed ex malo bonus contaminatur. Recedite ergo, recedite, et exite a tabernaculis hominum impiorum [13]. *Commisti sunt inter gentes et didicerunt opera eorum* [14].

Ut finem videret. Disce ergo cavere alloquia perfidorum. Petrus in societate impiorum negavit. Nemo igitur de se præsumat : quisque prius metiatur vires, potiusque eligat infirmus humiliter cedere, quam elatus et inermis ad certamen intrare. Vix absque casu et ignominia evadit qui temerario ausu bellare contendit [15].

Humilitas in cunctis Deo grata. Erigitur si cadit : protegitur cum tentatur : triumphat cum pugnat ; sine ipsa nemo vincit, nullusque in bono perseverat... Fortasse ideo corruit Petrus, quoniam non ut pugnaret, sed ut finem videret accessit... non humiliter et constanter, ut debuit [16].

Stans Petrus ad prunas calefaciebat se quia frigus erat [17]. Jam namque intus a charitatis calore torpuerat [18].

Quid est autem persecutorum prunis calefieri, nisi temporalis commodi solatium perfidorum societate quærere [19] ? Frigus erat ubi Jesus non agnoscebatur, ubi non erat qui lucem videret, ubi negabatur ignis consumens [20] ; frigus erat mentis, non corporis [21].

Frigus erat ubi Christus non erat [22] ; si ab illo recesseris, frigescis ; si ad illum accesseris, ferves [23].

Ancilla ostiaria dixit Petro : Et tu cum Jesu eras, etc. [24]. Usitatus ad decipiendum sexus est [25]. Diabolus fideles per mulierem oppugnare consuevit [26] ; Adam per Evam superat, Petrum per ostiariam [27].

Sexus hic semper suspectus est. Illo frequentissime abutitur diabolus ; robustissimos telis femineis prostravit ; Ecclesiæ principem sic leviter superavit ; mulierculæ lingua Christianæ militiæ debellavi ducem [28]. Væ his clericis qui habent ancillam ostiariam [29]

At ille *negavit coram omnibus* [30]. *Non sum* [31] ; *non novi hominem* [32]. Et post pusillum alii dixerunt : *Nunquid et tu ex discipulis ejus es* [33] ? *Iterum negavit cum juramento* [34]. Et post pusillum alius affirmabat : *Vere et hic cum illo erat* [35]. Et qui astabant dixerunt : *Vere et tu ex illis es* [36] ? Iterum ergo negavit : *Et cœpit detestari et jurare, quia nescio illum hominem quem vos dicitis* [37].

Divinæ providentiæ secretum permisit ut primus laberetur : 1° ut erga peccatores duriorem sententiam proprii casus intuitu temperaret ; 2° ut discat ex hoc homo quid sine gratia Dei possit ; 3° ut emendatus integro vestiatur clementiæ indumento ; 4° ut populorum magistris esset exemplum, a Deo sibi gratiam non peccandi minime condonatam ; 5° ut nemo auderet de sua virtute confidere [38].

Nam si Petrus lapsus est, quis alius de se præsumat ? Sed unde tanta fragilitas ? 1° Quia repugnavit Christo et restitit... *Non negabo ;* 2° cæteris se præposuit... *Etsi omnes..., ego nunquam ;* 3° quia jactantia sibi nimium arrogans, nec opem Dei postulans : *Etsi*, inquit, *oportuerit me mori tecum, non te negabo.*

O res stupenda ! puella accedens fidem Petri discussit. Non servus, non liber ; non Pharisæus, non Scriba ; non sacerdos, non miles ; non centurio, non speculator : sed roris levissima gutta transfixit [39].

Quis non contremiscat ad illius columnæ casum ? Negat Petrus, qui erat omnibus sanctitate præstantior, amore devotior, fide robustior, qui jam confessus fuerat Jesum esse Filium Dei [40].

Iterum (2°) *negavit.* Vide quomodo peccatum quod pœnitentia non deletur, mox suo pondere ad aliud

[3*] Petr. Blesens., epist. 44. [4] *Matth.* xxvi, 35. [5] S. Aug., serm. 137 *De temp.* [6] *Matth.* xxvi, 58. [7] S. Aug., serm. 127 *De temp.* [8] S. Ambros., lib. x *in Luc.* xxii, vers. 54. [9] S. Laur. Just., *De agone Christ.*, c. 9. [10] *Ibid.* [11] *I Cor.* xv, 33. [12] S. Laur. Justin., ubi supra. [13] S. Bernardin. Sen., serm. 7. [14] *Psal.* cv, 35. [15] S. Ambros., l. x *in cap.* xxii *Luc.* [16] *Ibid.* [17] *Joan.* xviii, 16, 18. [18] S. Greg., *Moral.* lib. ii, c. 2. [19] Beda, *in Luc.* xxii. [20] *Hebr.* xii, 29. [21] S. Ambros., lib. x *in Luc.* xxii. [22] S. Aug., serm. 117 *De temp.* [23] Id., *in psal.* xci. [24] *Joan.* xviii, 17. [25] S. Ambros., serm. 46. [26] *Ibid.* [27] *Ibid.* [28] S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 8. [29] S. Greg., *Moral.* lib. i, c. 18. [30] *Matth.* xxvi, 70. [31] *Joan.* xviii, 17. [32] *Matth.* xxvi, 72. [33] *Joan.* xviii, 25. [34] *Matth.* xxvi, 72. [35] *Luc.* xxii, 59. [36] *Marc.* xiv, 70. [37] *Ibid.*, 71. [38] S. Aug., serm. 124 *De temp.*; S. Leo, serm. 9 *De passione.* [39] S. Aug., serm. 124 *De temp.* [40] S. Bern., *Serm. in Cœna Dni*

trahit... et quomodo immorari in peccato dat incrementum scelerum[41].

Iterum (3°) *negavit.* Ecce tertia negatio perficitur, et completa Christi prædictio[42].

Paulatim crescit peccator, et ad maturam iniquitatis transit mensuram, dum rubore dejecto, sumptaque peccandi audacia, procaciter publiceque delinquit[43]. Sic Petrus prius Christum simpliciter negat ; deinde, ex priore delicto debilior effectus, cum juramento ; postremo cum anathematizatione, detestatione et perjurio. Hoc est quod dicitur in Proverbiis : *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit*[44].

Et statim iterum gallus cantavit. Et Dominus respexit Petrum[45]. In galli cantu judicis terror, et in aspectu Christi gratiæ cœlestis infusio signatur... ambo immutant propositum, adducunt fletum, dilectionem ingerunt[46]. Inspectus a Domino recepit lumen, vidit, agnovit, erubuit, *amare flevit*[47].

O admirabilem animi celsitudinem ! O charitatem Christi immensam !... Inter calumnias sacerdotum, falsitates testium, conspuentium injurias, discipulum turbatum convenit oculis[48].

Intuere quantis oculis, quam misericorditer, quam efficaciter tertio negantem respexerit, quando ille conversus et in se reversus *flevit amare*[49] : videt quippe Dominus quando miseretur[50]... ; *respicere namque ejus misereri est*[51]... Lacrymæ ergo verecundiæ consulunt pariter et saluti : lacrymæ tacitæ preces sunt[52].

Recte plane flevit et tacuit, quia quod fleri solet, non solet excusari... Utiliores lacrymarum preces sunt, quam sermonum ; causam non dicunt, et misericordiam consequuntur ; veniam non postulant, et merentur[53].

Felices lacrymæ, quæ ad diluendam culpam virtutem sacri habuere baptismatis[54].

Ideo denique Petrus jam non utitur sermone, quo fefellerat, quo peccaverat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo usus fuerat ad negandum[55].

Hic est pœnitentiæ modus. Peccasti ? quiesce, dole, lacrymare, et disce cum apostolo flere amare[56].

—

CHRISTUS AD ANNAM DUCTUS ET APUD CAIPHAM INTERROGATUS ET ILLUSUS.

Adduxerunt eum ad Annam primum[57]. Innocentissimus Dominus tanquam homicida crudelis, sine honore, sine pietate, sine pudore ductus, Annæ pontifici sistitur judicandus. Astabat pontifici, calumniabatur, cædebatur, mysteria loquebatur nec agnoscebatur... Disce, qui judicaris, humilitatis normam, virtutis documentum, sapientiæ regulam. Non potestate fultus, non circumventione securus, non amicitiarum dulcedine fretus, sed sola veritate ante judicem armatus accede[58].

Silebat labiis, et in medio sceleratorum stabat humilis : angelorum et hominum Dominus, vultu demisso, audiebat sceleratorum contumelias[59].

Tu ergo cum te humiliari videris, patienter sustine, amans nesciri et pro nihilo reputari. Et non solum cum per seipsum humiliat te Deus, sed etiam quando per alium hoc facit, per probra, per damna, per supplicia, libenter accipe[60].

Et duxerunt eum ad Caipham principem sacerdotum[61]. *Misit eum Annas*[62], etc. Græce ἀπέστειλε, *miserat.* Remittit porro Christum Annas ad Caipham pontificem, qui astabat, non ut judex, sed ut calumniator et hostis[63].

Pontifex autem interrogavit Jesum de discipulis et de doctrina ejus[64] : 1° Volens eum arguere tanquam novæ rei inventorem, 2° ac seditiosum, 3° quasi conciliabula facientem, 4° novaque dogmata inferentem... 5° ac contradicentem legi, 6° mandatisque Mosaicis[65].

Respondit Jesus : Ego palam locutus sum mundo, et in occulto locutus sum nihil[66], etc. Non amat latibula veritas, non diversoriis delectatur, non angulos quærit ; appetit publicum, quærit coram omnibus prædicari... Jesus justitiæ sol misit radios suos in publicum[67], etc.

Hæc cum dixisset, unus ministrorum dedit alapam Jesu[68]. Dominus gloriæ impia manu cæditur[69]... Quid hoc impudentius ? exhorrescat cœlum, contremiscat terra de Christi patientia et servi impudentia[70].

Respondit Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me cædis[71] ? Quid ista responsione mansuetius ? quid justius ? O dulcis et pie Jesu ! quænam anima possit se continere a lacrymis et intimæ Passionis occultare dolorem (hæc videns et audiens)[72] ?

Disce ex hoc tolerantiam, quatenus discas nulli malum pro malo reddere, aut maledictum pro maledicto, etc. Incomparabilem enim quamdam ac mirabilem summæ patientiæ formam hic nobis Christus depingit et bonitatis[73].

Principes autem sacerdotum et omne concilium

[41] S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 8 ; Hugo card. [42] S. Aug., tract. 113 *in Joan.* [43] S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 9. [44] *Prov.* xviii, 3 ; Hugo card., *in cap.* xxvii *Matth.* [45] *Luc.* xxii, 60, 61. [46] S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 9. [47] *Matth.* xxvi, 75 ; S. Laurent. Justin., *ibid.*, c. 6. [48] S. Leo, serm. 3 *De passione.* [49] S. Anselm., *Med. de præt. benef.* [50] S. Aug. [51] V. Beda, *in cap.* xxii *Luc.* [52] S. Ambros., serm. 46. [53] *Ibid.* [54] S. Leo, serm. 9 *De passione.* [55] S. Ambros., ubi supra. [56] Eused. Emiss., *Dom. in Palm.* [57] *Joan.* xviii, 13. [58] S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 8. [59] *Ibid.*, c. 10. [60] S. Bern., serm. 42 *in Cant.* ; *ibid.*, serm. 54 ; *ibid.*, sub fine. [61] *Matth.* xxvi, 57. [62] *Joan.* xviii, 24. [63] S. Laurent. Justin., *De agone*, c. 10. [64] *Joan.* xviii, 19. [65] S. Cyrill. Alex., hic. [66] *Joan.* xviii, 20. [67] S. Laur. Justin. *De agone*, c. 8. [68] *Joan.* xviii, 22. [69] S. Cyrill., hic. [70] S. Chrysost. [71] *Joan.* xviii, 23. [72] S. Aug., tract. 113 *in Joan.* ; S. Bonav., *De lig. vitæ.* [73] S. Laur. Just., ubi supra ; S. Cyrill. Alex., hic.

quærebant falsum testimonium adversus Jesum, ut eum morti traderent [74]. Figura duntaxat judicii erat, sed reipsa latronum impetus... Nonnulla enim more judicii quærunt, ut habitum judicii atque figuram in insidiis ponerent... Sed tumultus atque perturbationis plena erant omnia. Per hoc justitiæ velamentum, invidiam et animi pravitatem palliare tentabant [75].

Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent [76]. Hæc est summa laus Christi, quod nec apparenter culpabile contra eum opus invenire possunt, licet mali essent, et multi, astuti et ingeniosi : adeo fuit munda vita Jesu et irreprehensibilis [77].

Et surgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum dicens : Nihil respondes ad ea [78], etc. Surgit ex inquietudine mentis : sævitia seipso superior. Iniquitatis dolo plenus de judiciario surrexit solio; nolens falsiloquiorum objectiones, neque Christi discutere innocentiam [79].

Interrogavit Jesum dicens : Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur [80]. O subdola et venenata astutia ! Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnavit dolos ; sedensque adversus fratrem locutus es, et adversus filium matris tuæ posuisti scandalum [81]... Stabis ante tribunal ejus qui astat tibi, et quem moliris occidere, judicabit ipse te. Veritatem non scrutabatur, sed calumniam insidiabatur [82].

Jesus autem tacebat [83]. Nihil falsis oppositionibus respondere voluit, ut fidelibus omne de se daret humilitatis exemplum. Magna prudentia est tacere ubi ex omni parte calumnia præparatur [84].

Rursum interrogabat, etc. : *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei benedicti* [85]. Interroget sacerdos, negent Judæi, dubitent impii, ego, o Domine Jesu, et corde credo, et ore confiteor, *quia tu es Christus Filius Dei vivi* [86], etc.

Jesus autem dixit illi : Tu dicis. Ego sum [87]. Hoc respondit Christus, ut iisdem verbis et infidelium conscientias cæderet, et credentium corda firmaret [88].

Discrete vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet (ut fecit Christus), per verba inutilia defluat, aut cum loqui utiliter potest, semetipsum pigre restringat [89]

Verumtamen videbitis Filium hominis sedentem a dextris Dei, et venientem in nubibus cœli [90]. Veniet cum sanctis omnibus. Veniet judicaturus, qui judicandus venit. Tunc coram illius tribunale non accedent qui excusent, qui eripiant, qui redimant ; nudus quisque astabit Christo operum suorum recepturus vices [91].

Considera, o anima, quid erit de te in die illo, quando te accusabunt elementa, quando contra te crux Christi portabitur in testimonium, quando verbera ipsius contra te clamabunt, vulnera ejus allegabunt, clavi loquentur, cicatrices conquerentur [92].

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit. Et omnes condemnaverunt eum dicentes : Reus est mortis [93].

Quem e solio sacerdotali furor excusserat, eum rabies ad scindendas vestes provocat... ad exaggerandam auditi sermonis invidiam [94].

O stupenda nequitia impiorum ! Omnes in justi mortem pariter convenere ! O benignitas Salvatoris ! o mansuetudo, dulcedo, et bonitas Redemptoris [95]!

Quid fles, quid suspiras, o homo, dum sustines injurias? Non audis quanta propter te in Dominum Jesum ceciderunt opprobria? Vide innocentem Jesum, veluti mansuetum Agnum, inter tot improbos facie mansuetum, vultu benignum, mortem exspectantem [96].

Tunc exspuerunt in faciem ejus. Et colaphis eum ceciderunt. Et velaverunt faciem ejus, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit. Et multa alia blasphemantes dicebant in eum [97].

Nullus plane in veritate sufficit explicare quanta qualiave flagella, opprobria, et illusiones a nefandis illis pertulerit, etc. O Domine Jesu, quanta illic indigna pertulisti ! Vultum tuum, *in quem desiderant angeli prospicere* [98], polluti labiis suo sputo inquinaverunt, sacrilegis manibus ceciderunt; te velo in derisum operuerunt. Et te Dominum universæ creaturæ tanquam servum contemptibilem colaphizaverunt [99].

Prophetarum Dominus quasi pseudopropheta deridetur. Per totam noctem vexaverunt, deriserunt, et maledictis vacantes conviciati sunt, verbis et factis ac opprobriis vilissimis ei insultantes [1].

Rex gloriæ, vitæ ductor, Dominus majestatis, hominum Redemptor conspuitur, facie velatur, colaphis cæditur, alapis verberatur, irridetur, injuriatur, atque multipliciter blasphematur... qui unico ac solo nutu omnes perdere potuisset. O Domine, Domine, Deus cordis mei, quomodo sic aspicio te fatigatum corpore, membris debilitatum, tumescentem

[74] *Matth.* XXVI, 59. [75] S. CHRYS., hom. 85 *in Matth.* ; S. BERNARD. Senens., serm. 51, a. 2, c. 3. [76] *Matth.* XXVI, 60. [77] S. BERNARDIN., ubi supra ; ORIGEN. [78] *Matth.* XXVI, 62. [79] S. BERNARDIN., ubi supra ; S. LAURENT. JUSTIN., *De agone Christi*, c. 10. [80] *Matth.*, ubi supra. [81] *Psal.* XLIX, 20. [82] S. LAURENT. JUSTIN., ubi supra. [83] *Matth.* XXVI, 63. [84] S. LAURENT. JUSTIN., *ibid.* ; S. BERNARDIN. Senens., serm. 51. [85] *Matth.* XXVI, 63 ; *Marc.* XIV, 61. [86] *Joan.* XI, 27. [87] *Matth.* XXVI, 64. [88] S. LEO, serm. 6 *De pass.* [89] S. GREG., *Past.*, p. III, c. 15. [90] *Matth.*, ubi supra. [91] S. LAUR. JUST., *De agone Christi*, c. 11, 12. [92] S. BERN. [93] *Matth.* XXVI, 65, 66. [94] HUGO card., ex Hieron. *in* XIV *Marc.* ; S. LEO, serm. 6 *De passione*. [95] S. BERNARD. Senens., serm. 51, a. 2, c. 3. [96] S. ANSEL., lib. X, med. 9 ; S. BERNARDIN. Senens., *ibid.* [97] *Matth.* XXVI, 67, 68. [98] *I Petr.* I, 12. [99] S. LAUR. JUST., *De agone Christi*, c. 10 et 12 ; S. BERNARDIN. Senens., *De passione*. [1] THEOPHYLACT. ; S. BONAV., *Vita Christ.*, c. 75.

facie, sputis illitum, et omni humano destitutum auxilio? Quis mihi det ut ego moriar pro te[2]?

Flete, oculi mei, et flumina emittite lacrymarum in hoc tam crudeli horrendoque spectaculo. Non parcat pupilla per noctem et diem lacrymarum imbres erumpere; cordis etiam omnem advocate intentionem ut una concorditer lugeat. Maxima prorsus et inaudita plorandi materia [3].

Quis jam sanæ mentis contemnet humiliari propter Jesum tam humiliatum pro nobis [4]? etc.

Expergiscere itaque nunc, o anima mea, *et respice in faciem* Christi tui [5]. Vide faciem illam speciosam nunc propter te velatam, consputam, abominabilem; ecce inaudita prodigia quæ fecit Dominus super terram [6].

Aspice in fidei tuæ ducem et consummatorem [7]: mirare humilitatem ejus, sectare patientiam. Pro nobis enim passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus [8]. Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste [9].

O dulcissime Domine! quod si non merui mori pro te, concede saltem ut quocunque ieris, sociem te, tuorumque tormentorum ac ignominiarum efficiar consors [10].

CHRISTUS A CAIPHA AD PILATUM MISSUS.

Judæorum pontifices totam pene noctem ducentes insomnem nullam Domino requiem reliquerunt. Nec eis sufficit [11].

Mane autem facto, principes sacerdotum et seniores populi consilium inierunt adversus Jesum ut eum morti traderent [12]. Cerne sollicitudinem eorum sacerdotum in malum! quam *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* innoxium [13]!

Hoc mane Judæis non ortus solis contigit, sed occasus. Illis templum et altaria diruit, legem et prophetas ademit, regnum et sacerdotium sustulit, in luctum omnia festa convertit; sacerdotum sanctitas vertitur in turpitudinem, Scribarum scientia in errorem, in furorem senectus.... *Convenerunt enim in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus* [14]: velut tauri pingues, vituli multi, frementes bestiæ, canes rabidi. Consilium inierunt infandum cruentumque, quo morti auctorem vitæ et Dominum gloriæ traderent [15].

In hoc concilio interrogatus, blasphemiis appetitus... tandem reus mortis omnibus conclamantibus pronuntiatur [16].

Hæc eorum vox in Sapientiæ volumine continetur. *Circumveniamus justum, quoniam...contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis. Abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et gloriatur se Patrem habere Deum. Contumeliis et tormento interrogemus eum... Morte turpissima condemnemus eum* [17].

Et *adducunt* eum *a Caipha in prætorium. Et vinctum tradiderunt Pontio Pilato præsidi* [18]. O horrenda impietas Judæorum, quæ tantis injuriis satiari non potuit, quin potius ferali rabie fremens impio judici tanquam rabido cani animam justi diglutiendam exposuit [19]!

Et ipsi non introierunt in prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha [20]. Contaminationem prætorii metuere videbantur, et contaminationem sanguinis innocentis non pavebant [21].

O damnata cæcitas Judæorum, qui vilioribus cæremoniis studiosius intendentes, in malorum magnorum voraginem ceciderunt! O impia et stulta cæcitas! habitaculo contaminari verentur alieno, et non timent contaminari scelere proprio [22]. Vide insaniam, vide vecordiam, vide impietatem [23], etc.

Exivit ad eos foras Pilatus. Et dixit: Quam accusationem affertis adversus hunc hominem? Responderunt: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum [24]. Noli exire foras, in te ipsum redi, in interiori siquidem homine habitat veritas... Christus intus in corde sedet [25].

Interrogentur ab immundis spiritibus liberati, sanati languidi, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, mortui resurgentes, et, quod omnia superat, stulti sapientes, utrum sit malefactor Jesus... de quo dictum est: *Bene omnia fecit* [25*]; et: *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes* [26].

Dixit eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate; nihil enim invenio causæ in hoc homine [27].

Si innocens a falsis testibus calumniatur et injuste opprimitur, cur non absolvis, quem innoxium confiteris [28]

Dixerunt Judæi: Non licet nobis interficere quemquam [29]. O insana crudelitas! annon interficitis quem interficiendum offertis? *Dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta*, ait Propheta [30]. Ecce quibus armis, sagittis, machæra, justum interfecistis [31]

[2] S. Laur. Just., *De agone Christ.*, c. 10 et 12; S. Cyrill. Alex., hic; S. Laurent. Justin., *ibid.*, c. 10. [3] *Ibid.* [4] S. Bern., *De pass.*, serm. 17. [5] S. Bonav., *Solil.*, exerc. 1, c. 3. [6] *Psal.* lxxxiii, 10. [7] *Hebr.* xii, 2. [8] *I Petr.* ii, 20. [9] S. Cyrill. Alex., hic. [10] S. Laurent. Justin., *De Christi agone*, c. 10. [11] S. Laur. Just., *De agone Christi*, c. 11. [12] *Matth.* xxvii, 1. [13] *Psal.* xiii, 3; S. Hier. [14] *Psal.* ii, 1. [15] *Psal.* xxi, 13; S. Leo, serm. 3 *De pass.*; S. Bernardin. Sen., serm. 5, a. 2, c. 3. [16] S. Laur. Justin., ubi supra. [17] *Sap.* ii, 12, 16, 19, 20; S. Laur. Justin., ubi supra. [18] *Joan.* xviii, 28; *Matth.* xxvii, 2. [19] S. Bernardin. Sen., serm. 51, a. 2. [20] *Joan.* xxviii, 28. [21] S. Laur. Just., *De agone Christi*, c. 11. [22] S. Bernardin., ubi supra; S. Aug. [23] S. Cyrill. Alex., lib. xii *in Joan.* xviii. [24] *Joan.* xviii, 29, 30. [25] S. Aug., *De vera relig.* c. 39, et *in psal.* cxlviii. [25*] *Marc.* vii, 37. [26] *Act.* x, 38; S. Aug., tract. 114 *in Joan.* [27] *Joan.* xviii, 31, 38. [28] S. Aug. [29] *Joan.* xviii, 31. [30] *Psal.* lvi, 5. [31] S. Aug., tract. 114 *in Joan.*

Cœperunt autem eum accusare in multis, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, prohibentem dare tributum Cæsari, dicentem se Christum regem esse [32]. 1° Non venit Christus ut a veritatis via subverteret homines..., sed ut quos subverterat diabolus, ad Dei cognitionem revocaret [33], etc. 2° Minime prohibuit tributa dare Cæsari, qui Petro exsolvi mandavit... et dixit : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* [34]. 3° Cum vellent populi constituere eum regem, aufugit [35]

Introivit ergo in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et Jesus stetit ante præsidem [36]. In primo adventu apparuit in humilitate, sed veniet in secundo in virtute cum angelis et archangelis [37], etc.

Veniet judicaturus, qui venit judicandus. Tunc stabunt coram eo peccatores omnes, squalidi, deformes, infirmi, verecundi, confusi, cruciatibus pleni... sensus ac damni pœna attriti tremendam nimis sententiam exspectantes... *Ite, maledicti* [38], etc. Qualis mutatio !... Judæorum, sacerdotum, pontificum, gentilium, etc., quanta confusio! Aperientur libri : nota fient omnibus delicta singulorum. Non erit tunc latendi locus, pœnitentiæ tempus, modus excusationis, merendi facultas, præmium redimendi [39].

nterrogavit illum Pilatus: Tu es rex Judæorum? Respondit Jesus; Regnum meum non est de hoc mundo. Non est hinc [40], quia non terrenum, sed cœleste ; non corruptibile, non transitorium, sed sine fine mansurum. *Potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur* [41].

Non rex ad exigendum tributum, aut exercitum ferro armandum : sed rex quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum perducat [42].

Dixit ei Pilatus : Ergo rex es tu? Respondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego [43].

Rex es regni tui disponens leges, gradus distinguens, erogans dona, discernens merita, et singulorum judicans acta [44].

Cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, reutis donavit eloquium : febres abegit, dolores resolvit, dæmonia ejecit, mortuos vivificavit, mari et ventis ut quiescerent imperavit. Nunquid magnum regem hæc omnia demonstrant [45] ?

Quia ergo rex es tu, amantissime Jesu, dominare in me, *dominare in medio inimicorum tuorum* [46] ; aufer scandala de regno tuo [47], etc.

Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, etc. Apparuit Christus in mundum, non ut ostenderet quis esset, sed ut ignotam sæculo veritatis scientiam prædicaret... eamque cordibus infudit credentium [48].

Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos [49]. Illico exiit, vim claritatis ejus ferre non valens : veritatis quippe factus est testis, cum nullam causam se invenisse perhiberet in Christo.

Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, etc., *nihil respondit* [50]. *Tunc Pilatus : Non respondes : vide in quantis te accusant* [51], etc. Bene tacet qui defensione non indiget. Christus condemnatur et superat, judicatur et vincit. Sicut ait Propheta : *Ut justificeris*, etc., *et vincas cum judicaris* [52]. Quid erat opus ei loqui, cui judicium erat plena victoria ? Vincit enim cum judicatur Christus, qui sic innocens approbatur. Unde ait Pilatus : *Innocens ego sum a sanguine justi hujus* [53].

Taceat lingua necesse est, ubi ipsa æquitas sibi adest. Vincit Christus non oratione, sed virtute [54]. Appetitus ergo calumniis silentium detulit triumphale [55].

Ita ut miraretur præses vehementer [56]. *At illi invalescebant, dicentes* [57], etc. Non deponentes, sed augentes iram, animositatem, blasphemiam... Ipse autem non aperuit os suum, sed sicut ovis ad occisionem ductus coram tondente se obmutuit [58]. *Dicentes : Commovet populum docens per universam Galilæam.* Commovet sane, sed per doctrinam quam operibus validabat, virtute miraculorum, sermonibus veris ad gloriam sempiternam [59].

Quis unquam, accusatus injuste, puritatem suam veritatis clypeo non defendit? Quis intortas calumniarum sagittas in suos adversarios non retorquet? Quis sanctorum ad profectum cæterorum famam suam neglexisse cognoscitur? Nihil tamen simile Veritas egit [60].

Quando igitur nobis aliquis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat, tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus [61].

—

CHRISTUS A PILATO AD HERODEM MISSUS.

Ut cognovit Pilatus quod Galilæus esset et de Herodis potestate, misit eum ad Herodem [62]. Quis, oro, non excitetur ad pietatem, atque accendatur ad virtutem, cum Regem gloriæ vinctis a tergo manibus iniquo Herodi cogitaverit esse oblatum [63] ?

[32] *Luc.* XXIII, 2. [33] S. LAUR. JUSTIN., *De agone*, c. 12. [34] *Matth.* XXII, 21. [35] *Joan.* VI, 15. [36] *Joan.* XVIII, 33 ; *Matth.* XXVII, 11. [37] S. LAUR. JUST., *De agone Christi*, c. 11. [38] *Matth.* XXV, 41. [39] S. LAUR. JUST., *ibid.* [40] *Joan.* XVIII, 35, 36. [41] *Dan.* VII, 14 ; S. BERNARDIN. Sen., serm. 51. [42] S. AUG., tract. 50 *in Joan.* [43] *Joan.* XVIII, 37. [44] S. LAUR. JUST., ubi supra. [45] S. LEO, serm. 10 *De pass.* [46] *Psal.* CIX, 2. [47] S. BERN., hom. 4 super *Missus*. [48] S. LAUR. JUST., *De agone Christi*, c. 12. [49] *Joan.* XVIII, 38. [50] S. LAUR. JUST., ubi supra. [51] *Matth.* XXVII, 12, 13. [52] *Psal.* L, 6. [53] *Matth.* XXVII, 24; S. AMBROS., serm. 49; S. MAXIM., hom. 1 *De Christi accusat.*; S. AMBROS., *ibid.* [54] S. AMBROS., serm. 49. [55] IDEM, *in psal.* CXVIII, serm. 17. [56] *Matth.* XXVII, 14 [57] *Luc.* XXIII, 5. [58] *Isa.* LIII, 7; *Act.* VIII, 32; ORIGEN. [59] S. BERNARDIN. Sen., serm. 51, a. 3, c. 1. [60] S. LAUR. JUST., *De agone Christi*, c. 13. [61] S. AMBROS., apud S. BONAV. l. IV *Pharetr.*, c. 3. [62] *Luc.* XXIII, 6, 7. [63] S. LAUR. JUST., *De agone Christi*, c. 13.,

Providentia vero divina hoc factum est ad complementum Dominicæ Passionis, ad testimonium veritatis, ad confusionem Judæorum, quia Herodes non invenit quid puniret. Fac me, Domine, huic mundo ita funditus exstingui, ut præ magnitudine amoris tui, nec blandis corrumpar, nec adversis concutiar [64].

Herodes autem viso Jesu gavisus est valde, eo quod sperabat signum aliquod videre fieri ab eo [65]. Verum quod infidelis rex curiose quærebat, obtinere non meruit... Quam multi signa quærunt, et signa non dabuntur eis!... Averte a me, Domine, hanc curiositatis pruriginem .., sufficiat mihi simplex veritatis fides [66].

Interrogabat autem eum multis sermonibus [67]. Curiosi enim delectantur audire quoslibet sapientes; sed, non ut veritatem ab eis quærant... Deus autem tentatur, cum signa et prodigia flagitantur, non ad salutem, sed ad experientiam. Domine Deus, agit inimicus ut signum petam..., sed sicut longe est a me ista consensio, ita obsecro te ut sit semper longe atque longius [68].

Ipse nihil illi respondebat. Juste : 1° quia nec illius crudelitas merebatur videre divinâ; 2° quia Dominus jactantiam declinabat; 3° quia volebat docere nos refrenare linguam...; 4° misericorditer, ne propter ejus responsionem pejor fieret; 5° propter exemplum, ut doceret nos accusationes melius tacendo quam respondendo vincere; 6° ne crucis aut Passionis utilitas differretur [69].

Discant hoc exemplo viri linguosi... inutiles quæstiones silentio solvere... Discant tunc tantum loqui cum sermo melior est silentio [70].

Stabant autem principes sacerdotum et Scribæ constanter accusantes eum [71]. Constanter illum accusant, quia constanter invident... Disce vero exemplo Christi illata convicia patienter tolerare [72].

Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo [73]. Sprevit indutum veste alba.

Sprevit vel tanquam fatuum, vel tanquam paventem mortis terrore, vel tanquam præsumptuosum, qui velut imperitus in causa defecisset [74]. *Intelligite, reges..., quoniam a Domino data est vobis potestas... et non recte judicastis... Horrende et cito apparebit vobis quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet* [75]. Qualis rex, talia et latera ejus. Unde Herodes illusit eum cum exercitu suo [76].

Sustineamus igitur omnia patienter et mansuete, quia ipse Dominus et Salvator noster contumelia affectus, licet posset vindictam sumere, non sumpsit tamen [77].

Si tibi subrepunt furor et ira, Christus Christique contumeliæ in memoriam veniant, ac recordare mansuetudinis illius; hac enim ratione animi dolorem velut aspersa aqua exstingues, ac statim mansuetus eris ac clemens [78]. Veste alba induitur, immaculatæ tribuens indicia passionis, quod Agnus sine macula peccata mundi susciperet [79].

Si te igitur alba veste, Christo scilicet et innocentia indutum irrident adversarii, ne conturberis... *Si enim exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit* [80].

Et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici [81], etc. Tunc injusti secum concordant, quando in perniciem justi conspirant... Ideo inter se ineunt inimicissimas amicitias. Concordes ad discordiam ineunt familiaritatem ad maledicendum [82].

Antea inimici erant; postea facti amici, semper inimici remanserunt... Amicitia siquidem in malo esse non potest...; vera est quæ Christi glutino copulata, et quam timor Dei conciliat [83]

Christum veste alba indutum mittere, quid sit? Hi sunt 1° qui sanctitatis gerunt imaginem et honoris cathedram quæritant; 2° hi qui Dei sapientiam remisso corde perquirunt uno pede claudicantes, 3° sunt qui arcana mysteria curiose scrutantur, et nequeunt invenire quod optant, et in superbiam moti turbatione deficiunt; 4° sunt qui consuetudine quotidiana spiritale donum fastidiunt... Paulatim intermittunt spiritalia studia, atque contemptui habere inchoant..., in pejus quotidie effluentes, tandem bonorum abhorrent consortia, ad sæculi redeunt vomitum; et inimicitiam rejicientes cum diabolo fiunt amici [84].

Sed nunquid et tu ex illis es? attende tibi, aperi oculos tuos et vide. Pone cor tuum super vias tuas. Considera opera tua, et expavesce; *quoniam qui talia agunt digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* [85].

—

CHRISTUS AB HERODE AD PILATUM REMISSUS ET BARABBÆ POSTPOSITUS.

Scelestissimus rex, indignatione commotus, illudens Dominum cum accusatoribus remittit ad Pilatum. At si uterque reum non pronuntiat, alienæ tamen crudelitatis studiis uterque obsequitur [86].

Pilatus autem, convocatis, etc., *dixit ad illos : Nullam causam invenio in isto homine, sed neque He-*

[64] S. Bernardin. Sen., serm. 51, a. 3, c. 2; S. Aug., *Med.* c. 35. [65] *Luc.* xxiii, 8. [66] S. Laur. Just., ubi supra. [67] *Luc.* xxiii, 9. [68] S. Isidor., in *Synon.;* S. Aug., lib. x *Confess.*, c. 35, n. 2 et 3. [69] S. Ambros., *in Luc.* l. x, cap. xxiii; Hugo card., *in idem cap. Luc.* [70] S Vinc. Fer., *De vita episc.* c. 2; S. Greg. Naz. [71] *Luc.* xxiii, 10. [72] Cassian., coll. 18, c. 17; S. Greg., *in Ezech.* xix. [73] *Luc.* xxiii, 11. [74] S. Bernardin., serm. 51, a. 3, c. 2. [75] *Sap.* vi, 4-6. [76] S. Bernardin., *ibid.* [77] S. P. Chrysol., *Serm. De mansuet.* [78] S. Greg. Naz., *in Sentent.* [79] S. Ambros., l. x *in Luc.* c. xxiii. [80] *I Petr.* iv, 14. [81] *Luc.* xxiii, 12. [82] S. Aug., *in psal.* xxxvi, conc. 2; S. Bern., serm. 24 *in Cant.* [83] S. Aug., *Epist.* [84] S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 13. [85] *Rom.* i, 32. [86] S. Laur. Just., *De Christi agone*, c. 13; S. Ambros., l. x *in Luc.* c. xxiii.

rodes, etc. *Est autem consuetudo vobis ut unum vobis dimittam. Vultis vobis dimittam regem Judæorum* [87] ?

1° Quomodo causam mortis inveniret in Christo, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [88]. Ipse enim *est candor lucis æternæ, speculum sine macula* [89].

2° Quærit opportunitatem dimittendi Jesum, sed infructuose, quia non ex plena, perfecta et tota voluntate quærit. Hæc, o Domine! tota mortis tuæ causa. Ipse mortuus est propter peccata tua, percussus est propter scelera tua [90]. Ego tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis, ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Multi in Pascha Christum per peccata captivum volunt per conversionem liberare, sed semper captivum retinent vinculis concupiscentiæ alligatum [91].

3° Veritatem loquebatur Pilatus sapienter indoctus Christum Dominum regem appellans : *Rex constitutus ab eo super montem sanctum ejus* [92].

Quem vultis Barabbam an Jesum qui dicitur Christus [93]? O inordinata nequitia judicantis! Pronuntiat innocentem et eligendi tribuit facultatem [94].

Erat autem Barabbas latro [95] famosus in civitate, et multis homicidiis inquinatus..., aliis omnibus sceleratior ; seditiosus et homicida : ubi enim non est Christus, ibi seditiones, lites et prælia ; ubi autem est Jesus, ibi sunt omnia bona, et innumerabiles divitiæ [96].

Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum [97], etc. O infidelis iniquitas! Omnes præter vos, o Judæi, innocentiam Christi clamant. Clamat præses, Herodes actibus suis ; dæmon insinuat ; mulier profitetur : nuntius profert . *Nihil tibi et justo illi* [98].

Intellexit enim diabolus se per Christi mortem nudandum, et ideo satagebat Christum eripere de manibus Judæorum. O vitium diabolicum! Egressa est iniquitas a senioribus qui verebantur populum [99]

Et persuaserunt populis ut magis *Barabbam peterent* [1]. *Grex perditus factus est populus, pastores seduxerunt eos* [2] ... Quid iniquius hac petitione? *quæ conventio Christi ad Belial* [3] ?

Clamaverunt omnes : Non hunc, sed Barabbam. Quid ergo vultis faciam de Jesu [4]? *At illi succlamabant : Crucifigatur ; crucifige eum* [5].

Tertio dicit ad eos : *Quid enim mali fecit? Nullam*, etc. Instabant ac *magis clamabant : Crucifigatur, crucifige. Corripiam et dimittam..., emendatum dimittam* [6]. At *invalescebant voces eorum* [7].

O Judæi miseri, bene implevistis quod promisistis : dixistis enim : *Morte turpissima condemnemus eum* [8]. Nonne illorum ora ferarum sunt sæviora? *Deglutiamus eum*, inquiunt, *sicut infernus vivum et integrum* [9]. Sed, o scelerate judex, quid dubius hæres? Nescis quid facias de Jesu, quia nescis quid sit Jesus [10].

Ecce tertio innocentem confiteris, nec tamen absolvis. An nescis quod vera justitia, cum fuerit nota judici, non est ab exsecutione retardanda, imo statim definienda?... Sine moræ dispendio sunt innocentes absolvendi, rei vero puniendi [10*]. Emendare vis innocentem... Si innocens, quomodo emendabis? Si emendabis, quomodo toties innocentem proclamasti [11]?

Per Barabbam vetus homo, per Jesum novus designatur. Uterque ligatus est : ille vinculis peccatorum, iste vinculis præceptorum [12]. Porro tota turba clamat pro Barabba, id est veteri homine dimittendo, et novo, id est Christo, condemnando : *Crucifigatur*. Quæ est autem ista turba? certe mala societas, carnis voluptas, mundi vanitas, dæmonis iniquitas, propria fatuitas, parentum carnalitas [13].

Jesum crucifigit qui mortaliter peccat. Bonus præses debet absolvere, et dimittere liberum novum hominem [14].

Videte, o Christiani, ne similia dicatis, et adhuc pejora faciatis... Judæi quidem Christum gladio linguæ occiderunt.... Nunquid et ipsum, dum peccas, in te ipso crucifigere non vereris? At : Majus est offendere Christum in cœlo nunc sedentem, quam in cruce olim pendentem. Hæc sedulo cogitate, et in statera cordis appendite [15].

—

CHRISTUS FLAGELLATUS.

Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit [16], ut illum ex Judæorum manibus liberaret. Non enim persequendo Dominum flagellavit, sed eorum furori satisfacere volens, ut vel sic mitescerent, et desinerent velle occidere cum flagellatum viderent [17].

Ego, inquit, *in flagella paratus sum* [18]. Grande spectaculum, mundo, angelis et hominibus, ut a servis peccati princeps libertatis servilibus modis concideretur... *Sine causa*, inquit, *flagellis cecideruntme* [18*].

Cum enim jussisset Pilatus Christum durissime flagellari, spoliatur, ad columnam ligatur, diversimode flagellatur. Stat nudus, suscipit flagella dura. Repletur livoribus et fracturis. Fluit undique regius sanguis ex omnibus partibus corporis : superadditur,

[87] *Luc.* XXIII, 14 seq. [88] *I Petr.* II, 22. [89] *Sap.* VII, 26 ; *Hebr.* I, 3 ; S. BERN., *De perfect. vitæ*, c. 6. [90] *Isa.* LIII, 5 ; *I Cor.* XV, 3. [91] S. AUG., *Medit.*, c. 7. [92] *Psal.* II, 6 ; S. LAURENT. JUST., *De agone Christi*, c. 13. [93] *Matth.* XXVII, 17. [94] S. AUG., serm. 121 *De temp.* [95] *Joan.* XVIII, 40. [96] S. BERNARDIN. Senens. ; ORIG., hom. 34 *in Matth.* [97] *Marc.* XV, 10. [98] *Matth.* XXVII, 19 ; S. BERNARDIN. Senen., serm. 51, a. 4, c. 1. [99] *Dan.* XIII, 5 ; BEDA, *in c.* XXI *Luc.* ; HUGO card., serm. 50. [1] *Matth.* XXVII, 20. [2] *Jerem.* L, 6. [3] *II Cor.* VI, 15 ; S. GREG., et lib. III *Pharet.*, c. 10, apud S. BONAV. [4] *Joan.* XVIII, 40 ; *Matth.* XXVII, 22 ; *Luc.* XXIII, 21. [5] *Ibid.*, 23. [6] *Luc.* XXIII, 16, 21, 22. [7] *Ibid.*, 23. [8] *Sap.* II, 20. [9] S. CHRYSOST., hom. 9 *in I Cor.* [10] *Prov.* I, 12. [10*] S. BONAV., *De eccl. hier.*, cap. *De virt.* [11] S. BERNARDIN. Sen., serm. 51, a. 3, c. 1. [12] HUGO card., *in Matth.* XXVII. [13] ID., *in Marc.* XV. [14] ID., *in Matth.* XXVII. [15] S. AUG., *in psal.* LXIII, *De verb. apostol.*, serm. 25. [16] *Joan.* XIX, 1. [17] S. AUG., *in psal.* LXIII. [18] *Psal.* XXXVII, 18. [18*] *Psal.* CVIII, 3 ; RUPERT., *in Joan.* l. XIV, c. 19 ; S. BERN., *De vass. Dom.*, c. 40.

reiteratur, spissatur livor super livorem, et fractura super fracturam, quousque tam tortoribus quam spectatoribus fatigatis solvi jubetur [19].

Hinc livor tumens, inde sanguis erumpens variatum corpus cute decoriata reddit, adeo ut membrorum compages visibiles fierent [20].

Nunc scapulas, nunc ventrem, nunc brachia, nunc crura cingunt : vulnera vulneribus, plagas plagis recentibus addunt [21].

Ipse vero tanquam *agnus coram tondente se non aperuit os suum. Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et percussum a Deo et humiliatum. Ipsius livore sanati sumus.* Nam *propter iniquitates nostras vulneratus est, et attritus propter scelera nostra* [22.23]. Cujus tam ferreum pectus tanta non emolliret benignitas Redemptoris [24] ?

Quis a fletu continere poterit cum viderit Dei Filium sic durissime flagellari.., et horrendum istud coram se positum spectaculum ? Vide quomodo defluit sanguis ille pretiosissimus per illa sacra vulnera innocentis et amantissimi Sponsi [25].

Ecce Sponsus tuus, o Sponsa ! rubricatur in sudore, in flagellatione, in crucifixione. Eleva mentis oculos et vide si tunica Sponsi tui hæc sit, an non. Ecce fera pessima condemnavit eum [26], etc.

Sed attende quod nec flagella hæc mysterio vacant :

1° Siquidem flagellatus est iste, ne nos flagellaremur [27].

2° Ut omnes hominum contumelias et injurias æquo animo feramus [28].

3° Quia magni pendebat pro honore Divinitatis tanta sustinere, ac tales amori sibi impenso vices rependere [29].

4° Ut flagella benignissimi Patris nostri discamus æquanimiter tolerare [30].

5° Ut opprobria exprobrantium quæ ceciderunt super eum [31] auferant a te opprobrium sempiternum [32].

6° Attende quod flagellat te ad emendationem, non ad damnationem [33].

Flagella sunt corripientis, ne sit sententia damnantis [34]. Flagellum corrigentis est, non pœna damnantis [35]. Melius est ut flagellet te et recipiat, quam parcat et deserat [36].

Et certe, si exceptus es a numero flagellatorum, exceptus es a numero filiorum... Flagellat enim omnem filium quem recipit [37], in filios damnationis vindicans iratus, sed in filios gratiæ vindicans propitius... Et magna ira nulla ira. Omnis itaque filius necesse est ut flagelletur, usque adeo non illi pepercit, qui peccatum non habuit. Unde si non vis flagellum, non dabitur tibi hæreditas [38]. Si enim recusas pati, recusas coronari [39].

Attende quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad præteritam culpam quæ remittitur, ad præsentem gratiam quæ immittitur, ad futuram gloriam quæ promittitur [40].

Ne ergo deficias in disciplina Domini, neque fatigeris cum ab illo corriperis. Neque fatigatus dicas te indigne accipere disciplinam; sed *confortare et esto robustus* [41]. *Sustine sustentationes Dei : conjungere Deo et sustine, ut crescat in novissimo vita tua* [42].

Ad tempus enim laboras, sed in æternum non laborabis [43].

Ego sum qui peccavi, tu vero qui es Agnus immaculatus, cur pateris ? Abhorreo, mi Domine, videre cor meum nisi vulneribus plenum, cum videam te Salvatorem meum sic crudelissime et vilissime pro me flagellatum. Aut ergo, mi Jesu, benignissime des mihi vulnera tua, aut vulnera me tecum, aut certe des mihi licentiam transverberandi cor meum. Nolo enim, Domine, nec possum vivere sine vulnere, cum te undique videam vulneratum ; pro me siquidem, Domine, vulneratus es, non pro te, et tu vulnera portas, non ego [44].

Da mihi in adversis et in prosperis continentiam. Brevis est molestia tua, o anima fidelis, æterna erit beatitudo tua : ad modicum doles, sed sine fine gaudebis [45].

Convertere ad Dominum Deum tuum, et dic illi : Tu, Domine, qui exterius flagella irrogas, da semper interius patientiam indeficientem, miserere mihi indignissimo peccatori et digna patienti, assidue peccanti, et flagella tua quotidie sustinenti [46].

—

CHRISTUS SPINIS CORONATUS, ET SICUT REX IN DERISUM SALUTATUS.

Tunc milites suscipientes Jesum congregaverunt ad eum universam cohortem. Et exuentes eum, chlamydem coccineam (seu purpuream) *circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum illudebant ei. Et cœperunt salutare*

[19] S. Bonav., *Medit. vitæ Christi*, c. 76. [20] S. Laur. Just., *De agone*, c. 14; S. Bonav., *De passione Christi*. [21] *Ibid.*, paulo ante. [22.23] *Isa.* liii, 1-7. [24] S. Laur. Just., supra. [25] S. Bernardin. Sen., serm. 51, a. 3, c. 3. [26] *Gen.* xxxvii, 32, 33; S. Bern., *De pass. Dom.*, c. 4. [27] S. Ambros., *in Luc.* xxiii. [28] B. Esaias, abbas, orat. 15. [29] S. Laur. Just., *De agone Christ.*, c. 16. [30] S. Bern., *De pass.*, c. 40. [31] *Psal.* lxviii, 10. [32] Drogo Ostiens., *De passione*. [33] S. Aug., *in Joan.* [34] Id., *in psal.* lxv. [35] Id., tract. 7 *in Joan.* [36] Id., *De verb. Dom.*, serm. 4, c. 5. [37] *Hebr.* xii, 6. [38] S. Aug., *De pecc. mer.*, l. ii, c. 16; Id., *in psal.* xxxvii. [39] Thom. a Kempis. [40] *Rom.* viii, 18; S. Bern., *De convers. ad cleric.*, c. 22. [41] *Deut.* xxxi, 23; S. Aug., *in psal.* xxxvii, annot.; Id., *in Job* xxxviii. [42] *Eccli.* ii, 3. [43] S. Aug., *in psal.* xxxvi, conc. 2. [44] S. Bonav., *Stimul. amor.*, part. i, c. 2. [45] S. Aug., *Medit.*, c. 11 et 38. [46] S. Aug., ubi supra.

eum, et dicebant : Ave, rex Judæorum. Et conspuebant in eum, et dabant ei alapas, et percutiebant caput ejus arundine [47].

Sume nunc, o anima mea, lamentum grande, plange dolores Domini tui, depone nuptialem vestem, induere cilicio, asperge caput tuum cinere, faciem immuta, atque cordis tui lamento illius lava mœrorem. Totum te illi conforma, et si non vales corpore, saltem hoc age mente [48].

Omnia facit et sustinet, quæ Judæi volunt. Eorum siquidem (militum) nonnulli *conspuebant in faciem ejus :* quidam irridentes illum genu flectentes dicebant : *Ave, rex Judæorum.* Alii arundinem accipientes in manibus venerandum ejus caput cædentes irrisione aiebant : *Prophetiza nobis quis te percussit* [49].

Purpuram suscipit, super caput spineam coronam portat, arundinem manu tollit, et ipsis genuflectentibus et ut regem salutantibus tacet, et patientissime obmutescit.... factus tanquam vas perditum, et sicut homo mortuus a corde, audiens vituperationem multorum commorantium in circuitu [50].

Universam cohortem congregant, lusum sibi Dominum facientes. Hic parumper, o anima mea, gressus fige, et Redemptoris tui intolerabilem dolorem attende, modum cogita, ludibrium meditare, atque tormenti hujus immanitatem metire [51].

Ubi mutato habitu illusus est Christus? Nonne in domo Herodis regis, et Pilati præsidis? At toties illuditur Christus verus Pontifex, quoties qui præsunt in Ecclesia honores ab hominibus quærunt, pretiosarum vestium apparatu nitent, dominatum sibi in clero vindicant, et transitoriis prosperitatibus delectantur; sed et quod sine mœrore dici non potest, domus quæ receptacula pauperum esse debent, imperatorum palatia judicantur [52].

Cur autem sic Christus exuitur, et cocco et purpura induitur?

1° Cum exueretur Dominus et indueretur purpura, in ipso invisibiliter tropæum de diabolo erigebatur [53].

2° In se sanguinem mundi suscepit, hoc est peccata, quæ, secundum prophetam [54], rubra sunt et sanguinea, ut coccinum [55].

3° Quia terra per diabolum funestata, et multis cruoris undis imbuta fuerat [56].

4° In eadem veste demonstrat se opera gentium cruenta sustentare [57].

5° In purpura cruor et tolerantia passionum exhibetur [58].

6° Purpureus color veros sacerdotes et imperatores admonet, ut promptis animis sanguinem suum pro subditis fundant, id est pro subditorum salute [59].

Egredimini, filiæ Sion, id est animæ sanguine Christi redemptæ..., *et videte regem Salomonem,* Christum, *in diademate quo coronavit eum mater ejus* [60] Synagoga. O mater amara, quid peccavit hic bonus filius tuus? Hancne dotem, hæccine munuscula nuptiis illius impendis? Dies enim desponsationis illius dies ista est; dies indignationis et blasphemiæ, dies tribulationis et miseriæ, dies percussionis et doloris, dies vinculorum et mortis [61].

Hac arrha, o fidelis anima, Sponsus tuus subarrhavit te, et ipse tanquam sponsus hodie coronatus processit, coronatus non gemmis, sed spinis [62].

At vero tormenti hujus immanitatem ex te ipsa metire [63]. Te in persona statue Domini, taliaque arbitrare esse passuram. Capitis delicati sensibilitatem considera, spinarum punctiones cerebrum perforantes mirare : sicque sanguinem decurrentem lacrymarum inundatione absterge... Debuit plane mori tanto dolore transfixus, se tamen reservavit ut his etiam graviora perferret [64].

Sic coronatus et confusione coopertus incedit Sponsus tuus, et tu, humani cordis superbia, opprobria abhorres, et ad honores aspiras [65].

Væ, et iterum væ tibi, vanitas tam virorum, quam mulierum, quæ caput ornas tanta multitudine vanitatum. Cur, mens insensata, non recordaris divini illius capitis, quod est angelis tremendum?

Quia vero multitudo avarorum, ambitiosorum, et aliorum peccatorum plus quam spinæ pungunt : tot spinas in coronam Christi plectunt prælati, quot malos in ecclesiastica dignitate constituunt [66].

Spinis coronatus est : 1° ne doleret caput tuum; 2° ut nos liberaret a spinis peccatorum [67]; 3° ut nos humilitatis corona redimiti, inimici superbiam concutiamus [68]; 4° ut tu Christi coronam induas et æmuleris.. quia non ante Rex gloriæ salutatus est in cœlestibus, quam rex Judæorum proscriptus in crucem [69]; 5° spinis ergo coronatus est, ut et nobis regni diadema compararet [70].

Superbum itaque mundum vincebat, non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate, portans spineam coronam et purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobriis [71].

Sicut autem in corona spinea illudi voluit Mediator, ita et in arundineo sceptro [72].

Arundo comprehenditur manu ejus, ut humana fragilitas jam non sicut arundo moveatur a vento [73].

Potestas enim et regnum impiorum arundo est vento agitata. Et terrena dignitas arundini compa-

[47] *Matth.* XXVII, 27-30; *Joan.* XIX, 2, 3. [48] S. LAUR. JUST., *De agone Christi*, c. 14. [49] *Luc.* XXII, 64; S. BONAV., *Med. vitæ Christ.*, c. 76; S. LAUR. JUST., ubi supra. [50] *Psal.* XXX, 13, 14; S. BONAV., supra; S. LAUR. JUST., *ibid.* [51] ORIGEN.; S. LAURENT. JUSTIN., ubi supra. [52] *Ibid.* [53] S. ATHAN., *Serm. de cruce et passione.* [54] *Isa.* I, 18. [55] *Isa.* I, 18; ORIG. [56] S. ATHAN. [57] S. HIER. [58] S. GREG. [59] ELIAS Cret., ad or. 3 Greg. Naz. [60] *Cant.* III, 11. [61] *Sophon.* I, 15; S. BERNARDIN. Senens.; S. BERN., *De passione*, c. 4. [62] S. BERNARD., *ibid.* [63] S. LAUR. JUST., *De agone Christi*, c. 14. [64] S. BERNARDIN., serm. 51, a. 3, c. 3. [65] *Ibid.* [66] HUGO card., *in cap.* XXVII *Matth.* [67] S. AUG., serm. 181 *De tempore.* [68] ID.; ESA. abbas, orat. 13. [69] TERTULL., *De corona militis*, c. 14. [70] S. HIER. [71] S. AUG., tract. 116 *in Joan.* [72] S. LAUR. JUSTIN., c. 14. [73] S. AMBR., *in Luc.* X, c 22.

ratur, quæ exterius viret, et tamen infructuosa, intusque inanis est et vacua [74].

Illudunt autem Christo, 1° qui illius honorem sibi arrogant, volentes hominibus tyrannice dominari. O quantum in ipsis et per ipsos æterna illuditur Sapientia! 2° Tales sunt hypocritæ, qui ex simulatis artibus ostentant se honorare Christum, cum revera illi turpiter illudant. 3° Hæc omnia patitur, ut ad toleranda pro nomine ejus irrisionum opprobria te præpares [75].

Irrisio dicentium : *Ave, rex Judæorum*, illorum gerit imaginem, qui sub verborum sonora altitudine, aut sub sanctitatis velamine derogant veritati, et sanæ Christi doctrinæ nequiter vivendo contradicunt [76].

Et conspuebant in eum. Voluit Christus conspui, ut sic dignatione ostenderet quod pro nobis passus est se stolidum reputari, et vilissimum irrideri. Illi enim conspuuntur qui stolidi ac viles reputantur [77].

Et percutiebant caput ejus arundine. Cerne hic, o anima mea, in amaritudine cordis caput ejus plenum spinis, atque arundine sæpe percussum. Cogita cum quanto dolore tam acerbos ictus tunc suscipit; perforabant enim caput ejus sacratissimum acerbissimæ illæ spinæ, ac totum madere faciebant sanguine [78].

Porro ut solidata divinitatis attactu nostra conditio nutare non possit, percuti voluit Christus arundine [79].

Et dabant ei alapas. Nonne ut liberaret nos palmis in faciem vulneratus est? O miraculum timore ac tremore plenum! manus lutea, ex pulvere terræ formata, alapam dedit Conditori cœli et terræ; nos vero miseri, nos infelices, qui terreni sumus et mortales, pulvis et cinis, ne usque ad verbum quidem sufferre possumus invicem [80].

Tunc cæsus est colaphis seu alapis Judæorum, nunc cæditur blasphemiis falsorum Christianorum [81].

In mente quoque hominis justificati tanquam in propria sede subsistens, toties repulsa colaphizatur, quoties divinam legem idem homo voluntate transgreditur [82].

mitemur caput nostrum, Regem nostrum, Ducem nostrum, et si malorum perversitate compungimur, et irridemur, non murmuremus, non recalcitremus [83].

Pudeat etiam nos sub tali capite delicatum corpus gerere [84].

Nec enim decet sub spinoso capite membrum delicatum [85].

Porro licet irrisione coronent, tamen ignorantes et irridentes coronatum regem fatentur, quia regum est coronari [86].

Per spinas autem intelligitur multitudo avarorum, ambitiosorum et aliorum peccatorum, qui plus quam spinæ pungunt; item ipsæ divitiæ, quæ sunt spinæ acutissimæ. Item qui rapinas exercent. Item peccata nostra, seu punctio peccatorum [87].

—

CHRISTUS A PILATO CONDEMNATUS. — ECCE HOMO.

Exivit ergo Jesus foras portans coronam spineam et purpureum vestimentum [88].

Egreditur ad eos Jesus, non clarus imperio, sed plenus opprobrio [89].

Educitur enim flagellatus, portans coronam spineam, et purpureum vestimentum : et tunc Pilatus dicit : *Ecce homo.* Vere homo est, quis dubitet? Testes sunt plagæ virgarum, livor vulnerum, fœditas sputorum. Vere est homo iste, inquit [90].

Sed quid est quod in tot injuriis non irascitur ut homo, non suis indignatur tortoribus ut homo?

Cognoscitur homo impiorum judicia sustinens, sed cognoscitur Deus judicia faciens [91].

Dixit eis Pilatus : *Ecce homo.* Facile innatam et naturalem compassionem trahit ad se calamitas pauperum, et tribulati cordis opprimens mœror, nullumque ad excitati animi placandam iram validius medicamentum [92].

Hac arte utitur Pilatus in Judæorum turba furenti. Flagellatum etenim Dominum, coronam portantem spineam atque purpureum vestimentum, populo exposuit dicens : *Ecce homo* [93].

O grande mysterium! O divina miserationis inefabile signum! videre Dei Filium totum cruentatum et squalidum coram universa astare Hebræorum plebe! Quid contemptibilius? quid crudelius [94]?

Debuerant plane saxea emolliri corda. Verum mox, ut Dominum prospexerunt, vesania solita commoti clamavere, dicentes : *Crucifige, crucifige eum* [95]. Vide quomodo non frigescit, sed inardescit potius invidia et crescit [96].

Clamabant tanquam Dei hostes et osores, Domini cæsores, in legem injurii, gratiæ adversarii, patroni diaboli, consessus dæmonum [97].

O dulcis Jesu, quis tam durus esset et impius, ut clamores illos horribiles sine gemitu valeret audire seu mente tractare [98] ?

[74] Drogo Ost., *De sacra D. pass.*, l. 1; S. Laur. Just., ubi supra. [75] Id., *ibid.*; Beda, *in cap.* xv *Matth.* [76] S. Laur. Just., ubi supra. [77] S. Anton. Pad., *Serm. de pass.* [78] S. Bonav., *Medit. vitæ Christi*, c 76. [79] S. Ambros., *in cap.* xxii *Luc.* [80] S. Ephrem., *Serm. de vita relig.* [81] Beda, *in cap.* xv *Marci.* [82] S. Laurent. Justin., *De agone Christi*, c. 8. [83] S. Bern., *De pass.*, c. 39. [84] *Ibid.* [85] Hugo card., *in cap.* xxii *Matth.* [86] S. Bern., *De pass.*, c. 39. [87] Hugo card., *in* xxvii *Matth.*; S. Laur. Just., ubi supra, c. 14; S. Aug., serm. 114 *De tempore.* [88] *Joan.* xix, 5. [89] S. Aug., tract. 116 *in Joan.* [90] S. Anselm., *Med. de præter. benef.* [91] *Ibid.*, huc usque. [92] S. Laur. Justin., *De agone Christi*, c. 15. [93] *Ibid.* [94] Id., *ibid.* [95] *Joan.* xix, 15. [96] S. Aug., tract. 116 *in Joan.* [97] S. Greg. Nyss., orat. 5 *in Christ. resur.* [98] S. Bern. Sen., serm. 51, a. 4, c. 1.

Nos legem habemus, et secundum legem debet mori [99]. O infelix peccator! quoties peccas, toties Christum interficis; per peccatum enim vita tua perimitur, vita autem nostra Christus est. *Nos legem habemus*, inquis, *et secundum legem nostram debet mori*... Nam lex lasciviæ indicat eum mori in carne, etc.; lex superbiæ in mente; lex avaritiæ in corde; hæ leges mundi [1].

Cum audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit [2]. O effeminate et nimium meticulate judex! Attende quod leges tuendas suscepisti : omnis enim cui legum custodia mandata est, metu carere debet [3].

Fortis esse debet judex et virilis, ne timore, odio vel amore, a vigore justitiæ deflectatur [4]. In judicibus enim requiritur virilitas angelica, ut nec benedictione, nec maledictione a rectitudine justitiæ moveantur [5]. Unde : *Noli fieri judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates* [6].

Et ingressus iterum Pilatus in prætorium, dicit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei.

Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris. Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?

Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet [7].

Ubi non respondebat Jesus, sicut ovis silebat. Ubi respondebat, sicut pastor docebat [8].

Fastigium nobilitatis est inter filios Dei reputari. Et nemo in cœlestibus gloriosior, quam qui, repudiato patrum stemmate, sola elegit Christi paternitate censeri [9].

Nobilitatis ergo tuæ tantum ad hoc memineris, ut cum claritate generis morum sanctitate contendas.

Si præpotens quidam sic interrogaretur : Unde es tu? quam cito avos aut proavos numeraret!... Christus autem tacet, ut discas non gloriam quæ ex hominibus est, sed eam quæ ex Deo est, quærere [10].

Oportebat autem ut taceret in passione, non taciturus in judicio [11]

Potestatem habeo dimittere te. O superba locutio! Quid te jactas, arundo sterilis... vento inanis gloriæ agitata? Nemo nisi dispensante Deo potestatem sortitur in terris [12].

Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis, ait Apostolus [13]? Ille majus peccatum habet, qui me tradidit invidendo, quam tu qui potestatem exerces metuendo [14].

Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum [15]. Meditabatur utilia, honesta cupiebat, sed non ea virtute qua debuit. O quanti hodie hujus judicis imitantur inconstantiam! O quot ab eo quod disponunt sancte agere, se subverti permittunt [16]!

Quanti, qui dum parva ex adverso mala metuunt, operari maxima prætermittunt [17]!

Judæi autem clamabant, dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris [18]. Excessit Pilati culpam facinus Judæorum, qui illum nomine Cæsaris territum, ad effectum sui sceleris perduxerunt [19].

Pilatus enim opportunitatem quærebat dimittere Jesum; sed expavens ad hanc vocem, *pro tribunali sedens*, morti adjudicavit morte indignum [20].

Paupertatem elegit Christus, obedientiam suasit, mansuetudinem prædicavit : hocne est impugnare Cæsarem, an juvare?... Imo jussit tributum dari : *Reddite quæ sunt Cæsaris*, etc. [21].

Et dixit Judæis : Ecce rex vester. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum... Regem vestrum crucifigam? Non habemus regem nisi Cæsarem [22].

Ille est de quo legitur : *Et habebat in vestimento et in femore scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium* [23], quique in cœlo et in terra regni sui dilatat habenas [24].

Hoc verbum asperum (quod protulit domus exasperans [25]) sustinuisti, Domine, ut nos liberares a verbo aspero [26]. Sed hæc vox, *Tolle, tolle*, etc., an Judæorum est tantum? nonne et Christianorum? Sic enim clamat caro, vetus homo, passiones, omnes peccatores, rursum crucifigentes in semetipsis Christum [27].

Videns Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus suas coram populo, dicens : Innocens sum a sanguine justi hujus; vos videritis [28].

Non purgant animum contaminatum manus lotæ... Unde licet manus suas laverit, tamen facta sua non diluit... Justum sanguinem et confitetur, et tradit. Quid profuit testimonium perhibuisse innocentiæ, et velut reum addixisse nequitiæ [29]?

Et respondens universus populus dixit : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros [29*]!

Crudelis impietas posteros ante in reatum vocat quam producit in lucem [30].

Porro obtinuerunt iniqui in damnationem suam quod pertinaciter exigebant [31].

Perseverat siquidem usque in præsentem diem

[99] *Joan.* XIX, 7. [1] S. ANTON. Pad., *Serm. fer.* 3 *hebd.* 4 *Quadrag.* [2] *Joan.* XIX, 13. [3] THEOPHYLACT., *in c.* XIX *Joan.* [4] S. GREG. Naz., *Sent.* [5] S. BONAV., *Eccles. hierarc.*, cap. *De virtut.* [6] *Eccli.* VII, 6. [7] *Joan.* IX, 10, 11, 12. [8] S. AUG., tract. 116 *in Joan.* [9] S. HILAR. Arel. [10] S. HIERON. [11] S. AUG., *in psal.* XXXVII. [12] S. LAUR. JUST., *De agone Christi*, c. 15. [13] *I Cor.* IV, 7. [14] *Joan.* XIX, 11; S. AUG., tract. 116 *in Joan.* [15] *Joan.* XIX, 12. [16] S. LAURENT. JUSTIN., ubi supra. [17] S. GREG., *Pastor.*, part. III, c. 15. [18] *Joan.* XIX, 12. [19] S. LEO, serm. 8 *De passione.* [20] S. LAUR. JUST., *De Christi agone*, c. 15. [21] *Matth.* XXII, 21; S. LEO, serm. 10 *De passione.* [22] *Joan.* XIX, 14, 15. [23] *Apoc.* XIX, 16. [24] S. LAUR. JUST., *De Christi agone*, c. 12. [25] *Ezech.* II, 5. [26] *Psal.* XC, 3; S. BERN., *in psal.* XC : *Qui habitat*, etc. [27] *Hebr.* VI, 6; S. BERN., apud S. BONAV., *Solit.*, c. 2. [28] *Matth.* XXVII, 24. [29] S. LEO, serm. 8 *De passione;* S. AMBROS., serm. 49. [29*] *Matth.* XXVII, 25. [30] S. MAXIM., serm. 30 *De resurrect.* [31] S. LEO, serm. 8 *De passione.*

hæc imprecatio super Judæos, et sanguis Domini non auferetur ab eis, et usque ad finem perseverabit desolatio [32].

Huic denique maledictioni hæreditariæ subjacent omnes qui illos imitantur, iterum crucifigentes Christum in semetipsis [33].

Pilatus autem adjudicavit fieri petitionem eorum, volens populo satisfacere [33*].

O impie, crudelis et dire tyranne, ad quid leges? ad quid jura? ad quid tribunal? ad quid magistratus? si apud tutores hominum et reipublicæ defensores innocentia, et puritas, et vita immaculata non possunt tute consistere.

O iniquitas consummata! quod homo Deum, injustus justum, peccator sanctum, judicandus judicaturum Dominum judicet velut reum [34].

Sed et tu, anima peccatrix, vide quod et innocentissimus Agnus, ut te a sententia justæ damnationis eriperet, injusto propter te judicio elegit damnari [35].

Ecce quæ non rapuit pro te solvit, et tu, impia et crudelis, nec devotionis exsolvis gratitudinem, nec compassionis rependis teneritatem, nec insuper ad hæc aperis considerationis intellectum [36].

Non ergo Pilatus evasit reatum, qui reliquit judicium proprium, et in crimen transivit alienum [37].

Dimisit autem illis Barabbam. Jesum vero flagellatum tradidit voluntati eorum. Tradidit ut crucifigeretur [38].

Furentis Synagogæ sacrilegium confirmavit [39].

O infelix anima, quem paulo ante verbo defendisti juste, nunc crudeliter et injuste facto condemnas [40]

Noverat Christi innocentiam, noverat accusatorum calumniam, et tamen carnaliter territus mentis suæ judicium flexit, et Judæorum comminationibus prostratus, iniquam sententiam dedit [41].

Sic humiliatus est Jesus, ut nos exaltaret; quis sanæ mentis contemnet humiliari propter tam humiliatum? Quid magnum servo si ea quæ passus est Dominus subeat [42]?

—

CHRISTUS AD CRUCEM DUCTUS.

Pilatus sedit pro tribunali; et promulgata Mediatoris sententia, *milites et ministri comprehendentes exuerunt eum chlamyde coccinea*, inquit evangelista [43].

Ubi milites ad satietatem usque Christum Redemptorem nostrum ludibrio habuerunt.... susceperunt illum cum omni immanitate et furore, et eduxerunt eum ut crucifigerent. Et traditus sævientium voluntati, supplicii sui jussus est esse gestator [44].

Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum [45].

Ut impleretur quod Isaias præviderat, dicens: *Cujus imperium super humerum ejus* [46]: gloriosissimus diaboli victor et inimicarum potestatum potentissimus debellator [47].

Bajulat crucem sibi Filius Dei Jesus, veluti Isaac ligna. O benignitas Salvatoris, qui sic oneratus incedis! O Fili hominis! *Ecce ligna, ecce ignis, sed ubi est victima* [48]? Ecce Dominus humano generi providebit [49].

Crucem, o Domine Jesu, portabo post te. Confige illi manus meas et pedes meos, et totam formam passionis tuæ me servulum indue [50].

Considera concursum innumerabilium populorum, ad hoc spectaculum confluentium, susurrantes passim invicem turbas, Filium Dei egredientem de janua, crucem super proprios ferentem humeros [51].

Incedebat demisso vultu, incessu humili, totus fatigatus et anxius, qui tota nocte fuerat flagellatus, colaphizatus, consputus, illusus atque oppressus; tunc compellebantur illius aures vociferationibus, blasphemiis, contumeliarum vocibus, plangentium mulierum *gemitibus inenarrabilibus* [52]. Quis non ejularet ex corde super angelorum Regem et Dominum lento gradu, tremulis genibus, oculis liventibus, crine sparso, facie cruentata, scissis vestibus, spinis capite coronato, crucem propriam bajulantem [53]?

Et cum ducerent apprehenderunt prætereuntem quempiam Cyrenæum, nomine Simonem. Hunc angariaverunt, et imposuerunt illi portare crucem post Jesum [54]. Non fortuitum, sed figuratum et mysticum fuit, ut Judæis in Christum sævientibus, ad compatiendum ei peregrinus occurreret [55], ut non Hebræus quispiam, nec Israelita, sed alienigena subderetur. Per hanc enim translationem a circumcisione ad præputium, a filiis carnalibus ad filios spirituales immaculati Agni propitiatio, et omnium sacramentorum plenitudo transibat. *Si* enim *compatimur, et conregnabimus* [56].

Exeamus igitur improperium ejus portantes [57], non tamen sicut ille Simon, qui portavit post eum crucem, sed ipse crucifixus non est. Sed ita ejus crucem tollamus, ut nos ipsos cum vitiis et concu-

[32] *Dan.* IX, 27; S. HIER. [33] *Hebr.* VI, 6; EUSEB. Emiss., *Hom. in Dom. Palm.* [33*] *Luc.* XXIII, 24; *Marc.* XV, 15. [34] S. BERNARDIN. Senens., serm. 51, a. 4, c. 1. [35] *Ibid.* [36] *Psal.* LXVIII, 5; *Ibid.* [37] S. LEO, serm. 8 *De passione.* [38] *Matth.* XXVII, 26; *Luc.* XXIII, 25. [39] S. AMBROS., serm. 49. [40] S. BERNARDIN. Senens., ubi supra. [41] S. LAURENT. JUST., *De Christi agone*, c. 12. [42] S. BERNARD., *ibid.*; S. BASIL., hom. *De 40 martyr.* [43] *Joan.* XIX, 15; *Matth.* XXVII, 31. S. LAURENT. JUSTIN., *De Christi agone*, c. 15. [44] VICTOR. ANT., *in Marc.* XV; S. BERNARD. Senens.; S. LEO, serm. 8 *De passione.* [45] *Joan.* XIX, 17. [46] *Isa.* IX, 6. [47] S. LEO, ubi supra. [48] *Gen.* XXII, 7. [49] S. BERNARDIN. Senens., serm. 51, a. 4, c. 2. [50] S. ANSELM., lib. X, medit. 9. [51] S. LAURENT. JUSTIN., ubi supra. [52] *Rom.* VIII, 26. [53] S. LAURENT. JUSTIN., ubi supra. [54] *Luc.* XXIII, 26. [55] Cyrenaica regio est in Perside. Hic itaque Simon erat, ex patre Persa, advena apud Judæos. [56] *Rom.* VIII, 17; *II Tim.* II, 12; S. LAURENT. JUSTIN., ubi supra. [57] *Hebr.* XIII, 13.

piscentiis crucifigamus, et cum causa postulat, ejus vestigia sequamur[58].

Ne ergo tu crucem tantum sicut Cyrenæus ille portes. Nam 1° crucem tantum alienam, non propriam portat; 2° in angaria portat; 3° in ea non moritur. Ideo fatigatus tantum, non sanctificatus illam supra montem Calvariæ deponit.

Hunc itaque angariaverunt; de civitatis porta propter crucis importabile onus, egredi Domino non valente, non pietate, sed divina dispensatione[59].

Simon iste personam illorum mystice præfigurat : 1° qui non voluntarie, sed coacte crucem bajulantes, Dei mandata specietenus servant, etc.; 2° qui cum professionem virtutis confiteantur exterius, a virtutis habitu alienantur interius, et ut vivant sæculo cum Christo interire refugiunt; 3° eorum, qui crucem tolerant opportunitate cogente, et tum pro humano timore atque pudore, ac sui amore, eam rejiciunt; 4° arrogantes et abstinentes, verbi gratia abstinentia, labore[60], etc. : aliena quippe onera in angaria portare est per vanitatis studium aliquid gerere. Hi siquidem per abstinentiam corpus afficiunt, sed per desiderium vanæ gloriæ mundo vivunt[61].

Ferat itaque Christianus crucem gratis, non sicut Cyrenæus angariatus; ferat crucem suam, ut moriatur in ea, non alienam, ut remisse vivat.... Timeamus illam quæ angariationis est, in qua instar Simonis nemo moritur, sed vivit suam gloriam præferens[62].

Væ sic portantibus crucem, non sicut Salvator suam, sed sicut Cyrenæus alienam. Væ, inquam, et væ iterum portantibus crucem Christi, et non sequentibus Christum[63].

Plangebant autem et lamentabantur mulieres compassione Filii atque Matris; memores bonorum operum quæ fecerat, dulcedinis sermonis, pietatis vultus ejus[64], etc

Conversus autem ad illas Jesus ait : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros[65]. Jesus agonista intrepidus, utilia semper docens, cautelam adhibet pro futuris, quorum præcognitor erat. Non *super me*, qui sponte mortem subeo, qui mortis imperium habeo, cui nihil deperit moriendo, cujus suscitatio facilis. His paucis eruditur devotus quisque, ut devotione interdum deposita se revocet in se, et se plangat. *Sed super vos ipsas :* plus animarum vestrarum quam corporis mei cruciatus me tenet. Ideo super vos flete; dolor enim meus imago doloris vestri est, etc. Hæc nobis de cruce clamas, o benigne Jesu, etsi non verbis, tamen ipsa re. Quid respondeam? aut quid retribuam? fecisti enim mihi de corpore tuo speculum animæ meæ[66].

Planctum igitur Dominus sibi dedignatur impendi, 1° quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam; 2° redemptis verior justiorque lætandi est ratio, quam dolendi; 3° lugendum plane non de salute credentium, sed de impietate et temeritate pereuntium; 4° quia non tam Passionem quam Passionis causam, peccata scilicet, deflere debemus. Hoc autem dicit Christus, non quod pium non sit flere super Christum, cum aliquando etiam per fletum Dominicæ Passionis compungantur et convertantur durissimi peccatores[67]

Quoniam ecce venient dies in quibus dicent : Beatæ steriles... Montes, cadite super nos ; colles, operite nos[68]. Felix enim tunc qui nec filium, nec filiam habet, ut non dupliciter puniatur, sed simpliciter in se. Apparente nempe judicio Dei, quod peccatoribus terribiliter imminebit, vellent omnes a montibus et collibus operiri, et a facie terribilis iræ Dei tunc latere[69].

O anima mea, quid erit de te in illo die, quando te accusabunt elementa, quando contra te crux Christi portabitur in testimonium, quando verbera ipsius contra te clamabunt, vulnera ejus allegabunt, clavi loquentur, cicatrices conquerentur? O angustiæ[70]!

Prima erit in reos sententia intoleranda, reverendarum præsentia cicatricum. Quam lugubre erit homini Deum videre, et perdere, et ante pretii sui perire conspectum[71]!

Superius erit Judex iratus, subtus horrendum chaos : a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia ad infernum trahentia : intus conscientia urens, foris mundus ardens. Miser peccator, sic deprehensus, quo effugies? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Tunc nullus poterit fallere sapientiam, flectere justitiam, inclinare clementiam, declinare ultionis et justæ retributionis sententiam[72].

Tunc reges terræ et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber abscondent se in speluncis et petris montium, *et dicent montibus et petris : Cadite super nos; et collibus : Abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni*[73].

Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet[74]? Si in Christo in quo nulla erat iniquitatis macula tot exuberabant flagella, quid in hominibus reliquis, qui ligna sunt arida? Lignum viride Christus est omnium virtutum florens virore, nihil omnino

[58] Rupert., lib. xiv *in Joan.* [59] S. Laurent. Justin., *De Christi agone*, c. 16. [60] *Ibid.* [61] S. Gregor., hom. 32 *in Evang.* [62] S. Bern. [63] Id., *Apol. ad Guill. abbatem.* [64] *Luc.* xxiii, 27; S. Bernardin. Senens., serm. 51, a. 4, c. 2. [65] *Luc.* xxiii, 28. [66] S. Laurent. Justin., *De Christi agone*, c. 14; S. Bernardin. Senens., ubi supra; S. Laurent. Justin., *ibid.*; Drogo Ost., *De passione.* [67] S. Leo, serm. 10 *De passione*; S. Bernardin. Senens., ubi supra. [68] *Luc.* xxiii, 29. [69] S Bernardin. Senens., serm. 51, a. 4, c. 2. [70] S. Bonav., *Solil.*, exercit. 3, c. 2, ex S. Bern. [71] S. Eucн., hom. 4 *Ad relig.* [72] Hugo card., *in cap.* xxiii *Luc.*; S. Bern. ; S. Bonav. [73] *Isa.* ii, 19 ; *Osee* x, 8, *Apoc.* vi, 16 ; S. Bonav. [74] *Luc.* xxiii, 31.

ariditatis habens, quod esset dignum combustione [75].

Exivit ergo in eum qui dicitur Calvariæ locum [76]. Ut, ubi prius erat area damnatorum, erigerentur vexilla martyrii [77].

Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur [78]. Ad redundantiam injuriarum, et augmentum confusionis, cum opprobrio extra ducitur Christus sociatus duorum numero latronum, ac si principalis latronum collega fuisset... ut tanquam iniquus, tanquam tyrannus turpissima videretur morte mutilatus [79].

O impia Judæorum crudelitas, et opprobriosa conditio, ut socios nequam adhibeatis ei qui nunquam dedit nisi testimonia justitiæ et amoris [80]!

Taceat hic lingua, conquiescat manus, calamus taceat, quatenus meditantis cor lacrymis defluentibus hæc degustare sufficiat [81].

Ut sic *exeamus* et nos secundum monita Apostoli cum Sponso nostro bono Jesu *extra castra*, id est extra concupiscentias hujus sæculi, *improperium crucis* et vinculorum acerbitatem cum illo *portantes* [82], quia non decet membrum delicatum esse sub capite crucifixo [83].

Exeamus extra castra, id est extra observantiam legalium, extra sensus corporis, extra communem societatem carnalium [84].

Improperium ejus portantes, ita ut e mundo ejusque rebus splendidis exire non pudeat, etiamsi id ignominia videatur, et nos cum eo derideamur ab impiis et sæculi dilectoribus [85].

Signum enim specialis dilectionis videtur cui dat Dominus adversa pati, quasi ei impertire dignetur partem oneris sui portandi, sicut ille Simon Cyrenæus. Sic socii in via, etc. [86].

Sic et Dominus qui nobiscum est omnibus diebus [87], in via hac qua ambulamus, lassatur usque ad mortem labore suæ Passionis, quærit quis nostrum velit ei compati, et onus suarum tribulationum quod adhuc in corpore suo mystico sustinet, secum portare [88].

—

CHRISTUS CRUCIFIXUS.

Venerunt in eum qui dicitur Calvariæ locum [89]. Beatus locus in quo figitur crux. Bona calvities quæ tali fronde vestitur. Decalvet Dominus, ibi, *verticem capilli perambulantium in delictis suis*, etc. [90], ubi sedem sibi superbia locaverat [91].

Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, et non accepit [92]. Dabatur enim ad robur [93], ut patiens posset sustinere vim talis supplicii; et non accepit, quia nullam quærebat consolationem. Non ita fecit post de felle cum aceto. Vinum etiam prædictum felle mistum obtulerunt, ad suavitatem vini convertendam in amaritudinem, unde eam gustavit Christus: sive fel datum fuerit separatim, sive mistum, ut plures asserunt interpretes.

O implacabilis feritas Judæorum, quæ linguam illam mellifluam, quæ docuerat tam dulcia verba vitæ, in recompensationem, imo potius in vindictam amarissimis saporibus cruciasti [94]!

O quam multi adhuc Christo sitienti non vinum charitatis, sed propinant vinum iniquitatis [95]!

Et ibi crucifixerunt eum [96]. Extra civitatem, supra montis verticem, in crucis patibulo erigitur ad alliciendos ad se omnes homines [97].

O insuetum ac singulare spectaculum! vere spectaculum angelis et hominibus mirandum, cui simile nunquam visum! Nunquid enim a sæculis auditum est, ut Deus homo factus crucifigeretur, illuderetur, pateretur, moreretur [98]?

O magnum pietatis sacramentum [99] quo nihil profundius, nihil mirabilius! Se spectaculum facit Deus, ut novitate insolita dispersos per abrupta vitiorum ad se trahat populos: *Cum exaltatus fuero*, inquit, *omnia traham ad meipsum* [1].

O efficacissimum spectaculum ad alliciendos omnes! Ideo publice celebratum est prope civitatem, supra montis verticem, et in crucis patibulo, quia invitabat ad se universos [2].

Meditemur quomodo non sine intolerabili perdentis pœna stipitem levaverunt. Erat quippe Mediator confixus in ligno omni carens doloris temperamento. In se namque premebatur angustia, in corpore cruciabatur vulneribus, et foris conviciabatur opprobriis [3].

Hinc inde sanctissimum movebat caput præ spinarum punctionibus debilitatum; ubi illud firmaret minime reperiebat: cum cruci adhærebat spinæ infigebantur arctius; cum illud erigebat sursum, diu perseverare non poterat [4].

Suspensus tenebatur virtute clavorum. Nam corpori ex omni parte attrito, crux ipsa statera facta est. Porro quando clavatis innitebatur pedibus, afficiebatur incredibiliter; si vero in brachiorum vigore suspendebatur, manuum supra modum dilatabantur fixuræ, addebanturque vulnera vulneribus, et rediviva fessis membris supplicia inferebantur.

[75] S. Laur. Justin., *De Christi agone*, c. 16; Hug. card., supra. [76] *Joan.* xix, 17. [77] Beda, *Serm. 3 post Dom. Pentecost.* [78] *Luc.* xxiii, 32. [79] S. Bern. Sen., ser. 5, a. 4, c. 2; S. Chrys., hom. 85, *in Matth. c.* xxvi. [80] S. Bernardin., ubi supra. [81] S. Laur. Just., ubi supra. [82] *Hebr.* xiii, 13. [83] S. Ber., *Serm. de Pass.*, c. 4. [84] S. Thom., *in Epist. ad Hebr.*, c. xiii. [85] S. Anselm. [86] S. Bonav., *De profess. relig.* t. II, c. 35. [87] *Matth.* xxviii, 20. [88] S. Bonav., ubi supra. [89] *Matth.* xxvii, 33. [90] *Psal.* lxvii, 22. [91] Drogo Ost., *De Pass.* [92] *Marc.* xv, 23. [93] Ita traditio Judæorum; Thalmud apud Interpretes. Vinum myrrhatum et odore et sapore erat suavissimum. [94] S. Bernardin. Senens., serm. 5, a. 4, c. 3. [95] Hugo card., *in c.* xv *Marc.* [96] *Marc.* xv, 25. [97] S. Laur. Just., *De Christi agone*, cap. 18. [98] *Ibid.*, c. 17. [99] *I Tim.* iii, 16. [1] *Joan.* xii, 32. S. Laurent. Justin., ubi supra. [2] *Ibid.* [3] *Ibid.* [4] *Ibid.*

Venerat in maris latitudinem [4*], tanquam petra durissima in undarum positus medio, procellis tribulationum tumentibus impellebatur, nec tamen frangebatur.

Venite, quæso, et condolete ei, omnes qui gaudere desideratis in Domino. Attendite desiderabilem nostrum quomodo deformatus, deformemur et nos in corpore extrinsecus cum deformato Jesu, ut reformemur interius cum formoso Jesu [5].

Conformemur corpori ejus in corpore nostro, ut reformet corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ [6].

Stat expansis manibus, nudo corpore, manibus simul et pedibus perforatis, capite inclinato. Confortare nunc et elevare, anima mea, et alis fidei et spei ad hunc hortum charitatis enitere, ac apum sedulitatem imitans, ad conficiendum tibi mel devotionis, ad hunc paradisum charitatis ascende [7].

In extensione brachiorum cognosce affectum paratum ad suos, et te ad suos invitantis amplexus, et misericorditer clamantis : Revertere, revertere a mala voluntate, a malis factis, ab obstinatione, a desperatione, ut intueamur te [8].

Singulorum florum folia suge, nunc ad dexteram, nunc ad sinistram, tandem accede ad cor. Caput floridum multis spinarum aculeis confixum ad te inclinat, ut ad pacis osculum te invitet [9].

Sigillum regni ipsius crux est ; habet hoc sigillum imaginem crucifixi Jesu multis fossuris expressam ; quod sigillum gestare debemus in corde nostro tenaci impressum memoriæ retinentes, et sic Jesum habebimus, id est salutem, sicut in sigillis imago regum exprimitur fodiendo [10].

Pone igitur istum Crucifixum sicut signaculum super cor tuum [11] ; ut sicut sigillum in cera molli, sic Jesum Sponsum tuum imprimas cordi tuo ; et dicas cum Propheta : *Factum est cor meum tanquam cera liquescens* [12].

Pone etiam illum ut signaculum super brachium tuum [13], ut videlicet nunquam desinas operari, nunquam fatigeris laborare pro amore Jesu [14].

Pone tandem illum super frontem tuam... ut si aliquanto aliquid triste, aliquid tædii, aliquid amaritudinis acciderit, vel aliquid boni desipuerit, statim recurras ad crucifixum Jesum pendentem in cruce, intuens coronam spineam, clavos ferreos, lanceam lateris, vulnera pedum, manuum, capitis, lateris, totius corporis [15].

Sic ergo intingens omnem asperitatem quam sentis in salsamento sanguinis Christi, crede mihi, quia statim, tali intuitu, omne triste lætum ; omne grave, leve ; omne tædiosum, amabile ; omne asperum, dulce et suave reperies [16].

Revertere, revertere, Sunamitis [16*], revertere, o anima, Christus te exspectat in cruce ; habet caput inclinatum ad te immundam deosculandam ; habet brachia extensa ad te, ad te amplexandam, manus apertas ad remittendum, corpus extensum ad se totum impendendum, latus apertum ad te in illud intromittendum [17].

Esto igitur, o anima, jam columba nidificans in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ [18] : pervola pedes, invola lateri, pervola manus, ibi tuta requies, ibi secura quies... Ibi columba in vulneribus Christi, tanquam in foraminibus petræ, circumvolitantem secura intuetur accipitrem [19].

Intra hunc paradisum, paradisis omnibus meliorem ; vola per singulos istius paradisi flores, et singulorum foliorum folia suge [20].

Non est morbus animæ cui his (stillis sanguinis) mederi non possit ; collige tantum stillas, et tanquam pilulas in cubiculo cordis tui reconde. Erit tibi illarum sapor et odor in medicinam salubrem [21].

Considera autem, o anima..., qualis est hic cui cœlum et terra compatiuntur, cujus mors mortuos vivificat. Cognosce, anima mea, cognosce. Hic est Dominus Jesus Christus Salvator tuus, unigenitus Dei Filius [22].

O quam indebita miseratio ! o quam inopinata dilectio ! o quam stupenda dulcedo ! Regem gloriæ pro despectissimo vermiculo mori et crucifigi [23] !

Servus prævaricatur, et Dominus crucifigitur ! quis hoc æstimet, et quis cogitet ? Quis compenset Dominum pro servis mori dignatum ? Et hoc pro quibus ? Pro scelerosis et impiis [24].

O benigne Jesu, humilis Domine, pie Domine, dulcis in ore, dulcis in corde, dulcis in aure. Nunc tota anima mea desiderat in amplexus tuos et oscula [25].

Nihil quæro nisi te ipsum : quamvis nulla merces repromitteretur, licet infernus et paradisus non essent, tamen propter dulcem bonitatem tuam, propter te ipsum adhærere vellem tibi. Tu continua meditatio mea, verbum meum, opus meum. Amen [26].

Cruci porro Christus affigi voluit : 1° ad gloriam Patris quam semper quæsivit [27] ; 2° ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret... Mors enim per arborem, vita per crucem [28] ; 3° ut non sibi soli, sed omnibus vinceret, manus in cruce extendit, ut omnia ad se traheret [29] ; 4° tam pessimam mortem Salvator elegit, ut omnem mortem occideret [30] ; 5° ut discipuli ejus mortem non modo non timerent,

[4*] *Psal.* LXVIII, 3. [5] S. BERN., *De pass. Dom.*, c. 5. [6] *Philipp.* III, 21 ; S. BERN., ubi supra. [7] S. BERN., *De Pass.*, c. 44. [8] *Ibid.* ; *Cant.* VI, 12. [9] *Ibid.* [10] *Ibid.* [11] *Cant.* VIII, 6. [12] *Psal.* XXI, 15 ; S. BONAV., *De perfect. vitæ*, c. 6. [13] *Cant.* VIII, 6. [14] S. BONAV., *ibid.* [15] *Ibid.* [16] *Ibid.* [16*] *Cant.* VI, 12. [17] IDEM, *Sol.* c. 1, sub med., ex S. Bern. [18] *Cant.* II, 14 ; *Jerem.* XLVIII, 28. [19] S. BONAV., ubi supra. [20] S. BERN., *De Passione Dom.*, c. 44. [21] *Ibid.*, c. 43. [22] S. ANSELM., l. X *Medit.* [23] S. BONAV., *Sol.* [24] S AUG., serm. 122 *De tempore.* [25] S. ANSELM, *Med. de Passione Christi.* [26] *Ibid.* [27] *Offic. Eccles.* [28] S. AMBROS., *in Luc.* IV. [29] ID., *in Luc.* XXIII. [30] S. ANSELM., *in Epist. ad Philipp.*, c. II.

sed nec genus mortis horrescerent [31]; 6° ut diaboli potestates exstingueret... Diabolus enim in eo crucifixus est quem se crucifixurum, et in eo mortuus est quem se morte exstincturum speraverat [32]; 7° ut crux fieret currus triumphatoris, et esset triumphale patibulum. Clavi enim perpetuis diabolum fixere vulneribus. Regnavit siquidem a ligno Deus... et domuit mundum non ferro, sed ligno [33]; 8° ut suos animaret ad pugnam... pugnantes enim spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat [34].

Denique sanctus Augustinus tripartitam rationem affert, cur Christus elegit crucem : prima, ut Christus pro reatu mundi redemptio daretur, et hostis antiquus velut hamo caperetur, non potentia, sed justitiâ victus ; secunda, ut secutoribus hominibus magisterium præberet ; tertia, ut superbia sæculi per justitiam crucis humiliata corrueret [35]. At gravior peccatorum crux, ait Christus, in qua invitus pendeo, illa in quam tui miseratus ascendi [36]. Judæus crucifixit, tu odisti ; ille manu, tu corde ; ambo facinus implevistis [37].

Et crucifigunt cum eo duos latrones, hinc et hinc [38]. Populis suadere conantes, ut sicut in pœna pares, ita et in crimine essent æquales. Alter latronum conversus ait : *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum;* cui Dominus : *Hodie mecum eris in paradiso* [39].

O felix latro, quantum confessio tua valuit ! quantum Deo fides tua grata exstitit !... O utinam mihi daretur tua sectari vestigia ! O si Mediatoris promerear audire vocem dicentis : *Hodie mecum eris in paradiso..!* Quod si non hodie, saltem in hora exitus mei, o bone Jesu [40].

Porro alia est crux Christi in qua est gloriatio, alia boni latronis in qua est consolatio, alia mali latronis in qua est confusio [41].

Prima quatuor habet divisiones : Latitudinem charitatis, longitudinem perseverantiæ, sublime spei, profundum judiciorum Dei : hæc crux est stantium [42].

Secunda post lapsum resurgentium, et est latronis dextri ; quæ in tribus consistit, in contritione cordis, in confessione oris, in satisfactione operis [43].

Tertia eorum qui sub spe cœlestium præmiorum multa et indigna patiuntur non humiliter, non devote, sed cum murmure ; et hæc crux sinistri latronis, crux angariationis, crux Simonis, crux hypocritarum [44].

Sic debet esse pœnitens inter duos latrones, id est inter carnem et mundum [45].

Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam : Jesus Nazarenus Rex Judæorum [46]. Supra, non infra : quia licet in cruce pro nobis dolebat, super crucem tamen regis majestate fulgebat [47].

Jesus. Ideo enim moritur quia Salvator. *Nazarenus.* Id est floridus, semper virens, semper fructificans, nunquam marcescens. *Rex.* Spirituali unctione perfusus...; potens atque invictus ; ipse est enim qui dominatur a mari usque ad mare [48], etc.

Nec Judæi occidendo efficere potuerunt ut eum regem non haberent ; quod per crucis patibulum non perdiderit, sed confirmavit potius et corroboravit suum imperium [49].

Judæorum. Non tantum secundum carnem, sed secundum spiritum... Hi nempe Israelitæ sunt, et spiritualis populus Judæorum, in quibus Jesus Nazarenus regnat [50].

Et erat scriptum Hebraice, Græce, et Latine [51]. Unde in illis tribus linguis Christo subjuganda universitas gentium demonstratur, nec solis Judæis eum regnaturum [52].

Quod scripsi, scripsi, respondit Pilatus [53]. Dictante siquidem Spiritu sancto titulum scripserat, quem prorsus mutare nequibat. Qui enim fecit Judæorum principem prophetare, coegerat scribere præsidem gentilem. Nihil Spiritui difficile [54].

O quis mihi det ut veniat petitio mea, et quod exspecto tribuat mihi Deus [54*], ut totus tam mente quam carne transfodiar crucisque affigar patibulo cum Dilecto ! Quis mihi det ut Christo confixus sim cruci [55] ?

Si enim vis venire ad hominem cruci affixum Jesum Dominum meum, amorem meum, crucifixus venias necesse est aut crucifigendus, quisquis es : *Qui enim Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis* [56]. Sic dignum Christo, sic tibi necessarium [57].

—

CHRISTUS IN CRUCE ILLUSUS.

O novissimum et altissimum ! O humilem et sublimem ! O opprobrium hominum et gloriam angelorum. Nemo, o Domine Jesu, te sublimior, nemo humilior [58].

Quam veneranda humilitas, quæ hunc habet modum, imo quæ tam est ultra modum. Sicut est patientia tua singularis, sic et humilitas admirabilis, et utraque sine exemplo [59].

Utramque tamen commendat charitas. Propter nimiam enim charitatem qua dilexit nos Deus [60],

[31] S. Aug., *in psal.* cxl. [32] S. Basil., *Hom. de humilit.* [33] S. Ambros., lib. x *in Luc.* xxiii : S. Leo, serm. 10 *De Passione;* S. Aug. [34] S. Laurent. Justin., *De Christi agone,* c. 17 ; S. Aug., *in Psal.* [35] Id., serm. 181. [36] Id., serm. 118. [37] Id., serm. 7 *in Nativ. Dom.* [38] *Matth.* xxvii, 38. [39] *Luc.* xxiii, 42, 43 ; S. Laurent. Justin., *De agone Christi,* c. 16. [40] S. Laurent. Just., *ibid.* [41] Hugo Victor., *Litt. Miscel.* [42] Magister Sent., *in Allegor.* [43] *Ibid.* [44] *Ibid.* [45] Hug. card., *in cap.* xxvii *Matth.* [46] *Matth.* xxvii, 37; *Joan.* xix, 19. [47] S. Ambros., *in cap.* xxiii *Luc.* [48] *Psal.* lxxi, 8; S. Laurent., *De agone Christi,* c. 17. [49] Beda, *Hom. in feria* 3 *Palmarum.* [50] S. Laur. Just., ubi supra. [51] *Joan.* xix, 20. [52] S. Aug., serm. 76 *De divers.* [53] *Joan.* xix, 22. [54] S. Laurent. Just., ubi supra. [54*] *Job* vi, 8. [55] *Galat.* ii, 19 ; S. Bonav., *De ligno vitæ.* [56] *Galat.* v, 24. [57] Petr. Dam., serm. 47 *in Exalt. S. Crucis.* [58] S. Bern., *Serm. fer.* 4 *heb. cœn.* [59] *Ibid.* [60] *Ephes.* ii, 4.

ut servum redimeret, nec Pater Filio, nec Filius sibi ipse pepercit [61].

Vere nimiam, quia et mensuram excedit, modum superat, plane supereminet universis [62].

Exsultavit ut gigas ad currendam viam [63], donec sicut aquila provocans pullos suos [64] expandat alas brachiorum suorum in cruce, ut super nos volitans assumeret nos; sed factus est populo suo in derisum, in opprobrium et in scandalum [65].

Hæc attende, o anima Christiana, et vide ne contemnas Christum nunc in cœlo sedentem, quem contemnit Judæus olim in ligno pendentem [66].

Christus enim adhuc irridetur, et utinam unus esset, utinam duo, utinam numerari possent! Tota palea areæ ipsius irridet eum, et gemit triticum irrideri Domino [67].

Gemamus et nos, tempus siquidem est lugendi, tempus gemendi, tempus flendi [68]. Et quis nostrum est idoneus ad effundendum lacrymas pro dignitate doloris tanti [69]!

Quod si illudi passus est, ne mireris, nec ægre feras si te pœnitentem irrideat mundus... Sic enim justis in cruce pendentibus pœnitentiæ, objurgationes et maledicta propinat [70].

Contemplare interim quanta crudelitate sæviunt Judæi contra Christum [71], etc.

Stat ipse in patibulo fixus, quasi signum ad sagittam, ut contradictionis et confusionis verba susciperet [72].

Milites autem cum crucifixissent eum, ¦diviserunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes [73]. Quod non mysterio vacat, quia non possumus singuli habere omnia : per sortes, quia non pro hominis voluntate divisio fit donorum Spiritus sancti [74].

Sed de hoc queritur Christus... Quia divisa vestimenta, temporalium bona, in pauperum alimoniis deputata, pastores, animarum rectores, Ecclesiæ ministri consumunt ac devorant, ac Christi divitiis quas crucifixus acquisivit, tanquam proprio patrimonio abutentes, voluptati et carnis curæ inservientes, inter se vestimenta ejus dividunt... *Mittentes sortes super eis* [75].

Hi sortem mittunt (in vestes Christi) qui sectas initiare et schismata facere minime veriti, opinionum suarum fautores multiplicare conantur. Diviserunt se ab unitate hæretici, non ipsi unitatem diviserunt.

Quadripartita vestis Domini quadripartitam Ecclesiam, in quatuor scilicet partes orbis distributam, et per universam terram diffusam significat. Tunica vero inconsutilis non divisa designat omnium partium unitatem [76].

Duravit quidem usque ad hanc diem, perseverabitque in ævum. Ventiletur, deprædetur, sortiatur, in suo ipsa robore custoditur. *Per totum contexta* [77]. Corpus totum attende Ecclesiæ, ipsius spiritualia dona considera; et omnino vestis varietate delectaberis.

Non scindamus eam [78]. Quæ est ista tunica nisi charitas, quam nemo potest dividere [79]? Iterum, quæ est ista tunica nisi fidei unitas, quæ scindi non potest? Potest quidem homo a fide rescindi, sed fides nullo modo potest rescindi [80].

Prætereuntes autem blasphemabant eum [81]. Nemo enim stans Jesum blasphemat, neque recte incedens....; si autem ceciderit aut declinaverit a via, tunc eum blasphemat [82].

Prætereuntes, id est, Christum oculis fidei attentius non considerantes, nec habentes oculos suos in capite [83].

Moventes capita sua et dicentes... : Si Filius Dei es, descende de cruce... Si Rex Israel..., ut videamus, et credamus ei [84]. Mira stultitia! Si Rex Israel est, desistat certare pro Israel et cedat hostibus suis! Si Rex est, sceptrum dimittat, quod utique crux est [85]. Sic tibi excidit, Judæe, quod audisti, quia Dominus regnavit a ligno [86].

Quid consequentiæ ut descendat de cruce, si Rex Israel est, et non magis ascendat? Imo quia Rex Israel est, titulum regni non deserat, virgam imperii non deponat, cujus *imperium super humerum ejus* [87].

Et propter hoc non descendet de cruce quia Filius Dei est, propter hoc enim venit ut crucifigeretur [88].

Si voluisset descendere, neque in principio ascendisset : sciens enim per hoc salvandos homines, sustinuit crucem [89].

Denique noluit descendere de cruce, ne daret nobis occasionem subripiendæ perseverantiæ quæ sola coronatur. Possent enim dicere pusillanimes quibus diceretur : Ne deseras locum tuum, quia Christus suum deseruit [90].

Et credemus ei [91]. O venenata antiqui hostis fraus!... Sed non movetur Christus eorum pollicitatione, qui novit omnium corda; eo quippe tendebat malitiosa suasio, ut non ipsi crederent, sed nostra quoque fides in eum omnimodis deperiret [92].

Fraudulenta promissio : quid enim est plus de cruce adhuc viventem descendere, quam de sepulcro

[61] S. Bern., *ibid.* [62] *Ibid.* [63] *Psal.* xviii, 6. [64] *Deut.* xxxii, 11. [65] S. Bern., serm. 5 *De Passione.* [66] S. Aug., *in psal.* xlviii. [67] Id., *in psal.* xxi; in præfat. secundæ *exposit. Psalm.* [68] *Eccle.* iii, 2. [69] S. Aug., ubi supra. [70] Hugo card., *in c.* xxvii *Matth.* [71] S. Bern. Senens., serm. 51, p. ii, a. 1, c. 1. [72] S. Laur. Just., c. 18 *De ore.* [73] *Joan.* xix, 23. [74] S. Ambros., lib. x *in Luc.* xxiii. [75] *Marc.* xv, 24; S. Laur. Just., *De Christi agone*, c. 17. [76] S. Laur. Just., *Ibid.*; Ven. Beda, *in 3 fer. Palm.* [77] *Joan.* xix, 23. [78] *Ibid.*, 24. [79] S. Aug., enar. 2 *in psal.* xxi. [80] S. Bern. Sen., s. 51, p. ii, a. 1, c. 1. [81] *Matth.* xxvii, 39. [82] Origen., hom. 35 *in Matth.* [83] Origen. *ibid.* [84] *Marc.* xv, 29, 32. [85] Hugo Carnot., *in cap.* xxvii *Matth.* [86] S. Bern., serm. 1 *in die Pasch.* [87] *Isa.* ix, 6; S. Bern., ubi supra. [88] S. Hilar., c. 33 *in Matth.* [89] Theophylact., *in c.* xv *Marci.* [90] S. Bern., serm. 1 *in die Pasch.* [91] *Marc.* xv, 32. [92] S. Laur. Justin., *De agone Christi*, c. 18; S. Bern., ubi supra.

mortuum resurgere? Surrexit, et non creditis : ergo etiamsi de cruce descenderet, similiter non credetis [93].

Et deridebant eum principes, et dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult... Et milites [94], etc. Hoc prædictum fuerat per Prophetam (et in *Libro Sapientiæ* [94*]) : *Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in Domino eripiat eum, salvum faciat eum quoniam vult eum* [95]. Et iterum : *Audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu* [96]. Fixuris clavorum addunt tela linguarum [97]. Sed eum nolentes confitentur quod alios salvos fecerit, sua se condemnant sententia : qui enim salvos fecit alios, nunquid, si vellet, seipsum salvare poterat [98]?

O insani scelestique homines! an prophetæ non erant prophetæ, et justi quos occidistis justi non erant, quoniam Deus eos a periculis non eripuit [99]?

Quid pensandum est quod fecerint milites ei et ministri quando seniores, in quibus debuit maturitas apparere, ex interno odio et furore in tot crudeles insanias exterius proruperunt [1]?

Acetum offerentes ei [2], etc. *Et dederunt in escam meam fel*, inquit per Prophetam, *et in siti mea potaverunt me aceto* [3]. Gustu fellis et aceti diluitur esca peccati [4].

Quotquot dediti sunt voluptatibus, superbiæ, odii aut nocendi veneno, fel Domino porrigunt sitienti [5].

Similiter et latrones [6]... Uterque improperat, sed alter tandem alium digna invectione redarguit [7].

Hæc usque hodie geri in Ecclesia videmus cum tacti afflictionibus veri simul ac falsi fuerint Christiani [8], etc.

Porro inter tot calumnias, insultationes et opprobria Christum tacentem quis non miretur, et contra iram non armetur [9]?

Discipulus prodidit; cæteri reliquerunt. Hi furore concitati in faciem spuebant. Pontificis servus colapho petiit. Milites cædebant; ipse vero omnes vicit silentio. Hinc disce quanto mitius malefacientes feres, tanto melius te superaturum.

—

CHRISTUS IN CRUCE SITIENS ET ACETO POTATUS.

Sitio [10]. O Domine, quid sitis?... Sitit utique pereuntium salutem animarum; divinum sitit honorem; inebriatus amaritudine, adhuc duriora sustinere desiderat. In Spiritu sitit, charitatis flamma succensus [11].

Quod sitit de tuo est; quod saturat sitientes, de suo. Agnosce tuum, venerare suum, et lauda gratias agens. Quod tuum est in illo, dignationis et potestatis est. Quod suum, majestatis et gratiæ.

Sed iterum, o Domine Jesu, quid sitis? Ergone plus cruciat sitis quam crux? de cruce siles, et de siti clamas : *Sitio*. Quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium. Plus animarum vestrarum quam corporis mei cruciatus me tenet [12].

Unde... Patri clamat : *Sitio*. Ignosce illis pro quibus tantis me exposui cruciatibus. Verum si hæc quæ tolero pauca videntur, adde flagellum flagello; appone vulnera vulneribus; lacera, ure, confige, percute, occide, universa hæc et majora toto desiderio sitio [13].

Dixit : *Sitio*, ut immensitatem nobis ardentissimæ suæ charitatis commendaret [14], etc.

Nobis te sequentibus, o bone Jesu, doctrinæ et exempli formam præscripsisti, quod flagella iracundiæ gratanter, patienter et viriliter cum omni perseverantia toleranda sint [15].

Imitetur ergo anima fidelis Sponsum suum dulcem Jesum tantæ amaritudinis poculum sitientem pro ipsa pariter et ebibentem. Pro ipso etiam bibat adversa præsentia, et sitiat dulcissimum Sponsum suum [16], etc.

Sitiens etiam Mediator passionem suam perficere, ut divinitus reparetur honor qui primo cadente homine deperierat, dicit : *Sitio* [17].

Cœlestis Jerusalem restaurationem anhelabat... Sitiebat angelorum redintegrationem; sitiebat etiam corporis ac membrorum unitatem, omnes ad se trahere volens, sibique copulare. Ideo clamat : *Sitio*..., ut scilicet numero, felicitate et unitate completa, revelata Dei gloria, laus, honor Deo persolveretur, et gloria [18].

Ideo clamat : *Sitio*, quasi diceret : Date quod estis, in suum nos volens corpus trajicere [19].

Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus [20]. Judæi ingrati, scelesti, sine pietate et misericordia, quod brutis impenditur, sitienti Dei Filio negaverunt... A sæculo istud non est auditum; excedit totius humanitatis limites ista crudelitas [21].

Dicens : *Sitio*, fidem quærebat a suis; sed quia *in propria venit, et sui eum non receperunt* [22], pro suavitate fidei acetum perfidiæ dederunt..., et hoc in spongia..., non solidi, sed tumidi, sed insidiarum [22*] tortuosis anfractibus cavernosi.

Judæi siquidem acetum erant degenerantes a vino

[93] Beda, *hom. in fer. 3 Palm. et in c.* xv *Matth.* [94] *Matth.* xxvii, 42, 43; *Luc.* xxiii, 36. [94*] cap. ii. [95] *Psal.* xxi, 8, 9; cap. 18, 19. [96] *Psal.* xxx, 14; S. Bernardin. Senens., serm. 51, p. ii, a. 1, c. 1. [97] S. Leo, serm. 10, *De Passione*. [98] Beda, *hom. in fer. 3 Palmar.* [99] S. Chrysost., hom. 88 *Op. imperfecti in Matth.* xxvii. [1] S. Bernardin., ubi supra. [2] *Luc.* xxiii, 36. [3] *Psal.* lxviii, 22. [4] S. Leo, serm. 6 *De Passione*. [5] S. Laur. Justin., *De agone Christi*, c. 19. [6] *Matth.* xxvii, 44. [7] Beda, *in Matth.* xxvii. [8] *Ibid.* [9] S. Chrysost., hom. 88 *Oper. imperfect. in Matth.* xxvii. [10] *Joan.* xix, 28. [11] S. Laur. Just., *De agone Christ.* [12] Drogo Ostien., *Serm. de Passione;* item S. Bern. apud S. Bonav., *Pharetr.* l. i, c. 5. [13] S. Laur. Just., *De Christi agone*, c. 19. [14] S. Bern., *De Pass.*, c. 13. [15] *Ibid.* [16] *Ibid.* [17] S. Laur. Just., c. 19 *De agone Christi.* [18] *Ibid.* [19] S. Aug., *in Joan.* [20] *Joan.* xix, 29. [21] S. Laur. Just., *De agone Christi*, c. 19. [22] *Joan.* i, 11. [22*] S. Aug., serm. 76 *De divers.*

patriarcharum et prophetarum, et tanquam de pleno vase de iniquitate mundi hujus impleti [22]. Cor habentes velut spongiam cavernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum [24]. [Tales sunt qui occultant interiora sua directori*.]

O Christiane, qui laute comedis, qui delicatis uteris cibis sola delectatione attractus, cui non sufficit naturalis sapor carnium aut piscium, sed adulterinis gulam provocas saporibus; qui in comessationibus et potationibus incontinens qualitatem rerum talem apparere curas, ut aspectus pariter delectetur et gustus: inspice dulcem Jesum aceto et felle potatum [25]!

Tandem dixit: *Consummatum est* [26], tanquam si in gustu aceti et fellis totius amarissimæ Passionis consummatæ plenitudo consisteret. Igitur sitit nos propter nos, inebriare nos vult: omnem abigamus moram, torporem dubietatemque, ne tardi inveniamur ad sitientem venire fontem [27].

—

CHRISTUS IN CRUCE LACRYMAS CUM SANGUINE FUNDENS.

In cruce apparet Dominus Jesus tanquam rosa, sed rosa rubens sanguine Passionis, ardens igne charitatis, roscida effusione lacrymarum [28].

Flevit et contristatus est propter me gaudium meum, imo gaudium angelorum, Dominus Jesus, *qui*, ut ait Apostolus, *in diebus carnis suæ offerens vota et supplicationes ad eum qui possit eum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis, exauditus est pro sua reverentia* [29]. Judæis quidem in eo statu scandalum fuit, gentibus stultitia [30], sed nobis credentibus ubique Sponsus pulcher occurrit [31]... Pulcher in cœlo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher deponens animam, pulcher in sepulcro, pulcher in intellectu, pulcher invitans ad vitam [32].

Audis, cor non carneum, sed lapideum, lacrymis immaduisse, et adhuc aridum permanes! O cor durum! audis commoveri pro me ad lacrymas illum qui in æternum stat et non commovebitur, nec adhuc tu ad lacrymas commoveris [33]!

Christus filiorum Adæ peccata deplorat, pro me lacrymas fundit, pro me fundit et sanguinem. Quid facturus sum? Adhucne ludam et deludam lacrymas ejus? Compatitur mihi Filius Dei et plorat.... Plane, si insanus non sum nec mentis inops, sequar eum, et simul cum lugente lugebo [34].

Venite ergo huc, cuncti filii Ecclesiæ (pretiosis Christi lacrymis mundati) ac immaculati Agni sanguine redempti. Venite, passiones Domini cum lacrymis atque singultibus meditemur, contremiscamus, et ad invicem dicamus: Christus Salvator propter nos impios morti traditus est... Hinc disce... quantum flere debeant qui peccant quando sic flevit qui nunquam peccavit [35].

Contemplaris, o homo, immaculatissimum Dominum in cruce suspensum, ac pro te lacrymas fundentem, audesque, o infelix, in deliciis ac risu vitæ tuæ tempus transigere!... Sed veniet profecto dies illa terribilis, dies ultionis, ut sine fine lugeas exclamesque præ doloribus in igne, neque prorsus erit qui animæ tuæ misereatur [36].

Lacrymis igitur Christi adde et ignem charitatis et Passionis sanguinem, si forte calefias, si emolliaris, ut dulcissimo Jesu pro lacrymis suis et sanguinis effusione solas saltem lacrymas rependas [37].

Adhuc addam et malleum gravem, et cuneos ferreos incutiam tibi ut scindaris. Nam si tu cor sicut terra sine aqua exaruisses, utique vel leviter posses emolliri solis perfusum lacrymis lacrymantis Jesu: si autem a facie frigoris iniquitatum induratum est in rigorem lapidis, addo instrumenta fortia, malleum crucis, et cuneos clavorum ferreorum, ut illis tibi incussis scindaris, et fontem lacrymarum salubrem effundas [38].

Quod si nec adhuc commoveris, o cor durum et impœnitens! durius es silice qui in deserto a Moyse bis percussus virga emisit aquas largissimas [39]: præsertim cum malleus crucis Domini validior sit ad feriendum quam virga Moysis: et tres clavi ferrei tibi incussi efficaciores esse debeant ad aquam lacrymarum eliciendam, quam percussio virgæ Moysis geminata.

Si adhuc permanes inconcussum, eo quod in adamantis duritiam sis conversum, qui solo hædi sanguine potest emolliri: ecce offero tibi hædi pariter et Agni incontaminati optimi Jesu sanguinem copiosum, calore incomparabilis charitatis ferventem, qui sua fortitudine illum adamantinum parietem inimicitiarum positum inter Deum et hominem omnino comminuit et dissolvit [39*].

Habet æstas pluvias suas suaves et uberes. Æstas charitas est. Quid dulcius lacrymis charitatis? Flet quippe charitas, sed ex amore: sic flevit Christus in cruce, sic Salvator moriens flevit pro te [40].

Quis igitur dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum [41], ut possim flere die ac nocte mortem Domini mei Jesu Christi?

Sustinuit enim hæc omnia, ut ad amorem suum te accenderet; ut pro omnibus his toto corde, tota anima, tota mente ipsum diligeres, o anima Christiana [42].

Properate mecum, qui diligitis Dominum. Emite,

[22] S. Aug., tract. 119 *in c.* xix *Joan.* [24] *Ibid.* [25] S. Bern. [26] *Joan.* xix, 30. [27] S. Laurent. Justin., *De Christi agone*, c. 19. [28] S. Bern., serm. 33 *De Pass.* [29] *Hebr.* v, 7; S. Bern., *ibid.* [30] *I Cor.* i, 23. [31] S. Bern., *De Passione.* [32] S. Aug., *in psalm.* xliv. [33] S. Bern., ubi supra. [34] Id., serm. 3 *in Nat. Dom.* [35] S. Ephrem., *Serm. de Passione;* Beda, *in c.* xxvii *Matth.* [36] S. Ephrem., ubi supra. [37] S. Bern., serm. 33 *De Passione.* [38] *Ibid.* [39] *Num.* xx, 11. [39*] S. Bern., *ibid.* [40] S. Bonav., *De perfect. vitæ*, c. 6. [41] *Jerem.* ix, 1; S. Bonav., ubi supra. [42] *Ibid.*

* Hæc in margine scripta.

non corruptibilibus auro et argento, sed commutatione morum et conversationis vestræ vinum et lac inebrians perfectos et parvulos nutriens [43].

Si perfectus, si fortis es, vinum tibi est sanguis iste. Si infirmus et cui opus est lacte, lac est tibi ad nutriendum : bibe ergo sanguinem hunc meracissimum [43a], fide, memoria, intellectu spirituali [44].

Christus filiorum Adæ peccata deplorat, pro me lacrymas fundit, fundit et sanguinem. Quid facturus sum? Adhucne ludam et deludam lacrymas ejus? Compatitur mihi Filius Dei et plorat... plane, si insanus non sum, nec mentis inops, sequar eum, et simul cum lugente lugebo [45].

Clamat enim sanguis ejus de terra melius quam Abel, et non movebitur cor Patris tanti, talisque sonitu clamoris! Quis accusabit adversum me, cum charitas ejus operiat multitudinem peccatorum [46]?

Dat nobis ipse Pater sanguinem Unici sui innocenter nati, innocenter viventis, innocenter mortui : qui nos tanto pretio redemit, non vult perire quos emit [47].

—

CHRISTUS MORIENS.

Contemplare, o anima Christiana! Salvatorem tuum Jesum post tot tormentorum genera morientem, et e cruce tanquam e cathedra te docentem... Ipse enim pro inimicis orans, spiritumque suum suo Patri commendans..., *inclinato capite*, in spiritu humilitatis, et clamans voce magna, altissimo scilicet et secretissimo affectu paternæ et nostræ charitatis..., seipsum morti offerens *exspiravit* [48].

Pater, inquit in ultima illa agonia, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* [49]. Qualis est hic qui in omnibus pressuris suis nec semel os aperuit [50], ut querelæ, excusationis, comminationis aut maledictionis verbum proferret : et novissime verbum benedictionis, quale a sæculo non est auditum, super inimicos suos effudit? Quid hoc viro mansuetius, quid benignius, o anima mea, vidisti [51]?

Considera dulcissimum illud pectus, quam tranquillitatem servaverit pietatis. Non suam attendit injuriam, non pœnam reputat, non sentit contumeliam, sed ipsis potius a quibus patitur ille compatitur, a quibus vulneratur ille medetur; vitam procurat a quibus occiditur [52].

Hæc est patientiæ consummatio in Christo mirabiliter elucens [53]... Primus enim gradus est recipere injuriam; secundus, postquam recepta est, non velle vindicare; tertius, non facere vexanti hæc quæ passus est, sed quiescere; quartus, tribuere seipsum in patiendo mala; quintus est amplius tribuere quam ipse vult qui fecit; sextus, non odisse eum qui operatur hæc; septimus est eum diligere; octavus, benefacere; nonus, Deum pro ipso deprecari [53a].

O quam multus es ad ignoscendum! *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine* [54]! O quam longe cogitationes tuæ a cogitationibus nostris [54a]! O quam firmata est etiam super impios misericordia tua [55]! Mira res! ille clamat : *Ignosce* [55a]; Judæi vero : *Crucifige* [56]*! Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula* [56a].

O charitas patiens, sed et compatiens! Charitas patiens est, sufficit; benigna est, cumulus est. Noli vinci a malo, charitas abundans; sed vince in bono malum, superabundans est. Non enim sola patientia, sed et benignitas Dei ad pœnitentiam Judæos adduxit, quia benigna charitas, quos tolerat, et amat ardenter. Patiens charitas dissimulat, exspectat, sustinet delinquentem; sed benigna trahit, adducit, converti facit ab errore viæ suæ, denique cooperit multitudinem peccatorum [57].

Quale spectaculum! quam grave et admirandum, et sane ipsam naturam exsuperans! hominem multis conviciis jactatum, etc., pro eo qui injuriam sibi intulit preces adhibere [58]!

Caput illud angelicis tremendum spiritibus, densitate spinarum pungitur : facies pulchra præ filiis hominum [59] sputis Judæorum deturpatur; oculi lucidiores sole caligant in morte; aures quæ audiunt angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus; os quod docet angelos, felle et aceto potatur; pedes quorum scabellum adoratur, quoniam sanctum est, cruci clavo affiguntur; manus quæ formaverunt cœlos, sunt in cruce extensæ et clavis affixæ; corpus verberatur, latus lancea perforatur. Quid plura? Non remanet in eo aliquid liberum, nisi sola lingua, ut pro peccatoribus exoraret, et Matrem discipulo commendaret. O inæstimabilis dilectio charitatis [60]!

Porro orat non solum pro persequentibus et calumniantibus [60a], sed etiam pro occidentibus se. Reconde hoc in thesauro cordis tui, ut quotiescunque sæviunt inimici, memoriam abundantiæ suavitatis Jesu valeas eructare, tanquam clypeum... Orat pro occisoribus, tu non orabis pro detractoribus? Nomen Patris interponit : *Pater*, inquit, *ignosce illis* [61]; commendans cum quanto affectu sit pro inimicis orandum, nomen charitatis posuit... Imitare Sponsum, et dic ex toto corde : O Sponse, ignosce illis omnibus : sic eris pacificus ac fi-

[43] S. Bern., *De Passione*, serm. 33. [43a] *Deut.* xxxii, 14. [44] *Ibid.* [45] Id., serm. 3 *In Nativ. Dom.* [46] *I Petr.* iv, 8; S. Anselm., l. x, medit. 8. [47] *II Petr.* iii, 9; S. Aug., serm. 109 *De tempore.* [48] *Joan.* xix, 30; Drogo Ostiens., *Serm. de Pass. Dom.* [49] *Luc.* xxiii, 34. [50] *Isa.* liii, 7. [51] S. Anselm., l. x, medit. 9; S. Bern., *Serm. de Passione.* [52] S. Anselm., *Med. de præterit benef.* [53] S Chrysost. [53a] S. Bonav., l. ii *Pharetr.*, c. 33. [54] *Psal.* xxx, 20. [54a] *Isa.* lv, 8. [55] *Psal.* cxvi, 2. [55a] *Luc.* xxiii, 34. [56] *Ibid.*, 21. [56a] *Psal.* liv, 22; S. Bern., serm. *4 hebdom. pœn.* [57] *I Cor.* xiii, 4 sqq.; *Rom.* xii, 21; ii, 4; *Jac.* v, 20; *I Petr.* iv, 8; S. Bern., *ibid.*, serm. *4 hebdom. pœn.* [58] S. Basil., orat. 2 *De ira.* [59] *Psal.* xliv, 3. [60] S. Bonav., *Solil.*, ex S. Bern. [60a] *Matth.* v, 44. [61] *Luc.* xxiii, 34.

lius Dei vocaberis : *Beati*, inquit, *pacifici*, *quoniam filii Dei vocabuntur* [62]... Est pacatus, qui bona pro bonis reddens ; est patiens, qui non reddens malum pro malo ; est pacificus, qui reddens bonum pro malo : primus parvulus est [63] ; secundus in patientia possidebit animam suam [64] ; sed tertius et suam et multorum animas lucrifacit [65].

Hæc est patientiæ consummatio in Christo mirabiliter elucens : primus gradus est recipere injuriam ; 2° non velle vindicare ; 3° quiescere ; 4° tribuere seipsum in patiendo ; 5° amplius tribuere quam ipse vult qui fecit mala ; 6° non odisse ; 7° diligere, 8° benefacere ; 9° Deum pro ipso deprecari [66].

Age, mi amantissime Jesu, quod cœpisti, jugiter pro peccatoribus deprecare, quorum maximus ego sum. Delicta juventutis meæ et ignorantias meas tuis abole orationibus, et etiam quotidiana non negligas [67].

Sed quid est hoc quod in cruce filios suos non deserens, clamat se a Patre deseri [68] ?

Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me [69] ? Quid est hoc ? Nunquid Pater unicum Filium suum poterat derelinquere ? Absit ! sed pro toto corpore suo loquitur..., 1° quia multa membrorum suorum ad tantam tribulationem erant ventura ut a Deo penitus derelicta viderentur, quorum personam gestabat [70]. 2° Prævidens hæreses... et alia criminalia peccata, clamabat : *Utquid dereliquisti me ?* ac si diceret : Quare aliquis abiit retrorsum ut pereat ab unitate corporis mei [71] ? 3° Clamat etiam se derelictum, quia in puris naturalibus, sensibili parte relicta, fluenta æternæ voluptatis continuit Deus [72]. 4° Derelictus est Dominus ne nos derelinqueremur ; derelictus est, ut a peccatis æternaque morte liberaremur. 5° Derelictus ut amorem suum erga nos ostenderet ; 6° ut justitiam et misericordiam suam nobis patefaceret ; 7° ut amorem nostrum ad se raperet ; denique 8° ut exemplum nobis patiendi exhiberet. Etenim, patet in cœlum via, sed ardua et difficilis. Præire voluit exemplo admirabili, ne via terreret, sed stupendum Dei patientis exemplum nos incitaret [73].

Deo clamavit voce magna, 1° ut scilicet fortius audiatur ; 2° ut ostendat quod potestatem habeat ponere animam, et iterum sumere eam [74]... et se totam vitam mortemque suam in potestate habuisse liberam [75].

3° Clamavit item voce magna, altissimo et secretissimo affectu paternæ et nostræ charitatis [76].

Cum autem accepisset acetum dixit : Consummatum est [77]. Hanc consummationem ipse David spiritu prophetico longe ante se vidisse testatur, dicens : *Omnis consummationis vidi finem* [78].

O quam longa sententia, brevis verbi : in quo quidquid est a Deo decretum, quidquid est a Patribus repromissum, quidquid in Scripturæ decursu scriptum, quidquid est utile et superabundans ad salutis pretium, quidquid cogitari potest ad exprimendum amoris excessum, quidquid potest fieri ad gloriosum obtinendum triumphum, in brevi verbo sit mirifice consummatum [79].

Ideo nihil peculiariter perhibuit consummatum, sed absolute : *Consummatum est*, ait : ut immensa sub hac prolatione intelligas esse completa [80]. In passione enim et morte Christi reperitur 1° consummatio justitiæ Patris non parcentis Filio suo dilecto ; 2° consummatio charitatis Filii pro inimicis et peccatoribus morientis ; 3° consummatio impietatis hominis, Deum suum crucifigentis.

Et iterum clamans voce magna, ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum [81]. Spiritum suum commendat, confidentiam suam insinuans, amat enim gloriam dare Patri, ut nos ædificet gloriam dare Creatori. Porro non se tantum, sed electos etiam omnes, sub hac voce expressos intellige ; Patris quippe affectum, Pastoris vocem, et Sponsi speciale contubernium in hac commendatione cognosce [82].

Cum enim in cruce dicit : Pater, in manus tuas depono spiritum meum, in eo omnes homines apud Patrem deponit, et commendat per ipsum et in ipso vivificandos. Membra enim sumus, et membra ista unum corpus efficiunt [83]. Omnes ergo in se commendat.

Commendo spiritum meum, non tantum quem gero ut homo, sed quem ut Mediator et Redemptor acquisivi mihi, membra mea, Ecclesiam meam, sponsam meam, quam patiendo pro illa meam facio. Hanc spiritum meum nuncupabo, quia adhærendo mihi unus spiritus fit [84].

Pater, ne in hac ultima hora constituti quos dedisti mihi formident deseri, audiant clamantem me, et se agnoscant in me [85].

Ut autem fiducialiter æterno Patri dicere possimus cum Domino Jesu : *In manus tuas commendo spiritum meum*, in bonis operibus perstemus usque ad consummationem nostram semper orantes.

Et hæc dicens, inclinato capite, emisit spiritum [86]. Utrumque verum est, inclinavit caput, et spiritum

[62] *Matth.* v, 9 ; S. Bern., serm. 3 *De Passione*. [63] *Hebr.* v, 13. [64] *Luc.* xxi, 19. [65] *I Cor.* ix, 19 ; S. Bonav., *Pharetr.* lib. ii, c. 33 ; S. Chrysost. [66] S. Bonav., lib. ii *Pharetr.*, c. 33. [67] *Psal.* xxiv, 7 ; S. Laur. Justin., *De agone Christi*, c. 17. [68] S. Bern., *De Passione*, serm. 12. [69] *Matth.* xxvii, 46. [70] S. Bern., ubi supra. [71] *Ibid.* [72] S. Laur. Justin., *De Christi agone*, c. 19. [73] S. Cypr., *De Passione*. [74] *Joan.* x, 18. [75] S. Bern., *De Passione*, serm. 12 ; S. Chrysost., hom. 89 *in Matth.* xxvii ; Victor. Ant., *in Marc.* xv. [76] Drogo Ost., *De Passione*. [77] *Joan.* xix, 30. [78] *Psal.* cxviii, 98 ; S. Bernardin., serm. 51 *De Passione*, p. ii, a. 1, c. 6. [79] S. Bern., ubi supra. [80] S. Laur. Just., *De Christi agone*, c. 20. [81] *Luc.* xxiii, 46. [82] Beda, *in cap.* xv *Marc.* ; S. Laur. Just., *De Christi agone*, c. 21. [83] *I Cor.* vi, 15 ; S. Athan., *De human. Christi nat., contra Apollin.* [84] *I Cor.* vi, 17 ; S. Laur. Justin., *De Christi agone*, c. 20. [85] *Ibid.*, paulo ante. [86] *Joan.* xix, 30.

reddidit. In facto mysterium et in littera eliciamus spiritum [87].

Inclinavit caput : *caput enim Christi Deus* [88] : caput hoc dum mortis supplicia pro hominibus pertulit Mediator, liquefecit ad misericordiam, flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam.... Tradidit autem spiritum, Spiritum enim suum in fidelium mentes immittere dignatus est [89].

Inclinans etiam caput magnum mysterium innuit: erecta enim cervice atque mente superba commissum est peccatum; ideo moritur Christus, vice versa inclinato capite in expiationem erectionis ad vetita. Caput denique inclinans in morte suasit obedientiam, reverentiam dedicavit, humilitatem monstravit [90].

Inclinans ergo caput, quasi illud supra gremium Patris repausans... *Emisit spiritum.* Non necessitatem, sed potestatem suæ mortis ostendit... Divinæ enim est potestatis emittere spiritum [91].

O tremendum mysterium ! O mysterium mirifica omnia sua admirabilitate longe superans ! Voluisse Christum mortem oppetere ; quid quantum ad inclinationem humilius, quantum ad stuporem sublimius [92] !

O pedes, qui, charitatis incessu, virtutum omnium posteris vestigia reliquistis !

—

CHRISTUS MORTUUS.

Christus Jesus, amor amantium, *candor lucis æternæ, speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius* [93], *splendor Patris et figura substantiæ ejus, portans omnia, verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens* [94], hodie in cruce pro nobis mori dignatus est [95].

Super mortuum produc lacrymas et fac planctum magnum, secundum meritum ejus [96]. Igitur, o anima mea, pretioso Christi sanguine desponsata, *respice in faciem Christi tui* [97], et vide speciosissimum forma præ filiis hominum [98], non habentem speciem neque decorem [99] ; quia vultus ille desiderabilis angelis... totus decoloratus, caligantibus oculis in morte pallescit. O quis digne stupere queat illam eclipsim oculorum gratiosissimorum benedicti Jesu [1] ?

O pectus sacratissimum dulcis Jesu ! paternæ sapientiæ contentivum, armarium gratiarum, spiraculum vitæ, quis te privavit respiratione vitali [2] ?

O sacratissimæ manus, quæ vestro salvifico tactu sanabatis infirmos, nec dedignabatis leprosos contingere, quis vos tam crudeliter crucifixit [3] ?

O pedes recti sanctorum gressuum, qui charitatis incessu virtutum omnium posteris vestigia reliquistis, quis vestrum tam crudeliter turbavit incessum? quis vos affixit crudeli spectaculo [4] ?

O caro amantissimi juvenis, a Spiritu sancto de castissimis visceribus Virginis Matris artificiose concepta, quomodo divulsa et dilacerata affixa nunc manes in patibulo crucis [5] ?

Væ tibi, impia Synagoga, quæ omni fera crudelior vitam devorasti boni Jesu : qui tibi pater, et Sponsus, et amantissimus Filius a paterna charitate de regalibus sedibus missus est [6].

Plange et tu, dolorosa Jerusalem, quæ olim civitas sancta, nunc vero civitas homicidii, imo parricidii, quin potius deicidii horrendo vocabulo nuncuparis. Assume lamentum super crudelitatem tuam ; induere cinere et cilicio ; non cessent oculi tui affluere fontes lacrymarum quia in te Salvator tuus occisus est [7].

Et tu, Domine sancte Pater, de sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo, respice hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert Pontifex noster pro peccatis nostris, et esto placabilis super nequitia populi tui [8].

Considera et tu, o homo redempte, quis, qualis et quantus est qui pro te mortuus est ; et vere omnium lapidum duritiem superabis, si, ad tanti rememorationem piaculi, nec terrore concuteris, nec compassione afficeris, nec compunctione scinderis, nec pietate molliris [9].

Si quis forte per iter repente jugulatum hominem offendat, mutatur atque expallescit facie et corde perhorrescit : nos vero occisos non solum apostolos et prophetas, sed et ipsum Verbum carnem factum, in ligno suspensum, occisumque propter peccata ac scelera nostra, audientes atque legentes, mente vaga distrahimur, et ad risum convertimur [10].

Sol non ferens injuriam ac contumeliam Domini, subductis radiis, splendorem suum in tenebras convertit : nos ex malitiæ tenebris ad justitiæ lumen converti nolumus [11].

Velum templi cum nihil peccasset a seipso discissum est [12], et nos propter peccata nostra corde compungi recusamus [13].

Terra, contremiscens a facie Domini [14], ad nostrum terrorem sub pedibus nostris commovetur, et nos nec sic quidem ad nostram duritiem timore concutimur [15].

Quanta confusio ! Dei Filium ingratis oculis sic cernere morientem [16] !

Cogita, o anima, quantum te diligat, qui non nisi moriendo a morte voluit liberare te [17].

Nulla dilectio major, nulla charitas sincerior,

[87] S. Laur. Justin., ubi supra. [88] *I Cor.* xi, 3. [89] S. Laurent. Justin., ubi supra. [90] S. Bernardin. Sen., serm. 51, p. ii, a. 1, c. 7. [91] Orig., *Hom. in Matth.*; S. Aug., serm. 76 *De divers.*; Beda, *in c.* xxvii *Matth.* [92] Leo Aug., *Orat. in Dom. corp. depos. de cruce.* [93] *Sap.* vii, 26. [94] *Hebr.* i, 3. [95] S. Cyrill. Hieros. [96] Idiota. [97] *Psal.* lxxxiii, 10. [98] *Psal.* xliv, 3. [99] *Isa.* liii, 3. [1] S. Bernardin. Senens., serm. 51, part. ii, a. 1, c. 7. [2] *Ibid.* [3] *Ibid.* [4] *Ibid.* [5] *Ibid.* [6] *Sap.* xviii, 15; S. Bernardin., ubi supra. [7] *Ibid.* [8] S. Bernardin. Senens., ubi supra. [9] *Ibid.* [10] S. Ephrem., *Serm. de vita relig.* [11] *Ibid.* [12] *Matth.* xxvii, 51. [13] S. Ephrem., ubi supra. [14] *Joel* ii, 10. [15] S. Ephrem., ubi supra. [16] S. Bern., epist. 107. [17] S. Bon., *Solil.*

nullus amor fortior. Moritur pro me innocens, nihil in me inveniens quod amaret; moritur non ut infidelis regnet in sæculo, sed ut secum regnare faciat fideles in cœlo; moritur non ut perdat vitam brevem, sed ut conferat sempiternam; moritur non ut servus iniquitatis, sed proposito voluntatis; moritur mirabiliter, misericorditer, singulariter; moritur per propriam potestatem, ut suam in omnibus adimpleat voluntatem [18].

Mortuus est ut mortem necaret, et viveremus per illum. Et quis non amet Christum Dominum? Quis non patiatur pro Christo? quis propter Christum non se humiliet [19]?

In se vinci maluit, ut victor esset in cunctis; suam salutem perdidit, ut salutem omnium lucraretur [20].

Ac sic per eumdem reformati, per quem formati eramus, ipsum solum ex toto corde, et ex tota anima, et ex totis viribus diligamus [21].

Moriens pro nobis, tradidit nobis formam charitatis, ut parati simus, cum necessitas exegerit, pro fratribus nostris animas ponere, cum Regem nostrum pro nobis animam posuisse videmus [22].

Sicut medicus cum videt ægrotum fastidire cibos et pharmaca, prior ipse ea sumit, ut ægrum ad eadem sumenda inducat. Ita Christus prior gustavit mortem [23], ut eam gustare non horreat Christianus [24].

Tandem *pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit* [24*].

Mortuus est, *ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti* [25].

Probrosæ etiam et austeræ mortis non erubescit ignominiam, ut nos opprobrio sempiterno eriperet [26].

O immensam charitatem! o viscera misericordiæ! o amoris vim! propria morte mortis in nos impressionem cohibet, gustat amarum mortis poculum, ut ego, de torrente voluptatis quo immortalitas affluit bibens, mortis amaritudinem deponam [27].

Majorem charitatem *nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [28]: sed tu, o Domine, majorem habuisti, ponens etiam pro inimicis. Cum enim inimici essemus, per mortem tuam et tibi reconciliati sumus et Patri... *Vix pro justo quis moritur* [29], tu pro impiis passus es moriens propter delicta nostra; qui venisti justificare peccatores, salvos facere fratres, captivos cohæredes, exsules reges [30].

O inenarrabile munus! Ex quo ad quid perduxit? e morte ad vitam [31], e tenebris ad lucem [32], e servitute ad libertatem, ab inimicitiis ad genuinam amicitiam, usque adeo imagini Filii conformes faceret [33]. Quæ est hæc ineffabilis dignitas? quæ incomparabilis erga nos amoris magnitudo, ut sic pro nobis unigenitum Filium daret [34].

O firmissimum erga nos Dei amoris argumentum! Christus moritur et meretur amari [34*]... Quamobrem redamemus eum, qui sic nos amavit; pro eo moriamur, qui mortem obiit pro nobis, aversi a carne et sanguine, nec serpentis inescati astutia, nec vitæ voluptatibus diffluentes, nec fructu peccati degustato, unde mors profecta est [35].

Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, quoniam per Redemptoris nostri mortem, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de exsilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de miseria ad gloriam vocati sumus... Gaudens gaudebo in Domino, qui me tantum dilexit [35*].

Memento te, etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum; sex diebus condidit omnia, et te inter omnia; at vero per totos triginta annos *operatus est salutem in medio terræ* [36]. O quantum laboravit sustinens [36*]! carnis necessitates, hostis tentationes, crucis sibi aggravavit ignominia, mortis cumulavit horrore. Ecce quomodo *multiplicasti misericordiam tuam, Deus* [37]. Hæc meditamini, in his versamini, talibus odoramentis refovete viscera vestra [37*].

Intus est bonæ fidei contractus, nemo fallit Redemptorem tuum, nemo circumvenit, nemo premit: egit hic commercium, jam pretium solvit, sanguinem fudit. O anima, erige te, tanti vales [38]...; si tibi ipsi, o homo, vilueras, ex pretio tuo te ipsum æstima [38*].

Sed ille quidem pretiosum sibi esse hominem pretii ipsius dignitate perdocuit, ut hinc quoque intelligamus quam grandes apud se æstimet Deus noster humanorum criminum causas; propter quas, non angelum, non archangelum (pro nobis moriturum) misit ad terras. Quam gravis sit peccati et quam dura conditio, prodit remedii magnitudo; quanta malorum discussio erit, qua damnabuntur, sollicitudo indicat, qua redimuntur [39].

Omni ergo diligentia atque vigilantia caveamus

[18] Hugo a S. Victore; S. Fulgent., *Serm. de Epiph.* [19] S. Bern., *Serm. de Passione.* [20] S. Aug., append., ser. 44. [21] *Luc.* x, 27. S. Bern., *de Pass.*, serm. 46. [22] *I Joan.* iii, 16; S. Bern., *ibid.* [23] *Hebr.* ii, 9. [24] Theophylact. [24*] *II Cor.* v, 15. [25] *Hebr.* ii, 14, 15. [26] S. Bern., *Serm. ad milit. Templi*, c. 10. [27] Leo Aug. imper., *Orat. in Dom. resur.* [28] *Joan.* xv, 13. [29] *Rom.* v, 7. [30] S. Bern., *Serm. in fer. 4, hebd. pœnosa.* [31] *I Joan.* iii, 14. [32] *I Petr.* ii, 9. [33] Rom. viii, 29. [34] *Ibid.*, 32; S. Theodor. Stud., serm. catech. 12. [34*] S. Bern., epist. 107. [35] S. Theod. Stud., *Serm.*, catech. 12. [35*] *Isa.* lxi, 10; S. Bonav., *Solil.*, ex S. Aug. [36] *Psal.* lxxiii, 12. [36*] *Isa.* i, 14. [37] *Psal.* xxxv, 8. [37*] S. Bern., serm. 11 *in Cant.* [38] S. Aug., *in psal.* cii. [38*] S. Ambros. [39] S. Aug., serm. 1 *De Evinh.*

ne vulneret diabolus quod sanavit Deus, ne per consensum cordis, per flagitium corporis, servitutem quam debemus Domino magis exhibere probemus inimico [39*].

Mortui simus peccato, et nobis ipsis et mundo..., *quia in morte ipsius baptizati sumus* [40], ad hoc ut nos ipsi moriamur sicut ille... *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis illius, simul et resurrectionis erimus* [40*].

Eia ergo, dulcissime Deus, hoc mihi tecum pactum erit : plane, moriar mihi ipsi, ut tu solus in me vivas ; totus intra me silebo, ut tu solus loquaris in me ; totus quiescam, ut tu solus opereris in me [41].

O Domine, accipe spiritum meum : mori desidero, vivere renuo, ut vivam cum Christo [42].

Scio quod mortuus nulli jam detrahit, nullum aversatur aut despicit, nullius pudicitiam corrumpit, nemini violentus exsistit, neminem calumniatur aut opprimit. Non invidet bonis aut insultat afflictis, non luxuriæ carnis inservit, non sitim bibendo magis ac magis accendit ; non odiorum facibus inardescit, non compendia injusta sectatur... ; non potentibus, aut divitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non domesticæ sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum injuriis fatigatur [43].

Non eum superbia inflat, non ambitio præcipitat, non vana gloria jactat, non desiderium gloriosæ opinionis inflammat... Non facit impudentem audacia, iniquum injustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, insanum vesania, deliciosum gula, rebellem inobedientia, vanum jactantia, infidelem perfidia, levem facilitas, sævum crudelitas, impatientem mobilitas, mobilem instabilitas, vagum spiritualis infirmitas, iracundum animositas, suspiciosum perversitas, verbosum vanitas, injuriosum malignitas [44].

Mortuus remotus est prorsus a sæcularibus illecebris et inimicitiis, remotus ab insidiis, a rapinis, a mendaciis, postremo remotus ab omni genere flagitiorum quibus carnaliter viventes Deum offendunt, et mortui peccato non serviunt... Sic mortuus illi soli vivam, cui debeo omnem vitam meam, quoniam ipse vitam suam posuit pro vita mea [45].

Sic tuæ vivificæ morti, o Domine Jesu, me famulum tuum configurans, fac in me ut moriar quidem peccato secundum carnem, vivam autem justitiæ secundum spiritum [46].

VARIA IN MORTE CHRISTI PRODIGIA.

Pendente in patibulo Creatore, signa plurima subsecuta sunt, ut perfidi homines signorum attestatione credere cogerentur, qui Christo ex sua prædicatione credere noluerunt [47].

Tunc universa natura congemuit [48], et crucis clavos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit : hoc in communione sui et terram traxit et cœlum [49].

Hoc supplicium petras rupit, monumenta aperuit, inferna reseravit, et densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus auctori, ut in occasu Conditoris sui vellent universa finiri [50].

Horruit quidem tota mundi machina tam immane scelus, ab iniquis perpetratum contra omnium Conditorem, atque modis mysticis et apertis, lamentum sumpsit super scelere perpetrato [51].

1° *Obscuratus est sol* [52]. Sol, ne Judæorum facinus aspicere cogatur, radios suos subtraxit. Et occidit sacrilegis, vel refugit, ut funeri spectaculum sceleris obumbraret... ; non enim ferre poterat injuriam Creatoris [53].

Radios etiam suos subduxit, splendorem divinitatis pertimescens... Tanta enim eminentia splendoris erat in Christo, ut etiam clarissima cœli luminaria præ fulgore luminis divini abscondebantur. Caliginem enim tanquam saccum induit sol, peccata Judæorum et eorum ruinam deplorans. Tandem retraxit radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur [54].

2° *Et tenebræ factæ sunt super universam terram* [55].

Tenebræ effusæ sunt oculis perfidorum, ut fidei lumen refulgeret... Judæis enim festivitas hæc conversa est in noctem, nobis autem coruscat ad vitam, quoniam crux Christi eadem est et credentium gloria, et non credentium pœna [56].

Unde hodie apud Judæos tenebræ sunt, apud nos vero nox in diem conversa est : etenim pietati hoc proprium est ut in tenebris fulgeat, impietas autem, etsi in lumine fuerit, tenebrescit [57].

Fidelibus nox in diem mutatur, sicut Scriptura dicit : *Quia tenebræ non obscurabuntur, et nox sicut dies illuminabitur* [58] : infidelibus autem etiam ipsa lux tenebrescit, dicente Scriptura : Palpabunt sicut cæci parietem, et ambulabunt in meridie sicut in medio noctis [59].

Non immerito igitur totus hic mundus sensibilis sic colore suo privatus est, ut Creatori suo com-

[39*] S. Aug., *serm.* 1 *de Epiph.* [40] *Rom.* VI, 5. [40*] *Ibid.*; S. Chrysost., hom. 10 *in Epist. ad Rom.* [41] S. Aug., serm. 112 *De tempore.* [42] Id., *Soliloq.*, c. 1. [43] S. Prosp., *De vita cont.* l. II, c. 20. [44] *Ibid.* [45] *I Joan.* III, 14 ; S. Prosp., ubi supra ; S. Bern., *De quadruplici debito.* [46] S. Anselm., lib. X, medit. 9. [47] S. Bern., serm. 51, p. II, a. 2. [48] *Rom.* VIII, 32. [49] S. Leo, serm. 6 *De Passione.* [50] *Ibid.* [51] S. Bern., ubi supra. [52] *Luc.* XXIII, 45. [53] S. Cypr., *De bon. pœn.* ; S. Ambros. ; S. Chrysost. [54] Procl., orat. 13 *in Pasch.* ; S. Aug., serm. 130 *De temp.* ; S. Greg. Nyss., orat. 10 *in Resurrect.* ; V. Beda, *in fer.* 3 *Palm.* [55] *Matth.* XXVIII, 45. [56] S. Leo, serm. 9 *De Passione.* [57] S. Chrysost., *Hom. de cruce et latr.* [58] *Psal.* CXXXVIII, 12. [59] *Job* V, 14 ; *Isa.* LIX, 10 ; S. Chrysost., ubi supra.

pati videatur, et in ejus morte lugubre et funereum assumere vestimentum [60].

3° *Et velum templi scissum est medium in duas partes, a summo usque deorsum* [61]. Velum scinditur, quo vel duorum populorum divisio, vel mysteriorum Synagogæ profanatio declaratur. Scinditur ergo velum vetus, ut Ecclesia nova fidei suæ vela suspendat : Synagogæ velamen aufertur, ut religionis interna mysteria revelato mentis obtutu cernamus [62].

Velum templi scinditur, quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur, Ecclesiæ unitas præmonstratur [63].

Velum templi scinditur ut jam revelatis mysteriis umbrisque fugatis, omnium Patrum ænigmata et oracula prophetarum revelentur... ; et omnia legis sacramenta quæ tegebantur appareant, atque ad populum transeant nationum [64].

4° *Terra mota est.* Terræ motus fidelibus resurrectio est, imperitis metus [64*].

Tremuit terra moriente Christo, ut sentiretur in universo orbe terrarum injustitia mortis hujus ; tremuit ferre non valens quod plebs Judaica sustinebat ; tremuit velut pavens ad tam insolitas et iniquas passiones, ut omnium fidelium mentes credant et contremiscant : quoniam pro injustis justitia, pro impiis pius, pro peccatoribus sanctus, pro hominibus passus est Deus [65].

5° *Petræ scissæ sunt.* Scissio saxorum, sive petrarum, rerum insensibilium acclamatio fuit, quia auctor vitæ condemnatur injuste ; cumque homines tacerent, petræ per scissuras quasi per aperta labia clamabant, et suo modo provocabant dura hominum corda, ut scinderentur, et recogitarent, eum qui talem pro peccatoribus sustinuit Passionem [65*].

Petræ scissæ sunt quasi flagitiorum audaciam stuperent..... Petræ scissæ sunt ut per prærupta saxorum ostenderetur futurum, quoniam verbi vis pectorum dura penetraret [66].

O duriora saxis pectora Judæorum (et peccatorum) ! scinduntur petræ, et horum corda durantur. Omnis creatura compatitur Christo morienti. Sol obscuratur, terra movetur, petræ scinduntur, velum templi dividitur, sepulcra aperiuntur. Solus miser homo non compatitur, pro quo solo Christus patitur [66*].

6° *Et monumenta aperta sunt* [67]. Monumentorum reseratio quid aliud nisi, claustris mortis effractis, resurrectionem significat mortuorum ? Monumenta aperiuntur, quia mortis jura jure superantur..... Et mortis claustra reserantur... : illuminans enim mortis tenebras et infernorum obscura collustrans, mortis ipsius spolia detrahebat [68].

7° *Et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt.* Solet præcedere pompa victores ; at vero currum Domini triumphalem præit bona pompa resurgentium defunctorum. Solet etiam titulus subjugatarum gentium numerum designare. Fit in illis triumphis ordine quodam digesta miserabilis devictarum, pereuntium contumeliosa captivitas nationum : hic redemptarum gentium vernat gratia ; digni tanto triumpho jugales, ut cœlum, terra, maria, infernus, a corruptela mutentur ad gratiam [69].

8° *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis* [70]. Contremiscat in Redemptoris sui supplicio terrena substantia : rumpantur infidelium mentium petræ, et qui mortalitatis gravabantur sepulcro, discussa obstaculorum mole prosiliant. Appareant nunc quoque in civitate sancta, id est in Ecclesia Dei, futuræ resurrectionis indicia, et quod gerendum est in corporibus, fiat in cordibus [71].

Rerum porro ordinem attende : 1° *terra mota est*, id est cor peccatoris movetur per timorem ; 2° *petræ scissæ sunt :* corda enim obstinatione obdurata ad pœnitentiam, scinduntur per contritionem ; 3° *corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt*, id est congeries sanctorum operum, et totus cœtus virtutum, quæ per peccatum dormierant, per satisfactionem iterum resurrexerunt ; 4° *et venerunt in sanctam civitatem*, id est in animam sanctificatam [72].

9° *Videns autem centurio quod factum fuerat, dixit : Vere hic homo justus erat. Vere Filius Dei erat* [73]. Hac confessione quid verius ? quid utilius ad meritum ? quid ad profectum sublimius [74] ?

Centurio Dei etiam Filium, quem crucifixerant, confitetur [75].

10° *Et qui cum eo erant timuerunt valde dicentes : Vere Filius Dei erat* [76]. Hinc vel maxime Pharisæi Dominum agnoscere debuerant... Judex arguit ; credit minister. Proditor scelus suum condemnat ; elementa fugiunt ; terra concutitur, monumenta reserantur : Judæorum tamen duritia toto orbe concusso manet immobilis [76*].

11° *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur* [77]. Tanta Crucifixi virtus apparuit, ut post illas contumelias, post vitupera-

[60] S. Bern. Sen., serm. 51, p. II, a. 2. [61] *Matth.* XXVII, 51. [62] S. Ambros., *in Luc.*, l. X, c. 33. [63] S. Aug., serm. 114 *De temp.* [64] S. Bern. Sen., ubi supra ; Beda, *in cap.* XXVII *Matth.* [64*] S. Ambros., l. X *in Luc.* XXIV. [65] S. Bern. Senens., serm. 51, p. II, a. 2. [65*] S. Bern. Senens., ubi supra. [66] S. Greg. Nyss., orat. 5 *in Resurrect.* ; S. Ambr., lib. X *in Luc.* XXIII. [66*] S. Ambros., ubi supra ; S. Bern. Senens., serm. 51, p. II, a. 2. [67] *Matth.* XXVII, 52. [68] S. Ambros., *in Luc.* XXIII ; S. Aug., serm. 114 *De temp.* ; S. Hilar., can. 33 *in Matth.* [69] S. Ambros., lib. X *in Luc.* XXIII. [70] *Matth.* XXVII, 53. [71] S. Leo, serm. 13 *De passione.* [72] Hugo card., *in cap.* XXVII *Matth.* [73] *Matth.* XXVII, 54. [74] S. Laur. Just., *De Christi agone*, c. 20. [75] S. Ambros., lib. X *in Luc.* [76] *Matth.* XXVII, 54. [76*] Tertull., *De patient.* [77] *Luc.* XXIII, 48.

tionem et cædem, tam populus quam centurio compuncti fuerint [78].

Considera et tu, homo redempte, quis, qualis et quantus est ille qui pro te pendet in cruce, cujus mors vivificat mortuos, et cujus transitum et cœlum luget et terra, et lapides duri quasi compuncti scinduntur [79].

Ipsa totius mundi rationabilis creatura motibus suis Deum loquitur...; et, ut tota cœli facies Dominicæ Nativitatis gloriam nova luce testatur, ita crucis injuriam novis tenebris detestatur. Et quæ durities cordis humani! En prodigium, en portentum [80].

Væ igitur eis qui inter ista non credunt, quandoquidem creatura irrationalis, quæ recipere non potest credulitatis effectum, dat tamen Deo confessionis obsequium; et cum pro solo homine Christus mortuus sit, perhibet ei tamen pars illa mundi testimonium, ad quam non pervenerunt beneficia Passionis. Aperte siquidem rerum natura conspicitur commoveri, velut in vindictam auctoris sui velit armari [81].

Agnosce, o homo, quantum valeas, et quantum debeas! et dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem [82].

Ecce pro impio pietas flagellatur; pro stulto sapientia illuditur; pro mendace veritas necatur; damnatur justitia pro iniquo; misericordia afficitur pro crudeli; pro misero repletur sinceritas aceto; inebriatur felle dulcedo; addicitur innocentia pro reo; moritur vita pro mortuo [83].

Expavet scelus natura rerum, et quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, et cœli Regem sol fugiens confitetur [84].

Agnosce quantum et quantum te Deo obnoxium faciat natura, vel gratia. Agnosce quantum a te exspectet Deus! et quem tanta dignatione habuit charum, quam velit esse in conversatione pretiosum... Custodi sollicite quod tanti sui cruoris commercio Christus redemit. Reus enim erit, non parvi pretii sed sanguinis Christi, qui violat et commaculat animam Christi, sanguine et Passione mundatam, ne vilem in te habeas sanguinem Redemptoris [85].

Vide quomodo exculta humanitatis terra iniquitatis Judæorum vomere, et venenatæ linguæ sarculo, centuplicatum reddidit sanctæ Ecclesiæ fructum. Vide quomodo virtute Mediatoris hac occasione produxerunt in publicum. Vide quomodo ineffabilis charitatis odorem circumquaque per orbis latitudinem emanare fecerunt [86].

O admirabilis potentia crucis! o ineffabilis gloria Passionis, in qua et tribunal Domini, et judicium mundi, et potestas est Crucifixi [87].

Traxisti, Domine, omnia ad te, et cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem, et contradicentem tibi, confitendæ majestatis tuæ sensum totus mundus accepit [88].

Traxisti, Domine, omnia ad te, cum in exsecrationem Judaici sceleris unam protulerunt omnia elementa sententiam; cum universa creatura impiorum usui se negaret [89].

Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam scisso templi velo Sancta sanctorum ab indignis pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur [90].

Traxisti, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoque sacramento, universarum ubique nationum devotio celebraret [91].

Nunc etenim et ordo clarior levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio sacerdotum. Quia crux tua omnium est fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte [92].

Nunc etenim carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio. Quoniam tu es verus Agnus qui tollis peccata mundi. Et ita in te universa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum [93].

—

CHRISTUS IN CRUCE, APERTO LATERE, AQUAM CUM SANGUINE FUNDENS.

Tunc unus militum lancea latus ejus aperuit [94].

Quid iniquius cogitari potest? Eo impietatis devenerunt, ut mortuum jam corpus vexarent. Tu vero considera quomodo ad salutem nostram protervitate illorum utitur. Hoc enim vulnere facto, salutis nostræ fontes illinc emanarunt [95].

O quam beata lancea quæ apertionem hujusmodi facere meruit! O si fuissem loco istius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem : *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam* [96].

Ecce aperta est apotheca omnibus aromatibus plena et medicinalibus opulenta; ecce aperta est janua paradisi...; ecce lignum vitæ tam in ramis quam in stipite perforatum. Ecce apertus thesaurus sapientiæ et charitatis æternæ. Intra per vulnerum aperturam et magnas delicias obtinebis. Has

[78] S. Chrysost., hom. 88 *in Matth.* [79] S. Bonav., *De lig. vitæ.* [80] S. Aug., serm. 120 *De temp.*; Euseb. Emiss., *Or. de latrone beato.* [81] *Ibid.* [82] S. Aug., serm. 114 *De temp.* [83] *Ibid.* [84] *Ibid.* [85] *Ibid.* [86] S. Laurentius Just., *De Christi agone*, c. 17. [87] S. Leo, serm. 8 *De Pass.* [88] *Ibid.*; *Joan.* xii, 32; *Isa* lxv, 2; *Rom.* x, 21. [89] *Ibid.* [90] *Ibid.* [91] *Ibid.* [92] *Ibid.* [93] *Ibid.*; *Joan.* i, 29. [94] *Joan.* xix, 34. [95] S. Chrysost., hom. 89 *in cap.* xxvii; *Matth.* [96] *Psal.* cxxxi, 14; S. Bonav., *Stimul. amor.*, p. i, c. 1.

si fueris expertus, omnia amaritudinem reputabis[97].

Accipe medicinam sanativam, restaurativam, præservativam et conservativam; ibi quascunque volueris species accipe; ibi quæcunque delicata appetieris electuaria sume [98].

Domine Jesu, ferrum, tuam creaturam insensibilem, voluisti tuum corpus vulnerando intrare, et me tuam creaturam rationalem intrare per jam facta vulnera non permittis! Quid est hoc? Nunquid cor meum durius est et vilius omni ferro [99]? Præ nimio amore aperuisti tibi latus, ut mihi tribuas cor tuum... Accede ergo, o anima, ad cor humillimum Jesu per januam lateris lanceati. Ibi procul dubio thesaurus ineffabilis charitatis latet, ibi nova devotio invenitur, inde lacrymarum gratia extrahitur, discitur mansuetudo, patientia in adversis, compassio in afflictis; præcipue cor contritum et humiliatum ibi invenitur [1].

Foderunt non solum manus et pedes, sed et latus et sanctissimi cordis intima furoris lancea perforaverunt. Istud jam dudum amoris lancea fuerat vulneratum; vulneravit enim cor tuum, Domine Jesu, sponsa tua, amica tua, soror tua [2]. Quid necessarium fuit illud ab inimicis tuis ultra vulnerari? Quid agitis, o inimici? Si vulneratum est cor dulcis Jesu, quid secundum vulnus apponitis? An ignoratis quod uno vulnere tactum cor emoritur, et fit insensibile? Mortuum cor Domini Jesu, quia vulneratum possedit vulnus amoris, possedit mors amoris Domini cor Sponsi Jesu, quomodo mors altera introibit [3]?

Fortis est ut mors dilectio [4], imo fortior quam mors dilectio. Non enim potest prima mors, id est dilectio, expelli a domo cordis, quam sibi inviolabili jure suo vulnere acquisivit. Et vide quanta sit vis amoris domum cordis obtinentis, et per vulnus dulcissimi occidentis, non solum in Domino Jesu, sed et in servis ipsius. Terrentur enim et rident, feriuntur et gaudent, occiduntur et triumphant. Quare? quia morte charitatis intus in corde jam dudum mortui peccatis, mortui mundo, tanquam insensibiles facti, nec minas, nec tormenta, nec mortem sentire potuerunt. Quid mirum? mortui erant [5].

Accedamus ergo ad te, o amoris Sponse, et exsultabimus et lætabimur in te, memores cordis tui. Bonus thesaurus, bona margarita cor tuum, bone Jesu, quam fosso jam agro tui corporis inveniemus. Quis hanc margaritam abjiciat? quin potius dabo omnia, omnes cogitationes et affectus mentis commutabo, et comparabo illam mihi, jactans omnem cogitatum meum in cor Domini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet.

O quam bonum et quam jucundum habitare in corde hoc [6]! ad hoc templum, ad hæc Sancta sanctorum, ad hanc arcam testamenti, adorabo et laudabo nomen Domini, dicens cum David : *Inveni cor meum ut orem Deum meum* [7]. Cor enim illius mecum est. Audacter dicam : quia caput meum Christus est. Quomodo quod capitis mei est non meum est? Sicut ergo oculi corporales capitis mei oculi mei sunt, ita spirituale cor Jesu cor meum est. Ego cum Jesu cor unum habeo [8].

Hoc igitur corde tuo, et meo invento, mitissime Jesu, orabo te Deum meum. Admitte tantum in sacrarium exauditionis tuæ preces meas. Imo me totum trahe in cor tuum, et fac ut, deposita gibbi sarcina, per foramen acus [9] possim intrare, id est, purificatus ab iniquitate mea, per te ad te possim accedere, et in corde tuo omnibus diebus vitæ meæ valeam habitare. Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut in illo et in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus [10].

Propterea etiam cor lancea permisit vulnerari, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videamus. Carnale enim vulnus spiritale ostendit. Et hoc innuit ipse Sponsus dicens : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum* [11]. Bis enim dicit, *vulnerasti*, quia utriusque vulneris ipsa causa; ac si aperte diceret : Quia zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum [12].

Aperi etiam nunc, o Domine Jesu, aperi nobis cor tuum, quia magna tua misericordia, et copiosa apud te est redemptio [13]... Aperi nobis ostium lateris tui, quod est in arca tua, ut introducas nos cum mundis animalibus septena et septena [14]; tu es enim verus Noe, quem solum invenit Deus Pater justum coram se [15].

Introduc et nos per ostium lateris tui, quod est fides Ecclesiæ, et claude ostium a foris, donec transeat iniquitas, et cessante diluvio iterum nobis aperias ostium, non jam fidei, sed spei [16].

Interim tamen et fenestram habes in arca per quam dilectus mittit manum suam, et columbam suam excitat [17] : *Surge*, inquiens, *amica mea, et veni* [18]; et cum evolat post te, statim effugis et ascendis, ut non inveniat pes columbæ solidum de te ubi requiescat, nisi iterum ad arcam tuam revertatur, et tu manu apprehensam iterum in sua mansiuncula reponas. Tutius est enim in portu fidei præstolari et quiescere, quam te nimis et frustra insequendo in aquas diluvii intransmeabilis decidere et submergi.

Ecce lancea foramen fecit in petra, cavernam in maceria, tanquam habitaculum columbinum. Surge igitur, amica Christi, esto sicut columba nidificans in summo ore foraminis. Ibi, ut passer in-

[97] S. Bon., *Stimul. amor.* p. I, c. 1 [98] *Ibid.*, paulo ante. [99] *Ibid.*, c. 2. [1] *Ibid.*, c. 1; S. Bern., *De Passione*, c. 44. [2] *Cant.* IV, 9. [3] S Bern., *De Passione*, c. 3. [4] *Cant.* VIII, 6. [5] S. Bern., ubi supra. [6] *Psal.* CXXXII, 1. [7] *II Reg.* VII, 27. [8] S. Bern., ubi supra. [9] *Luc.* XVIII, 25. [10] S. Bern. ubi supra. [11] *Cant.* IV, 9. [12] S. Bern., ubi supra. [13] *Psal.* CXXIX, 7. [14] *Gen.* VII, 3. [15] Drogo Ostiens., *De Passione*. [16] *Ibid.*; *Gen.* VII, 16; *Psal.* LVI, 2. [17] *Cant.* V, 4; *Gen.* VIII, 8, 12. [18] *Cant.* II, 10.

veniens domum [19], vigilare non cessa ; ibi tanquam turtur casti amoris pullos absconde ; ibi os appone ut haurias aquas de fontibus Salvatoris [20]. Hic est enim fons egrediens de medio paradisi, qui in quatuor divisus capita, et in corda devota diffusus fecundat et irrigat universam terram [21].

Sæpe enim columba super rivulos aquarum [22] sedet, ut viso accipitre veniente se in undas immergat et evadat. . . . . Bona foramina : in his siquidem *passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos* [23]. In his se columba tutatur, et circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem. Et ideo ait : *Columba mea in foraminibus petræ* [24]. Ipsa quoque dicit : *In petra exaltavit me* [25]. Et item : *Statuit supra petram pedes meos* [26]. Vir sapiens ædificat domum suam supra petram, quod ibi nec ventorum formidet injurias, nec inundationum [27]. Bona foramina petræ, vulnera Christi, quæ fidem astruunt resurrectionis, et Christi divinitatem : *Dominus meus*, inquit, *et Deus meus* [28].

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris [29] ; ac si diceret : Quicunque desiderat aquas gratiarum devotionis, aquas lacrymarum, ista hauriat de fontibus Salvatoris, de vulneribus Jesu Christi [30].

Sed, in hac ipsa crudeli lateris apertione, crimen suum agnoscant omnes maledici. . . . Lingua enim maledica ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem ne dicere verearis. Fodit enim hæc Christi quoque corpus, et membrum de membro ; nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo, siquidem ei dilectionis vitam subtrahit. Ipsis etiam nocentior est spinis et clavis [31], etc.

Cum etiam, o peccator, præsumis defendere quod fecisti, lanceatum ictum lateri Salvatoris intorques, nihilque gravius ingeris Crucifixo quam tueri quod odit [32].

Et continuo exivit sanguis et aqua [33]. Grande prorsus inauditumque prodigium, ut de exanimato corpore sanguis exiret et aqua. Verumtamen maximum in hoc nobis voluit Dei sapientia commendare sacramentum, sui videlicet et Ecclesiæ unitatem et spiritualem copulam . . . . Aqua enim et sanguis de perforato Christi latere manantes procul dubio sacramenta sunt, quibus formatur Ecclesia [34].

Et ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, divina est ordinatione indultum, ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfoderet ; quatenus sanguine cum aqua manante pretium effunderet nostræ salutis, quod a fonte, scilicet cordis arcano, profusum, vim daret sacramentis Ecclesiæ ad vitam gratiæ conferendam, essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi salientis in vitam æternam [35].

Non casu, non fortuito, hi fontes scaturiunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est : sciunt hoc initiati : per aquam enim regenerati, sanguine et carne nutriti. Hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas [36].

Aqua porro et sanguis exivit : in aqua sacramentum baptismi, regenerationis ac redemptionis ; in sanguine vero sacramentum pœnitentiæ . . . . de sanguine enim suo medicamentum fecit ægrotis ; sanguis in remissionem, aqua in lavacrum et potum . . . . ; sanguis qui redimat, aqua quæ diluat . . . . Bibamus pretium nostrum, et bibendo redimamur [37].

Nos igitur amemus, redamemus, amplectamur, quantum possumus, vulneratum nostrum, ut cor nostrum durum adhuc et impœnitens, amoris sui vinculo constringere et jaculo vulnerare dignetur [38].

Sed et tu cum Matre virgine et cum discipulo virgine accede ad crucem. Festina, ne tardaveris ; comede favum tuum cum melle tuo, sanguis tibi in vinum convertitur ut inebrieris : in lac aqua mutatur, ut nutriaris. Facta sunt tibi in petra flumina, in membris ejus vulnera, et in macerie corporis ejus caverna [39], in quibus instar columbæ latitans et deosculans, singula ex sanguine ejus fiant *sicut vitta coccinea labia tua* [40].

Tandem Christus mulctatur morte, cruce turpatur : quis delicias seu gloriam queat sustinere, nedum audeat quærere ? Flagellatur Christus, et sputis illitus bajulat sibi crucem, et ludibrio factus irrisoria veste, arundineo sceptro, corona spinea, foditur clavis, annumeratur sceleratis, in ligno extenditur, et jam mortuus vulneratur. Et hæc intuens qui diceris Christianus, propriis nihilominus voluptatibus indulgere et florere velle in sæculo nullatenus erubescis [41].

Accede ergo tu pedibus affectionum tuarum, ad Jesum spinis coronatum, ad Jesum vulneratum, ad Jesum patibulo crucis affixum, et cum beato Thoma apostolo [42] non solum intuere in manibus ejus fixuram clavorum, non solum mitte manum tuam in latus ejus, sed totaliter per ostium lateris ejus ingredere usque ad cor ipsius Jesu [43].

Ibi ardentissimo amore crucifixi in Christum transformata, clavis divini amoris affixa, lancea

[19] *Psal.* LXXXIII, 4. [20] *Isa.*, XII, 3. [21] *Gen.* II, 10 ; S. BONAV., *De ligno vitæ*. [22] *Cant.* V, 12. [23] *Psal.* LXXXIII, 4 ; [24] *Cant.* II, 14. [25] *Psal.* XXVI, 6. [26] *Psal.* XXXIX, 3. [27] *Matth.* VII, 24, 25. [28] *Joan.* XX, 28 ; S. BERN., *De modo bene vivendi*, c. 56, sub fin. ; ID., serm. 61, *in Cant.* ; ID., *ibid.*, paulo ante. [29] *Isa.* XII, 3. [30] S. BONAV. [31] S. BERN., Serm. 17, *De diversis, De triplici custodia*. [32] S. PETR. DAM., Serm. 87 *De exalt. sanctæ crucis*. [33] *Joan.* XIX, 34. [34] S. LAURENT. JUSTIN., *De Christi agone*, c. 20 ; S. AUG., serm. 76, *De diversis*. [35] *Joan.* IV, 14 ; S. BONAV., *De ligno vitæ*. [36] S. CHRYSOST., *hom. in Joan.* XIX. [37] S. LAUR. JUST. ; S. AUG. *in psal.* L ; BEDA, *in cap.* XIX *Joan.* ; S. AMBR., l. X *in Luc.* XXII. [38] S. BERN., *De Passione*, c. 3. [39] *Cant.* II, 14. [40] *Cant.* IV, 3 ; S. ANSELM., *Medit. de præterit. benef.* [41] S. BERN., *De vita et mor. cleric.*, c. 14, in fine. [42] *Joan.* XX, 27 seq. [43] S. BONAV.

præcordialis dilectionis transfixa, et intimæ compassionis transverberata, nihil aliud quæras, nihil aliud desideres, in nullo alio velis consolari, quam ut cum Christo possis tu mori in cruce, dicens cum Apostolo : *Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* [44].

—

CHRISTUS DE CRUCE DEPOSITUS, AC SEPULTUS.

Hodie Joseph Dominum de cruce depositum sepelit; hodie solem justus sepulcro condit [44*]; hodie Christi immaculata Ecclesia sacram requietionis diem veneratur, de qua dicebat Moyses : *Et benedixit Deus diei septimo, in quo requievit ab omnibus operibus suis* [45]. Licet enim significet requiem ab operibus quibus conditus est mundus, hæc tamen revera dies est requietionis, qua Dei Filius a designatis in humana carne assumpta operibus requievit, et qui sub æterna illa mortis tyrannide atterebantur, requiem invenerunt [46], etc.

Hodie sepulcrale festum Salvatoris nostri frequentantes . . . , æmulemur Josephum ac Nicodemum, præclarum illud par beatorum, Christum suum finientem cursum portantes, ac cruce sublatum in monumento novo deponentes [47].

Hodie ad sepulcrum Domini, vitæ ac resurrectionis thesaurum, properantes . . . . . abluamus lacrymis animæ nostræ sindonem, ac misturam myrrhæ et aloes, ea nimirum quæ sensui nostro sunt amara adjungamus [48].

Demus lacrymarum flumina vitæ nostræ pro nobis morienti, quia ipse prior lacrymatus est, et adhuc sustinet, ac diligenter considerat si quis sit qui simul contristetur, si quem inveniat qui sanguinis rivos abstergat, et de cruce depositum munda sindone non panni, sed cordis involvat, et flens cum beatis mulieribus flentibus ad tumulum prosequatur [49].

O sepulcrum quod cœlum reserat ! Nam qui in cœlo tanquam in throno sedet, is in te tanquam in thalamo requievit. O sepulcrum quo sepulcra omnia a sordibus suis expurgantur ! per quod qui in eis computruerant vegetius ac magis vigente natura quam ex materno utero prodeunt [50].

Ecquis salutare illud sepulcrum respiciens, non jam sepulcra velut vitæ thalamos adeat . . . . Quis non libenter et cum gaudio ingrediatur tale sepulcrum, ut consepultus Domino totam fidei resurgat in salutem [51].

Sed ut uberiores inde fructus recipias, totam evangelicæ historiæ seriem diligentius attende.

Et ecce, inquit evangelista, *vir nomine Joseph ab Arimathæa* [52]. Quid sibi vult quod non apostoli, sed Joseph et Nicodemus Christum sepeliunt, unus justus et constans, alter qui erat magister in Israel? Talis enim est Christi sepultura quæ justitiam magisteriumque habeat [53].

Nobilis decurio [54]. Nobilis non solum generis, sed animi nobilitate... Quem scilicet devotio fidei et vita sancta commendat. Summa enim apud Deum nobilitas est clarum esse virtutibus... Et fastigium nobilitatis inter filios Dei computari [55].

Dives [56]. Divitiæ nostræ Deus noster... merito dives hoc loco dicitur ubi corpus Christi suscipit; suscipiendo enim divitem, nescivit fidei paupertatem... Merito dives ille cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere [57].

Vir bonus et justus [58]. Hæc nobilitas, hæ divitiæ ejus, scilicet erat bonus et justus... Non tam generis nobilitate quam justitiæ et perfectionis merito laudatur : probati enim viri genus virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis [59].

Et non consenserat consilio et actibus eorum [60]. Clarus enim ille, sublimis et nobilis, qui dedignatur servire vitiis...; et solæ divitiæ sunt veræ quæ nos virtutibus dignos efficiunt [61].

Et ipse erat exspectans regnum Dei [62]. Hæc sola et unica justi exspectatio, cætera enim arbitratur ut stercora [63].

Audacter introivit ad Pilatum. O fortitudo miranda! O summa constantia! Propter amorem Christi mortis periculum suscipit, et universorum odio semetipsum tradit... Audacem illum atque intrepidum Magistri fecit amor, et debitæ humanitatis officium [64].

Tales sepulturæ suæ ministros amat Jesus, qui corpus ejus audacter eripiant de potestate tenebrarum [65].

Rogavit Pilatum occulte, et petiit corpus Jesu [66]. Quod et fidei satisfaceret et timori, occulte postulans, ut humo mandaret occisum, et declinaret

[44] *Galat.* II, 19, 20; S. BONAV. [44*] *Matth.* XXVII, 60. [45] *Gen.* II, 3. [46] LEO Aug. imp., *Orat. in Dom. corp. sepult.* [47] AMPHILOC., *Serm. in Sabbato sancto*; S. GERM. Constantinopol., *Orat. in Dom. sepult.* [48] *Joan.* XIX, 39; S. PROCLUS, archiepisc. Constantinopol., orat. 13 *in S. Pasch.*; S. GERM. Constantinopol., ubi supra. [49] S. BERN., *De Passione*, serm. 4. [50] LEO August., imper., *Orat. in Dom. corp. deposit. de cruce.* [51] VICTOR. Antioch., *Orat. in sepult. Dom.*; S. CHRYSOST., serm. 78. [52] *Luc.* XXIII, 50. [53] S. AMBROS., *in Luc.*, lib. X, c. 23. [54] *Marc.* XV, 43. [55] HUGO card., *in Luc.* XXIII; S. HIER., *epist. ad S. Hilar. Arelat.*; S. AUG., *in psal.* LXIV. [56] *Matth.* XXVII, 57. [57] S. AUG., *in psal.* XXXVI, conc. 1; S. AMBROS., *in Luc.*, lib. X, c. 25; S. LEO, serm. 4 *in Quadragesim.* [58] *Luc.* XXIII, 50. [59] HUG. card., *in Matth.* XVII; S. AMBROS., *De Noe et arca*, c. 4. [60] *Luc.* XXIII, 51. [61] S. BERN., *Epist.*; S. GREG., hom. 15 *in Evang.* [62] *Marc.* XV, 43. [63] *Philip.* III, 8; S. CHRYSOST., *in Matth.* [64] LEO Antioch., *in Marc.* XV; S. LAURENT. JUSTIN., *De Christi agone*, c. 24. [65] DROGO Ostiens., *De sacr. Dom. Passione.* [66] *Joan.* XIX, 38.

insaniam Judæorum... Tu quoque, si Joseph Arimathæus sis, ab eo qui in crucem sustulit, corpus pete. Tuum fiat mundi piaculum [67].

Dic cum illo : Dona mihi ter beatum corpus; deosculabor sacrarum manuum vulnera, quibus animæ meæ vulnera curata sunt; palpabo latus intemeratum a quo sanguis mysticus et aqua regenerationis ceu fonte manarunt; tangam carnem innocentem, quam ter beatus quisquis cum fide tangit; sepeliant manus hæ eum qui mortis fascias est subiturus; illum deducam ad monumentum, qui mortuus aperiturus est monumentum [68].

Cum cognovisset autem a centurione Pilatus quod mortuus esset, donavit et jussit reddi corpus Jesu [69]. Quale munus hoc, et quam præcipuum, utique super aurum, et super omnem lapidem pretiosum electum. Thesauri universi, et cuncta sæculi hujus substantia in comparatione illius arena vilissima æstimanda est [70].

Gaude, o Joseph! et tanto lætare munere. Magnipende illud, et quasi oculi pupillam custodi; cave ne illud a te longe patiaris abesse; esto ubi illud, sive in domo, sive in tumulo; leni oculos tuos sanguine illius, suoque livore tuis medere vulneribus [71]. Nulla ægritudo tam valida, quæ non hujusmodi medicamento curetur [72].

Joseph autem mercatus sindonem tulit corpus Jesu [73]. Vide quomodo nobilis ille decurio veniens, extractis clavis, manus pedesque dissolvit. Vide quomodo felicissimis brachiis corpus amplectitur, ac suo astringit corpori. Tunc potuit vir ille sanctissimus dicere : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus, inter ubera mea commorabitur* [74].

Vide quomodo accipiens desideratum corpus illud osculatur, suaque ipsius labia membris sanctis coaptans, ita apud se repensabit : Si quidem mulier fluens sanguine, ubi fide ejus vestem tetigisset, exsiccavit sanguinis fontem; tangens ego divinum ipsius corpus, quæ non munera obtinebo [75]?

Tulit corpus Jesu. Sequere tu pretiosissimum cœli terræque thesaurum, et vel porta pedes, vel manus brachiaque sustenta, vel certe defluentes minutatim pretiosissimi sanguinis guttas curiosius collige, et pulverem pedum ejus linge [76].

Cerne præterea quam dulciter, quam diligenter beatissimus Nicodemus sanctissima ejus membra tractat digitis, fovet unguentis, et cum sancto Joseph involutum sindone collocat in sepulcro [77].

Joseph vero, accepto corpore Jesu, involvit illud in sindone munda [78]. Christum in munda sindone involvere, est Christum pura mente suscipere... Omnia munda vult auctor pietatis, ait quidam sanctus; mundam et purissimam matrem eligit; virginem discipulum præ cæteris dilexit. Munda et nova sindone involvi voluit; mundo in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat tumulatus. Ab his qui sunt mundo corde possidetur. Nunquid ergo ab immundis manibus se tractari patietur [79]?

Ut autem, o bone Jesu, in conscientia pura te recipiam, munda sindone primæ stolæ spiritum meum involve, in qua requiescat ingrediens ad te in locum tabernaculi admirabilis, et abscondas me donec pertranseat furor tuus [80].

Venit autem et Nicodemus qui venerat ad Jesum nocte, qui erat discipulus Jesu occultus [81]. Occultus venit ad Pilatum propter metum Judæorum. Veni et tu vel sero, vel nocte, vel quacunque hora, quandocunque veneris invenies Jesum ad suscipiendum paratum, nec minorem serius venientibus mercedem pia largitate solventem. Nam et qui sexta hora venit non est mercede fraudatus, et qui undecima, plenitudinem mercedis accepit [82].

Ferens misturam myrrhæ et aloes quasi libras centum. Justus sindone involvit; Israelita vero diversos miscuit virtutum odores : et aloes mittit quasi libras centum, hoc est perfectæ fidei quantitatem [83].

Hæ etiam species, myrrhæ et aloes, amaræ quidem, sed corruptelam removentes, laboriosam carnis castigationem designant, sine qua nec mens, nec ipsa caro servatur imputribilis, nec ipsum corpus Jesu in sepulcro fidelium integrum et suave custoditur [84].

Acceperunt ergo corpus Jesu et ligaverunt eum linteis cum aromatibus [85]. Joseph lætus munere, pro obsequio alacer, anxius de magistro, mercatus sindonem, ut corpus Salvatoris involveret, secum accito Nicodemo myrrhæ et aloes quamdam pariter detulere misturam. Tu vero, o anima mea, in spiritu festina te jungere illis ut sis tertius comes, quatenus Sponso tuo hoc ultimum valeas humanitatis impertire obsequium; vide autem ne tu vacua eas [86]...

Et si sapiens fueris, ex oculorum fontibus imbres lacrymarum educes, atque ex ipsis ad lavandum corpus, prout moris est, plenum vasculum comportabis. Hac aqua manuum, pedum ac lateris vulnera tui abluens Redemptoris, necnon et reliquum corpus cruentatum, omnem hunc nihilominus congregabis liquorem, ne guttam quidem minimam perire permittas. Ex ipso igitur salvificum tibi facies balneum ad tuorum detergenda vulnera delictorum, et ad vitiorum abolenda contagia [87].

[67] S. Aug., serm. 152 *De temp.*; S. Greg. Naz., orat. 42. [68] Victor Antioch., *Orat. in sepul. Domini.* [69] *Marc.* xv, 45. [70] S. Laur. Justin., *De Christi agone*, c. 21. [71] *Isa.* liii, 5. [72] S. Laurent. Justin., ubi supra. [73] *Marc.* xv, 46. [74] *Cant.* i, 12; S. Anselm., *Medit. de præterit. benefic.* [75] Victor Antioch., [76] S. Anselm., *Med. de præterit. benef.* [77] *Ibid.* [78] *Matth.* xxvii, 59. [79] S. Hieron.; S. Thom. a Villa Nova, serm. 3 *De sacram. altaris.* [80] *Job* xiv, 13; S. Anselm., *Medit.*, lib. x. [81] *Joan.* xix, 39. [82] *Matth.* xx, 5, 6, 9; S. Ambros., lib. x *in Luc.* xxiii. [83] *Ibid.* [84] Drogo Ostiens., lib. i *De sacr. Dom. Pass.* [85] *Joan.* xix, 40. [86] S. Laur. Justin., *De Christi agone*, c. 21. [87] *Ibid.*

Unge etiam illum myrrha et aloe, ut bonus Christi odor sis [88].... Tales sepulturæ suæ ministros amabat Jesus, qui corpus ejus audacter eripiant de potestate tenebrarum [89], et sibi vindicent ligantes illud castitatis legibus, et disciplinæ linteis, et a vermium putredine conservantes per misturam myrrhæ et aloes, id est per laboriosam carnis mortificationem [90].

Et posuerunt eum in monumento novo. Reverendum Domini corpus accipientes, illud in linteaminibus, aromatibus condientes, in monumento novo, quod in petra sanctus exciderat Joseph, devotissime sepelierunt [91].

Beatus præ omnibus universis mortalibus iste venerabilis Joseph, meruit quippe Dominicum corpus habere præ munere: meruit illud de cruce deponere; meruit in sindone, quam fuerat mercatus, deponere; meruit in tumulo, quem pro se exciderat, sepelire. Merito tanquam cordis sui singularem thesaurum in proprio Christi corpus tumulo collocavit; verum non in qualicunque illud monumento composuit, sed in eo quod in petra exciderat; et ut quanti fŏret quod habebat ostenderet, ingens advolvit saxum ad ostium monumenti [92].

Quis in his paucis explicet quanta involuta sint sacramenta, quam multa lateant spiritualis hominis nutrimenta [93]?

Sepulcrum Jesu est mens devota, ubi Jesus multum desiderat sepeliri; ait enim filiis suis sicut Jacob: *Sepelite me in spelunca duplici* [94], id est in intellectu et affectu..... Mens tua monumentum meum est; illic non mortuus, sed in æternum vivens requiesco [95].

Est et monumentum in secretis hominum, quod sibi in pectoribus duritiæ gentilis penetrabili verbo justus excidit, fidei atque doctrinæ operibus expolitum, et in petra, id est in fidei firmamento excisum [96].

Nec tam Joseph in terrena posuit sepultura Christum quam in monumento sui cordis collocavit, et custodiendum illum suscepit. Illum suscepit non tam memoria fragili moriturum, quam memoria sancta virtutum.... In hac igitur memoria collocatur Dominus a Joseph, ut in justitiæ sede requiescat, et habeat Filius hominis ubi caput reclinet [97].

Felix cui spiritualiter id contingit quod justo Joseph spiritualiter contigisse cognoscitur. Esto igitur talis, ut Dominum Jesum merearis accipere. Justus atque virtutibus locuples ac regnum Dei exspectans, accede cum fiducia ad thronum divinæ majestatis [98], ac pete humiliter quatenus suum tibi dignetur retribuere Filium [99].

Hunc tu, dum post multos labores, post varia tentationum certamina, post plurima pietatis opera, post lacrymabilis orationis instantiam fueris assecutus, veluti pupillam oculi custodi; reconde corde, et brachiis charitatis amplexare [1].

Eme prius, tuis voluptatibus abdicatis, mundissimam sindonem, ut in ea tuum involvas Dominum; habeto conscientiam tuam ab omni peccati voluntaria labe detersam. Est enim purgata conscientia quædam sindon dealbata in qua Dominus Jesus gratanter inhabitat. Huic diversarum adhibe odoramenta virtutum, quatenus si non verum, saltem mysticum Christi corpus involvas, ut cum Apostolo dicere valeas: *Christi bonus odor sumus in omni loco* [2].

His diligenter perfectis, in petra meditando orandoque novum facito monumentum in quo tuum possis recondere Redemptorem. In humanitatis operibus Christi contemplare divinitatem, atque in suscepti hominis infirmitate confitere Domini majestatem, sicque soliditatem petræ viriliter penetrabis [3].

In hujusmodi spiritualibus exercitiis effectus assiduus, quietis et pacis tibi tumulum fabricabis, in quo fide simplici, et ignita tecum cooperante charitate, sponsum Christum inseparabiliter collocabis. Requiescet ille familiariter in te, si ab humanis fueris segregatus aspectibus, et tu ingredieris in ipsius abundantiæ sepulcrum. Nec erit qui te exterreat, delectaberis multitudine pacis, corpusque tuum Dominico corpori sociabis, et oblitus omnium quæ foris sunt, in hoc spirituali tumulo feliciter requiesces [4].

In monumento novo quod erat in horto excisum in petra [5]. Lectulus tuus, Jesu Christe, sepultura tua. Est autem monumentum tuum in horto novum, et in petra excisum; quia amica tua fidelis anima hortus conclusus est, et renovatur quotidie in cognitione tua, et solidatur in petra amoris tui consepeliens se ipsam tibi in interiore homine, in secreto tabernaculi tui [6].

Et posuerunt lapidem ad ostium monumenti. Huic pulcherrimus lapis admotus est, ne pateret: quicunque enim in se bene humaverit Christum, diligenter custodiat, ne perdat eum, neve perfidiæ sit ingressus [7].

Verum et tu, ne propter obstrepentes exteriores tumultus quidquam patiaris incommodi, magnum saxum ad tui advolve ostium monumenti: diligentem ac perseverantem adjice menti tuæ custodiam, quatenus tum contra hostis insidias, tum adversus voluptuosæ carnis illecebras, tuum securus valeas possidere thesaurum [8].

Interim, dum resurrectionis adveniet hora, com-

[88] *II Cor.* II, 15. [89] *Col.* I, 13. [90] S. Ambros., lib. X *in Luc.* XXIII; Drogo Ostiens., *Serm. de Pass. Dom.* [91] S. Laur. Justin., *De Christi agone*, c. 21. [92] *Ibid.* [93] *Ibid.* [94] *Gen.* XLIX, 29. [95] Hugo card., *in Marc.* XIV; Drogo Ostiens., *Serm. de Pass. Dom.* [96] S. Ambros., lib. X *in Luc.* XXIII. [97] S. Aug., serm. 133 *De temp.* [98] *Hebr.* IV, 16. [99] S. Laurent. Justin., *De Christi agone*, c. 21. [1] *Ibid.* [2] *II Cor.* II, 15; S. Laurent. Justin., ubi supra. [3] *Ibid.* [4] *Ibid.* [5] *Marc.* XV, 46. [6] Drogo Ostiens., *Serm. de Pass. Dom.* [7] S. Ambros. [8] S. Laurent. Justin., *De Christi agone*, c. 21.

punctionis atque devotionis aromata para, ac in pilo pectoris tunde, ut inde unguentum facias optimum, quo idem Dominus plurimum delectatur. Sic mens tua ab omnibus hujus sæculi perturbationibus liberata erit in monumento novo, Sabbatum aget, et res novas atque incorruptas meditabitur donec dies resurrectionis illucescat [9].

Non minorem videtur, si dici fas est, Joseph affectum exhibuisse quam Maria : siquidem illa in utero Dominum, hic corde concepit ; illa Salvatori membrorum suorum præstitit secretum, hic secretum cordis sui non negavit ; illa pannis Dominum involvit cum natus est, ille linteis cum recessit ; illa perunxit beatum corpus oleo ; hic aromatibus honoravit. Conveniunt ergo sibi obsequia, conveniunt et affectus : inde necesse est etiam meritum (secundum quamdam similitudinem, non vero æqualitatem) convenire [10].

Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem [11].... Descenditur enim in fontem tanquam in sepulcrum..... Baptismus igitur Christi nobis est sepulcrum in quo peccatis morimur, criminibus sepelimur, et veteris hominis conscientia resoluta, in alteram nativitatem rediviva infantia reparamur [12].

Baptismus, inquam, Salvatoris nobis est sepultura, quia et ibi perdimus quod ante viximus, et ibi denuo accipimus ut vivamus. Magna hujus sepulturæ est gratia, in qua nobis et utilis mors infertur, et vita utilior condonatur. Magna, inquam, hujus gratia sepulturæ, quæ et purificat peccatorem, et vivificat morientem [13].

Quibus in mundo non est possessio, iis in Christo fit sepultura [14].

Bene Marcus evangelista, cum sub trium illarum mulierum specie contemplativæ vitæ amorem ostenderet, ait : *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum* [15]. Aromata emere est per laborem boni operis, bonæ opinionis odorem circumquaque dilatare ; et Jesum in sepultura ungere est per mortificationem carnis ad devotionis intimæ pinguedinem pervenire : nam velut in sepulcro ungitur, quando a consepultis ad gaudium intimæ charitatis suæ devotissime pervenitur [16].

[9] S. Laurent. Justin., *De Christi agone*, c. 21. [10] S. August., serm. 133 *De tempore*. [11] *Rom.* vi, 4. [12] Cæsar. Arelat., *Hom.*; S. Ambros., serm. 51. [13] S. Ambros., *ibid* [14] *Ibid*. [15] *Marc.* xvi, 1. [16] S. Greg., lib. v *in I Reg.* xiv.

PARS QUARTA.

CHRISTUS RESURGENS, SEU VITA GLORIOSA.

CHRISTUS RESURGENS EX MORTUIS.

Hæc dies quam fecit Dominus ; exsultemus, et lætemur in ea [1]. Solemnitas solemnitatum Pascha Domini est [2]..., dies Resurrectionis Domini, quæ defunctis vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria [3]... ; dies utique præclara et celebris, excelsior cunctis, sanctior universis, in qua mundi Conditor ab inferis resurgens in corpore victor gloriosissimus remeavit ad superos [4].

Exsultemus, et lætemur in ea. O mandata præclara ! o dulcem constitutionem ! quis sine mora talibus præceptis non obtemperabit ? Lætitia et exsultatio est opus quod præcipitur [5]... Exsulta, cœlum, lætare, terra, Deus hodie ex sepulcro plus radiavit quam de sole refulsit [6].

Hodie mortis deletum est antiquum chirographum [7] ; hodie originalis delicti culpa laxata ; hodie quod seminatum est in carne, resurgit in spiritu [8]. Hodie humanæ naturæ ignobilitas mutatur in gloriam, in virtutem transit infirmitas, et pro corruptione incorruptionis excellentia prærogatur [8*].

Hodie Deus tuus te revocavit ad pacem, te ducit ad Patrem, te provexit in gloriam. Hodie corpus tuum renovavit in Spiritum, ut spiritum tuum reformaret in se ; hodie angelorum gloriæ te fecit esse consortem ; cœlestis patriæ tibi tradidit principatum, et pristinæ te libertati restituit [9].

Hodie gigas ille fortissimus vigilans in sepulcro, ablatis Gazæ civitatis Philistinorum januis, mediæ noctis silentio, futuræ resurrectionis ascendit in montem, ac mortis calcavit imperium [10].

Hodie ferreæ mortis portæ confractæ sunt : ærei inferorum vectes comminuti : mortis carcer aperitur, captivis libertas denuntiatur [11].

Hodie Christus resurrexit, simul surgite : Christus ad se rediit, redite ; Christus de sepulcro solvitur, vinculis peccati solvamini ; vetus Adam deponitur, et novus perficitur ; si qua in Christo nova creatura, renovamini [12].

Heri pretioso sanguine protectos, nos examinator præteriit : hodie Ægyptum omnino fugimus et amarulentum illum Pharaonem ; ac luto et laterum confectione liberati sumus. Heri cum Christo in crucem agebar : hodie simul glorificor ; heri consepeliebar : hodie resurgo [13].

[1] *Psal.* cxvii, 24. [2] *Martyrol. Rom.* [3] S. Aug., serm. 63 *De temp.* [4] S. Laurent. Justin., *Serm. in Resur.* [5] S. Greg. Nyss., orat. 5 *in Domini Resur.* [6] Cæsar. Arelat., hom. 3 *De Paschate.* [7] *Col.* ii, 14. [8] *I Cor.* xv, 44. [8*] S. Laurent. Justin., *Serm. in Resur.* [9] *Ibid.* [10] *Judic.* xvi, 3 ; Id., *Serm. De Pass.* [11] *Psal.* cvi, 16 ; S. Greg. Nyss., orat. 1 *in Christi Resur.* [12] *II Cor.* v, 17 · S. Greg. Naz., orat. 42. [13] Id., orat. 21.

Gloriam igitur nunc resonent angeli : choros ducant homines, canat cœlum et terra victoriæ cantica, quia Christus ex sepulcro tanquam ex thalamo procedens [14], ex inferis victor ascendit et cum ipso totus mundus resurgit [15].

Agunt in cœlestibus hæc Paschalia festa ipsi angelici spiritus, et resurgentis Domini gloriam admirantur, lætantur, delectantur, eo quod forma servi reversa sit in formam Dei, et exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit majestatem [16].

In nativitate Christi cecinerunt angeli : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, et in hominibus bona voluntas* [17]. Utinam vocem angelicæ paremnunc accipiam per omnes orbis fines circumsonantem : Pascha Domini, Pascha, idemque Pascha dicam in honorem Trinitatis...., et in gloriam Christi resurgentis [18].

Cantemus igitur *Domino, gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare. Fortitudo et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem* [19]..... Recuperatæ libertatis beneficium toto generi humano collatum celebremus... magnum hoc mundi Pascha peragamus, Pascha divinum et salutiferum. tum immolatione, tum veneranda unctione [20].

Olim ex præscripto legis, paschale hoc sacramentum mystice in Ægypto peragebatur; nunc vero ex Evangelii lege Resurrectionis diem, solemnitatem paschalem, spiritualiter celebremus. . . Illic agnus sacrificabatur, hic Christus ipse Agnus Dei offertur; illic primogenita Ægyptiorum interempta fuerunt, hic multigena peccatorum genimina per confessionem expiantur; illic Pharao cum terribili exercitu submersus est, hic spiritualis Pharao cum omni sua virtute in profundo mergitur, etc. [21].

Exsultemus ergo, et lætemur in hac die quam fecit Dominus; exsultemus, inquam, quia resurrexit ipse; lætemur autem, quia resurgemus et nos.... Exsultemus autem in Christo triumphatore perpetuo, hymnis, citharis, canticis gratiam referentes [22].

Nuntiaverunt olim Jacob dicentes : *Joseph vivit. Quo audito, revixit spiritus ejus, et ait : Sufficit mihi si Joseph, filius meus, vivit : vadam, et videbo eum antequam moriar* [23]. Puto quod si unquam amastis Jesum sive vivum, sive mortuum, sive redivivum, hodie, cum tam crebro in Ecclesia personant nuntii resurrectionis, cor vestrum in vobis gloriatur sibi, et dicit : Nuntiaverunt mihi dicentes : Jesus Deus meus vivit; quo audito revixit spiritus meus, qui dormitabat præ tædio, vel tepore languebat, aut jam deficiebat pusillanimitate [24].

In hoc sane noveris quod spiritus tuus plene in Christo revixerit, si quod sequitur ex sententia dixerit : Sufficit mihi, Jesus vivit. O vocem fidelem, et plane dignam amicis Jesu ! O charissimum affectum, qui sic loquitur : Sufficit mihi si Jesus vivit; si vivit vivo, cum de ipso pendeat anima mea, imo ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea; quid enim mihi deesse poterit, si Jesus vivit? Imo desint omnia alia, nihil interest mea, dummodo Jesus vivat ipsi. Ergo desint mihi, si placet ei, sufficit mihi dummodo vivat ipsi vel sibi.

Porro hodierni diei sacrosancta solemnitas Hebraice *phase*, Græce *pascha*, Latine *transitus* interpretatur. Hoc celebrarunt Judæi post longum captivitatis jugum, ex Ægypto recedentes.... Ecce etiam nunc populum Dei liberatum; ecce iterum etiam phase agitur, iterum transitus celebratur [25].

Quomodo iterum transitus celebratur? A servitute ad libertatem, de iniquitate ad justitiam, de culpa ad gratiam, de morte ad vitam per salutifera fluenta transitur. Excelsi ideo brachii antiqua Rubri maris hic cernuntur miracula; ingreditur anima vitales undas velut rubras Christi sanguine consecratas. Ingreditur mortiferis plena debitis, paulo post felicibus peccatorum ditanda naufragiis. In uno eodemque undæ salutaris elemento, tanquam Ægyptius peccator perit, tanquam Hebræus justitia tota permansit; reus diluitur, reatus aboletur, peccator peccato moriente vivificatur [26].

Transitus etiam est, non reditus, quia Christus transiens ex hoc mundo ad Patrem, a morte ad vitam [27], te quoque invitat ad transitum, vocat in Galilæam, ut scilicet transeas de morte ad vitam, de peccato ad gratiam, de tepore ad fervorem, de veteri homine ad novum, exuens veterem hominem cum actibus suis, et induens novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis [28].

Vide ergo ne præsentem solemnitatem et resurrectionis Dominicæ diem Paschæ prives nomine; vide ne in eadem recidens, et præterita repetens, ipsa sit tibi in reditum magis quam in transitum. .... Vide ne veterem hominem non exuas, sed novo tantum pallies; vide ne Christi habitus in te non sit novitatis meritum, sed vetustatis operimentum. Transiens enim ex hoc mundo ad Patrem, te quoque trahere post se, et in Galilæam vocare dignatur ...., ut a passionibus ad exercitia virtutis, a malitiæ nequitiæque fermento ad veritatem et sinceritatem regenerationis ...., a sæculari lætitia et consolatione mundi ad devotionem sanctam, et spiritualem te transire gaudeas exsultationem [29].

Ideo Christianos omnes monens Apostolus ait : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* [30]; ac si

[14] *Psal.* XVIII, 6. [15] LEO August., orat. 7 *De Resurr. Domin.* [16] S. CYPR., *De oper. Christi cardinal.* [17] *Luc.* II, 14. [18] S. GREG. NAZ., orat. 42 *in Pasch.* [19] *Exod.* XV, 1, 2 [20] LEO AUG., *Orat. in Resurr. Dom.* [21] S. PROCL., orat. 14 *in S. Pasch.* [22] S. LAUR. JUSTIN., *De Passione.* [23] *Gen.* XLV, 26-28. [24] GUERRIC. abbas, serm. 1 *De Resurrect.* [25] S. CÆSAR. Arelat., orat. 3 *De Pasch.* [26] ID., *ibid.*, ex S. Paulo. [27] *Joan.* XIII, 1; V, 24. [28] *Col.* III, 9, 10; *Ephes.* IV, 24; S. BERN. [29] S. BERN., serm. 16 *in Cant*; S. AMBROS., lib. I *De Cain et Abel* [illegible] lib. X *Hexaemeron*, c. 8. [30] *Col.* III, 1, 2.

manifestus dicat : Si consurrexistis, et conscendite. Sequamur Agnum quocunque ierit [31], sequamur patientem, sequamur resurgentem, sequamur multo libentius ascendentem [32].

Si post lamenta pœnitentiæ non ad carnales redis delectationes, sed in fiduciam divinæ majestatis excedis, ingrediens novam quamdam devotionem, et gaudium in Spiritu sancto, nec tam compungeris præteritorum recordatione peccatorum, quam delectaris memoria et inflammaris æternorum desiderio præmiorum, plane cum Christo resurgis, Paschа celebras, festinas in Galilæam [33].

Igitur quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite [34]..... Amor præsentis sæculi dicit : O quam delectabilis terra in nemorum floribus, in fructuum suavitatibus, in pratorum rivulorumque amœnitatibus, etc., in equorum et canum cursibus, in cervorum et caprearum saltibus, in accipitrum volatibus, in domorum pictis muris et laquearibus, in organorum omniumque musicorum cantibus, in mulierum venustis aspectibus, atque extrinsecus adhibitis pretiosis vestibus, etc. Amor vero cœlestis patriæ respondet : Si te ista delectant quæ sub cœlo sunt, cur non magis delectant quæ super cœlos sunt? si carcer ita pulcher est, patria, civitas, et domus quales sunt? si talia sunt quæ hic incolunt peregrini, qualia sunt quæ ibi possident filii? etc.

Non igitur jam nos rerum temporalium occupent species, nec ad se contemplationem nostram a cœlestibus ad terrena deflectant [35]... ; nihil Judaicæ vetustatis novitati conjungamus Christianæ, scientes, Apostolo dicente, novam totam in Christo nobis emersisse creaturam [36]...; moriamur diabolo, ut vivamus Deo : deficiamus iniquitati, ut justitiæ resurgamus : occumbant vetera, ut oriantur nova [37].

Sic paschale sacramentum in se habebit vita credentium, et quod festo honoratur, moribus celebratur [38].... siquidem... 1° Pascha, ut dictum est, *transitus* dicitur ; agimus autem saluberrimum transitum cum ex diabolo transimus ad Christum, ab isto instabili sæculo ad ejus fundatissimum regnum : ideo quippe ad Deum permanentem transimus, nec cum mundo transeunte transeamus [39].

2° Pascha resurrectio Domini est... Dum autem renuntiatur diabolo et creditur Deo, dum in novitatem a vetustate transitur, dum terreni hominis imago deponitur, et cœlestis forma suscipitur [40], quædam species mortis, et quædam similitudo resurrectionis intervenit, ut susceptus a Christo, Christumque suscipiens, non idem sit qui antea fuit, sed corpus regenerati fiat caro Crucifixi [41].

3° In Paschate solemnitas azymorum est... ; excluso enim fermento, præceptum est ut horum dierum celebritas agatur in azymis, ne solemnitatis hujus gaudia servilibus operibus fuscarentur, ne omnino aliqua tantæ sinceritatis gloriam malignitas inquinaret. *Expurgate*, inquit Apostolus, *vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi* [42]; et iterum : *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* [43].

Vetus fermentum est omne vitium. Expurgandum autem, et non solum purgandum dixit Apostolus, id est accurate et perfecte purgandum, ut nulla sit ejus umbra, nullæ reliquiæ..., ne quid Ægyptiacæ conspersionis viaticum, nec ullas Pharisiacæ ac impiæ doctrinæ reliquias nobis paremus..., ne etiam dies instans ullas hesternæ malitiæ reliquias conservet ; ne quid acerbitatis hodierno fermento veteris improbitatis mistio pariat.... Per hoc etiam ostendit Apostolus quod post azyma non licet redire ad Ægyptum [44].

Nihil igitur Ægyptiaci atque impii fermenti nobiscum ferentes, pascha nostrum, id est exitus nostri festum celebremus... Per hoc enim quod ex omnibus finibus ejicitur fermentum, ænigma est, ostendens quod ab omni improbitate et vitio oportet fidelem esse liberum. Jam enim ubi venit veritas, nullus est amplius locus typis ac figuris [45].

Unde, quomodo perit ille ubi inventum fuerit vetus fermentum, ita apud nos perit ille ubi injecta fuerit improbitas et vitium : si enim in umbra tanta punitio, multo magis inter nos ; quod si domos sic expurgavit a fermento, et vel de murium foraminibus voluit esse sollicitos, multo magis animam voluit nos perscrutari, ut omnem immundam ejiciamus cogitationem. Fermentum enim hoc, ubicunque ceciderit, et in quamcunque domum ingressum fuerit, reddit eam immundam[46].

Ut ergo a Paschali festo nunquam recedamus, ab omni fermento veteris malitiæ veritatis sinceritate abstineamus ... ; et quia paschales dies, dies sunt indulgentiæ ac remissionis, ita a nobis horum festivitas agatur ut relaxatione corporum puritas non offuscetur, sed potius abstinentes ab omni luxu, ebrietate, lascivia, demus operam sobriæ remissioni ac sanctæ sinceritati, ut quidquid modo corporali abstinentia non acquirimus, mentium puritate quæramus [47].

Verus enim resurrectionis Dominicæ cultor est qui per virtutis studium et pii amoris incendium

[31] *Apoc.* XIV, 4. [32] S. BERN., *Serm. in die sancto Paschæ.* [33] *Ibid.* [34] *Col.* III, 1, 2. [35] S. LEO, serm 1 *De Resur.* [36] *II Cor.* V, 17 ; S. PETR. CHRYSOLOG., serm. 83. [37] S. LEO, ubi supra. [38] ID., serm. 1 *De Resurr.* [39] S. AUG., tract. 55 *in Joan.* [40] *I Cor.* XV, 49. [41] S. LEO, serm. 14 *De Passione.* [42] *I Cor.* V, 7. [43] *Ibid.*, 8. [44] S. CHRYSOST., *in I Epist. ad Cor.* V ; S. GREG. NAZ., orat. 41 *in Paul.* [45] S. GREG. NAZ., orat. 44 ; S. CHRYSOST., *Hom. in I Epist. ad Cor.* XV. [46] S. CHRYSOST., *ibid.* [47] S. LEO, serm. 2 *De Resurrect.*, S. AUG., serm. 157 *De tempore.*

Mediatori Christo inhærere concupiscit. Hujusmodi mystico Christi conjunctus in corpore, jam resurrexisse spiritualiter cognoscitur. . . : prima enim resurrectio est peccatorum evasisse tenebras, atque futurorum desiderio inflammari ..., et tunc resurrectio Christi est in nobis, cum bene vivimus, cum vita nostra moritur et quotidie nova proficit . . . ; cum jam non in Adam primo, sed in Adam vivimus secundo [48].

Quia vero azyma cum amaritudine manducandum præcepit, et nemo potest sine tristitia carnis sinceram vitam ducere, amaritudo autem est abstinentia deliciarum carnalium, Pascha Domini non aliter celebrari potest, nec aliter edi sinceritatis azyma [49].

Unde non sunt participes hujus gaudii quos damnat ambitio ; nec potest furtivos habens loculos his Paschalibus solemniis interesse ; nihil proditor et venditor magistri, fermentator profanus commune habet cum azymis ; omnis immundus in anima prohibetur accedere [50].

Nulla ad hanc lætitiam perfidia recipitur, omnis malignitas excluditur ; calceatus pedibus, ad evangelizandum paratus, accinctus renibus, et sanctimoniæ destinatus, habens baculum in manibus, et festinans ut Ægypti deserat idola, sequens Moysem, nec formidans vitæ discrimina, quisque purus et sincerus sine fraude homo verus accedat [51].

Vide ergo si vetera omnia a te transierint [52] ; vide si

Nova sint omnia,
Corda, voces et opera [52a]

time ne sub jugo servitutis ac Pharaonis imperio detentus, et in operibus lateris ac luti adhuc occupatus, de Ægypto egredi ac Pascha celebrare non valeas..... Gravissimi enim piaculi est festum Paschale negligere, et periculosius ecclesiasticis jungi conventibus, et in Dominicæ Passionis ac Resurrectionis consortio non haberi [53].

Tandem quia Christus crucifixus est ut ostenderet veteris hominis nostri occasum, et resurrexit ut in vita sua ostenderet vitæ nostræ novitatem... : *Resurgens vero jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* [54]... nemo in id recidat unde surrexit, ut quæ nova facta sunt in nobis non redeant ad instabilem vetustatem... Occidit enim ille ut semper vivat, nobis resurrectionis monstrans exemplum ut fidelis post secundæ nativitatis occasum resurgens, horrore nunquam intercipiatur tenebrarum..., *quod enim mortuus est peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo* [55].

Non tamen in hac die peccator (etiam reversus ad vomitum [56]) de indulgentia desperet. Si enim latro paradisum meruit, cur non mereatur veniam Christianus ? et si illi Dominus, cum crucifigitur, miseretur, multo magis huic miserebitur cum resurget ; nam si Passionis humilitas tantum præstitit confitenti, resurrectionis gloria quantum tribuet deprecanti. Largior enim solet esse ad præstandum læta victoria quam addicta captivitas [57].

Quia vero fide credimus quod humana fragilitas non possit supra se ascendere, nec per se subsistere..., oremus illum qui hodie a mortuis resurrexit, ut nos spiritu innovet, novo homine induat, novæque creaturæ fictorem donet et morientem et resurgentem... Quis enim est ille qui vere Christum passum, mortuum et resuscitatum colit, nisi qui cum ipso patitur et moritur, et resurgit [58] ?

Oremus ut verum Pascha per spiritualem transitum, et sinceram ex his interioribus ad superiora ac promissionis terram, progressionem et ascensum celebremus [59].

Oremus ut, sicut ille mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur...., sic et nos mortui ac suscitati per gratiam ipsius, vere Dominum nostrum agnoscentes, in sanctitate et justitia serviamus illi omnibus diebus vitæ nostræ [60].

Illi etiam qui pro nobis mortuus est et resurrexit offeramus nosmetipsos, hoc est opes Deo gratissimas et maxime congruentes. Imaginis decus imagini reddamus ; simus ut Christus, quia Christus sicut nos ; efficiamur dii propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo [61]

Omnia donemus ei qui seipsum redemptionis pretium pro nobis obtulit. Nihil enim quispiam daturus est tantum, quantum si seipsum obtulerit ; ita ut hujus mysterii rationem probe intelligens, propter illum omnia factus fuerit quæcunque ipse propter nos factus est [62].

Sic incunctanter quod corde credimus ore professentes et opere adimplentes, nos in Christo crucifixi, nos mortui, nos sepulti, nos etiam ipso die tertio suscitati sumus [63].

—

CHRISTUS ASCENDENS IN CŒLUM.

Agitur hodie inclytum et regale mysterium..., ingens et incredibile arcanum, sancta festivitas Christi, œconomiæ finis et extremum, festum festorum, Ascensio Domini nostri Jesu Christi [64].

Solemnitas prorsus gloriosa et gaudiosa. Illa est consummatio et adimpletio reliquarum solemnitatum, et felix clausula itinerarii Filii Dei... Illa est glorificatio nostra, illa nostra provectio... ; ut

[48] S. Laurent. Justin., *De Resurrect.* ; S. Aug., serm. 144 *De tempore*, c. 7 ; S. Leo, serm. 18 *De Passione.* [49] S. Gaudent, Brixiens. episc., serm. 7 *De Exod.* [50] S. Cypr., *De oper. Christ. cardinal.* [51] *Ibid.* [52] *II Cor.* v, 17. [52a] Hymn. *Sacris solemn.* [53] S. Leo, serm. ult. *De Passione.* [54] *Rom.* vi, 9. [55] *Ibid.*, 10 ; S. Aug., serm. 141 *De temp.* ; S. Leo, serm. 1, *De Resurrect.* ; Zeno Ver., serm. 6, *De Pasch.* [56] *II Petr.* ii, 22. [57] S. Maxim. Taurin., hom. 57, 3 *De paschu.* [58] S. Greg. Naz., orat. 41 ; S. Leo, serm. 19 *De Passione.* [59] S. Greg. Naz., orat. 42. [60] *Rom.* xiv, 9 ; S. Aug., *Enchirid.*, quæst. 1, n. 120. [61] S. Greg. Naz., orat. 41 *in Pasch.* [62] *Ibid.* [63] S. Leo, serm. 2 *De Resurrect.* [64] S. Aug., serm. 3 *in Ascens.* ; Theod. Studita, *Serm.*, catech. 7 et 8.

enim omnia in omnibus fieret [65] Christus, tota hominis deificata species super omnem principatum et potestatem hodie feliciter est sublimata .. Ideo magna est et ineffabilis causa gaudendi [66].

Gaudium magnum annuntiant universo mundo angeli cum de sinu Patris Redemptor noster per partum Matris advenit; sed major hodie festivitas, cum in sinum Patris captivam ducens captivitatem [67] gloriosus revertitur.

Ille enim nativitatis dies Dominum ac Salvatorem nostrum terris dedit, hic cœlo reddidit...; in illo Dominus vere hominem se esse Incarnatione confessus est, in hoc vero Deum se esse in Ascensione testatus est; in illo gratiam dignatissimæ humilitatis, in hoc fidem manifestissimæ dignitatis asseruit; in illo virginalis templi, in hoc cœlestis regni secreta patefecit; in illo descendit redempturus nos, in hoc ascendit glorificaturus; in illo salutis nostræ inchoatio, in hoc perfectio continetur; in illo cœpit promissa, in hoc beneficia consummavit, atque in hoc miracula non minora quam munera [68].

Dignis igitur exsultemus gaudiis, et præ gratiarum actione lætemur. Hodie enim quos mors Christi vivificavit, resurrectio erexit, illos Ascensio consecravit... Hodie naturæ nostræ humilitas in Christo, ultra omnium altitudinem potestatum, ad Dei Patris est provecta consessum... Hodie non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetravimus, et nos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit [69].

Vide ad quod dignitatis culmen humanitas sit erecta, e terra in cœlos, e corruptela ad immortalitatem; hodie enim stupenda novitate super cœlestes thronos corpus imponitur, divinis humana miscentur, cœlestibus terrena sociantur; ossa humiliata, et intra sepulcri angustias conclusa, sideribus inferuntur...; in gremium immortalitatis mortalitatis natura transfunditur [70].

Hodie facta est pax inter humanam naturam et Deum, dum ipsam super omnem creaturam in suæ dexteræ collocavit consessu...; hodie supernæ illius civitatis est restituta ruina...; hodie electorum omnium mens in cœlestia transportatur. Thesaurus enim cordis eorum, Dominus Jesus Christus, cœlorum alta conscendens, eorum corda ibi posuit, ibi consedit [71].

Si ergo recte, si fideliter, si devote, si sancte, si pie Ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, et sursum corda habeamus; levemus corda, et ascendentem Dominum sequi veluti quibusdam passibus devotionis et fidei contendamus... Ascendamus cum illo interim corde ut, cum dies ejus promissus advenerit, sequamur et corpore... Primus gradus ascendendi est innocentia operis; secundus, munditia cordis; tertius, fructus ædificationis [72].

Nec quia corpus tuum translatum adhuc in cœlum non est, ideo jam putes cum terra te aliquid habere commune, cum caput jam certo tuum regnet in cœlo; et idcirco, cum huc Dominus prius advenisset, atque angelos adduxisset, tunc te assumpto illuc adiit, ut tu quoque, priusquam illuc ascendas, discas fieri posse ut tu in terra tanquam in cœlo convertaris [73].

Transcendamus igitur carnem nostram; transcendamus et animas nostras, cuncta corporalia et temporalia, et mutabilia transcendamus, ut videamus super omnia per quem facta sunt omnia [74]. Illuc sequamur corde ubi eum ascendisse corpore credimus; nihil nos jam delectet in infimis qui Patrem habemus in cœlis [75].

Venit, inquit, hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem [76]. Sequere, o anima, in hoc transitu Christum Dominum, sis verus Hebræus transiens de deserto in terram promissam, sis et Christianus cum Christo transiens ex hoc mundo ad Patrem...; transcendat animus omne quod creatum est, currat et ascendat, faciat gradus ascensionis in corde suo, et per ipsos ascendat ad Dominum [77].

Ut enim ad illum ascendas, prius necesse est levare te super te, calcando carnalia desideria, ita ut subsit appetitus tuus, et tu domineris illius [77*]: non solum autem super te, sed et super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris; ita ut universa deorsum aspiciens, cernas terram de longe, et nulla te mundi oblectamenta inclinent, nec ullæ adversitates deficiant [78].

Sic affectu pariter et profectu ascendes post ipsum etiam per vitia et passiones tuas. Quomodo? Si subdere eas tibi studeas, ac super eas stare consuescas, ex ipsis tibi gradum constituis; elevabunt te, si fuerint intra te; de vitiis ergo tuis scalam tibi ipsi facis, si vitia calcas... Nisi calcati fuerint affectus tui, calcabunt te; nisi premantur, oppriment te: dominari debent, ne dominare prævaleant [79].

Per gradus etiam virtutum ascende... *Ibunt*, inquit Propheta, *de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion* [80].... Hæc est scala quæ nobis erecta est in Evangelio per quam universus sanctorum chorus ascendit [81].

Qui ergo ascendere vis, quomodo gradus obli-

[65] *I Cor.* XV, 28. [66] S. BERN., *Serm. de Ascens.*; S. AUG., serm. 2 *De Ascens.*; S. LAUR. JUSTIN., *Serm. De Passion.*; S. LEO, serm. 1 *De Ascens.* [67] *Ephes.* IV, 8. [68] EUSEB. EMIS., hom. 1 *De Ascens.* [69] S. AUG., serm. 17 *De tempore*; S. LEO, serm. 21, *De Ascens.* [70] S. THEODOR. STUDIT., *Serm.*, cateches. 7; EUSEB. EMISS., hom. 2, 1 *De Ascens.* [71] S. BERN., serm. 1 *in Ascensione.* [72] S. AUG., serm. 175 *De temp.*; S. BERN., *Flores* [73] S. CHRYSOSTOM., hom. 2 *in Matth.* III. [74] *Joan.* I, 3; *Hebr.* II, 10. [75] S. AUG., serm. 13 *De tempore*; ID., hom. 25 *in Evang.* [76] *Joan.* XIII, 1. [77] S. BONAV.; S. AUG., *Medit.*, c. 27. [77*] *Gen.* IV, 7. [78] S. BERN., serm. 4 *De Ascens.* [79] S. AUG., serm. 176 *De temp.*; S. BERN. [80] *Psal.* LXXXIII, 8. [81] S. BERN., serm. 2 *in Fest. Om. SS.*

visceris...? qui per macerias ascendit, ideo exaltatur ut cadat..; et casum appetit qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum [82].

Ascendamus porro ad ipsum volando...; Christus enim similitudinem habet aquilæ in cœlos ascendendo, ut nos velut aquilæ in cœlum sublevemur.... *Ascendit*, inquit, *in jubilatione* [82*], *sicut aquila provocans ad volatum pullos suos, et super eos volitans* [83]... Eamus ergo, et volando pariter ascendamus cum ipso; ascendit autem ad Deum volando qui ascendit amando [84].

Affectu igitur curre, amore ambula, charitate ascende... ; quanto plus amaveris, tanto plus ascendes... Contende ad illud æternum, ad illud divinum, evola pennis dilectionis et remigio charitatis.., et si adhuc hic teneris infirmitate corporis, sequere tamen eum passibus amoris [85].

Lætifica, Domine, inquit Propheta, *animam servi tui, quoniam ad te animam meam levavi* [86]. Qui funes? quæ machinæ? quæ scalæ? gradus affectus sunt. Iter tuum voluntas tua est : amando ascendis, negligendo descendis ; stans in terra in cœlo es, si diligis Deum. Non enim sic levatur cor, quomodo levatur corpus ; corpus, ut levetur, mutat locum ; cor, ut levetur, mutat voluntatem [87].

Tandem quid quæris viam? Inhære Christo qui descendendo et ascendendo seipsum fecit viam : ascendentem tene. Tu enim per te ipsum te levare non potes : dic ergo illi cum Sponsa : O Domine, trahe me ; post te in odorem curram unguentorum tuorum [88]. Et : *Sequar te, Domine, quocunque ieris* [88*]... Assume spiritum meum, ut, te duce, ascendat in regionem hanc veritatis, et da, quæso, toto desiderio ita tendere quo te ascendisse credimus, ut in præsenti miseria solaremur corpore [89].

Sed jam textum Scripturæ percurrentes, ipsum quoque ordinem quo Salvator in cœlum ascenderit, videamus, notemus verba, signemus mysteria.

Eduxit, inquit Lucas, *discipulos suos foras* [90], extra civitatem eduxit, 1° ut ipsa eductione intelligere possent discipuli quod, ut ait Apostolus, *non habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus* [91] ; 2° ut ex hoc cognoscerent, quod si qui hujus mysterii volunt esse participes et post Salvatorem in cœlum ascendere, populares turbas debent declinare, hominum tumultus fugere.., terrenorum desideriorum affectus a secreto cordis expellere, una intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelantes [92].

Tales eduxit Dominus extra civitatem... Incipit enim exire qui incipit amare, et exeuntium pedes sunt cordis affectus...; unde qui, cunctis exteriorum rerum perturbationibus abjectis, se intra sinum intimi amoris abscondit, ac nullos sæcularium tumultus in corde patitur, non est in urbe [93].

Eduxit autem illos in Bethaniam in montem Olivetum. Ascensurus quippe in cœlum, ascendit una cum discipulis suis ad montem Olivarum, ut hoc suo facto ostenderet eos, qui regna cœlestia scandere desiderant, debere caduca hæc et humilia transcendere, et in altum virtutis sine intermissione eniti et subvolare [94].

Ad sacratissimum illum montem et nos abeamus, ubi Salvator manus extendens benedictionem discipulis suis impertit ; sacro pariter choro aggregemur, ac ea quæ in monte peraguntur secretius condiscamus [95].

Et elevatis manibus. Extendit Jesus manus, 1° ut sub illas nos ingeramus; 2° ut discipulis, ac per eos universo mundo, benedictionem distribuat ; 3° ut diaboli manus toto terrarum orbe exporrecta irrita reddatur atque ineflicax ; 4° explicat manus, ut suprema monita in cordibus eorum consignet, ac benedictione ad eximium Evangelii prædicandi ministerium invitet ; 5° more patris filios suos tenerrime et ardentissime amantis, qui potioribus aliis evocantibus vix invitus recedit ; 6° ut suos Patri offerret benedixit eis, levans manus suas : benedixit eis, dedit eis arrham sponsalem muneris pretiosam, non ex auro gemmisque distinctam, sed charitatis ansulis contentam catenam, qua alligati sequantur eum ad Sponsam Agni, Jerusalem, patriam sempiternam [96].

Et dum benediceret, recessit ab eis [97]. Ineffabili modo cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior... Discessit porro ab oculis ut redeamus ad cor, ut inveniamus eum : *Et ferebatur in cœlum.* In cœlum ascendens ad Patrem revertitur : *Relinquo*, inquit, *mundum, et vado ad Patrem* [98].

Revertitur, 1° tanquam verus obediens... completa obedientia quoad Patrem ; 2° tanquam bonus mediator, facta pace et concordia quoad homines ; 3° tanquam strenuus propugnator, reportata victoria contra dæmones... : alligavit enim diabolum sacramento Incarnationis suæ ; alligavit superando mortem spiritualibus vinculis, alligavit super cœlos ab inferis ascendendo [99].

Item ascendit, 1° ad intercedendum pro nobis : *ut appareat vultui Dei pro nobis*, inquit Apostolus [1], bonus mediator, optimus advocatus qui tot habet linguas pro nobis loquentes, quot vulnera pro nobis recepit [2].

[82] S. Aug., lib. v, hom. 32, c. 1 ; Id., tract. 55 *in Joan.*; S. Greg. [82*] *Psal.* xlvi, 2. [83] *Deut.* xxxii, 11. [84] S. Bruno, *Serm. de Ascens.*; S. Aug., *in psal.* xii. [85] S. Aug., serm. 254 *De tempore*; Id., *in psal.* lxxxiii ; S. Greg. [86] *Psal.* lxxxv, 3 [87] S. Aug., in hunc locum. [88] *Cant.* i, 3. [88*] *Luc.* ix, 57. [89] S. Aug., serm. 134 *De tempore* ; Id., *Meditat.* c. 37. [90] *Luc.* xxiv, 50. [91] *Hebr.* xiii, 14. [92] S. Bern. Sen., serm. 2 *De Ascens.*; S. Greg., lib. iv *Moral.* [93] S. Aug., *in psal.* lxiv ; S. Greg., *Moral.* [94] Leo imper., *Orat in Dom. Ascens.* [95] *Ibid.* [96] *Ibid.*; S. Bonav.; S. Aug., serm. 6 *De Ascens.* [97] *Luc.* xxiv, 51; S. Leo, serm. 2 *De Ascens.* [98] *Joan.* xvi, 28. [99] S. Aug., lib. iv *Conf.*, c. 12. [1] *Hebr.* ix, 24. [2] S. Bonav.

2° Ut nobis paret locum : *Vado*, inquit, *parare vobis locum* [3] ; locum scilicet ubi beati soli jam Deo vivunt, ubi soli vacant intelligendo, diligendo, fruendo..., ubi videbimus, amabimus, gaudebimus... Quæris quis ille sit locus? Cœlestis Jerusalem, *visio pacis;* o pax, *quæ exsuperat omnem sensum* [4] ! o pax supra pacem ! o mensura super mensuram, conferta, et coagitata, et supereffluens [5].

3° Ut desiderium nostrum post se traheret, ideo enim recedit ut avidius requiratur..., ut desiderium crescat, ut probetur affectus, ut exerceatur amoris negotium... Sic aliquando gustu illius inter bibendum percepto, subtrahit se a te ut ardentius exoptes, vehementius inardescas, humilior reddaris [6].

4° Ut nos desuper protegeret ... Non enim dedignatur pius Dominus in cœlum assumptus hominem juvare in terris ; illum siquidem tanto amore complectitur, ut si eum adhuc pro illo mori justitiæ jura exigerent, pietatis sibi viscera non deessent [7].

Ascendens autem *captivam duxit captivitatem* [8]. Nos fuimus ipsa captivitas, per peccatum a diabolo captivati ; sed hanc captivitatem, scilicet nos, Christus, cum ascendit in cœlum, duxit, id est in suam potestatem secum recepit, ad similitudinem alicujus principis triumphantis, et suos liberantis ; bona captivitas est ista captivitas Christi qua nos captivamur, et in cœlum reportamur [9].

Et videntibus illis elevatus est [10]. Vident hoc præsentes apostoli, et paulatim semetipsum ad superna tollentem, pectore pavidi, mente confusi, oculis trepidi consequuntur [11]... Attende autem quod discipulorum suorum affectus quia Salvator provocabat ad summa, hodie in oculis eorum ascendit ad dexteram Patris, ut ubi eorum thesaurus erat, illuc eorum et nostra affectio traheretur [12] ; sequamur et nos, fratres, sequamur Agnum quocunque ierit [13], sequamur patientem, sequamur et resurgentem, sequamur multo libentius ascendentem : quærere videlicet et sapere quæ sursum sunt [14], ubi ille est.... Compatere ergo Christo, anima Christiana ; consurge, coascende . quod est, declina a malo, et fac bonum [15] ; inquire pacem, persequere eam [16].

Elevatus est autem super omnes cœlos ; *quod enim ascendit*, inquit Apostolus, *quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos* [17]. Descendit quo inferius non potuit ; ascendit quo celsius non potuit ; descendit a summo cœlo usque ad carnem, usque ad crucem, usque ad mortem ; ascendit usque ad gloriam resurrectionis, usque ad potestatem judicii, usque ad consessum in dextera Patris. Quid hac dispositione suavius? ubi mors absorbetur in victoria [18], ubi ignominia crucis vertitur in gloriam, ubi et ipsa carnis humilitas ex hoc mundo transit ad Patrem. Hac ascensione quid sublimius? Hoc honore quid gloriosius dici potest aut excogitari? Sic reliquit nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus [19].

Descendite ergo ut ascendatis, et ascendatis ad Deum. Cecidistis enim ascendendo contra eum... Humilitatis passibus ad cœli culmina conscenditur... ; nec acceditur ad altitudinem Dei nisi per humilitatem... Videte, fratres, magnum miraculum : altus est Deus ; erigis te et fugit a te, humilias te et descendit ad te : quare hoc? quia *excelsus est, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit* [20]. Humilia de proximo respicit ut attollat ; alta, id est superba, de longe cognoscit ut deprimat [21].

Christus porro solus ascendit, qui solus descendit ; quid debent cæteri facere? Uniri corpori ipsius, ut sit unus Christus qui descendit et ascendit. Descendit caput, ascendit cum corpore, vestitus Ecclesia sua ; solus ergo ascendit : sed et nos quando cum illo sic sumus ut in illo membra ejus simus, et nobiscum solus est, et ideo unus et semper unus ; unitas nos compaginat uni, et uni soli. Cum illo non ascendunt qui cum illo unus esse noluerunt [22].

Et nubes suscepit eum ab oculis eorum [23]. Solutam nubem serena dies excepit, et fulgore corusco vallatum humanis conspectibus occultavit... Apparuit autem nubes, et intravit eam ut oblectaret oculos eorum nubis amœnitas, et irroraret eos ascendentis de cœlo suavitas, ne sola desiderantium inanis remaneret anxietas... Sedens enim super nubem hanc levem compluit apostolos pacis hæreditate et testamentaria charitate [24].

Quænam porro est ista nubes quæ Christum suscepit ? Illa est quæ testimonium Christo et in monte perhibuit, de qua vox audita est : *Hic est Filius meus dilectus* [25]. Non igitur nubes suscepit Christum, sed Deus Pater recepit Filium, et occursu quodam pietatis ascendentem illum gremio molliore complectitur. Nam ideo Pater dicitur suscipere Filium nubis umbraculo, ut ostendatur refrigerio quodam fovere ejus vulnera Passionis ; non est enim majus Christo refrigerium post crucem, nisi quod virtute divinitatis obumbraretur, etc. Altissimus ergo Pater, qui nascente Christo obumbravit in virtute Mariæ [26], ascendentem eum suscepit in nube ; semper enim Deus, quos post injurias perducit ad requiem, protegit eos nubis umbraculo sicut filios

[3] *Joan.* XIV, 2. [4] *Philip.* IV, 7. [5] *Luc.* VI, 38 ; S. BERN. ; S. AUG. [6] S. BERN., serm. 17, 75 *in Cant.* ; S. MACAR., hom. 27. [7] S. AUG., serm. 1 *De Ascens.* ; GOFFRID. Vindocin., serm. 1 *De Nat.* [8] *Ephes* IV, 8 ; *Psal.* LXVII, 19. [9] S. BRUNO, serm. 1 *De Ascens.* [10] *Act.* I, 9. [11] S. AUG., serm. 5 *De Ascens.* [12] *Luc.* XII, 34. [13] *Apoc.* XIV, 4. [14] *Col.* III, 1. [15] *Psal.* XXXVI, 27. [16] *Psal.* XXXIII, 15 ; S. BERNARDIN., serm. 2, 6 *De Ascens.* [17] *Ephes.* IV, 9, 10. [18] *I Cor.* XV, 54. [19] *I Petr.* II, 21 ; S. BERN., *Flores.* [20] *Psal.* CXXXVII, 6. [21] S. AUG., *Confess.*, lib. IV, c. 12 ; ID., hom. 12 ; ID., serm. 2 *De Ascensione*, qui est 175 *De tempore.* [22] S. AUG., *in psal.* CXXII. [23] *Act.* I, 9. [24] S. AUG., serm. 5, 7 *De Ascens.* [25] *Matth.* XVII, 5. [26] *Luc.* I, 35.

Israel [27]. *Et sedet* [28]: dignitatem, auctoritatem et quietem signat hæc sessio...; regnantem enim et quiescentem Christum in cœlis notat sessio. Sedere autem ad dexteram Patris importat unionem vel æqualitatem, et quamdam eminentiam beatitudinis cum Patre, quod nulli alii convenire potest [29].

A dextris Dei. Intellige dexteram, ne quæras sinistram. Dextera Dei dicitur æterna felicitas; dextera Dei dicitur ineffabilis, inæstimabilis, incomprehensibilis beatitudo atque prosperitas. Hæc est dextera Dei, ibi sedet. Quid est, ibi sedet? Ibi habitat; sedes enim dicuntur ubi quisque habitat [30].

Attendite porro quod in regeneratione sedebitis et vos. O felix regeneratio! quando renascar ad sessionem miser homo natus ad laborem [31]? O si unquam sedero totus, cujus modo nemini una quidem portio sedet: in quo nihil tranquillum, nihil quietum, nihil unquam in eodem permanens statu [32].

Sedebitis et vos [33]. O sessio! Quis mihi tribuat ut dignis exprimam verbis quod de sessione hac cordis affectione concipio? Imo quis mihi tribuat sessionis hujus imperturbata frui requie, quam desidero, quam cupio, quam requiro [34]?

Cumque intuerentur, etc., *ecce duo viri*, etc. [35]. Cœlestes mittit consolatores ut non remanerent trepidi, alumnosque suos securos faceret metuentes [36].

Qui et dixerunt: Quid statis aspicientes in cœlum [37]? Quid statis vos quibus dixit Dominus: *Posui vos ut eatis et fructum afferatis* [38]?... Ipse hominis sæculique Auctor, quandiu in terris visus est, nunquid stetit? Et quidem teste Scriptura: *Pertransiit benefaciendo* [39]; nihil stat in hoc sæculo...: in hac vita non quies, sed perennis transitus...: quid ergo statis qui semper proficere, et post eum, qui *exsultavit ut gigas ad currendam viam* [40], debetis currere, et sic currere ut comprehendatis [41]?

Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet. Veniet siquidem in potestate, in majestate, in gloria; sed.... hoc nobis est magnopere perpendendum, quia is qui placidus ascendit terribilis redibit, et quidquid nobis cum mansuetudine præcepit, hoc a nobis cum districtione exiget.

Nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora parvi pendat; nemo curam sui, dum valet, agere negligat; quia Redemptor noster tanto tunc in judicium districtior veniet, quanto nobis ante judicium magnam patientiam prærogavit [42].

Hæc itaque vobiscum agite, hæc in mente sedula cogitatione versate: ecce ad cœlum ascendisse Dominum audivimus. Hoc ergo servemus in meditatione quod credimus; et si adhuc hic permanemus infirmitate corporis, sequamur tamen cum passibus amoris [43].

Quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, sic veniet manifestus, quemadmodum nunc extollitur super astra præclarus... nubes in occursu, nubes in reditu. Vulnera portavit, ipsa iterum reportabit; crucem retulit cum triumpho, signum Filii vobis patebit in cœlo [44]; sic veniet in ipso corpore, in ipsa nube, in ipsa veritate; nobis in amore, impiis in tremore [45].

Una species mansueta, sed justis clarifica, et peccatoribus metuenda; non vos terrebit adventus quos consolatur ejus ascensus: sic enim veniet clavorum vulnera illæsa demonstrans, et foraminum cruenta monilia, et vobis filiis Sponsi coronam exhibens cœlestis imperii [46].

Beati quibus vere dicitur: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum.* Nunquid sic veniet oculis peccatorum? Ipsa erit Veritas, sed non erit ipsa securitas.

Qui vero deduxerunt et euntem suscipient redeuntem; petamus ergo a Domino Deo nostro, ut sicut hodie Ascensionis celebramus tempus et diem, ita revertentis mereamur matutinam recipere pietatem, et in cœlum ascendere post ipsum.

Et ideo vitia vel peccata nostra debemus deponere: non enim cum Christo ascendit superbia, non avaritia, non luxuria... Cum bonitatis Auctore non ascendit malitia, nec cum Filio Virginis libido: non, inquam, ascendunt vitia post virtutum parextem, nec peccata post justum, nec infirmitates et morbi possunt ire post medicum [47].

Quantum insuper nitorem, vel quantam debeant habere munditiam qui justorum cupiunt intrare regionem, qui attingere optant Christi aulam et cœli regiam, opus est etiam ut intelligamus. Si aliquis civitatem magnam nobilibus et illustribus viris splendidam, immundis vestigiis aut horridis adire præsumpserit indumentis, si eam pannis obsitus ac seminudus intraret; si dilacerata facie, si vel livore fœdata, vel vulnere; quanta illum confusio pudoris operiret? quantum verecundiæ pondus obrueret? nonne illum circumstantia venerandæ congregationis officia de conspectu reverendi Judicis præcipitem perturbarent. Et putamus quod animam peccatis horridam, et cœno fetidæ corruptionis infectam, præferentem luxuriæ fœditates dedecorosas, impudicitiæ cicatrices: putamus quod eam capere potuerit splendor cœlestium mansionum, et non potius illam ex Evangelio sententia damnationis exeipiat: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Ligatis*, inquit, *manibus et pedibus, ejicite eum in tenebras exteriores* [48].

[27] *Exod.* XIII, 21; *Psal.* CIV, 39. [28] *Marc.* XVI, 19. [29] S. MAXIM., hom. 3 *in Fest. Pentecost.* [30] S. AUG., serm. 119 *De tempore.* [31] *Job* V, 7. [32] S. BERN., *Declam.* [33] *Matth.* XIX, 28. [34] S. BERN., ubi supra. [35] *Act.* I, 10. [36] S. AUG., serm. 7 *in Ascens.* [37] *Act.* I, 11. [38] *Joan.* XV, 16. [39] *Act.* X, 38. [40] *Psal.* XVIII, 6. [41] *I Cor.* IX, 24; S. BERN., epist. 254, *Ad Guarinum.* [42] S. BERN., ubi supra. [43] *Ibid.* [44] *Matth.* XXIV, 30. [45] S. AUG., serm. 5 *De Ascens.* [46] ID., serm. 6. [47] S. AUG., serm. 172, 176 *De tempore.* [48] *Matth.* XXII, 12, 13; EUSEB. Emiss., hom. 1 *De Ascensione.*

Nihil ergo in nobis injustitiæ, nihil maculæ, tempus metuendæ discussionis inveniat. Caput nostrum officiosis desideriis ac bonorum operum studiis jam sequamur...; desideria terrena fugiamus..., nihil nos jam delectet in infimis qui Patrem habemus in cœlis [49]... Ascendamus post eum compunctione, benevolentia, concordia, charitate, spe; ascendamus corde, tantum quæ sursum sunt quærentes, ubi Christus est in dextera Dei sedens [50]; ubi est thesaurus noster, ibi sit et cor nostrum [51].

Quam félix ille, qui hæc omnia memoria devota hodie recolens, per fidem intelligens, et affectu in eis jubilando congaudens, interius perprobans quod expertus est exterius miles quidam nobilis natura, sed nobilior gratia. Is cum ob devotionem suam perrexisset ad Terram Sanctam, et sacratissima illa Domini Jesu Christi loca omnia visitasset, tandem ad sacrum Oliveti montem unde Dominus ascendit in cœlum, perveniens, totam mentem omnesque animæ vires elevans ad superna, facie ad cœlum erecta, corpore ad vestigia pedum quæ reliquit in terra prostrato, ac corde amoris dulcedine liquefacto, ait : Dulcissime mi Jesu, nescio ubi amplius te quæram : concede mihi, quæso, ex dulcedine misericordiæ tuæ, ut nunc veniam ad te: et statim his dictis anima ejus ex amoris dulcedine exspiravit; apertoque latere ejus, cor illius ex amoris, dulcoris et gaudii excessu scissum repertum fuit, atque in eo scriptum : *Amor meus Jesus.* [52].

—

CHRISTUS MITTENS SPIRITUM SANCTUM IN DISCIPULOS SUOS.

Celebramus hodie festum Spiritus sancti [53]; hunc enim misit Dominus quem in terra de cœlo se missurum esse promiserat.

Ascendens siquidem ipse super omnes cœlos, sedensque ad dexteram Patris promissum Spiritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit [54].

Unde Spiritus sancti solemnitatem præcipuam hodie celebramus : utinam et devotione præcipua; festum enim festorum est, et festorum summum sancta Pentecoste [55].

Adest siquidem in hac die Spiritus sanctus fidelibus suis, non jam per gratiam visitationis, sed per ipsam præsentiam majestatis : atque in vasa (id est in corda nostra) non jam odor balsami, sed ipsa sacri substantia defluxit unguenti [56].

Adest Spiritus ille, Patris et Filii amor et connexio, et osculum [57]. Osculum... utpote Patris Filiique imperturbabilis pax; gluten firmum, individuus amor, indivisibilis unitas [58].

Imaginis nostræ reformatio, Christi effigiem in nobis vi quadam et impressione formans [59].

Mentis perfectio, animarum exsultatio, cordis tripudium, mentis requies, copula unionis nostræ in Christo [60].

Gratia enim quam hodie consecuti sunt apostoli, etsi non tanta, verumtamen digno Spiritus sancti munere donantur, quotquot Spiritum sanctum honorant. Vide quales arrhas dedit nobis Deus amoris sui [61].

Quod pignus dedit?... Spiritum sanctum misit : si non amaret, talia pignora non daret [62].

Adest vicarius Redemptoris (id est alius Paracletus). Datur quippe ut sit et in nobis : sed... ne quisquam putaret, quod ita eum Dominus daturus fuerit velut pro seipso, ut non et ipse cum eis esset futurus, adjecit atque ait : *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos* [63].

Trinitatis firmissimum ac indissolubile vinculum, ejusdemque Trinitatis complementum [64].

Plenitudo donorum divinorum... Magnus Ecclesiæ præsul et parochus. *Fluminis impetus lætificans civitatem Dei* [65].

Adest quem missurum Christus ascendens promiserat; non angelus, non homo, sed Spiritus sanctus. Adest non alius Deus, sed alius Paracletus, Deo videlicet nobis solatio futuro. O benignitatem incredibilem! o indeprehensa comitas! o incomparabile munus [66]!

Hodie melliflui per Christum facti : *Cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel* [67]. Hodie pluvia voluntaria segregata est hæreditati Christi [68]... Hodie *fulgura in pluviam fecit* [69], cum Spiritus ille tribuens charismatum dona... velut imber sanctificationis illapsus est [69*].

O qualis artifex iste Spiritus datus ad usum vitæ bonis et malis, etc., et ad auxilium, in omni colluctatione adjuvans infirmitatem nostram [70] : datus ad consolationem, testimonium perhibens spiritui nostro quod sumus filii Dei [70*] : datus ad fervorem; in cordibus nostris vehementius spirans et validum ignem charitatis accendens : ita ut etiam in tribulationibus gloriemur [71].

O qualis artifex spiritus ille dulcis et suavis, qui nostram voluntatem flectit, imo erigit et dirigit magis ad suam, ut eam et veraciter intelligere, et ferventer diligere, et efficaciter implere possimus; Qui dum dona sua infundit, et humanæ menti

[49] *Matth.* XXIII, 9. [50] *Col.* III, 1, 2. [51] *Luc.* XII, 34; S. GREG., hom. 29 *in Evang.*; EUSEB., ubi supra. [52] S. BERNARDIN. Senens., serm. 1 *De Ascens. Dom.* [53] S. AUG., serm. 183 *De tempore.* [54] *Præfat. Missæ.* [55] S. BERN., serm. 3 *in Fest. Pent.*; S. THEODOR. STUD., *Serm.*, catech. 10. [56] S. AUG., serm. 185 *De tempore.* [57] S. AUG.; S. BERN. [58] S. BERN., serm. 8 *in Cant.* [59] *Ibid.*; et S. CHRYSOST. [60] S. CYRIL., lib. XII *Thesauri*; S. CHRYSOST. [61] S. AUG. [62] ID., *in psal.* XC, c. 3, sub fin. [63] *Joan.* XIV, 18; S. AUG., tract. 75 *in Joan.*, sub fin.; ID., serm. 85 *De tempore.* [64] S. BERN., serm. 3 *De Pentecost.*; S. Basil. [65] *Psal.* XLV, 5; PASCH., lib. 1 *De Spiritu sancto*, c. 9; S. CYRIL. Hieros., *Catech.*; S. BASIL. [66] S. THEOD. STUD., *Serm.*, catech. 9. [67] *Psal.* LXVII, 9. [68] *Ibid.*, 10. [69] *Psal.* CXXXIV, 9. [69*] S. BERN., serm. 2 *De Pentecost.*; S. AUG., serm. 181 *De tempore.* [70] *Rom.* VIII, 26. [70*] *Ibid.*, 16 [71] S. BERN., serm. 3 *De Pentecost.*

illabitur, mutat in virum alterum et Deo amabilem facit [71*].

Qui ad declinandum a malo tria operatur in nobis, compunctionem, supplicationem, remissionem .... et idem tria ad bonum faciendum, monet memoriam, docet rationem, movet voluntatem. Qui tibi dat pignus salutis, robur vitæ, scientiæ....[72*]

O qualis artifex! mox enim ut tetigerit mentem, docet, solumque tetigisse docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat affectum Abnegat repente quod erat, exhibet repente quod non erat. Pensa apostolos quales hodierna die reperit, quales fecit... Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui ante in verbis timebat : et qui prius ancillæ vocem requisitus timuit, post adventum Spiritus sancti vires principum cæsus spernit... Inflammatum quippe cor despicit tormenta corporis, quæ ante metuebat : vincitque vim corporalis formidinis amor Conditoris [73].

O qualis artifex! qui *scrutatur omnia, etiam profunda Dei* [74]. Et qui vasa cordium præparat ut vinum novum in utres novos ponatur, ac primum mundat ne infusum polluatur; et postea ligat, ne infusum amittatur. Mundat scilicet a gaudio iniquitatis, ligat contra gaudium vanitatis. Gaudium enim iniquitatis polluit, et gaudium vanitatis effundit : gaudium iniquitatis reddit vas sordidum, et gaudium vanitatis facit rimosum [75].

O qualis artifex! *in quo clamamus : Abba Pater* [76].. Sine quo *nemo potest dicere : Dominus Jesus* [76*]... Qui *postulat* pro sanctis *gemitibus inenarrabilibus* [77]. Et hæc quidem in corde nostro. Quid autem in corde Patris? Sicut in nobis *interpellat pro nobis* [78], ita in Patre delicta donat cum ipso Patre. Advocatus noster in cordibus nostris, Dominus noster in corde Patris.

O qualis hodierna solemnitas! In incarnatione Deus in se permanens suscepit hominem ; in Pentecoste homines venientem desuper susceperunt Deum. In illa Deus naturaliter factus est homo, in ista homines facti sunt per adoptionem dii [79].

O quanta et quam ineffabilis pietas Redemptoris! Hominem portavit ad cœlum, et Deum misit ad terras. Quanta est Auctori cura pro instauratione facturæ suæ! Ecce iterum nova de supernis medicina mittitur ; ecce iterum infirmos suos per se ipsam majestas visitare dignatur ; ecce iterum humanis divina miscentur, id est vicarius, successor Redemptoris, ut beneficia quæ Salvator inchoavit peculiari Spiritus sanctus virtute consummet, et quod ille redemit, iste sanctificet ; quod ille acquisivit, iste custodiat [80],

Vide quam verum dixerit ille qui dixit : *Dominus sollicitus est mei* [81]. Pater enim ut servum redimat, Filio non parcit ; Filius seipsum libentissime tradit ; Spiritum sanctum uterque mittit. Et *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* [82].

O duri et indurati et obdurati filii Adam! quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam vehemens amor, tam ingens ardor amoris. Quid ultra debuit facere, et non fecit [83]? Deus enim, misericordia motus, misit Filium suum quo redimeret servos ; misit etiam Spiritum sanctum, quo servos adoptaret in filios : Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium amoris, se denique totum servat in hæreditatem [84]....

Parum itaque erat Patri tradidisse Filium ut redimeret servum, nisi daret et Spiritum sanctum quo servum adoptaret in filium. Dedit Filium in pretium redemptionis, dedit Spiritum sanctum in privilegium adoptionis, se denique totum servat adoptatis [85].

O Deum, si fas est dici, prodigum sui præ desiderio hominis! Annon prodigum qui non solum sua, sed seipsum impendit, ut hominem recuperaret, non tam sibi quam homini? Annon prodigum, qui sicut proprio Filio non pepercit [86], sic nec Spiritui sancto pepercit, ut ita loquar, sed nova et mira largitate, super omnem terram illum effudit [87].

O plane ineffabilis divinæ circa nos dignatio charitatis! Amavit, ut redamaremus ; et ut redamare possemus, visitavit nos Spiritu suo... Ut scilicet Deum per Spiritum sanctum amaremus ; et sic Deum de Deo amaremus [87*].

Nisi enim Deum accipiamus, Deum non possumus diligere ; nec posset quisquam Deum diligere, si eum quem diligit non haberet [88]. Ideo ut ipse diligi possit, ipse se tribuit [89].

Quid porro a te quærit qui tanta sollicitudine te quæsivit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo, qui nec minimam paleam intra cordis quod possidet habitaculum patitur residere [90].

Purus enim cum sit, nonnisi purus homo potest ejus habitaculum esse [91].

Pensa, quæso, quanta sit ista dignitas, habere in cordis hospitio adventum Dei. Certe si domum nostram quisquam dives aut præpotens amicus intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset quod oculos amici intrantis

[71*] S. Bernard., serm. 2 *De Pentecost.* [72] Id., serm. 1 et 2 *in Pentecost.* [73] S. Greg., hom. 30 *in Evang.* [74] *I Cor.* II, 10. [75] S. Aug., *Manual*, c. 27. [76] *Rom.* VIII, 15. [76*] *I Cor.* XII, 3. [77] *Rom.* VIII, 26, 27. [78] *Ibid.*, 34. [79] S. Greg., hom. 30 *in Evang.* [80] S. Aug., serm. 185 *De tempore.* [81] *Psal.* XXXIX, 18. [82] *Rom.* VIII, 26 ; S. Bern., serm. 2 *in Pentecost.* [83] *Isa.* V, 4 ; S. Bern., ubi supra ; S. Bonav. [84] S. Aug., *Manual.*, c. 26. [85] Guerric., abbas, serm. 1 *in Pentecost.* [86] *Rom.* VIII, 32. [87] Guerric., ubi supra. [87*] Id., *ibid.* ; S. Aug., *in psal.* CXXVII ; Id., serm. 2 *De divers.* [88] S. Greg., hom. 30 *in Evang* [89] S. Fulg., lib. II *De prædestin.* [90] S. Bern., serm. 2 *in Pentecost.* [91] S. Greg. Naz., in *Carminib.*

* Deest aliquid in exemplari propter extremæ paginæ sectionem, ut mox ad lin. 17 col. sequentis.

offenderet. Tergat ergo sordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis [92]

Si ego, qualiscunque fragilis homo, venturum me ad domum tuam promitterem, sine dubio mundares eam, superflua projiceres, quæ erant necessaria præparares : Deus ad cor tuum venire vult, et piger es ei domum mundare [93] ?

Unde si promereri cupis tanti visitatoris ingressum, munda domum animæ tuæ ab indignis carnalis concupiscentiæ passionibus, a superbiæ dominatione, a fetore jactantiæ, a teporis horrore : adorna illam quotidie diversis probabilium morum floribus, reple jucundis pretiosisque odoribus castitatis, fidei et compunctionis incenso, balsamo benevolentiæ, et thymiamate charitatis, ut amputatis vitiis, et virtutibus insertis, destructa in nobis habitatione diaboli, mutemur in templum Dei, ut tam beatus hospes nitido delectatus hospitio stabilem ac perpetuam in te faciat mansionem [94].

Nulla enim est conventio igni et tepiditati, veritati et vanitati, luci et tenebris, spiritui et carni, etc.; caro siquidem spiritum nescit [95].

Neque enim spiritus et caro, veritas et vanitas, ignis et tepiditas in uno domicilio commorantur [96]. Spiritus ille odit sordes, nec habitare poterit in corpore subdito peccatis : nec in uno pariter domicilio morabuntur tanta munditia et immunditia tanta [97].

Fervore ergo spiritus fervor exstinguatur aliorum desideriorum, pestiferam dulcedinem vitiorum jucunditas spiritualis istius unctionis excludat [98].

Ut finitis carnalibus, spiritus sis et spiritalis. Ut enim hoc festum non frustra celebres, hoc debet esse quod celebras [99].

Et quia non potest quis fieri receptaculum Spiritus sancti, nisi spiritu suo primitus evacuetur [1],

Contemne spiritum tuum, ut accipias Spiritum Dei. Qui enim non habet spiritum suum, habet Spiritum Dei ; et beati pauperes spiritu suo, quia divites sunt Spiritu Dei [2].

Contemne etiam spiritum mundi, spiritum carnis, spiritum diaboli [3].

Veniet enim Spiritus Dei, cum ejecti fuerint spiritus mali. Quod si quis ex his tribus spiritibus tibi loquatur, ne credas ei, quoniam sanguinem sitiunt, non quidem corporum, sed, quod gravius est, animarum. Repelle illum tanquam adversarium, dicens : Recede a me, immunde spiritus, et da locum Spiritui sancto [4].

Vade retro, Satana, quoniam non sapis ea quæ Dei sunt [5], sed magis sapientia tua inimica est Deo [6].

Omnia etiam quantumcunque amabilia, quantumcunque delectabilia, quantumcunque chara derelinque, ut Spiritum sanctum merearis accipere.

Nisi ego abiero, inquit Christus, *Paracletus non veniet ad vos* [7] : hoc est dicere : Si non dederitis quod amatis, non habebitis quod desideratis.

Tandem, si vis habere Spiritum sanctum, ama illum, et exardescens voluntate ora et pete ab eo, qui dat omnibus affluenter. *Petite*, inquit Christus, *et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. Quis enim ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi ? aut si piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi ? aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem ? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se* [8]

Dic igitur cum Propheta : *Domine, Spiritum sanctum tuum ne auferas a me : spiritum rectum innova in visceribus meis, et spiritu principali confirma me* [9]... Da Spiritum sanctum qui purget affectus, spiritum rectum qui dirigat gressus, spiritum principalem qui roboret actus ; Spiritum rectum, dirigentem tortuositatem spiritus nostri, qui nunquam tendit ad Deum, sed semper in se reflectitur ; spiritum sanctum, purificantem affectiones cordis infundendo amorem ; spiritum principalem, infirma nostri corporis virtute sua confirmantem. Spiritum rectum, cujus ducatu devii corriguntur ; Spiritum sanctum, cujus gratia impii convertuntur, spiritum principalem, cujus virtute debiles confirmantur, spiritum rectum qui regat ; Spiritum sanctum qui componat ; spiritum principalem qui consummet et perficiat mentem..., ut hoc spiritu tuæ rectitudinis, sanctitudinis et fortitudinis repletus, directe, honeste et viriliter incedam [10]

Vel, dic cum sancto Augustino : Jam, o divini amor numinis, Patris omnipotentis, prolisque beatissimæ sancta communicatio, omnipotens Paraclete, Spiritus, mœrentium consolator clementissime, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, et tenebrosa quæque laris neglecti latibula corusci luminis fulgore habitator lætifica, tuique roris abundantia longo ariditatis marcescentia squalore visitando fecunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo, et torpentis medullas jecoris flammis salutaribus penetrando succende, sancti-

[92] S. Greg., hom. 30 *in Evang.* [93] S. Aug., serm. 175 *De tempore.* [94] Id., serm. 185 *De tempore.* [95] S. Bern., serm. 5 *De Ascensione* ; S. Greg., hom. 30 *in Evang.* [96] S. Bern., ubi supra. [97] Id., serm. 3 *in Pentecost.* [98] *Ibid.* [99] S. Aug., *in Psal* ; S. Fulg., *Serm. de Pentecost.* [1] S. Greg. [2] S. Aug., *De verb. apost.*, serm. 15 ; Id., *in psal.* cm. [3] S. Bern. [4] S. Aug., *Manual.*, c. 25 ; S. Bern., *Serm. de septem spirit.* [5] *Matth.* xvi, 23. [6] *Rom.* viii, 7 ; S. Bern., *ibid.* [7] *Joan.* xvi, 17. [8] *Luc.* xi, 9-13. [9] *Psal.* l, 12, 13, 14 ; S. Bern., serm. 3 *in Pentecost.* [10] Id., serm. 3 *De Ascensione* : Spiritus in Jesu, Spiritus bonus, Spiritus sanctus, Spiritus rectus, Spiritus dulcis, Spiritus principalis ; S. Cypr., *Lib. de Spiritu sancto.*

que fervoris igne illustrando intimæ mentis et corporis universa depasce [11].

Pota me torrente voluptatis tuæ [12], ut nihil jam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. *Judica me, Domine, et discerne causam meam de gente non sancta. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu* [13]. Credo quod quemcunque inhabitaveris, Patris ac pariter Filii domicilium condis. Beatus qui te merebitur hospitem, quoniam per te Pater et Filius apud eum facient mansionem [14].

Veni, jam veni, benignissime dolentis animæ consolator, et in opportunitatibus et in tribulatione adjutor. Veni, mundator scelerum, fortitudo fragilium, relevator labentium et orphanorum pius Pater. Veni, omnium viventium singulare decus ac morientium unica salus. Veni, sanctissime Spiritus, veni, et miserere mei. Apta me tibi, et condescende propitius mihi, ut mea tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum. Concede tandem mihi sic custodire et regere, et finire vitam meam, ut in pace dormiam et in te requiescam [15]. Præsta mihi in finem, ut me excipiat somnus cum requie, requies cum securitate, securitas in æternitate [16].

Dic tandem cum Ecclesia : Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti [17].

Ignem, o Domine Jesu, venisti mittere in terram et quid vis nisi ut accendatur [18]. Ignis ille est Spiritus sanctus, charitas, fervor, zelus [19].

Illo ergo nos igne Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, et voluit vehementer accendi [20].

Sed jam textum Scripturæ et mysterii circumstantias... diligenter observa : nihil enim a mysterio vacat.

Cum complerentur dies Pentecostes [21]. Pentecostes hinc cœpit exordium quando Dei vox in Sina monte desuper intonantis audita est, et lex data est Moysi. In Novo autem Testamento cœpit quando adveniente Spiritu inflammati sunt apostoli, ita ut linguis omnium gentium Dei magnalia loquerentur.

Concordat igitur hæc festivitas Evangelii cum festivitate legis. Illic enim, posteaquam agnus immolatus est, interpositis quinquaginta diebus, data est lex Moysi [22], scripta digito Dei : hic posteaquam occisus est Christus, qui tanquam ovis ad immolandum ductus est [23], celebratur verum Pascha, et, interpositis quinquaginta diebus, datur Spiritus sanctus qui est digitus Dei [24].

Quæ autem est lex quæ hodie de cœlo data est? Spiritus gratiæ. Quæ rationales tabulæ in quibus hæc lex insculpitur? anima et corpus [25].

Sicut ergo Pentecosten antiquus populus celebrabat, quia illa die legem per Moysem acceperat ; sic hanc festivitatem ideo Ecclesia celebrat, quia hac die novam legem per Spiritum accepit : legem autem scriptam digito Dei, *non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* [26].

Unde dedicatio legis est Pentecostes ; et quia ingens beneficium lex est, festum solemniter celebrandum est [27].

Ideo pro duobus illi debemus gratias agere beneficiis, scilicet quod uno eodemque Spiritu suo, et olim veteribus legem ac mandata scripsit in tabulis lapideis, digitus enim Dei Spiritus sanctus est ; et nunc nobis, id est evangelicis patribus, gratiam in tabulis scripsit carnalibus [28].

Solemnem etiam agimus diem post septem septimanas emicantem et numero suo quinquagenario jubilæum significantem, quo ab omni debito dimissi, ad antiquam revertamur possessionem, quam peccatis sub peccato venundati [29].

In Jubilæo enim apud Hebræos fiebat terræ remissio, et servorum libertas, et possessionum quæ pretio comparatæ erant restitutio ; in hoc autem die et fit peccati remissio per Spiritum sanctum. Et vere Spiritu sancto infuso, apostoli ad hæreditatem cœlestem, a qua venundati sub peccato exsulabant, quos diabolo domino mendicitas et egestas subjecerat, revertuntur [30].

Oremus ergo nos ut sic compleantur in nobis dies Pentecostes, id est dies remissionis, dies exsultationis, dies verissimi Jubilæi. Quinquagesimus enim numerus index est et symbolum perfectæ pœnitentiæ et remissionis peccatorum [31].

Erant omnes pariter in eodem loco. Erant in eodem loco per præsentiam corporalem, per cordium unitatem, per promissam stabilitatem... Sic et vos, si vultis vivere de Spiritu sancto, tenete charitatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad hæreditatem. Descendit enim Spiritus super unanimes sedentes atque orantes, diligit siquidem unitatem, amat pacem, diligit concordiam [32].

Hunc ergo si suscipere cupis, noli dissidere cum fratribus. Noli divisus esse, in te custodi unitatem ; concordet in te voluntas et ratio, caro et spiritus.

[11] S. Aug., *Medit.*, c. 9. [12] *Psal.* xxxv, 9. [13] *Psal.* xlii, 1 ; cxlii, 10. [14] *Joan.* xiv, 23 ; S. Aug., ubi supra. [15] *Psal.* iv, 9. [16] *Antiphonar.* [17] *Hymn. in Pentecost.* [18] *Luc.* xii, 49. [19] S. Aug. ; S. Greg. [20] S. Laurent. Justin., *Serm. de Pentecost.* [21] *Act.* ii, 1. [22] Alcuin., lib. *De divin. Offic.*; *De Pentecost.*; Raban. Maur., *De instit. cleric.*, lib. ii, c. 41. [23] *Isa.* liii, 7. [24] Raban. Maur., ubi supra. [25] S. Chrysost., hom. 2 *De Pentecost.* [26] *II Cor.* iii, 3 ; *Gemma animæ, De antiq. ritu Miss.*, l. iii, c. 117. [27] S. Hieron., q. 45, ex *Q. Novitat* [28] Rupert., *De divin. Offic.*, l. x, c. 12. [29] *Ibid.* [30] Raban. Maur., *De instit. cleric.*, l. ii, c. 41 ; S. Cypr., *De Spiritu sancto.* [31] S. Bern., serm. 3 *in Pentecost.*; S. Hier., lib. ii, *in Isa.* [32] S. Aug., *Serm.*; S. Laur. Justin., *Serm. in Pentecost.*

Dirime lites, contentiones, rixas et his similia, in quibus amor fraternus offenditur et deperit. Conglutinat enim spiritus ille hærentia membra [33].

Et factus est repente de cœlo sonus [34]. Non ut terreret, sed ut insinuaret mystice quod in omnem terram audiendus erat sonus prædicationis eorum [35]... Sic enim mox futurum erat hoc, Spiritu per os illorum intonante Christi præconia, ut ad pœnitentiam commoveretur et contremisceret terra, et fundamenta montium, id est corda superborum, conturbarentur et commoverentur [36].

Factus est autem repente. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia [37].

Tanquam advenientis spiritus vehementis. Per hoc ostendit efficaciam prædicationis, et quia regnum cœlorum vim patitur [38].

Declarat etiam : 1° quod nemo Spiritu sancto plenis resistere potest ; 2° quod adversarios sicut pulverem dissipabunt [39] ; 3° quod illos verbo innixos et indutos virtute ex alto [40], sicut nulla fraus, nulla jam illecebra, sic nulla vis potest vel stantes dejicere, vel subjicere dominantes [41].

Et replevit totam domum. Totam animam, scilicet intellectum, voluntatem et memoriam. Monet enim Spiritus sanctus, movet, docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem ; nam non solum moneri et doceri, verum etiam moveri et affici ad bonum necesse est [42].

Itaque cum sic adveniens Spiritus totam possederit animam suggerendo, instruendo, afficiendo, loquens in cogitationibus nostris, ut audiamus et nos quod loquatur in nobis Dominus Deus [43], rationem illuminans, voluntatem inflammans, nonne tibi videtur quia totam domum impleverint dispertitæ linguæ tanquam ignis [44] ?

Ubi erant sedentes. Esto quietus in te, et placido suo illapsu Spiritus sanctus descendet ad te [45].

Sedete in civitate, inquit Christus, *donec induamini virtute ex alto* [46]. Sedere autem in civitate est aliquem tacita mente et quiete cogitare de promissis Domini, et a statu perpetuæ pacis non recedere, firmare sensus corporis, ne per eos mors intret, et cogitare quod se ipsum debet totum integrum reddere Deo [47].

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis [48]. Foris linguas igneas ostendit, quia discipulos et zelo accensos et verbo eruditos intus reddidit... Omnesque quos repleverit, ardentes pariter et loquentes facit. In linguis igneis apparuit, ut linguas igneas haberent, et corda audientium inflammarent. Otiosus enim est sermo doctorum, si præbere non valet incendium amoris [49].

Venit in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur et legem igneam linguæ igneæ prædicarent [50].

Tanquam ignis [51]. *Deus enim noster ignis consumens est* [52]. In *Apocalypsi*, cum accepisset angelus thuribulum et implesset illud de igne altaris, et misisset in terram, facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræ motus magnus [53]. Nunc autem ignis ille mittitur in terram, quo Angelus ille magni consilii dudum impleverat aureum thuribulum immaculati corporis sui. Et nunc assumptus in cœlo, agebat quod dixerat : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat* [54]... ? Quod vero ignis visibilis ostensus est, signum nobis fuit divinæ operationis, ut per effectus, quos novimus, hujus nostri ignis intelligamus quid hic ignis, hic Deus, hic Spiritus sanctus operetur. Apparuit igitur tanquam ignis, gratiam, copiam ac vehementiam arguens [55].

Apparuit tanquam ignis illuminans, purificans, elevans ; cremans stipulam vitiorum, coruscans flamma virtutum [56].

Tanquam ignis peccatorum rubiginem... et frenum carnis consumpturus, aurum cocturus et purgaturus [57].

Tanquam ignis corda carnaliùm incendens ad amorem Dei... Unde foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia. Tanquam ignis ab omni corde quod replet torporem frigoris excutiens, et in desiderium suæ æternitatis accendens [57*].

Tanquam ignis, propter lumen pariter et ardorem. Quos enim repleverit, et spiritu fervere et in veritate cognoscere facit [58].

Sedítque supra singulos eorum [59] : sedet enim in eos qui bene vivunt. Porro sedendi verbum stabilitatem ac mansionem declarat. Sedet ergo supra singulos eorum : 1° in signum superioritatis, quod scilicet Spiritus sanctus regnaret in eis solide et quiete ; ita quod ipsi sedes ejus erant, et ipse quoque sedens in eis quiete regnabat, carne subjecta rationi, et ratione subjecta Deo. 2° In signum tranquillitatis : nam menti in qua regnat Deus inest pax exsuperans omnem sensum [60], et semper tranquilla est, quia juxta propheticum sensum *factus est in pace locus ejus* [61]. 3° In signum stabilitatis, ut non cedant omni vento persecutionum [62].

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto [63]. Non vulgariter acceperunt gratiam Spiritus, sed eo usque

[33] S. Laur. Justin., *Serm. in Pentecost.* [34] *Act.* II, 2. [35] *Psal.* XVIII, 5. [36] S. Laur. Just., ubi supra. [37] S. Ambros. [38] *Matth.* XI, 12 ; Rich. Victor., epist. 8, 12. [39] S. Chrysost., hic. [40] *Luc.* XXIV, 49. [41] S. Bern., serm. 85 *in Cant.* [42] Id., *Serm. de Ascens* ; Id., *Serm. in Pentecost.* [43] *Psal.* LXXXIV, 9. [44] S. Bern., ubi supra. [45] S. Laur. Just., *Serm. de Pentecost.* [46] *Luc.* XXIV, 49. [47] Amalar. Fortun., *De eccles. Offic.*, l. IV, c. 27. [48] *Act.* II, 3. [49] S. Greg., *Moral.*, l. XXXVIII, c. 2 ; Id., hom. 30 *in Evang.* [50] S. Bern., serm. 1 *in Pentecost.* [51] *Act.* II, ubi supra. [52] *Hebr.* XII, 29. [53] *Apoc.* VIII, 5. [54] *Luc.* XII, 49 [55] Rupert., lib. X *De divin. Offic.*, c. 13 ; S. Chrysost., hic. [56] S. Fulg., serm. 50, vel 51. [57] S. Greg., hom. 30 *in Evang.* ; S. Aug, *in psal.* XVIII, et serm. 188 *De tempore.* [57*] S. Greg., ubi supra. [58] S. Bern., serm. 2 *De Pentecost.* [59] *Act.* II, 3. [60] *Philip.* IV, 7. [61] *Psal.* LXXV, 3 ; S. Aug., *in psal.* XLVI ; S. Chrysost., hic ; S. Bernardin Sen., serm. 4 *in Pentecost.* [62] *Ibid.* [63] *Act.* II, 4.

ut impleremur. Non enim dat Spiritum ad mensuram, sed juxta mensuram vasculorum [64].

Replevit autem eos Spiritus sanctus *tanquam ignis*, intellectum illuminando, voluntatem inflammando, memoriam delectando inundatione charismatum ab ipso emanantium, et totam animam inebriando de plenitudine virtutis suæ [65].

Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis [66]. Apostoli, accepto Spiritu sancto, mox inebriati sunt, eructaverunt verbum bonum, loquebantur variis linguis magnalia Dei [67]. Ante timore absconditi, nunc cucurrerunt foras. Non jam timuerunt aquam populi frementis, charitatis igne succensi; tunc pro certo experientes quod *aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam* [68].

Irruerunt enim in eos flumina potestatum, fluxerunt aquæ populosæ multitudinis, flaverunt venti ac procellæ comminantium verborum, et ignis charitatis non est exstinctus; imo etiam auctus est. *Ibant* enim apostoli *gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* [69].

Quidam autem irridentes dicebant quia musto pleni sunt [70]. Mentientes et ignorantes verum dixerunt. Musto quippe illo nobilissimo charitatis Dei, imo charitate Deo repleti erant et ebrii non terreno musto, sed cœlesti Spiritu. Unde sicut mustum non patitur se contineri a vase, nisi foramen habeat unde prorumpat, sic per ora eorum se mustum Spiritus manifestavit loquentia magnalia Dei [71].

Hoc musto inflammantur, et hoc præclaro poculo quotidie inebriantur etiam corda fidelium et animæ convertentium. Quod frequenter fieri videmus, quando pro desiderio salutis suæ parentes et patriam suam fugiunt; exeunt, nullo compellente, de terra ac de cognatione sua, et mortui huic mundo alios spiritualiter inquirunt parentes; liberi sub jugo veniunt, et paulo ante præclari atque sublimes humilia affectant, superba fastidiunt, cupiunt esse quod ante despexerant, et odisse incipiunt quod fuerant. Præsentium hospites, futurorum appetitores, æternam illam patriam, contempta temporalium falsitate, suspirant [72].

Hoc itaque musto spirituali animæ inebriatæ, et penitus commutatæ, abstinentiam deliciis, vigilias dulcibus somnis, paupertatem divitiis anteponunt. Arduum contra vitia laborem dulcissimam computant voluptatem, dulcescunt eis vilia, et quæ prius fuerant pretiosa vilescunt.

Diligunt inimicos, benefaciunt iis qui se oderunt, non conviciantur indignantibus, non irritantur in opprobriis, non franguntur in injuriis; prorsus horum nihil sentiunt, propter fervorem Spiritus sancti et propter æternam retributionem. Hoc spirituali mero calebant martyres quando abjicientes et post se jactantes omnia sæculi blandimenta, ibant ad passiones, obliviscentes facultates et affectiones, patrimonia et matrimonia sua, et vincentes armatam contra se parvulorum pignorum fletibus pietatem [73].

Vociferantes parentes, pulverem mittentes in capita sua, matres facies suas avulsis crinibus dilacerantes, hæc omnia tanquam ebrii non videbant, nec recognoscebant suos, quia, infuso præcordiis suis Spiritu sancto, ad dolores, ad supplicia tanquam ad consolationes et ad præmia festinabant.

Hanc et nos læti bibamus sobriam ebrietatem Spiritus... Ebrietatem scilicet gratiæ, non temulentiæ; quæ lætitiam generat, non titubantiam [74].

Quæ non vino ingurgitat, non madet vino, *sed ardet Deo*. Si enim sic ebrii fuerimus, et talem nacti Spiritum sanctum vim invictam, magnum propugnatorem, et Deum atque socium; nequaquam expavescemus ad inimici terrorem, sed velut commilitonem eum habentes comitemque, ferendis certaminibus animose properabimus [75].

Illabere igitur ad mentes te suppliciter flagitantium. Descende utique et tuum utriusque hominis posside templum. Nam, teste Paulo, corpora nostra templum tuum sunt [76]. Sed et charitas Dei quæ tu es, per te in cordibus diffunditur nostris [77]. Te quippe habemus per te, qui voluntarie descendis ad nos ut nos maneamus in te, diligamusque te, et castissimis tuis fruamur amplexibus... Ac tandem per te habeamus virtutis meritum, salutis exitum ac perenne gaudium. Amen [78].

Interim, in solemnitate sancti Spiritus gaudeamus, et abundantius gaudeamus, qui nos inducat in omnem, sicut promisit Deus Filius, veritatem [79].

[64] *Joan.* III, 34; S. Chrysost., hic. [65] S. Bernardin. Sen., ubi supra. [66] *Act.* II, 4. [67] *Ibid.*, 11, *Psal.* XLIV, 2. [68] *Cant.* VIII, 7; S. Bern., *De Pass.*, c. 46. [69] *Act.* V, 41; S. Bern., *ibid.* [70] *Act.* II, 13. [71] *Act.* II, 11; S. Bern., ubi supra. [72] S. Aug., serm. 185 *De tempore.* [73] S. Aug., *ibid.* [74] *Eccli.* XXXI, 35 seq.; S. Ambros., lib. I *De Cain et Abel*, c. 5. [75] S. Bern., *De dilig. Deo*; S. Theodor. Stud., *Serm.*, catech. 9. [76] *I Cor.* VI, 19. [77] *Rom.* V, 5. [78] S. Laurent. Justin., *Serm. in Pentecost.* [79] S. Bern., serm. 3 *De Ascens.*, in fine.

MEDITATIONES DE CHRISTO.

DE MEDITATIONE PASSIONIS CHRISTI.

1. Passio tua, Domine Jesu, ultimum est refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis, cum defecerit virtus mea [1], non conturbabor, non diffidam. Scio quid faciam : *Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo* [1a].

2. Unique se offert homini Deus, et aliud pretium nisi memoriam mortis Filii sui non requirit. Illius ergo Passionem quotidie ruminemus in corde... Quid enim tam efficax remedium ad curandum conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam aciem mentis, quam Christi vulnerum sedula meditatio.

3. Quis tam irreligiosus qui ad hæc non compungatur? Quis tam insolens ut non humilietur? Quis tam iracundus ut non indulgeat? Quis tam deliciosus ut non abstineat. Quis tam flagitiosus ut non contineat? Quis tam malitiosus ut non pœniteat?

4. Hæc est summa et perfectissima Christi imitatio. Hæc est summa et perfectissima vita. Hæc est summa et perfecta religio. Hæc est regula et exemplar omnis vitæ et virtutis, scilicet Christum imitari in Passione et morte. Hæc est regula nostra vivendi Passio Salvatoris. Hæc ergo sit continua oratio nostra... ut semper vigilet in nobis Christus. Dormit enim in te, si oblitus fueris passionum illius. Tunc autem vigilat, si memineris passionis.

5. Hujus passionis meditatio continua mentem elevabit; quid agendum et quid sentiendum sit, indicabit. Te deinde ad ardua inflammabit, teque vilificari et affligi faciet affectare. Dum enim videt et recogitat animus Christum pro se totum expositum tribulationi, ardescit quasi ignis; cum Christo toto corde desiderat crucifigi, horret in consolationibus, in amaritudinibus gaudet.

6. Suspirat, anhelat et anxiatur totaliter illa Passione perfundi et plenarie in suum Dominum crucifixum transformari. In servitute et miseria se reputat esse nisi conservetur in sanguine Redemptoris. Sicut vult semper redemptus manere, sic semper vult redemptionis pretium in corde portare. Et ideo semper vel quasi semper vult de ipsa passione meditari.

7. Suam vitam et suas delicias reputat Christum passum, et ideo semper conversatur cum illo. Omnia sibi levia videntur, dummodo possit illi soli vivere et placere. Honores tanquam vilissimum stercus abhorret; sunt ei fœdissimæ sanies laudes de se ipso. In omnibus jam non ad se reflexus nec ad alia obliquatus, totus siti inexstinguibili tendit in Deum.

8. Tanquam fortis Christi miles, quanto res difficilior est, quantoque ignominiosior, tanto fervention et ardentius et libentius eam aggreditur. Non dicit : Quare impositum est mihi hoc vel illud onus? Sed dicit : Quare non subeo hoc vel illud gravissimum et vilissimum opus? Imitator enim Domini sui in fortitudine dominandi, subjugat sibi omnem animi sui appetitum, et omni custodia custodit cor suum [2].

9. Non levat oculos ad vana, aures ad inutilia vel nociva, non nares ad odorifera, non gustum ad dulcia, non tactum ad mollia. Et quia in hac vita semper paleæ tritico nascuntur, ideo semper ventilabrum tenet in manu ad continue purgandum aream suam [2a]. In ostio etiam cordis sui statuit versatilem gladium, ut ipsum quasi Dei paradisum custodiat diligenter [3]. Quicunque cogitatus in corde suo vesci voluerit ligno vitæ [3a], hunc diligenter fovet; qui vero ad lignum vetitum solum aspectum direxerit, illum statim a corde suo abscindit.

10. Ecce quam amabilis, desiderabilis, mirabilis Christi Passio, quæ suum meditatorem non solum reddit angelicum, sed divinum! Nam commorans in Christi tormentis, vult secum spinis coronari, et ipse spe gloriæ coronatur; vult secum in ligno sine vestimentis frigescere, et nimio amore accenditur; vult secum acetum gustare [4], et vino inenarrabilis dulcedinis potatur; vult secum in cruce exsistens illudi, et honoratur; tristari, et lætatur; affligi, et consolatur ac nimium jucundatur.

11. Expergiscere ergo, o anima, excutere de pulvere [4a], et contemplare Passionem Jesu, qui pro te sustinuit crucem, confusione contempta. [5] Recogita virum tuum amabilem nudum a discipulo traditum, ante pedes traditoris sui genua incurvantem, adinstar latronis tractum ad victimam, ante judicem præsentatum et tanquam blasphemum morti adjudicatum; nudum, illusum, spinis coronatum, verberibus laceratum, in medio latronum ignominiose ferreis clavis, cruci affixum; aceto in cruce potatum, post mortem lancea in latere vulneratum, copiosos sanguinis rivos a vulneribus effundentem.

12. Qualis est hic, cujus et mors mortuos vivificat? Cognosce, o anima mea, cognosce! Hic est Dominus noster, Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, qui cum sceleratis reputatus, quasi leprosus et novissimus virorum æstimatus, tanquam ab-

[1] *Psal.* LXX, 9. [1a] *Psal.* CXV, 13. [2] *Prov.* IV, 23. [2a] *Luc.* III, 17. [3] *Gen.* III, 24. [3a] *Gen.* II, 9. [4] *Joan.* XIX, 30. [4a] *Isa.* LII, 2. [5] *Hebr.* XII, 2.

ortivum projectum a vulva, vulneratus propter iniquitates nostras, et attritus propter scelera nostra [5*], factus est in holocaustum suavissimi odoris in conspectu Patris ut averteret indignationem illius a nobis. Hunc tam charum myrrhæ fasciculum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei collectum, de principali mei pectoris nec ad horam patiar avelli ; amara illa omnia, quæ pro me pertulit, semper in memoria retinens, et assidua meditatione revolvens, quo possim dicere : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur* [6].

13. O duri et indurati et obdurati filii Adam, quos non emollit tanta flamma, tanta benignitas, tam vehemens amor, tam ingens ardor amoris !.. Evigila, anima mea, evigila ad verba illusionis et occisionis, ad dolores scilicet Passionis. *Attendite*, inquit, *et videte si est dolor sicut dolor meus* [6*]. Imo, Domine, attendam et videbo si est amor sicut amor tuus. Et ideo nihil nisi te et propter te volo amare. Moriar pro te mundo, imo moriar et mihi ut totus tecum affixus ligno, nihil sentiam nisi te, ut et vivam jam non ego, vivat autem in me Christus [7].

—

DE MEDITATIONE VULNERUM CHRISTI.

1. Bonum mihi est esse cum Christo in cruce. In ipso solo tria tabernacula facere [7*] ; unum in manibus, unum in pedibus, et aliud continuum in latere ; ubi volo quiescere, dormire, vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, et omnia negotia tractare. Ibi loquar ad cor ejus [8], et omnia negotia mea tractabo.

2. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium. Cum enim me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, et fugit a me. Securus illic habito, in illis dormio securus, requiesco intrepidus, quia in illis copiosa redemptio data est nobis, perfectio virtutum, plenitudo gratiæ, magna multitudo dulcedinis.

3. Per has rimas licet mihi gustare quam suavis est [8*] Dominus. Patent enim mihi viscera, patent arcana cordis per vulnera, et quidquid ex me mihi deest, usurpo ex visceribus Domini mei ; quoniam misericordiæ affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant.

4. O vulnera corda saxea vulnerantia et mentes congelatas inflammantia, et pectora adamantina liquefacientia præ amore ! O amantissima vulnera Domini nostri Jesu Christi, per quæ pervenitur ad intima viscera charitatis suæ ! O cæcitas filiorum Adæ qui per hæc vulnera in Christum nesciunt introire ; supra vires suas laborant in vanum, et aperta sunt ostia ad quietem.

5. An ignoratis quod Christus est gaudium beatorum ? Cur ergo tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire ? Quomodo insanitis ? Beatitudo angelorum patet, et circumstantia et paries confracta est, et vos introire negligitis.

6. Crede mihi, o homo, quia si in Christum per hæc angusta foramina introire volueris, quietem ac dulcedinem mirabilem inveniet corpus tuum ; et quod carnale est et ad carnalia tendit, ex illo vulnerum intuitu, fiet adeo spiritale ut cæteras divitias reputes esse nihil. Et si ita est de corpore, quanta credis animam frui dulcedine, quæ per illa foramina conjungitur cordi Christi !

7. Ecce aperta est apotheca omnibus aromatibus plena et medicinalibus opulenta ; ecce aperta est janua paradisi ; ecce lignum vitæ, tam in ramis quam in stipite perforatum ; ecce apertus thesaurus sapientiæ et charitatis æternæ. Intra ergo per vulnerum aperturam, et magnas delicias obtinebis. Has si fueris expertus, omnia amaritudinem reputabis.

8. O quam beata lancea et beati clavi qui apertionem hujusmodi facere meruerunt ! O si fuissem loco illius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem : *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quonium elegi eam* [9].

9. O stulti et tardi corde, qui ad possidendum aliquod vanum per incerta foramina introitis, et inde etiam exire multoties non potestis ; et ad possidendum Dei Filium, summum bonum, candorem ac splendorem æternum, per apertas vulnerum januas non introitis ! O bone Jesu ! nimis saxeum est cor, nisi emolliatur sanguine tuo ; nimis distractum, nisi recolligatur in latere tuo.

10. O cor durum, imo diabolicum ! usquequo resistis largitati immensæ ? Quare magis delectaris in vulneribus peccati, quam in vulneribus Jesu Christi ? Quare magis compateris parvæ puncturæ pedis tui, quam gravissimæ morti Domini tui ? ubi major insania ?

11. Quid dicam ? Scio, Domine, quod nisi aperiatur cor meum doloribus tuis, nefandissimis vitiis aperitur ; nisi sciat latitare in vulneribus tuis, a latronibus plagis impositis spoliatur. Introduc ergo me, Domine Jesu, quamvis indignissimum, in hoc gazophylacium veri templi. Fac lutum ex sputo, o vere amice, o amantissime Sponse, et lini oculos meos, ut qui cæcus sum semper videre valeam vulnera tua [9*].

12. In ipsis vulneribus pretium meum, in ipsis medicamentum meum, in ipsis humani generis thesaurus... In ipsis vita, dulcedo et spes mea... In ipsis ergo, o Domine Jesu, abscondar in abscondito cordis tui a conturbatione hominum... In ipsis *invenit passer domum et turtur nidum sibi, ubi reponat pullos suos* [10]. In his columba tutatur tanquam in foraminibus petræ [10*], et circumvolantem intrepida

[5*] *Isa.* LIII, 1 seq. [6] *Cant.* I, 12. [6*] *Thren.* I, 12. [7] *Galat.* II, 20. [7*] *Matth.* XVII, 4. [8] *Ose.* II, 14. [8*] *Psal.* XXXIII, 9. [9] *Psal.* XXXI, 14. [9*] *Joan.* IX, 6. [10] *Psal.* LXXXIII, 4. [10*] *Cant.* II, 14.

intuetur accipitrem. In ipsis inebriata anima a dulcedine et amore Sponsi, omnia præter ipsum amaritudinem reputat. In ipsis ergo inhabitem omnibus diebus vitæ meæ [11].

13. Quod si hæc omnia non valent tibi propter duritiam cordis, te tanquam stercus abhorrens plores amare, et dicas : Usquequo cordis nequitia prævalebit adversus Jesum Dominum meum passum, cujus vulnera vincunt diaboli potestatem? Non cessent oculi tui a ploratu, donec lacrymarum abundantia demolliat duritiam cordis tui. Et si tandem hæc tibi non valent, non reputes te hominem, sed bestiam, et cum feris sit habitatio tua, quia indignus es consortio aliorum.

14. Non ergo me, Domine, differas vulnerare. Jam languere incipiam desiderans tuis vulneribus sociari, tuis vulneribus consolari. Jam mihi quasi mortuo applica tua vulnera ut reviviscam. Ne sinas me sine vulnere vivere, te Dominum meum videns vulneratum. Abhorream videre cor meum pertransire illæsum, cum videam te cruci affixum.

15. Vertantur, obsecro, vulnera tua in me; quia ego sum qui peccavi, ego qui inique egi; sed tu, qui es innocens, quid fecisti? Redde nobis, Domine, vulnera nostra, ne tu, qui innocens es, nocens appareas, retinens vulnera aliena; aut saltem tecum vulnera corda nostra, et cor tuum vulneratum conjunge cordi nostro, ut tecum tuis vulneribus pariter vulneremur.

16. Tandem, Domine Jesu Christe, cor meum sic tuis vulneribus saucia, tuo sanguine sic inebria mentem meam, ut quocunque me vertam, semper te videam crucifixum; quidquid aspexero, in tuo sanguine mihi appareat rubricatum : ut sic in te totus tendens, nihil præter te valeam invenire, nihil nisi tua vulnera valeam intueri.

17. O bone Jesu, recollige me visceribus, refice uberibus, inebria vulneribus; unum mihi necessarium est; unum solum quæro. Abscedat a me phantasmatum multitudo, quia unus est dilectus meus, unus est sponsus meus, unus est amor meus, Dominus meus Jesus Christus. Nihil mihi sapiat, nihil delectet, nihil me alliciat, nisi Dominus Jesus Christus; totus sit meus, et totus sim suus, et fiat cor meum unum cum ipso; nihil me judicans scire, nihil amare, nihil affectare nisi Dominum nostrum Jesum Christum, et hunc crucifixum [11*].

—

AMOR DEI IN PASSIONE ET GRATITUDO HOMINIS.

1. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* [12]. O immensa pietas! O inæstimabilis charitas! ut liberares servum, Filium tradidisti. Quis super tanta misericordiæ viscera non obstupescat? Quis non miretur? Quis non collætetur propter nimiam charitatem tuam qua dilexisti nos [12*]?

2. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur justitia pro iniquo, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo [13].

3. Considera, anima mea; intendite, intima mea, quantum illi debeat substantia mea tota. Certe, Domine, quia me fecisti, debeo amori tuo me ipsum totum : quia me redemisti, debeo me ipsum totum ; imo tantum debeo amori tuo plus quam me ipsum, quantum tu es major me, pro quo dedisti te ipsum. Hæc recogitet et mirari non cesset animus contemplantis [14].

4. Perieram, abieram, in peccatis venundatus eram. Venisti pro me, o Domine Jesu, ut redimeres me, et tantum me dilexisti ut sanguinem tuum in pretium dares pro me. Annon dilexisti me plus quam te qui mori voluisti pro me [15]?

5. Passus es sitim, frigus, tentationes, horrores, persecutiones, sputa, opprobria, vincula, flagella, illusiones et dolores, plagas et vulnera. Conspuitur gloria, condemnatur justitia, judex judicatur, crimine carens inculpatur, innocens infamatur, Deus blasphematur, Christus conculcatur, occiditur vita. *Si sic actum est in viridi, in arido quid fiet* [16].

6. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tonsa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, pendent crura marmorea, rigat terebratos pedes sanguinis unda. Quid commisisti, dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti ut sic tractareris? Quod scelus tuum? Quæ causa mortis? Quæ occasio tuæ damnationis? Ego sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis ; ego livor tuæ Passionis, tui cruciatus labor. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium [17].

7. O mirabilis censuræ conditio! O ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus, et punitur justus : deliquit reus, et vapulat innocens : offendit impius, et damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus, exsolvit Dominus; quod committit homo, sustinet Deus [18].

8. Quo, Nate Dei, quo tua descendit humilitas? Quo tua fragravit charitas? Quo processit pietas? Quo excrevit benignitas? Quo tuus attigit amor? Quo pervenit compassio? Ego enim inique egi, tu pœna mulctaris; ego facinus admisi, tu ultione plecteris; ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris; ego superbivi, tu humiliaris; ego inobediens extiti, tu scelus inobedientiæ luis; ego fruor deliciis, tu laniaris clavis; ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. Ecce, Rex gloriæ, ecce impietas mea, et pietas tua [19].

9. Sed *ne reminiscaris, Domine, delicta mea, vel parentum meorum* [20], sed pietatis tuæ viscera et

[11] [*Psal.* XXVI, 4. [11*] *I Cor.* II, 2. [12] *Joan.* III, 16. [12*] *Ephes.* II, 4. [13] S. AUG. serm. 114 *De tempore.* [14] S. ANSELM. [15] S. AUG. [16] *Luc.* XXIII, 31 ; S. BONAV. [17] S. AUG. vel S. ANSELM. [18] *Ibid.* [19] *Ibid.* [20] *Tob.* III, 3.

dolores vulnerum tuorum. Non quid ego, sed quod tu pro me sustinuisti considera. O fons amoris, fons dulcoris, fons intimæ dilectionis [21] ! . . . Quoties patent vulnera, delitescant, obsecro, scelera mea ; quoties rubet pretiosus pio de latere sanguis, diluantur, obsecro, labes meæ pollutionis [22].

10. Sed, o mira, dulcissime et amantissime Jesu, tuæ erga nos charitatis dilectio ! In Passione enim sol obscuratus, plus solito illuminas ; ignis exstinctus, magis inflammas : in cruce sitiens inebrias, nudus exsistens virtutum vestimentis ornas. Manus conclavatæ nos solvunt, pedes confossi nos currere faciunt. Ignominiose patiens glorificas, emittens Spiritum vitam inspiras, moriens ad vitam vocas. Quid, Deus meus, retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* [23].

11. Sit ergo hic calix continuus in corpore, gratia radicetur in mente, melos divinæ laudis diffundatur in ore. Corpus conculcetur, cor elevetur, laude et gratiarum actione repleatur os meum : ut nihil præter te sentiens, totus in te sitiens, resolvar in te, et in te essentialiter quiescam. Abscedat vanitas, accedat Deitas, transformet charitas, et fiam totus divinus. Aperiatur cor meum, aperiantur cordis vulnera, jungantur intima, et sint unum cum Christo [24].

~

HUMILIATUR ET CONTERITUR PECCATOR IN MEDITATIONE PASSIONIS ET VULNERUM CHRISTI.

1. Si Filius Dei tanta pro peccatis nostris sustinuit, et sic peccatum nostrum in se judice innocentissimo vindicavit, quantis flagellis dignus est ipse, qui ipsam nequitiam perpetravit. Si sic Deus peccatum nostrum abhorruit, ut potius mortem Filii quam peccatum sustineret, magis sibi placuit Filium tradere cruci, quam dedecus peccati sustinere. Videat ergo homo et consideret quantum ille majestatem offendit dum ipsum Deum etiam post tale judicium contempsit, rursus, quantum in se est, Dei Filium crucifigens in seipso [25].

2. Coram ipso humiliemus animas nostras ; et in nihilum, prout possumus, redigamur. Paveamus atque vereamur oculos nostros ad cœlum levare, et tundentes pectora more publicani [25*] dicamus : Magnum est si dignabitur aspicere nos Dominus, qui pro vilissimo stercore contempsimus ipsum [26].

3. Contra nostram nequitiam animemur, et nosmetipsi nobis judices simus ; vindicemus in nobis injuriam Domini nostri, et quantum possumus nos conculcemus dicentes : Si pro peccatis meis Dominus meus ita vilificatus est et afflictus, quomodo meæ vilitati parcere potero, qui peccavi ? Absit a me, ut de cætero præsumam de me, nisi tanquam de detestabili, vilissimo et abominabili stercore, cujus fetorem ego ipse sustinere non possum [27].

4. Jam mihi videtur quod tota hujus mundi machina post me et contra me proclamet et dicat : Iste est qui Dominum nostrum contempsit ; iste vanissimus, qui plus vanitatem quam Dominum dilexit ; iste ingratissimus, qui plus diabolicis figmentis quam divinis beneficiis est tactus : plus sibi placuit diabolica nequitia, quam divina benevolentia ; magis elegit servus esse diaboli quam filius Dei [28].

5. Iste est, qui in præsentia Dei ei injuriari non timuit ; qui trahi non potuit divinis blanditiis, nec terreri divinis judiciis ; qui plus timuit uni infimissimo viro injuriari quam summæ potentiæ Dei ; qui plus verecundabatur coram aliquo vilissimo rustico aliqua turpia peragere, quam coram summæ sapientiæ Deo nefandissima perpetrare [29].

6. Iste est, qui Deum pro nihilo reputavit, et non pro Deo adoravit ; qui nec Deum nec hominem reveritus, suum venenum, quantum in se fuit, in multos diffudit : nunc verbis, nunc gestibus et factis. Qui seipsum aliquid magnum, non omnipotentem Deum existimavit ; qui non Deum dilexit propter Deum, sed propter seipsum ; et Deum ordinans ad se tanquam ad finem, in sua propria voluntate omnia ad se tanquam finem, et Deum et finem ultimum ordinavit. Et si dimisit aliquando peccare, non dimisit propter Deum, et detestationem mali et delectationem summi boni, sed quia aliquando timuit suæ pelli [30].

7. Quid faciam, miser, qua me convertam, qui omnium me constitui inimicum ! Ejulabo, plorabo, projiciam me in conspectu Dei mei, si forte dignetur respicere piissimus Pater. Et dicam ei : Ego sum ille tuus pessimus inimicus, nequissimus servus, nefandissima creatura, qui non sum dignus creatura tua esse [31].

8. Expande, Domine, super hunc miserum pallium immensæ clementiæ tuæ. Recognosce in me imaginem tuam quamvis deturpatam, et deduc me ovem quamvis errantem ad te piissimum pastorem [32].

9. Gratulietur dulcissimus Pater de redeunte prodigo filio, Pastor bonus de inventa ove, et piissima mater de drachma reperta. O quam felix dies et hora, quando super collum meum corrues et oscula exhibebis [33] !

10. Et, ut te quidem possim placare, scio quid faciam. Contra meipsum ego ipse armabor, et ero præ cæteris crudelior mihi et sævissimus judex. Me tanquam lutum fetidissimum conculcabo, et abominabor me sicut stercus. Et certus sum, quod si sic me dejecero, exuar vestimentis viduitatis meæ, Dei mei ornabor monilibus, in ejus

[21] S. Bonav. [22] S. Aug. [23] *Psal.* cxv, 12, 13 ; S. Bonav. [24] S. Bonav. [25] *Hebr.* vi, 6 ; S. Bonav. [25*] *Luc.* xviii, 13. [26] S. Bonav. [27] *Ibid.* [28] *Ibid.* [29] *Ibid.* [30] *Ibid.* [31] *Ibid.* [32] *Ibid.* [33] *Ibid.*

sponsam assumar, introibo secum cubiculum ejus, et tandem secum matrimonium consummabo. Resolvar in ipsum, et fiam unus spiritus cum eo, et qui prius eram dæmoniacus, ero divinus [34].

11. Scio etiam quid faciam. Domini mei Jesu vulnera introibo; in ejus dolores, quantum potero, transformabor; ejus Passionem induam tanquam vestimentum regale, nihil requirens nisi quæ huic sunt conformia, cæteraque abjiciens [35].

12. Quæ creatura audebit de cætero post me conclamare, si fuero hac veste indutus? Jam Christi Passio pro me, ut necesse fuerit, contra omnia militabit; non erit qui contra me militare audeat, si Christi stigmatibus fuero consignatus. Ubique et semper habitabo cum illis, ut sim quasi in castro securus ab omni impulsu maligno [36].

13. Hoc est summum refugium ad omne malum vitandum et ad omne bonum assequendum : hic deliciarum paradisus de cujus lateris medio abundantia omnis dulcoris emanat. Ibi inebriatur homo dulcedine indicibili, requiescit inter amplexus dilecti, fit illi conformis et cohæres in regno ubi sunt dilecti Dei, qui sunt crucifixi cum Christo. Non enim potest se Deus negare sanguine Christi perfuso [37].

—

AMORE CRUCIS TRANSFIGITUR PŒNITENS IN MEDITATIONE PASSIONIS.

1. O bone Jesu! nihil a te peto in hac vita, nisi ut perfecte sim tecum crucifixus in cruce. O dilectissime Jesu! nolo vivere nisi moriar tecum. Aut ergo da mihi mortem temporalem, aut in corde meo imprime tuam mortem [38].

2. Hei mihi! quare natus sum, nisi Dominum meum Jesum amplectar in cruce, et requiescam in vulneribus ejus? Hanc tuam vilissimam passionem et crucem volo, hanc peto, hanc totis internis concupisco medullis, omnibus pro ipsa abrenuntio, et etiam me ipsum relinquo. Ipsa sit anima mea, vita mea, consolatio mea, deliciæ meæ [39].

3. Hanc da mihi in sponsam, et indivisibili et indissolubili vinculo ipsam mihi conjunge. Super omnes mulieres, id est super omnes delicias et consolationes temporales adamavi eam; et tamen sæpe alia superinducta repudiavi eam. Nunc modo venio et requiro eam; hanc ergo da mihi, Domine Jesu, quia hanc dilexi, hanc totis visceribus concupivi, et ipsa sola mihi sufficit [40].

4. Ipsa est quæ sæpit aures ne audiam vana vel prava; quæ oculos claudit ne aspiciam mortifera vel nociva; quæ os obstruit ne loquela vel gustu offendam; quæ nares obturat ne circa odorifera offendam; quæ manus ligno affigit ne extendantur ad tactus vel opera vitiosa; quæ pedes concavat ne inutiliter vel nocive discurrant; ipsa est perfectissima medicina, sine qua nulla alia medicina [41].

5. Scias, Domine Jesu, quia omnia visibilia mihi vilescunt pro ipsa. Tibi universa restituo, et da mihi vulnera tua. Omnia nonnisi vanitas respectu tuæ passionis et crucis. Hanc volo, hanc tribue mihi in uxorem [42].

6. Non peto pulchritudinem cœli, sed ignominiam tuam : non mundi delicias, sed tuas angustias. Cito, mi Domine Jesu, tribue eam. Nolo secum sponsalia facere, sed matrimonium consummare. Consentiat in me, consentio in eam, et est matrimonium ratum. Intrent cor meum vulnera tua, et ipsa intrent animam meam, et erit matrimonium consummatum [43].

7. Sed quid sum ego, Domine, ut a te in sponsam audeam illam petere, quam solam tuis intimis amicis et maximis præ omnibus amicitiis conjungis? Nihil nisi vanitas et detestanda sanies sum : sed præsumo de immensa clementia tua; et licet non habeam sanctitatem matris tuæ ut tecum compatiar, latronis tamen pravitatem habeo ut tecum ad latus tuum crucifigi debeam [44].

8. Magis in hac vita desidero, Domine Jesu, tecum in cruce ascendere, quam cum Petro, Jacobo et Joanne in montem transfigurationis tuæ ascendere [44*]. Magis placet ad præsens oculis mentis videre te consputum quam transfiguratum. Etsi non sum tanquam velum nobilissimum in templo, ut in morte tua scindar, sum tamen fetidissimum monumentum, ut ad apertionem tui lateris aperiri debeam [45].

9. Quid in me quæris, dulcissime Domine Jesu! Si in morte tua petræ scissæ sunt, ego durior petra; si terra mota est, ego terrenissimus sum; et si cœlestis non sum, ut tibi compatiendo nequeam cum sole obscurari, tamen infernalis conversationis sum, ut in hoc triduo mortis a te debeam visitari [46].

10. Non ergo te retrahat iniquitas mea quin hanc nobilissimam sponsam inseparabiliter mihi ejus desiderio æstuanti conjungas. Ipsa enim est pulcherrima omnium mulierum, id est gratiarum. In ea fuit summus cultus Dei, summa Dei dignatio, summa Dei ad nos diffusio, summa Dei sapientia et prudentia [47].

11. Hæc percussit superbum, animas de inferno transtulit in cœlum, sua potestate placavit, imo et donavit Deum [48].

12. Ejus violaceum colorem amplectuntur humiles et confessores; lilii candorem innocentes et virgines; roseum ruborem martyres in charitate ferventes [49].

13. Ejus purpureum et coccineum colorem admirantur angeli; ad ejus fragrantissimum odorem

[34] S. Bonav. [35] *Ibid.* [36] *Ibid.* [37] *Ibid.* [38] *Ibid.* [39] *Ibid.* [40] *Ibid.* [41] *Ibid.* [42] *Ibid.* [43] *Ibid.* [44] *Ibid.* [44*] *Matth.* xvii, 1 sqq. [45] *Matth.* xxvii, 51, 53; S. Bonav. [46] *Ibid.*; *Luc.* xxiii, 45; S. Bonav. [47] S. Bonav. [48] *Ibid.* [49] *Ibid.*

suscitantur mortui ; ad ejus suavissimum gustum reficiuntur et conservantur pusilli [50].

14. Talis est, filii Jerusalem et filiæ, sponsa mea, et amica mea, desiderium animæ meæ. Ipsa inimicum meum diabolum superat, a mundo alienat, carnem castigat. *Mihi ergo absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* [51].

—

DEI CHARITATE INFLAMMATUR CHRISTIANUS IN MEDITATIONE PASSIONIS CHRISTI.

1. O quanta est erga hominem, Deus meus, tua dilectio ! Mirum certe quomodo pro tuo amore corda filiorum hominum non scinduntur. Quid voluit Deus, nisi ut suo nos inebriaret amore ? ut nos exaltares, voluisti parvulus nasci ; ut nos bestiales per peccatum cœlestes faceres, voluisti inter bestias in præsepio collocari. Ut mortuos suscitares voluisti in cruce suspendi. O mira bonitatis divinæ effusio ! O detestabilis nostrorum excæcatio oculorum ! O glacies, non cor, cur non liquescis ad hunc calorem ! Hei mihi ! nescio per quam viam Deus nos amplius requirat [52].

2. Quod super omnia te mihi reddit amabilem, bone Jesu, est calix iste quem bibisti. Hoc amorem nostrum facile vindicat totum sibi. Hoc, inquam, est quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius [53].

3. Certe, Domine Jesu, etiamsi me odires, ex quo Deus meus es, te diligere deberem ; quanto magis cum me tantum diligas et me sequaris tuis beneficiis fugientem. Nam tantum me diligis, ut te pro me odisse videaris. Voluisti enim, judex omnium, pro me judicari et mortem turpissimam sustinere. O Deus meus, quid mihi amplius facere debuisti ! Certe si hoc mihi fecisset minimus rusticus, ipsum deberem diligere in æternum. Et ego non diligam te, Deum meum ! O cor plus quam lapideum ! O cor, non cor ! cur non accenderis ex amore ? Lapis calore solutus in æs vertitur : et tu ad tantum calorem immutabilis perseveras [54].

4. Certe me totum voluisti qui mihi te totum tribuisti. O amor, o desiderium cordis, o dulcedo et suavitas mentis, o ardor et inflammatio pectoris, o lux et claritas, o anima mea, o vita mea, o viscera cordis mei, o medulla ossium, o exsultatio mea, cur ego non sum conversus totus in tuum amorem ! Quare aliquid est in me nisi amarum ! Quomodo possum aliquid aliud meditari ? Quid amplius cupio ? Cur ergo non sum illo captus, illaqueatus, inebriatus [55] ?

5. Inspice, o anima mea, vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad osculandum ; cor apertum ad diligendum ; brachia extensa ad amplexandum ; totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sunt cogita ; hæc in statera cordis appende, ut totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fuit fixus in cruce [56].

6. Undique circumstat me amor tuus, et nescio quid sit amor. Sed, hei mihi ! cur sic insensibilis maneo sine causa ? Cur vanitas plus quam tu qui es veritas, me allexit et allicit ? Cur iniquitas plus quam Salvatoris mei benignitas me attraxit ? Cur stercorum odium plus quam mei Creatoris et Redemptoris amorem nimium adamavi [57] ?

7. O Domine mi Jesu, tu te mihi totum dedisti, et a me cor meum totum petis. Sed quantum est hoc, Domine mi, qui ita excellens es ? Si haberem cor unum, quod majus esset quam si simul essent omnia corda filiorum hominum, et omnes angelorum affectus et plura spiritualia et corporalia simul actu contineret quam cœlum empyreum, ipsum totum et totaliter tibi tribuere deberem, et adhuc tanto Domino minusculum pretium, imo quasi nihil esset : quanto magis illam parvam scintillam cordis quam habeo, tibi trabo et totaliter in te ponam [58].

8. Hoc permaximum est mihi quod cor meum habere digneris. Nonne ergo stultus essem, si illud applicarem de cætero alicui creaturæ, cum Deus meus illud velit habere ? Etiam in me ipso nolo quod remaneat amodo, sed volo ut totaliter requiescat in te. Melius est enim quod cor meum maneat in divina majestate et immensa bonitate, quam in mea fragilitate ; in tua scilicet Deitate quam in mea iniquitate. Sic enim resolvar in te, et fiam unus spiritus tecum, ut qui prius eram dæmoniacus, fiam divinus [59].

9. Ecce quomodo sitibundus homo, qui Christi Passionem ruminare non cessat, liquescit amore devoto, et fervida devotione vel dilectione deficit a se et requiescit in Christo crucifixo. Sed quanto ei plus inhæret, tanto amplius devotissimo amore in se deficit et liquescit : et quanto plus deficit a se amore et devotione, tanto amplius eidem dilecto pro se mortuo inhæret et plus requiescit in ipso. Et sic mutuo se augent adhæsio amoris et devotio, donec tota sponsa absorbeatur ab illo camino ignito amoris Passionis dilecti. Et sic in amplexibus Sponsi soporata quiescit, qui clamat et dicit : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit* [60].

—

AMORE PROXIMI INCALESCIT MEDITATOR PASSIONIS CHRISTI.

1. Cum homo considerat illa intima pietatis viscera Domini Jesu Christi, quæ super nos effudit in cruce taliter moriendo pro nobis, aperitur cor ejus erga proximum ut libenter pro illo se totum

[50] S. Bonav. [51] *Galat.* VI, 14 ; S. Bonav. [52] *Ibid.* [53] S. Bern., serm. 20 *in Cant.* [54] S. Bonav. [55] *Ibid.* [56] S. Aug. [57] S. Bonav. [58] *Ibid.* [59] *Ibid.* [60] *Cant.* II, 7.

impendat [61], pro quo videt Dominum suum crucifixum [62].

2. Sicut toto corde compatitur Domino suo Jesu Christo in cruce pendenti, ita intime et quasi sibimetipsi condolet proximo suo sanguinem illius conculcanti [63].

3. Quemlibet proximum reputat se ipsum, videns se et proximum esse ab eodem creatos, consimili imagine insignitos, eodem sanguine redemptos et ad idem præmium ordinatos [64].

4. Ex hoc præcipue ad proximum cor suum aperit, quia videt Dominum suum pro omnibus crucifixum, et ideo ipsum in omnibus considerat et in omnibus intuetur, scilicet Christum suum contemplans; totusque est proximi, quia totus est Crucifixi [65].

5. Cum gaudentibus de bono gaudet; cum tristantibus de malo tristatur, omnibus omnia factus ut omnes Christo lucrifaciat [66].

6. Non invidet, non æmulatur, non detrahit. Non impedit nec retardat signis, dictis, aut factis, bonum proximi: sed totaliter sitit illius profectum, et detestatur defectum, utrumque reputans suum [67].

7. Sic libenter ac diligenter servit illi, sicut faceret sibi: et etiam quia se debet odire, illum autem diligere, ideo offensus dicto vel facto non plus curabit, quam si hoc ipse fecisset vel dixisset [68].

8. Confortatus Spiritu, ut non prævaleat caro, abstinet se ab exteriori homine quantum potest. Et ut solum sit interior ad interiora conversus, interiorem in proximo considerat, de ejusdem exteriori, nisi in quantum ad interiorem ordinatur non curans, ne pro exteriori interior ad vana trahatur [69].

9. Ipsum exteriorem proximi hominem tanquam sacculum stercorum relinquens, et ad interiorem considerans tanquam ad imaginem Dei factum, sanguine Christi redemptum, Spiritus sancti habitaculum, sponsum Christi, ingemiscit et plorat, ejus imaginem videns denigrari et jacere in sterquilinio, sanguinem pretiosissimum conculcari, Spiritus sancti habitaculum pollui, sponsam ejus prostitui, et totam beatitudinem pro vilissimis stercoribus contemni [70].

10. Pietatem de latere Christi hauriens, nihil nisi Jesum in proximo requirit, et sic in proximum tendit, ut semper cum ipso in Christi vulneribus recumbat [71].

11. Non proximum aspicit ut pulchrum, sed ut Christi morte redemptum, et illius sanguine perfusum [72].

12. Anima proximi cum sanguine Christi intrat in cor ejus, nihilque illi difficile, nihil videtur vile, etiam mori pro illo pro quo Christus mortuus est [73].

13. Unusquisque proximus est, sicut cor ejus pro quo fuit cor Domini Jesu Christi tot doloribus aggravatum [74].

14. Et quia totum Dominus noster reputat sibi fieri quod amore ipsius fit membris ejus, non solum sua, sed se ipsum proximo, imo Christo in proximo largitur, quia ipse se totum dedit nobis [75].

15. O felix ille qui sic servit proximo, ut mente non discedat a Deo; qui manum porrigit ad proximum suum et cor ad Deum; qui proximo serviens non ut homini sed ut in homine ipsi Deo, totum semper refert ad Jesum [76]!

16. O anima mea, quid quotidie anxiaris post Christum? Indicabo tibi, sponsa, quem diligit anima tua [76*]. In proximo jacet. Curre et illi in proximo ministra, et sic ministra, ut quidquid operis facias, non homini, sed soli Deo facere existimes: semper quærens quod sit magis honorificum Deo, conforme Christo, utile tibi et proximo [77].

—

DEUS PER CHRISTUM INVOCANDUS.

1. Invoco te, Deus meus, invoco te, quia prope es omnibus invocantibus te, sed invocantibus in veritate [78], quia tu veritas es. Sed quomodo hoc fieri oporteat nescio. Erudi me, o sancta veritas, o divina sapientia, quia quem tu erudieris beatus est [78*]. Quid est invocare veritatem in veritate, nisi invocare in Filio Patrem?

2. Quid dulcius quam Genitorem in nomine Unigeniti exorare; Patrem recordatione filii ad pietatem flectere; Regem charissimæ prolis denotatione mitigare? Sic rei solent carceribus eripi: sic mancipati vinculis liberari; sic tristem capitis excipientes sententiam nancisci non solum vitam, sed insolitam gratiam, dum iratis patribus, dilectæ prolis intimaverint charitatem. Sic delinquentes servuli evadunt supplicia dominorum dum pro eis intervenit dulcedo filiorum.

3. Sic te, Pater omnipotens, per omnipotentis Filii tui postulo charitatem. Quem enim alium dirigam intercessorem pro me tibi nescio, nisi hunc qui est pro peccatis nostris propitiatio [79], qui sedet ad dexteram tuam [80], qui etiam communi sibi gloria pietatem tuam interpellat pro nobis [81].

4. Ecce advocatus meus apud te, ecce Pontifex summus qui non eget alieno expiari sanguine quia proprio fulget perfusus cruore. Ecce hostia sancta, beneplacens et perfecta in odorem suavitatis et oblata et accepta [82]. Ecce Agnus sine macula qui languores nostros suo livore sanavit [83]. Aspice, pie Pater, piissimum Filium pro me tam impio passum; respice eum qui patitur et reminiscere benignus pro quo patitur.

---

[61] *II Cor.* XII, 15. [62] S. Bonav. [63] *Ibid.* [64] *Ibid.* [65] *Ibid.* [66] *I Cor.* IX, 22; S Bonav. [67] S. Bonav. [68] *Ibid.* [69] *Ibid.* [70] *Ibid.* [71] *Ibid.* [72] *Ibid.* [73] *Ibid.* [74] *Ibid.* [75] *Ibid.* [76] *Ibid.* [76*] *Cant.* I, 6. [77] S. Bonav. [78] *Psal.* CXLIV, 18. [78*] *Psal.* XCIII, 12. [79] *I Joan.* II, 2. [80] *Col.* III, 1. [81] *Rom.* VIII, 34. [82] *Rom.* XII, 1; *Ephes.* V, 2. [83] *Exod.* XII, 5; *Isa.* LIII, *I Petr.* II, 24.

5. Nunquid non attendis, pie Pater, adolescentis filii charissimum caput nivea cervice deflexa, pretiosa resolutum in morte. Aspice, mitissime Conditor, dilectæ sobolis humanitatem, et miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Specta gratissimæ prolis lacerata membra, et memorare benignus quæ mea est substantia [83*]. Conspice Dei hominis pœnam, et releva conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium et remitte redempti delictum.

6. Direxi tuum dilectum Filium et misi inter me et te Mediatorem. Misi intercessorem per quem confido veniam. Multum quidem est quod mea meretur impietas; sed longe majus est quod Redemptoris mei reposcit pietas. Magna mea injustitia, sed major Redemptoris mei justitia. Quid enim delinquere posset homo quod non Filius redimeret factus homo? Quæ tantum superbia tumeret, quam non tanta humilitas sterneret? Quodnam mortis imperium, quod non destrueret crucis supplicium? Ecce spes mea, ecce fiducia mea.

7. *Respice* ergo, Domine sancte Pater, *de sanctuario tuo et de excelso cœlorum habitaculo* [84], et intuere hanc sanctam hostiam quam offert et offert tibi magnus Pontifex noster sanctus, puer tuus Dominus Jesus pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ. Ecce vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. Quid enim pendet in ea? Cognosce, Pater, tunicam veri Filii tui Joseph. Heu! fera pessima devoravit eum [84*]!

8. Si me pro mea, ut dignum est, despicis iniquitate, respice me saltem misericors pro dilectæ sobolis charitate. Attende in Filio quo propitieris servo. Vide carnis sacramentum et remitte carnis reatum. Et quia caro te lacessivit ad iram, caro te flectat ad misericordiam, ut sicut caro me seduxit ad culpam, sic caro deducat ad veniam.

9. *Respice*, Domine, *in faciem Christi tui* [85] qui tibi usque ad mortem obediens factus est [85*]. Non recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum ut memineris quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. Si enim appendas in statera [86] peccata quibus iram meruimus et calamitatem quam pro nobis passus est, certe hæc gravior apparebit, et digna ut propter ipsum effundas super nos misericordiam tuam.

—

DE MYSTERIO ASCENSIONIS.

Vado ad eum qui misit me [86*]. O Domine, *trahe me post te, in odorem curram unguentorum tuorum* [87]. *Magister, sequar te quocunque ieris* [88]. Sequamur, fratres, sequamur Agnum quocunque ierit, sequamur patientem, sequamur et resurgentem, multo libentius sequamur ascendentem, quærere videlicet et sapere quæ sursum sunt [89], ubi ille est [90].

Compatere ergo, anima Christiana, conresurge, coascende, quod est, *declina a malo, fac bonum* [91], inquire pacem, et persequere eam.

Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum [92]... *Vade et tu fac similiter* [93]. Qui interius intrans seipsum transcendit veraciter, ad Patrem suum et Deum suum ascendit. Ut ergo ad illum ascendas prius necesse est levare te super te, calcando carnalia desideria, ita ut sub te sit appetitus tuus, et tu domineris illius [93*]: non solum autem super te, sed et super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris, ita ut universa deorsum aspiciens cernas terram de longe, et nulla te oblectamenta inclinent [94].

Venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem [95]. Sequere, o anima, in hoc transitu Christum Dominum. Sis verus Hebræus transiens de deserto ad terram promissam; sis et Christianus cum Christo transiens ex hoc mundo ad Patrem.

Relinquo mundum, et vado ad Patrem [96]. Revertitur 1° tanquam verus obediens, completa obedientia quoad Patrem; 2° tanquam bonus mediator, facta pace et concordia quoad homines; 3° tanquam strenuus propugnator, reportata victoria contra dæmones.

Ascendit Deus in jubilatione [96*], *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans* [97]. Eamus et nos pariter, ascendamus cum ipso. Ascendit autem ad Deum volando qui ascendit amando... Affectu igitur curre, amore ambula, charitate ascende. Quanto plus amaveris, tanto plus ascendes. Quid quæris viam? inhære Christo, qui descendendo et ascendendo seipsum fecit viam. Vis ascendere? ascendentem tene; tu enim per te ipsum levare te non potes [98].

Affectu pariter et profectu ascende post ipsum, etiam per vitia ac passiones tuas. Quomodo? Si subdere eas tibi studeas, ac super eas stare consuescas, ex ipsis tibi gradum constituis; elevabunt te si fuerint intra te: de vitiis ergo tuis scalam tibi facis si vitia calcas... Nisi calcati fuerint calcabunt te; nisi premantur oppriment te, dominari debent ne dominare prævaleant [99].

Videntibus illis elevatus est [1], ut desiderium veniendi ad ipsum excitaretur in eis; *elevatis manibus ferebatur in cœlum* [2], ut suos Patri offerret: et benedixit eis [3], ut eos contra hostem muniret et bonis cœlestibus augeret [4].

Ascendit super omnes cœlos [4*]: levemus corda, et ascendentem Dominum sequi, velut quibusdam passibus devotionis et fidei, contendamus... Primus gradus ascendendi innocentia operis; secun-

[83*] *Psal.* LXXXVIII, 48. [84] *Deut.* XXVI, 15. [84*] *Gen.* XXXVII, 32, 33. [85] *Psal.* LXXXIII, 10. [85*] *Philipp.* II, 8. [86] *Dan.* V, 27. [86*] *Joan.* VII, 33. [87] *Cant.* I, 3. [88] *Matth.* VIII, 19. [89] *Col.* III, 1. [90] S. BERN., serm. 6 *in Ascensione*. [91] *Psal.* XXXIII, 15. [92] *Joan.* XX, 17. [93] *Luc.* X, 37. [93*] *Gen.* IV, 7. [94] S. AUG.; S. BERN. [95] *Joan.* XIII, 1. [96] *Joan.* XVI, 28. [96*] *Psal.* XLVI, 6. [97] *Deut.* XXXII, 11. [98] S. AUG., *in psal.* LXXXV; ID., serm. 234 *De tempore*; ID., *in psal.* LXXXIII. [99] S. AUG.; S. BERN. [1] *Act.* I, 9. [2] *Ibid.* *Luc.* XXIV, 50, 51. [3] S. BONAV. [4] *Ephes.* IV, 10.

d is munditia cordis ; tertius fructus ædificationis [5].

Ascendit 1° ad intercedendum pro nobis : *ut appareat vultui Dei pro nobis*, inquit Apostolus [6], bonus mediator, optimus advocatus, qui tot habet linguas pro nobis loquentes, quot vulnera pro nobis recepit [7] ; 2° ut paret nobis locum : *vado*, inquit, *parare vobis locum* [8], locum scilicet, ubi beati soli Deo vivunt, ubi soli vacant intelligendo, diligendo, fruendo.... ubi videbimus, amabimus, gaudebimus [9]. Quæris quis ille sit locus? Cœlestis Jerusalem [10], visio pacis. O pax quæ exsuperat omnem sensum [11] ! O pax supra pacem ! O mensura super mensuram conferta et coagitata, et supereffluens [12] ! 3° ut desiderium nostrum post se traheret [13]. Idcirco recedit ut avidius requiratur, ut desiderium crescat, ut probetur affectus, ut exerceatur amoris negotium. Sic aliquando gustu illius percepto inter bibendum subtrahit se a te ut ardentius exoptes, vehementius inardescas, studiosius inquiras, humilior reddaris [14].

Quod ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in interiores partes terræ [15] ? Descendit quo inferius non potuit, ascendit quo celsius non potuit : descendit a summo cœlo usque ad carnem, usque ad crucem, usque ad mortem ; ascendit usque ad gloriam resurrectionis, usque ad potestatem judicii, usque ad consessum in dextera Patris. Quid hac dispositione suavius, ubi mors absorbetur in victoria [16], ubi ignominia crucis vertitur in gloriam, ubi et ipsa carnis humilitas ex hoc mundo transit ad Patrem ? Hac ascensione nihil sublimius, hoc honore nihil gloriosius excogitari potest. Sic *reliquit nobis exemplum, sequamur vestigia ejus* [17].

Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem [18]. Tu fuisti ista captivitas per peccatum a diabolo captivatus, sed hanc captivitatem, scilicet te, Christus, cum ascendit, in cœlum duxit : id est in suam potestatem secum recepit, ad similitudinem principis triumphantis, et suos liberantis ; bona captivitas est ista captivitas Christi qua nos captivamur, et in cœlum reportamur [19].

Ascensio Domini mysterium est separationis, elevationis, consummationis ; in eo Christus discedit a mundo elevatus in cœlum, consummatur in sinu Patris. Discede et tu a pondere peccatorum, a glutino creaturarum, a compedibus sæculi hujus. Elevare supra carnem, supra spiritum, supra teipsum, ut possis elevatus consummari in Deo.

Lætifica, Domine, animam servi tui, quoniam ad te animam meam levavi [20]. Qui funes ? quæ machinæ ? gradus affectus sunt. Iter tuum voluntas tua est : amando ascendis, negligendo descendis. Stans in terra in cœlo es, si diligis Deum : non enim sic levatur cor quomodo levatur corpus : ut levetur mutat locum, cor ut levetur mutat voluntatem [21].

[5] S Bern. [6] *Hebr.* ix, 24. [7] S. Bonav. [8] *Joan.* xiv, 2. [9] S. Bern. ; S. Aug. [10] *Hebr.* xii, 22. [11] *Philip.* i, 4. [12] *Luc.* vi, 38. [13] S. Bonav. [14] S. Bern. [15] *Ephes.* iv, 9. [16] *I Cor.* xv, 54. [17] *I Petr.* ii, 21 ; S. Bern. [18] *Ephes.* iv, 8. [19] S. Bern. [20] *Psal.* lxxxv, 4. [21] S. Aug.

MÉDITATIONS SUR LA FÊTE DE LA PRÉSENTATION DE LA SAINTE VIERGE.

PREMIÈRE MÉDITATION.

Il faudrait être bien spirituel pour connaître les dispositions saintes dans lesquelles la sainte Vierge était lorsqu'elle alla se présenter au temple. Les saints Pères disent des choses fort belles sur ce sujet, et cherchent à nous les découvrir ; mais disons que tout ce qu'ils en peuvent apercevoir n'est rien au prix de ce qui se passait dans cette âme admirable. Respectons son intérieur, et lui demandons qu'elle nous y donne quelque part. Remarquons pourtant trois dispositions dans lesquelles il me paraît qu'elle y est allée : avec une foi très-éclairée, une religion admirable et un amour très-ardent. La première disposition est la foi qui l'a portée à se retirer dans le temple. Je ne puis croire que le motif que la sainte Vierge a eu de s'en aller au temple ait été pour fuir les créatures, pour se séparer d'elles, et par la crainte qu'elle en eut d'y trouver des charmes qui pussent attirer son cœur. Ce motif était trop bas pour une âme si sainte ; elle n'était pas comme les pécheurs qui se corrompent par le commerce des créatures, qui sont devenues pour eux une matière de tentation et un piége depuis le péché, et qui sont obligés à cause de cela de s'en séparer continuellement. La sainte Vierge en était séparée dès le moment de sa conception, et, ayant été exempte de péché originel, elle ne trouvait rien de criminel pour elle dans les créatures ; et si Adam, étant créé dans la justice originelle, voyait Dieu dans toutes les créatures qui lui montraient quelque chose des perfections de Dieu qui étaient imprimées en elles, la sainte Vierge, beaucoup plus sainte et dans une grâce bien plus éminente que celle d'Adam, ne voyait que Dieu tout seul dans toutes les créatures.

Dieu a coutume, quand il se choisit quelque âme qu'il se veut appliquer particulièrement, de la séparer tellement du mal qu'elle l'ignore même et ne le connaît point. On lit cette conduite de Dieu dans la Vie de la petite Marguerite du Saint-Sacrement, Carmélite de Beaune, que Dieu avait appliquée singulièrement aux mystères de l'enfance et de la croix de Jésus.

Elle ignorait le mal et ne savait ce que c'était

que la corruption du péché ; et comme on exposait le Saint-Sacrement pendant le carnaval, elle était dans une joie fort grande d'être en la présence de Notre-Seigneur et de jouir de lui. On lui dit que ce n'était pas pour cela qu'il était exposé, mais pour lui demander miséricorde à cause des déréglements du monde ; elle demanda si le monde était déréglé et corrompu ; tant elle ignorait toute sorte de mal.

La sainte Vierge était dans une innocence et une pureté incomparablement plus grandes; ainsi la corruption des créatures ne lui pouvait nuire, ne voyant en elles que ce qu'elles représentaient de Dieu et de ses perfections. Ce n'est donc pas ce qui la fait quitter la maison de ses saints parents pour aller au temple ; mais c'est la grande lumière de la foi qui, lui faisant connaître l'excellence de Dieu, la porte à aller dans le temple pour l'y contempler en toute liberté, dans ce lieu qu'il avait choisi pour s'y faire connaître plus particulièrement ; c'est là qu'elle est appliquée à contempler toutes ses perfections ; elle ne pense qu'à lui ; elle n'entretient son esprit que de lui. La foi est la lumière la plus pure et la plus élevée de l'esprit, par laquelle on connaît Dieu autant qu'il peut être connu ici-bas, et qui ne dérobe rien à la grandeur de Dieu ; les autres lumières sont trop basses pour faire connaître Dieu, et un esprit chrétien ne doit point s'y appliquer.

La sainte Vierge ayant un esprit naturel et merveilleux, et étant éclairée de toutes sortes de lumières, ne s'applique qu'à celle de la foi pour connaître Dieu. Sa foi lui fait assez chercher Jésus-Christ dans le temple, pour s'appliquer à ce que les prophètes en avaient prédit, à ce que les figures en représentaient et à ce que les sacrifices en figuraient. Elle l'y cherche en tout et le voit partout ; elle entendait mieux les prophéties que ceux qui les avaient prononcées ; elle concevait mieux que personne ce que les figures en représentaient, et elle le voyait dans toutes les hosties qui étaient immolées ; les autres n'y voyaient que l'extérieur; mais la sainte Vierge pénètre par la lumière de la foi tout ce qu'elles signifiaient, et y trouve Jésus-Christ partout. La foi est ce qui perfectionne l'esprit ; c'est la lumière qui éclaire véritablement l'entendement, et qui lui fait connaître Dieu. Nous devrions être incessamment appliqués à Dieu et à Jésus-Christ, et tout notre désir devrait être de les connaître. Il y a des personnes qui s'affligent de n'être pas savantes, de n'avoir pas un esprit si élevé et capable des plus belles lumières ; mais il ne faut faire état que de la lumière seule de la foi. Pour nous, si nous en avons le courage, faisons avec la sainte Vierge cette profession de saint Paul : *Nihil me existimavi scire inter vos nisi Jesum et hunc crucifixum* (*I Cor* II, 2) : *Je n'ai fait état et n'ai désiré savoir que Jésus et Jésus crucifié.* Voilà quelle doit être notre application, de savoir Jésus-Christ ; il ne faudrait pas qu'un esprit chrétien s'appliquât à savoir autre chose. Ne remplissons point notre pensée de choses de la terre, ne nous occupons jamais des créatures, mais les oubliant toutes, étudions-nous à connaître Dieu et Jésus-Christ par la foi qui est la vraie lumière qui nous les découvrira, et en quoi nous trouverons notre vrai bonheur et la perfection de notre entendement.

2° La grande lumière de la sainte Vierge et l'éminence de sa foi lui faisant connaître Dieu si parfaitement, la fait entrer dans le temple, dans une seconde disposition qui est celle de religion, pour lui rendre toutes sortes de devoirs. Dieu s'était choisi le temple pour y recevoir tous les hommages de la religion; et jusqu'alors il ne s'y était rien fait de digne de Dieu, n'y ayant que de l'extérieur et des figures vides de l'esprit qui les devait remplir et les rendre agréables à Dieu. La sainte Vierge y va dans l'esprit de religion, et y rend à Dieu tout ce que cette vertu demande ; elle s'unit à tous les sacrifices qui sont offerts à la grandeur et à la souveraineté de Dieu, qui ne reçoit aucun hommage dans son temple auquel la sainte Vierge ne soit unie intérieurement et n'en rende de plus parfaits. Mais disons qu'elle est elle-même un temple plus saint et dans lequel elle offre continuellement des victimes ; elle offre à Dieu son corps en sacrifice ; elle lui présente des hosties en son intérieur et sur l'autel de son cœur, qui sont bien plus dignes de Dieu que tout ce qui lui était présenté dans le temple. Car quel rapport y avait-il de Dieu saint et tout esprit avec les victimes qui lui étaient offertes? Il le dit lui-même par son Prophète : *Nunquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo?* (*Psal.* XLIX, 13.) Qu'est-ce que vous me pouvez offrir qui ne soit à moi? Les bêtes dans les champs et les oiseaux du ciel m'appartiennent ; pensez-vous que je me repaisse de la chair des taureaux, ou que je boirai le sang des agneaux que vous me sacrifiez? Cela a-t-il quelque rapport à mon être tout spirituel? Ces sacrifices ne me plaisent point. Mais ceux que la sainte Vierge lui offre en son intérieur, lui sacrifiant son esprit, son cœur et tout elle-même, lui rendant toute sorte de devoirs, de louanges et d'adorations, lui sont bien plus agréables.

Cependant la sainte Vierge, dans toute l'étendue et la perfection de sa religion, ne peut rien offrir à Dieu que de borné, puisqu'elle n'est qu'une créature faible et qu'elle n'a pas de rapport à l'infinie excellence de Dieu. C'est pourquoi elle désire Jésus-Christ, elle le demande, elle s'unit à lui et le présente à Dieu comme celui par lequel elle peut satisfaire à ses obligations et à ses devoirs. Et quand elle est présente aux sacrifices qui se font, elle ne s'arrête pas à ce bœuf, à cet agneau, à cette tourterelle ; mais, passant à ce qu'ils figurent, elle offre à Dieu Jésus-Christ qui était représenté par

ces animaux, et en vertu duquel seul ces sacrifices étaient agréables à Dieu. La sainte Vierge rend à Dieu tous les autres devoirs de sa religion; elle lui présente ses adorations; elle lui offre des louanges, mais dans un esprit d'éternité.

Je voudrais que l'on conçût bien cette disposition pour y entrer avec la sainte Vierge. Elle voit que sa louange est un devoir qu'elle doit à Dieu, et elle entre dans un désir qu'elle soit éternelle et qu'elle ait toujours été sans interruption. La définition de l'éternité est : *tota simul et perfecta :* « toute ensemble et parfaite. » Le temps est composé de moments qui s'entre-suivent et qui périssent à mesure qu'ils passent, mais l'éternité ne passe point; elle est toute ensemble et toute parfaite, en sorte que l'on n'y distingue point de succession de temps : il en est de même de l'immensité pour le lieu, comme de l'éternité pour le temps.

